

Digitized by Google

6
37 N
4

DD.6.

39, 5, C, 32

St. D.

9-13. D. 34

Pigna de
fam: Estens:

IO. BAPT. PIGNAE
DE PRINCIPIBVS ATESTINIS
Hiſtoriarum Libri VIII.

IN QVIBVS CONTINENTVR RES MAXIME Inſignes tum in Italia, tum alibi geſtæ ab inclinatione Rom. Imperij ad annum MCCCCLXXVI.

AD SERENISS. PRINCIPEM
ALFONSVM II. FERR. DVCEM.
Ex Italica in Latinam linguam conuerſi
A IOANNE BARONE.



FERRARIÆ MDLXXXXV.
Excudebat Victorius Baldinus
Typographus Ducalis.

SERENISSIMO
ALFONSO II
FERR. DVCI.

Ioannes Baro I. C.

OBSEQVVTVS deſiderio atque imperio tuo Sereniſsime Princeps hiſtoriæ libros VIII. de origine factisq; maiorum tuorum italice a Io. Bapt. Pigna viro clariſsimo, & tui ſcrinij magiſtro compoſitos in latinam linguam conuerti laborioſius fortaſſe quàm felicius. Et enim qui olim nonnihil operæ in nitioribus ſtudijs poſuiſſem, vt paratior ad ius ciuile accederem, ex quo illi me dedi expertus eiuſmodi ſubſidia minus multo quàm putaueram Iureconſulto neceſſaria eſſe, plerunq; etiam apud nos incommoda, illis ipſis litteris iamdudum nuntium remiſi. Acceſſit altera difficultas ex auctoris, quem ſum interpretatus, vbertate. ille quidem, vt eſt in ſcribendo omnium, quicunque nunc calamum attingunt, exercitatiſsimus ingenti quadam copia quaſi pleniſsimum flumen exundat, multa eodem impetu conuehit: habet & pleraq; noua ex moribus, & conſuetudine complurium ſeculorum, quæ (abſit dicto inuidia) non intermortua modo excitauit, ſed etiam primus omnium illuſtrauit ope inſtructiſsimi tabularij tui, cuius eſt præfectus. ipſe diſtinguere & cohibere orationem nimis fluentem, & delicate laſciuia ſua blandientem italicis auribus, latinis non æque; veteribus inaudita apte exprimere, ſi modo expreſsi, qui potui ſine magno labore & tyro & Iuriſconſul

tus? Quod ſi ſegregeretur cauſa & mandatum Celſitudinis tuæ, quibus nihil mihi debet eſſe antiquius, vel quod iſto ſub imperio natus, vel quod mea ſponte gratiæ tuæ ſim appetentiſſimus, merito me omnes reprehendant deditum ſerijs, certe mihi maxime iucundis ſtudijs tantũ tamq; ingratum onus ſuſcepiſſe. Verterunt alij. Germanus primo te iubente, cuius linguã alioqui perdifficilem, & multis maiorum tuorum vnà cum nutricis lacte hauſtam inter arduas Principatus curas celerrime didiciſti: Hiſpanus deinde: mox Gallus oẽs viri eloquentiſſimi; poſtremi duo vltro, & ſummo familiæ Ateſtinæ ſplendore atque obſeruantia adducti, ſed vnuſquiſque ſua lingua. Ego vt dicendi facultate in vniuerſum nemini eorum me æquauerim, ſic ob patrij ſermonis vſum aliquid forte præcipuum in ſententijs bona fide appendendis non immerito mihi arrogauerim. Satis igitur fiet, quàm cumulate neſcio, propinquis tuis nobiliſſimis Principibus, quorum precibus dediſti, vt hiſtoria ampliſſima tot linguis ante communicata poſtremo latina mea quoque opera legatur. Tu Dux Sereniſſime hoc quicquid eſt non pignus animi; ille enim tibi quàm maxime addictus, tuaq; aura prouectus altiſſima quæque audacter inuadat; ſed virium, quæ ſunt exigua, periculum boni conſule: & quem partum vere poſſum dicere ipſe in lucem protuliſti, humanitate ac beneuolentia tua complectere, foue, ceteriſq; commenda. *Id. Apr. 1575.*

ALFONSO II.
FERRARIÆ DVCI
Io. Bapt. Pigna.

CVM duodecim ab hinc annos apud Henricum auguſtiſsimum Galliæ regem tertio eſſes, ſcripſi tuo nomine Hieronimo Faleto digereret quæ ad familiam Ateſtinam pertinentia ex varijs Germaniæ locis collegiſſet, eo conſilio, vt ex illis ceteriſq; aliunde conquiſitis eiuſdem argumenti ſubſidijs vnum hiſtoriæ corpus conflaretur. quam etſi tu poſt regnum initum eidem componendam delegaſſes multis magniſq; beneficijs ornato, quo magis vacuo ab reliquis curis animo omnes eo cogitationes intenderet, ille tamen ad Azonē duntaxat IX. inſtituit, & quod erat reciſa annalium nomine appellauit: nec morte præuentus vel explicare, vt par erat, vel longius extendere, vt in primis cupiebat, potuit. poſtea cum negotium mihi dediſſes, vt ex illius commentarijs, alijsq; aliorum annalium excerptis, quæ maxime viderentur, rem ipſam quoad facere poſſem ſuſciperem, quamq; primum ad exitū adducerem, ego vel cum periculo valetudinis meæ imperio libentiſsime parui. Itaque nunc quidem tibi exhibeo primū hiſtoriæ de Principibus Ateſtinis volumen; quippe ex monumentis iam contractis, quæq; deinceps contraham proſpicio fore, vt ſecundi non minor ſit amplitudo. quāquam enim pars iſta annos amplius mille comprehendat, altera ad hæc vſque tempora continuata ne centum quidem ſit complexura, res tamen noſtra patrumque memoria geſtæ & ſtudioſius ſunt commendatæ litteris & cuſtoditæ, vt non ſumma modo, ſed particulæ etiam exacte pſcribi queant. quod ſane argumentum cum ſit longe plenius, tractabitur & fuſius & vberius. Verum quod res ante ab alijs diligen

ter

ter expoſitæ leguntur, vel nunc oculis cernuntur, non perinde refert eas ſi in aliud tempus differimus, ſecus atque in his accidit; quandoquidem facta tum maiorum tuorum, tum aliorum ijs connexa aut veteres prorſus non attingunt, aut quæ fuit temporum & ſcriptorum negligentia temere atq; incondite. propterea opera a me poſita in ordinãdo te auctore ac duce familiæ tuæ tabulario; quæ quidem cura eo diutius me tenuit, quo archium ipſum plura habet ac prope innumerabilia non dico trita & paſsim obuia monumenta, ſed exquiſita, & propter rerum pondus membranea, maximo mihi adiumento in Ateſtinorum aliorumque factis memoriæ prodendis fuit, ac deinde erit, vti multa hactenus ignota in conſpectum lucemq; hominum religioſe proferam. Quod ſi veritas in cæleſtium rerum contemplatione tanti æſtimatur, quæ vno atque altero ſeculo recondita alio fortaſſe prometur, certe in fluxis & caducis multo erit carior, cum eam aliena potius opera ac præceptis, quàm induſtria noſtra aſſequamur. Accedit imbecillitas naturæ humanæ, & huic neceſſaria adminicula, ita vt in experientia plurimũ ſit momenti: quoque illi plus & quia plerunque fallax eſt, & vita breuis, hiſtoria confert; eo magis indiget fideli atque accurata præteritarum rerum explicatione. iccirco maiorem apud omnes gratiam inibimus, quod deplorata aut languentia tempora largius parciusve pro virili parte reſtituimus, quæ obliuio aut incuria tot annos partim morte oppreſſerat, partim tenuiſſima vitæ aura afflauerat. Interim igitur dum reliquis vacamus libris, exibit primum volumen extremo, vt diximus, prope cõtingens ætatem noſtram, cuius facta ſunt admodum nota. Clauditur autem non ſolum firmatis iam maiorum tuorum Ducatibus, genitoque tantarum opum herede, ſed cõmuni totius Italiæ fœdere & quiete, quam fruſtra ad eam diem mortales optauiſſent: mox illa tribus coniurationibus eodem ferme tempore commota in ſpeciem tantum conſtitit poſt infida, quoniam interim conſilia inibantur vindicandæ iniuriæ, quæ Carolum eius nominis Octauum in Italiam traduxerunt. proinde ſicuti pars hæc aptiſsime terminatur, ita huius ipſius prouinciæ exiſtit perturbatio atque orbis quidam, qui aditum externis armis aperit, reliquisq; libris, quos molimur, nouum ac graue principium

cipium

cipium ſuppeditat. Reliquum eſt vt maiorum tuorum imagines contempleris, quos tot regnorum ac prouinciarum Romaniq́ue imperij faſtigium nobilitauit, ſed multo maxime eximia virtus atque numerus: nullum enim ex antiquiſsima memoria ſeculum fuit, quo non aliquis (& eſt ſeries non dico rariſsima, ſed plane ſingularis) in orbis terrarum theatro multa præclariſsime egerit. Hæc intuens confirmabis tu quidem egregiam tuam pietatem erga Deum, cuius manus nobilitatem & regna diſtribuit ac tuetur: tum vero gloriæ cupiditatẽ eam, cuius ſtimulis ab ipſis prope incunabulis incitatus dignam animi tui magnitudine prouinciam, id eſt pericula ac labores vltro ſuſcepiſti. Ad hæc ſummis abs te precibus contenderem hoc quicquid eſt laboris, quod in preſentia tibi offero, læto vultu acciperes, niſi in mirificæ benignitatis loco ponerem, q̃d ab ineunte ętate in tuorum numerum adſcriptus fuerim, tibiq́; honeſtiſsimo loco operam nauauerim. Itaque ſecundiſsimum tibi vitæ curſum precabor, quo liceat mihi non minus hiſtoriam de te, quàm de tuis negotijs epiſtolas conſcribere.

ARGVMENTVM
Libri primi.

IMPERIVM Pop. Rom. bifariam diuiſum, atqne initium principatus gentis Ateſtinæ; Gotthi ab Honorio Auguſto in Italiam reuocati; anctæ iſtius famlliæ opes ſub Aurelio C. Atij filio: bellum ab rege Hunnorum Atila in Venetis geſtum: Foreſti & Acarini ipſius filij, Alforiſij & Marocelli nepotum res eo bello geſtæ primo libro continentur. item excidinm Aquileiæ, Concordiæ, & Altini, Ferratiæ primordium auctore Acarino; Atilæ ex Italia diſceſſus: Acarini reditus Ateſte: Vandali a Cæſaribus Martiano & Valentiniano armis petiti; Marocelli in Sardiniam expeditio narrantur. præterea Alani in Italiam deſcendunt: ſuperantur virtute Acarini a Seueriano Auguſto eqnitibus præfecti. Heruli, Turcilingi, & Scythæ Italiam duce Odoacro inuadunt; Acarinus, & Alforiſius aduerſus eos pugnantes cadunt. victor Odoacer imperium occidentis euertit. Azo, & Conſtantius ex Acarino nati Italiam relinquũt. Theodoricus Oſtrogotthorum rex magnis opibus pollet: Azonis & Conſtantij, Maximi & Sabini Alforiſij filiorum operam ac ſtudium in ſe beneficijs remnneratur. Amalaſunta paterni regni heres necatur. ne mors impune ſit Conſtantius dat operam. Iuſtinianus bello perſequitur Gotthos. Conſtantius moritur. Gotthi vires reparãt. Bonifacius poſt multos labores vita excedit. Gotthi internecione delentnr. Valerianus barbaris cõſtantiſsime reſiſtit. Longobardi in Italiam tranſeunt, qnibus cum Ateſtini dimicant: barbari victores in Italia late rerum potiuntur. Aldoardus Ateſte tuetur. imperium occidẽtis imminuitur. Gondelardi maxima eſt auctoritas in Gallia. Sclaui Dalmatiam aggrediuntur: pugnat proſpere cum his Erneſtus. Italia a Cæſare deſciſcit. Ateſtini magna imperij parte exuuntur. Longobardi Rauennã obſident; propugnat Erneſtus: tandem oppidũ eo interfecto expugnatur. Longobardi Sedi pontificiæ infeſti a Francis, & Ateſtinis proceribus coercentur. imperium amittunt. Henricus nouæ dignitatis titulo nobilitatur: Tauriſani rebellãtes dant pœnas. Carolus Magnus Auguſtus ſalutatur. Italiæ reges, in primis Berengarius multa ac grauia non ſine prouinciæ iactura moliuntur. Parmenſes Sigifredo ſe permittunt. Italicorum regum ſeries, vtque eam dignitatem ſit adeptus Almericus, mox Otho Cæſar, explicatur. Ligurum, & Inſubrũ præfecturæ ab eo cõceduntur Vgoni II. Saraceni in Italiam traijciunt: Roma ab Sigifredo eo metu liberatur. Berengario II. arma circumferenti Azo II. obſiſtit. bellũ maiore apparatu renouantem ſuperat: victoriam Placentiæ & Regij deditio conſequitur. Berengarius capitur. Azo Italiæ Vicarlj nomine præeſt. Ioannes Pontifex huius nominis XIII. comprehenſus Azonis opera dimittitur. Otho II. Auguſtus coronatur. Ferrarienſes iterum in Thedaldi ditionem concedunt. Germania ſeditionibus domeſticis laborat. Danos Albertus II. ſubigit: Othoni a Saracenis victo opitulatur. Gregorius V. Pontificatu deiectus reſtituitur opera Vgonis III. Othonem Pop. Ro. obſidet. Vgo Italiæ Marchio appellatur. ciſalpina Gallia tumultuat. Mutina, & Mantua potitur Bonifacius III. Conradus eius nominis II. Auguſtus in Italiã venit. Bonifacius Parmam recipit. Contadus Mediolanum oppugnat; Bonifacio interprete ciuibus ignoſcit. Franci auſpicijs Sequanos Bonifacius debellat: Veronam veteri imperio adijcit. Velfonum ſtirpe in Germania extincta in eorum locum atque ditionem ſuccedit Velfo VI. Azonis IIII filius.

Hæc ab inclinatione Imp. Rom. vnde Ateſtini Principatum auſpicantur, nempe CCCXC. ſalutis anno pertinent ad M L V I I. quo tempore magnas etiam in Germania opes poſsidere cœperunt.

IO. BAPTISTAE PIGNAE

De Principibus Ateſtinis

AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM,

HISTORIARVM

LIBER PRIMVS.

CONSTANTINVS MAGNVS cum Thracia
pacata Imperij ſedem Roma Byzantium tranſtu-
liſſet, vrbem à ſe amplificatam, & Conſtantinopo
lim dictam; in qua totius orientis regia tanquam
maxime opportuno ad coercendos Sarmatas, Ge
tas, ac Parthos loco domicilium collocauerat: Ro
manę opes antea debilitatæ eo facto grauius etiã
ſunt afflictæ. Euentu deinde, ac fortuna varia dum vtrunq; imperiũ
circumagitur, & cum populorum Principumq; exitio modò in vnũ
390 redit, modò diuiditur; Theodoſius anno à Chriſto nato CCCXC.
ſolus rerum potitur, prius reſtituto in Galliam Valentiniano, vnde
eum Maximus expulerat, mox, vt multis ſcribit Caſſiodorus, victo
atque interfecto Eugenio, qui Valentinianum regno pariter & vita
exuerat. Theodoſij nutu otium vbiq; erat, Italia inprimis quieſce-
bat, non vetere per Auguſti abſentiam intermiſſo ſtudio; & magi-
ſtratibus, qui ipſius nomine prouincijs præerant, dicto audiens.
Clauſtra Imperij præcipuè in Euganeis firmabantur; cui terræ He-
neti, qui & Veneti, gens ex Paphlagonia aduena breui Venetiæ no-
men fecit. Eam populus Romanus ciuitate donauit; cum Galliæ
tranſpadanæ ius tantum antiqui Latij tribuiſſet. Fines erant ab
oriente intimus maris Adriatici ſinus, ab occaſu Atheſis, à meri-
die Padus, Alpes & Tillauentum à ſeptentrione: ex deſcriptione verò
Auguſti Italiam in regiones XI. diſtribuentis decima deinceps por
recta eſt ad vſq; flumen Ollium: ac tametſi Vicetiam, Patauium,
Monſilice, Opitergium, Bellunum, Tauriſum, Altinum, Adriam
oppida minime obſcura cõplecteretur, caput tamen Ateſte habitũ.

Quam rem latinis elegis admodum cultis confirmat candidum ac ſolidum marmor ab agricolis effoſſum: vnde intelligimus Ateſten Henetum ducem Troia capta eò cum valida claſſe appulſum cognominem ſibi vrbem condidiſſe. Nec Antenor quamquàm ab ſimili fortuna domo profugus eadem loca tenuiſſet, Patauiumq; ædificaſſet (quemadmodum teſtatur Liuius) ſed Ateſtes de popularium nomine vniuerſum illum tractum Venetiam appellauit. dein latina lingua ſenſim corrupta, fluminumq; alueis mutatis, ſicuti vrbs ex Ateſtia & Ateſte in Eſtum abijt, ita auctore Hieronimo Ateſtino cum alterum latus Atheſis, alterum latiſſimus lacus allueret, ea Bacchilio ſolus fluere cœpit. Oppidum quidem celebre, & perquàm opulentum fuiſſe arguunt etiam nunc reperta inter fodiendum miræ vetuſtatis veſtigia, ac ciuitas merito appellatur in actis Proſdocimi, quē Diuus Petrus primum Pontificem Patauium miſit, & in annalibus Ateſtinis commemoratur portę quattuor totidem cæli regionibus oppoſitæ Alba, Nigra, Triumphalis, & Capitolina; hæc etiam nobilis frequentiſſimo portu, & lapideo ponte, qui ſenis pilis ac totidem fornicibus Atheſim iungeret. Quoniam autem ciuitatis particeps ſine tribu ſuffragij expers futura erat, indicant inſcriptiones, quæ tum Romæ viſuntur, tum Ateſte & in colle Arquato, eam coniectam fuiſſe in Romiliam; vti Verona & Tergeſte in Pobliliam, Patauium, Brixiaq; in Fabiam, Mediolanum & Comum in Vfentinam, Bergomū in Viturlam relatæ. Ex quo oppidi ſuperiora tribu præſtantis ſplendor colligitur: ſi quidem teſte M. Varrone præcipuæ habebantur Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, Romilia. Ceterum cum ex vrbe complures ciues in municipia paſſim emigraſſent, memorię proditū eſt Atios romanos ex tribu Poblilia Ateſte conceſſiſſe, quos nonnulli exiſtimant lapidum inprimis teſtimonio freti, vbi T.C. atque aliorum Atiorum fit mentio, eoſdem cum Marco Auguſti auo materno maiores habuiſſe, cuius Suetonius meminit, vt & Seneca alterius M. Atij Tiberij nepotis; qui primùm L. Valerio & C. Mario Coſſ. claruerant auctore gentis Atio Neo, cui Romulus ſtatuam poſuit. Traditur præterea Atios, quod Cæſarum ſtudioſi eſſent, tantū apud eos gratia atque auctoritate valuiſſe, vt non modò patriæ, ſed toti propè Venetiæ imperarent: hinc decoris initium gens Ateſtina, ſicuti palam fiet, repetit. Scripturus autem rerum ab clariſſimis viris geſtarum hiſtoriam non quidem mea ſponte; quid enim minus poſſim priuato munere ſatis ſuperque impeditus? ſed Alfonſi Principis mei iuſſu, priuſquàm initium expedio, quæſo quorum in manus hæc venient, ſicubi tempora varia & mole inter ſe diſparia

ſcrip-

ſcriptionem minus æquabilem efficient, ignoſcant circiter mille & ducentos annos complexo. tot enim hi Principes perpetua quadam ſerie amplitudinis ſuæ teſtes citant. Accedit quod non ætatis meę, aut paulò ſuperioris facta litteris mandare aggredior, vnde ſumam quę vſui ſunt elaboratę atque omnibus partibus abſolutæ hiſtoriæ vel viſa vel recenti adhuc memoria celebrata. quin plerunque anguſtiſſimę particulæ ſeſe offerunt partim ſcriptorum culpa, qui ſuopte ingenio aridi & exiles ſunt: partim argumenti inopia, quòd ita tulerint quieta aut imbecilla tempora, aut excurſiones factæ, dominationesq́; per alienam ſecordiam partę, vt vrbes & nationes oppreſſas potius, quàm quo cõſilio quaque ratione ea confecta fuerint, cognoſcamus. interdum facinora abundè ſunt, & ſcriptores non ſolùm vberes, ſed etiam nimij in leuioribus: cui malo facile occurratur ſuperuacua recidendo; damnum verò non perinde ſemper ſarcias, dum rebus neceſſarijs fusè explicandis eiuſmodi pleraque prætereuntur. Nam quemadmodùm ex initijs, & euentis principum conſilia, diſſenſionum ac fœderum, belli paciſq́; cauſas licet conijcere; ſic contra dum nulla tempeſtatum anni veſtigia apparent, interualla annorum in incerto ſunt, nec facta ſigillatim menſibus, neq; adeò generatim partibus, aut annorum curriculis eſt coaptare. tum militum ſuppreſſo numero, ducumve nominibus, aut loci facie prorſus immutata æquo animo ferre oporteat, ea ſi verè, vti par eſſet, non perſcribuntur. Quod ſi liberet ordienti hiſtoriam ęquis inter ſe membris vel tempora ſolum deligere ſuffectura egregio operi, & ampla quamquam cum fructu extenuare, quo annales æqualiter conciſi contexerentur, prætermiſſa in damno deputanda eſſent, & ſimul factorum memoria fraudaretur. Veteres ſanè, quibus non defuère præclari artifices, magnificè extructas ædes exquiſitiſſimo apparatu pro libidine inſtruebant; nos vno in cubiculo priſcis ſignis exornando cogimur contenti eſſe reliquijs multorum annorũ ſpatio ægrè vndique collectis. Ac licet eadem manus in omnibus non emineat, & ſint multa minus abſoluta, nihilo tamen ſecius prudens antiquitatis æſtimator forte Romanis Cæſaribus collocandis intentior perfectis, & ſimul mutilis ſtatuis quam poteſt artificiosè diſtributis egeſtatem ſubleuat. Itidem quorum ætas factis pulcherrimis floruit nullo negocio potuerũt ea quaſi pingere: ſcriptorum, qui vetera deligunt, & ea, qualiacunque ſint, conſcribere coguntur, multo quàm ſuperiorum eſt conditio durior. Ac fortaſſe quo iſtis res arctior eſt, & plus laboris accedit ex inuentione, tum narratione, & diſpoſitione, eò maiorem non dicam veniam, ſed laudem pro-

merebuntur. Quocirca vt hero meo parerem, cui me natura & voluntas penitus addixit; ſimul ne facinus mirificum, cetera aſperum, detrectaré, alacri animo rem incępi; quippe exiſtimaui fore, vt quidquid præſtitero, propter negocij magnitudinem ac difficultaté æqui boni conſulatur. Eo magis quod non leuia rerum momenta prodentur, multa obſcura illuſtrabuntur, falſa pro veris habita refellentur; rerum denique grauiſſimarum teſtimonia hactenus occulta proferentur ex horum Principum monumentis; qui quod maximis cum religionis noſtrę Regibus quà cognatione, quà neceſſitudine, aut fœdere cōiuncti ſemper fuerunt, totius propè Chriſtiani orbis hiſtorię argumentum ſuppeditauerunt ab vltimis collabentis Romani Imperij temporibus ad ætatem noſtram. Quamobrem cum eorum factis etiam aliena contexere ſum coactus: quæ nec augere, quod huc non intendi, nec omittere conſilium fuit, ne ſumpta pro argumento cauſis & initijs inde ductis deſtituerentur. neceſſe quidem habui tanquam fundamenta iacere, quæ ſingulis quibusque temporibus acciderunt, pręſertim vbi Ateſtina domus vel populis dominata eſt, vel armis. alioqui prǽterquam quod facta iſtius familiæ minus illuſtria ad cognoſcendum fuiſſent, non cohęſiſſet corpus, quod pro virili adnixus ſum compingere in tanta tum factorum varietate, tum locorum interuallo. Per bonam itaque Venetię partem obtinentibus Atijs cum Ateſte domiciliū eſſet, quòd in colonijs Cæſares crearent magiſtratum ex II. ciuibus primarijs interdum ex pluribus cōſtantem, qui & Decuriones dicebantur, quippe decem ab initio inſtituti: tamen quo plus de Cæſaris maieſtate ſenſim eſt detractum, eò cœpit iuris dicendi facultas ad pauciores pertinere & conualeſcere opes, vt eiuſmodi in oppidis omnia vnius Decurionis nutu adminiſtrarentur. C. verò Atius C. filius vltima ab ſtirpe generis Ateſtini certus auctor eum magiſtratum ibi geſſit: quod indicat vetus lapis domi apud hos Principes aſſeruatus inter cætera eiuſdem argumenti monumenta ſublata ex ijs ipſis locis, vbi olim poſita fuerant. Sed enim quietis, quam ſupra memorauimus, idem & Theodoſij vnicitum Romani Cæſaris vitæ finis extitit. Arcadio regnis tranſmarinis, Honorio Occidenti imperante grauiſſimus caſus Italiam prouinciasq́; Occidentis concuſſit, quo licuit populis vel ſuis legibus viuere, vel quos honores pace & bello Cæſaris auſpicijs ante quęſiti, & virtus commendabant, ijs fortunas ac ſalutem ſuam committere. Nam Stilico ab Theodoſio Occidenti præfectus cupiditate regni præceps, dum ad illud aditum ſibi patefacit, Honorium ſciens prudensque in ſummas anguſtias conijcit: & anno à partu Virginis

403 CCCCIII. Alaricum & Rhadagaſium Gotthorum ac Vandalo-
rum reges in Italiam accerſit: qui nemine prohibente Carnos omni
clade belli fœdauerunt. Stilico de induſtria bellum trahens oppida
primo præſidijs vacua, deinde ad Polentiam vltrò Barbaris victoriã
conceſſit. Ita complures vrbes vel iam oppugnatæ, vel imminentis
excidij pauore conſternatæ, Cæſare deſidente, vt prædiximus, quos
dignitate ac virtute præſtare, & fortunarum ſuarum propugnato-
res fore ſperabant, eos ſibi principes legere. Ex infeſtæ regionis in-
colis præcipui Ateſtini id conſilij ceperunt, & aliquot circa populi
appellatione Scodoſiæ comprehenſi, quæ præter Ateſte & Monta-
gnanã, & Sanſaluatum, decem alia municipia complexa eſt: hi popu
li præſentis & multò magis futuræ cladis metu Atijs perſpectæ vir-
tutis Proceribus, de quorum fortitudine & prudentia in tuenda pu
blica ſalute nihil dubitabant, paulatim vltrò ſe permiſere. Cùm
hinc itaq; nullam auxilij ſpem Cæſar oſtentaret, Atij modeſtiſſimè
imperium agitarent, & pericula fortiſſimè propulſarent, ciuitas li-
bens paruit: & quos Decuriones ante habuerat, eoſdem Principes,
& quidem nullis legibus obſtrictos declarauit.

C. Atius (à quo exordiri placuit, quoniam hinc perpetua atque in-
dubitata ſeries Ateſtinæ gentis conſtat, etſi Atios antea floruiſſe mul
ti lapides teſtantur) Aurelium & Flauium ex ſeſe genuit, quorum ex-
tat mentio in Epitaphio C. & Martiæ parentibus dicato; necnon
C. Xillum fato functum Veronæ, ſtirpem & ipſum C. Atij C. filij te-
ſtimonio lapidis Ferrariæ aſſeruati; itemq; alterius, quem aſſerit Tau
rellus Sarayna extare Veronæ: præterea & Luxoniam mortuam apud
Ateſtinos, cuius effigiẽ foſſores in illo agro inuenere. Prima inſcrip-
tio eſt huiuſmodi C. ATIVS C. F. DECVR. ATESTE SIBI
ET C. XILLO ET MARTIAE PARENTIBVS AVRELIVS
ET FLAVIVS FILII INCI. CV. altera à Sarayna relata talis eſt,
C. ATTIO. C. F. POB. C. XILO FILIO SVO. Flauius nul-
lis liberis relictis, & fama obſcurior moritur. Aurelius natu maxi-
mus, cuius meminit Thomas Aquileienſis æqualis temporũ illorũ,
411 paternum imperiũ anno CCCCXI. ſolus obtinuit, ac Vindelicis præ-
fuit. Honorius pacẽ cum Vandalis & Gotthis pactus ijs Galliã pro-
uinciam demãdarat aduerſus Francos, qui ante quinquennium eam
tentare cœperãt: quo in tumultu ita ſe geſſit Aurelius, vt ſingulari &
prudẽtia & virtute Venetos protexerit. Vãdali coniuncti Alanis per
ſaltũ Pyrenæũ in Hiſpaniã perruperant, eamq; ſubegerant tanto cũ
populi Romani fremitu atq; indignatione, quo cũ Hiſpani ferè ſem
per & legibus & animis cõſenſerãt, vt nihil reueritus Cæſaris maie-
ſtatem,

ſtatem, cui cladem illā propemodum acceptam ferebat, Attalum Imperatorem ſalutarit. Ea contumelia ſic eſt commotus Honorius, vt quanquam ille poſt paulò imperio ſe abdicaſſet, poſthabita vrbe Rauennam ſede ac domicilio Imperij honeſtarit: nec planè exſatiatus, quo largius iræ indulgeret, ſuis viribus diffiſus Alaricum in Italiam reuocauit, eiq; viam aperuit ad vrbem capiendam hactenus barbarico furori inuiolatam. Apparebat Auguſto gratum fore, ſi ſe Aurelius Alarico adiunxiſſet, & Barbarus otioſis apertè minabatur. Ille verò Venetis in fidem acceptis, præſertim Monſilice, Calaono, Montagnana, Cerro, Vicetia, & Feltria, quæ oppida ad primum modo barbarorum motum ab Atio parente per legatos opem implorauerant, quæ res priſtinam nobiliſſimæ familiæ dignitatem maximè auxit, operam dedit, vt Gotthi perexiguis auxilijs contenti recta ad vrbem contenderent. Cuius in direptione vſi crudelitate incredibili ne Honorio quidem ipſi ſceleris auctori pepercerunt, abducta inter ceteras captiuas Placidia eius ſorore. Dehinc reuerſi in Galliā, redditaq; Honorio Placidia, anno ſalutis CCCCXVIII. 418
Hiſpaniam pulſis Vandalis tenuerunt. Per eos dies Aurelius mortē obijt liberis Tiberio & Foreſto ſuſceptis ex Norica vxore, qua pars regionis montana Rhætos attingit. Venerat eò Aurelius, vt eſt auctor Auentinus, à populis accitus, quò diſceptator & arbiter tumultus, qui ægrè videbantur ſedari poſſe, cōponeret: quod partim generis claritate, quę minus nobiles à cōtentione deterrebat, partim exiſtimatione parta de Gotthica expeditione effecit, & ampliſſima, quoad ibi fuit, inter Vindelicos poteſtate eminuit. Tiberius affinitatem iunxit cum Lilio, quem Ianum prius vocatum nonnulli perperam Lælium, alij in hiſtorijs illius ætatis parum verſati Genuſium appellant. Is Patauij initio conſul (ſic & alibi in circumiectis oppidis magiſtratuum poteſtas adaucta ad ſuſtinendos barbaros) mox Rex fuit eò prōptioribus ad id popularium ſtudijs, quod pater Gallafrus originem ad Maximianum Auguſtum referebat; quo nomine, ſicuti de Atijs diximus, primoribus vrbium minus difficilis ad ſummum faſtigium aſcenſus fuit. Conciliarat affinitatem ducta in matrimonium Iuconda Lilij ſorore Lauinia & Valerio Rutteno genita: ex qua Tiberio nati Marcellus & Alforiſius tertij lapidis prænomina alia ab C. L. Q. & ceteris talibus, quibus nō Romæ ſolùm Romano more Atia gens vtebatur, verùm etiam Ateſte, vnde lapidem ita inſcriptum Ateſtini ſumpſere & adhuc ſeruant, in quo illa prænomina hoc pacto leguntur: TI. ATIVS CAI. F. IIII. VIR. I. D. V. F. ET ATIA L. ET Q. SIBI ET ORESTO ET L. FLAVIO.

quem-

quemadmodum in citeriore Gallia pleraq; iſtiuſmodi ſunt reperta.
At ſub ea tempora, de quibus nunc agimus, inclinante ab vetere
maieſtate populi Romani imperio, quòd nationes ad Boream ſi-
tæ Occidentis magnam partem occuparant, lingua latina, quæ iam
degenerauerat, cepit & ipſa deprauari, & cum exteris gentibus pere-
grina cognomina adſciſcere: quæ tamen familiæ ex conſuetudine
Romana appellatę vſurparũt. Tiberio honeſta in primis Lilij amici-
tia extitit: proinde auctus opibus eò dignationis proceſſit, vt Vicetia
& Feltria ſponte ſe illi dederent, maiorq; & illuſtrior in dies futurus,
quia vicina oppida ſui iuris idem factura viderentur, anno à ſalute
428 parta CCCCXXVIII. iuuenis moritur. Tutor puerorum Alfo-
riſij & Marcelli patruus Foreſtus, qui & Oreſtus, tantiſper Princeps
& regnum procurauit, & cuncta pro arbitrio geſſit. Foreſto cum
ingenti corpore, & multo quàm mediocres ſtaturæ proceriori, ingẽs
animus fuit, cuius ſæpe certiſſima documenta dedit. accedebat gra-
uis comitas ipſo oris habitu inſitam probitatem, liberalitatem, atq;
magnificentiam indicans. tum verò ipſius virtus maximè enituit,
cùm à barbaris in ſummum periculum Italia, & Chriſtiana religio
adducta eſt. Quoniam autem apud Aquileiam clatuit, quod vnum
ex Italiæ oppidis Atila acerrimè preſſit Romæ inhians, vt conceptã
ex gallica clade iracundiam in eam euomeret; non ab re fuerit bel-
lum, vnde hoc poſtremum ortum eſt, paucis attingere: ſic enim con
ſtabit, non modo quàm imbecilla & infirma res Romana foret, &
propterea Italia maiori cum negocio defenſa, verùm etiam qui mo-
tus extiterint, quæue auxilia vtrinque conuenerint. Flauius Martia-
nus & Placidius Valentinianus tranſmarinas ac ciſmarinas prouin-
cias pari fermè magnitudine ac robore inter ſe diuiſerant. Mar-
tiano ſuberat quantum Aſiæ à Propontide ad Nili oſtia & Ægypti
partem propinquam Africæ intra Euphratem patet, Græcia inſuper
& Macedonia, & Illyrici pars. Valentiniano ad occaſum ſolis ab
amne Sauo in oram Africæ contra Europam parebant Pannonia,
Germania à Pannonia ad alpes Rhæticas, Liburni, Italia, Sicilia,
Sardinia, Baleares, Hiſpani atque Galli. Italia alioqui in iiſdem par-
tibus pontificię dignitati plurimum tribuebat: nam & ſacerdotij
ſummum ius vel teſtimonio Sardicenſis Concilij penes Pontificem
erat Romæ in ædibus Lateranenſibus habitantem, & quibus ante or
namentis ab Auguſtino Eugubino collectis, Silueſter inſignitus fue-
rat, fulgentem: & breui tempore prauiſſimæ opiniones feceſſerant:
quę non quidem recta Antiſtitem Romanum petebant, ſed pullula-
bant nihilominus non ſine occulto quodam veneno aduerſus illius
ſan-

Ricarij Richila nati, cuius facta copioſè perſcribunt Rodericus Sanchus, & Diegus Valera, pulſis Vandalis & Romanis pollens potenſq; in Hiſpania regnum erat: nam & Luſitaniam adiecerat, & pace ac bello firmiſſimas legiones alebat. proinde imperium Occidentis ſummè erat extenuatum. Britannis dominabatur Vortimerius Vuertigerij filius. ad Orcadicum oceanum Dungardus. Meroueus Francorum rex eam Germaniæ partem obtinebat, quæ à meridie Sueuos, ab oriente Boemos attingit. Genſerico Vandalorum Regi Mondegiſili filio, qui capta Carthagine à Gadibus ad Nilum latè omnia armis domuerat, quantum Africæ eſt intra fines Aegypti & oceanum Atlanticum parebat: Eurico Mironis filio Iberi, Hyrcani, & reliqui caſpij maris accolæ. Vararis Vararcune progeniti imperio Armeni, Medi, Perſæ, Meſopotamij, & Syri regebantur. In Sarmatia ab Odera flumine ad Boryſthenem & fines Roxolanorũ Vindamirus & Barſanellus regnabant. medij inter Tanaim & Scythas Moſchi cum finitimis continenter bella gerebant. Suetia qua Boreæ expoſita occidentem ſpectat, Ardarico Gepidarum Regi obtemperabat: Gotthiæ Suetiæ proximæ Theodomirus præerat. Vidomirus & Valamirus Amali Theodomiri fratres Vuinitario prognati Noruegiæ imperabant. Hunnis ceteriſq; gentibus, quæ ab finibus Germaniæ in aquilonem ad mare Euxinum & Mœotidem paludem extenduntur, iura dabat Atila patria lingua Ettheles dictus. Is ex vnica Hoſdrubalthi Hunnorum Regis filia, & Moroaltho Montzuicenſi copiarum præfecto natus auo vita functo ſolus regnauit, ac per Bledam fratrem interiores nationes propè vniuerſas domuit. mox propagandi imperij auidus, poſt necatum germanum, anno
450 ſalutis CCCCL. Grimildam Turingi Regis filiam vxorem duxit, & fœdere percuſſo cum Genſerico Vandalo in Galliam quingenta armatorum millia effudit, Rhemoſq; aggreſſus grauiſſima clade afflixit. Belgis domitis dum per Celtarum fines iter facit ferro atque igne quacunque iret, cuncta proſternens; Ætius Patricius Gaudentij filius ex Doroſtena Mœſiæ ciuitate oriundus, bello inclytus, & eius limitis cuſtos, tanto cum dedecore ac periculo Romani Imperij & chriſtianæ religionis vlterius debacchari barbarum duriora veritus non ſiuit. quapropter adiunctis ſibi Viſigotthis, Alanis, Francis, Burgundionibus, Saxonibus, Ripalijs, & Lambris, quibus cum Latino Auguſto fœdus erat, Rhodanum tranſgreſſus, in campis Catalaunis cum Atila conflixit: fuſumq; ac fugatum cæſis paulo minus millibus CC. cum diſſipati exercitus reliquijs trepidum in Pannoniam compulit. vbi reparandis atque augendis copijs inten-

tus Italiam petere conſtituit, non ſolùm vt Ætium, à quo tantum vulnus acceperat, in ordinem cogeret; ſed etiam latinum Cæſarem æquè ac græcum vectigalem haberet, & ſanctiſſimam denique religionem, cuius incredibili odio flagrabat, obtereret ac peſſundaret. itaq; Hunnorũ prolato maxime in Aquilonẽ regno ſubactos ab ſe reges proceresq́; euocauit. Illi & præterea alij populi romani hoſtes, & ſecta & neceſſitudine Atilæ cõiuncti cum copijs affuere. Ita exercitus multitudine innumerabilis collectus: in quo reges eminebãt Gepida, Gotthus, Herulus, Sueuus, Cumanus, Albanus, Quadus, Sarmata, & qui Scytharũ aliquot manus adduxerat. His rebus comparatis optimum factu ratus Aquileiã clauſtra Italiæ præoccupare, ne quid hoſtile paulo firmius poſt tergum relinqueretur, ſimul vt pateret aditus ſubmittendis in ſupplementum nouis copijs, Aſprecho Dalmatarum regi ſcripſit, vt quàm effuſiſſimè regionem depopulatus eam vrbem obſidione cingeret. Menappus ad famam pannonici tumultus promptiſſimos popularium cum fortunis eò contraxerat: & quando nulla ſpes ſuberat fore, vt Martianus græcus Auguſtus armis Atilam ab eo conſilio auerteret, tum propter impoſitum ſtipendium, tum ne Orientem in caſum daret: & Valẽtinianus fruſtra appellaretur imparatus inermiſq́;, & ſi exercitum paraſſet, nudaturus illico Prouinciam, & anguſtias Galliæ tranſalpinæ, quas à circumfuſis barbaris tuebatur Ætius, circunſpicere finitima auxilia cepit: vti cùm primum hoſtium impetum ſuſtinuiſſet, commodius ab remotioribus Chriſtiani orbis gentibus auxilia portarentur: quas par erat communem cauſam vel potius propriam multis nominibus reſpicere, atq; enixè iuuare. miſſi qui eadem Patauino exponerẽt cum imminentis terrore periculi, & opem rogarent. Lilius acceptis comiter legatis, & prolixè auxilium pollicitus, Iordanum fratrem nothum in proxima dimittit loca. inde, qui ad manum erãt, equitibus mille & quingentis, peditibus ter mille, ſagittarijs ſexcentis ad ſigna vocatis pręficit Perottum Burgium, cuius conſilio plurimum vtebatur, aliàs exercitum ductare ſuetum. ceterum Imperij ſumma Foreſto Ateſtinorum Principi delata; quòd finitimus & Regi affinis regni, opum, vitæ denique profuſus, de ſuorum ſalute tantum, ac Italiæ & Chriſtianæ pietatis incolumitate ſollicitus, omnium primus Patauium ſe contulerat. Is iuſsis, qui arma ferre poſſent, ex omni ditione ſubſequi; quia res moram non patiebatur, quingentos equites adduxerat, veteranum militem pace ac bello ſtipendia facere ſolitum. Cum ſuis & Lilij copijs Foreſtus Aquileiã perrexit, multos mortales in itinere excipiens, qui diuerſos

ſequuti

ſequuti duces Carnorum oppida temere munita deſeruerant, ne à barbaris opprimerentur:& Tillauentum incolumem exercitum traiecit. præmiſerat Atila militum xvj. millia, vt locum caſtris antecaperent, præda & impedimentis agmen prægraue. Iis factus obuius Foreſtus, cum abire ſine certamine non liceret, alacris ad ſuos conuerſus, cohortari cepit ſeu vincerent, ſeu victi occiderent, lucrum fore ſumme expetendum: quippe victores opulentiſſima præda eò maiore cum decore ſeſe locupletaturos, quòd primam pugnam pro documento in poſterum eſſent habituri barbari, mortuos cæleſtia præmia manere, quæ deus animam pro ſuo nomine fundentibus paraſſet. Verum quia ſicuti hortabatur ſtrenuos, ſic contra incolas imbelles & pauidos monebat excederent acie, ne terrore & fuga fortes turbarent, tum ex omni multitudine ſecuta cõſentiens vox eſt: qui pugnam abnuet eum dij hominesq; improbum atque inteſtabilem execrentur. interim Hunni aderant. Foreſtus Sauino propinquo ſuo vexillum commendat, & ſua cum turma facit impetum: primos manipulos diſijcit, magis atque magis inſtat: premit hoſtẽ, magna cum ſtrage in fugam auertit, & impedimentis potitur. Ibi ne à ſignis miles prædæ cupidine dilaberetur, neue palatos hoſtis, qui iam in conſpectu erat, adoriretur, collectos & in duas acies diſtributos iubet conſiſtere: Perottum edocet quid fieri velit. tametſi autem paulo ante è reviſum impreſſionem facere, quod Hunnos nec opinantes perculiſſent: deinceps loco ita opportuno eorum aduentum operiri ſtatuit, vt in ipſo plurimum momenti ad victoriam eſſet. nec conſilio euentus defuit. barbari enim, vel quòd ita bellare conſueuiſſent, quomodo plus pollet numerus quàm diſciplina; vel in rabiem verſi ob primam pugnam male pugnatã: ſcilicet ſtolidè feroces animum induxerant, vbi Italiam attigiſſent, neminem fore, qui non continuo terga daret: vel cupiditate commeatus, reliquæq; ampliſſimæ prædæ, qua ſe exui ægrè patiebantur, nullo ordine in Foreſtum inuecti fœde repelluntur, ac tandem ſuperantur. captiuis, qui à deorum cultu deficerent, ſeruatis, obſtinatioribus interemptis Ateſtinus cum deinde aliquot turmas Dalmatarum populabundas obuias habuiſſet, eas pariter cecidit. Vtraque victoria ſicuti Foreſto magno vſui fuit, partim quòd cæſorum hoſtium equis complures ex peditibus ſuis impoſuit, vt equitum numerus quina millia expleret; partim quòd alio itinere prædam virtute partam addito mille peditum præſidio Aquileiam miſit, quo commeatu oppidani diu largiter ſunt vſi: ſic Atilam vehementer perculit. quare breuem lætitiam hoſti facturus, raptis equitum circiter ſex milli-

bus celeriter Deſtrichia in valle contra tendenti Foreſto ſeſe oſtēdit. Nec prætermittendum eſt, nonnullos tradere ex prouocatione, vti fortaſſe illa ætas ferebat, in conſpectu vtriuſque exercitus Atilam & Foreſtum inter ſe infeſtis haſtis concurriſſe, cùm ad Foreſtum haud dubiè victoria inclinaret, barbarorum interuentu pugnam diremptā. exitus is fuit, vt iuſto prælio conſerto noſtris, quos magnis incō modis afficiebant Atilæ ſagittarij, vel in fuga vel in acie & iaculari & hoſtē ferire iuxta docti, leuis armaturæ equites Foreſtus ſubſidio miſerit, & poſt paulo Atilam ab ſuis deſertū fuga ſalutē quærere coegerit. Venientēad exercitum, qui ſubſequebatur, adijt Rex Herulus, impetrauitq; equitum expeditorum vj. millia, vt ſi fieri poſſet Foreſtum Aquileia excluderet, quod apparebat non modo vtile & glorioſum; ſiquidem firmiſſimum præſidium Menappo detrahebant, & acceptas clades probè vindicabant, ſed factu quoque facile delectis ac recentibus cum feſſis itinere ac prælio conflicturis. Heruli, quia minore cum periculo interclufuri iter propius Aquileiam flexerant, Foreſtum prætergreſſi in Menappum inciderunt; qui gnarus aduentus ſociorum & certaminis commiſſi ijs auxilio futurus aſſumptis quater mille equitibus ex vrbe obuiam proceſſerat. Vix dum pugna ceperat fratre regis Heruli cadente, cùm Foreſtus digreſſus valle Deſtrichia, quo loco Hunnos vicerat, tum in tempore ſuperuenit, cùm rex barbarus arreptum Menappum abducebat: ſcilicet eius vitam tanti æſtimabat, vt cōmilitonum ſalutis immemor dereret eos inter oppidanos propè amentes, ſeq; ex agmine propere ſubduceret. propterea occurrens Foreſto, qui cum parte equitatus præueheba-tur, dum pertinacius captiuum retinet, vitam amittit nec tamen inultus: pugnauit enim fortiſſimè, & Foreſtum, à quo fertur occiſus, vulnerauit: qui Perroto ſuccurrente & Menappo in libertatem reſtituto in oppidum ſe recepit. Per eos dies cùm nuntiatum regi eſſet Maranum à Dalmatis expugnatum, nec poſſe Concordienſem domeſtico bello implicitum barbaros repellere: animaduerſo rerū ſuarum ſtatu in Flāminiam & Picenum miſit ad promiſſa auxilia quā primum adducenda. Atila quoq; iuſſis excurrere, qui quàm latiſſimè tecta incenderent, & mortales in ſeruitutem abducerent, quos vel à veri dei cultu deficere cogebat, vel in teterrima cuſtodia habebat, caſtra propius Aquileiam mouit, porrecta propter gentium multitudinem in ampliſſimum campi ſpatium. Sed vbi Valerius Ariminenſis, Raphael Anconitanus, & Bertolacius Fanenſis cum auxiliaribus ter mille portum tenuerunt, & iam Ateſtinus vulnera percurarat, Menappus nulla amplius auxilij reliqua ſpe ſatis prouidens

Atilam

Atilam conſilium oppugnandæ vrbis ad lentam obſidionem conuertiſſe, aduocatis primoribus de ſumma rerum conſultauit. Ibi variantibus ſententijs, poſtremo Foreſtus iactata hinc inde breuiter complexus, quid conſilij ſui foret, in hunc maximè modum diſſeruit. Rex, quas hactenus ſentẽtias viri clariſſimi dixerunt, eæ ad duas inuicem pugnantes rediguntur. una armis decernere, altera mœnibus clauſos tædium hoſtium operiri iubet. Quod attinet ad primam, etſi veterum exempla nos docent, à paucis militiæ gnaris & fortibus maximas ſæpe copias impari diſciplina trucidatas: idem etiã penè loquitur Gotthorum internecio patrum noſtrorum memoria, haud ſanè abſimilis eiuſmodi cladibus, quarũ meminere priſci annales. Sed Hetruſcis, qui Rhadagaſio è montibus in regionem infeſtiſſimam deſcendenti ſeſe oppoſuerant, & loci opportunitas cum regis cæde victoriam confecit: & quandoque Itali parua manu aduerſus ingentes barbarorum exercitus præclarè rem geſſerunt, idem fermè exitus fuit: extra quam quòd neceſſitas ſublatis ſignis incolas in Rhadagaſium propulit. queis haud dubia pernicies inſtabat, ſi ſe immunitis oppidis tenerent. quòd ſi virtuti noſtræ locus ea adiumenta ſuppeditaret, quæ nunc fruſtra exiguntur, nec vrbs propè inexpugnabilis eſſet; ſuaderem & ipſe prælij fortunam aduerſus Atilam alioqui tot fretum exercitibus tentare. Atqui ſternantur ſanè multa hoſtium millia, an non etiam flos noſtrorum occidet, & oppido per ſolitudinem ſuperſtitibus in manum tradito præponderabit iactura victoriæ? certamen damnoſæ in vtramq; partem aleæ ſit; & virium potius quàm artus periculum eò minus faciendum, quo magis multitudine nos vincunt, & maiore ferocia quàm ſolertia manus conſerunt. Poſteriorem etiam ſententiam vix eſt vt probem, intra mœnia abditos expectare dum hoſtis ſponte dilabatur. ut enim aliquis caſus hoc ferat, ſi forte vel diſcrepent inter ſe tot duces, quorum aliqui nuper ſub iugum miſſi victoris ſigna inuiti ſequuntur, vltrò alij & alligati quodam quaſi fœdere, quod temere plerunque diſſoluitur: vel ſi ex caſtrorum ſordibus in tanta barbaria contagio morbos vulget, idem profectò magno cum noſtro fructu non minus continget quietis nobis, quàm arma tractantibus. at hercle otium multò pernicioſius fuerit, quòd barbari quotidie audaciores facti nos arctius circumuallabunt; nec vllo vnquam grauiore detrimento affecti de relinquenda hac terra cogitabunt. contra noſtri intermiſſa conſuetudine pugnandi pauidi ſegneſq; paulatim corporibus atque animis deficient. Verum enimuero quoniã extrema nonnunquam per ſe incommoda inuicem compoſita ſalu-

briter

briter temperantur, præſtabit opinor neq; prorſus munimenta murorum deſerere, neque intra ea perpetuò deliteſcere. nam prout res tempuſq; poſtulabunt, aut erumpemus, aut ocioſi quieſcemus: nūc alia atque alia via aggrediemur, cumq; ea manu, quæ aptior & quā in partem videbitur: ſic aſtu rudes iſtos barbaros ludificabimur. hic ad victoriam patet aditus, arte ac mora impetum frangere: quod magnis ad id contractis copijs & celeriter conſequi nequicquam ſperemus. ratio enim ſuadet fore vt vexati & tot cladibus caſtigati animum deſpondeant, & ducis temeritatem ac pertinaciam damnēt; mox diutius obſidioni hærentem victi labore, ac ſociorum cædibus territi deſerant. ſic ſpes eſt extra vltimi certaminis neceſſitatem ac deſidiam nos tandem ſuperiores futuros. Quamobrem quo liberius penetrare ad hoſtes poſſimus, eoſq; longius ſummouere, ſentio pro muris excitari propugnaculum, atq; oppido coniungi oportere. quidquid tamen vel de conſilij ſententia, vel ſua rex prudentiſſimus ſtatuerit, id mihi maximè probabitur. Poſtquam Ateſtinus finem dicendi fecit, Ariocus regis frater & Perottus idem cum multa auctoris commendatione cenſuerunt. quanquam autem ipſa per ſe Foreſti oratio propter eximiam opinionem virtutis omnes moueret, tamen multò magis placita eſt accedente duorū procerum teſtimonio alterius propinqui regis, alterius veteris ac celebris tribuni. rex munitionem extrui, ſimulq; eruptione irritari hoſtē iubet. miles ex Flamminia & Piceno conductus primam expeditionem ambiebat. Is noctu in barbaros nihil minus veritos emiſſus, poſt Foreſtus. Haudquaquam diligenter caſtra cuſtodiebantur; itaque procliue fuit pediti tabernaculis Gepidæ ignem inijcere. dum terror & trepidatio ad proximos manat, turbatis ſuperuenit Foreſtus cum equitibus bis mille & quingentis. hic atrox pugna committitur; pelluntur q; Gepidæ & Scythæ. Extemplo Atila quodcunque militum ſors obtulit eo rapere, frequentiores turmas poſcere: nihilo ſecius edidere ingentem ſtragem velites, quos Foreſtus rege abſente officio Imperatoris fungi ſolitus in latera diſpoſuerat, cum equites à fronte vrgerent. ita barbari ex magna parte cæſi fugatiq;. attamen negliſcente ardore vlterius profectis neceſſe eſſet (quod ipſe in concilio deteſtatus fuerat) totius rei diſcrimen ſubire, Menappus, qui cum tribus millibus equitum ſubſidio aduenerat, per internuncium admonuit, vt receptui caneret. quo ſatis apparebat Ateſtinum reſpexiſſe, præſertim tot mactatis hoſtibus ipſoq; rege vulnerato. Menappus cum poſtremo agmini Foreſtum præfeciſſet, quod ſi hoſtis à tergo inſtaret, primū erat, Aquileiam repetit.

petit. pactæ deinde induciæ dierum octo, vt conquiri vtrinque ad ſepulturam cæſi poſſent, ne tetro odore aer inficeretur. magnũ equorum & virorum numerum barbari cremauere. Menappiani pedites quingenti & pauci equites humati obſcuri omnes vno excepto Harmano Portio, quem amplo funere extulerunt. Inter hæc continenti labore opus, vti Foreſtus cenſuerat, perficitur extra vrbem ad portam, cui ab Diuo Petro nomen eſt, munitum foſſa & ſublicio ponte, quem catena ſublimem agebant. ambitum ad armatos capiendos non tradidere ſcriptores: illud dumtaxat relatum non minus cc. pedites, qui ſagittis vterentur, cuſtodiam inijſſe. eò ſe Foreſtus coniecit cum ala ſua & Alano Goritienſi adoleſcente acerrimo, qui Menappum cognatione contingebat, & Bonifacio conſanguineo. hic poſt Sauini fratris patruelis mortẽ ſigniferi munus obierat; ſed paulo poſt in oppido Leonoro Mediolanẽſi aquilã tradiderat. Atila curato vulnere reges in prætoriũ conuocat, iubetq; vnũquemq; in commune conſulere. non congruebant ſententiæ. pars omiſſa obſidione oppidum confeſtim corona oppugnandũ ſuadebant: alij contra diſſerebant Maximini exemplo, qui alioqui inſigni ferocia intro vi peruadere nequiuerat, ſatius eſſe caſtra vallo, turribus atque aggere firmare, vt cum obſeſſis ex tuto leuia certamina ſererentur, & crebræ eruptiones coercerentur. non deerant, qui claſſe comparata Menappum mari diſtinendum dicerent: ſic fieri poſſe vt ab terra laxatis cuſtodijs aliqua ſe in oppidum inſinuarent. Dum inter iſtos parum conuenit, quod alter alteri non cedere in animum induxerat, & omnes eodẽ loco habebat Atila nihilo ceteris prudentior, Taraborum, cui ab deſerto cognomentum fuit, commeatum in caſtra vehentem mille hominum præſidio Ateſtinus Princeps fudit, prædamq; abduxit. Barſanellus Sarmata, qui profligato Taraboro plauſtrã recuperaturus procurrerat, vbi ſerò ſe veniſſe animaduertit, ad propugnaculum inſeſſum à Foreſto ſe conuertit. cum ſagittarij diutius reſtitiſſent, Perottus mille popularium, Ariocus duo millia equitum, pedites bis totidem duxere ex vrbe: alter recta ad hoſtem fertur, alter tranſuerſo per vallem itinere in latus incurrit. Galleranus quoque & Argus & Bordanus Venzonius cum equitatu duum millium à fronte prælium ineunt. tum Foreſto ſubeunte cum ſuis, qui recentes equos conſcenderant, dein ſuperuentu Perotti Sarmatæ impulſi terga vertunt. at Barſanellus poſt cæſos paulo ante Galleranum & Argum ad primos prouolans fugam ſiſtit. ex altera parte Ateſtinus, qui eo acrius premente aciem intrepide reſtituerat, dum Sarmatis ſagittarũ nube cælum operientibus ſeſe fortiſſimè opponit, graui ictu ad

terram

terram proſternitur: nec propterea non Ariocus in confertiſſimos ruit. Sarmatæ vrgente Arioco & vulgata morte ducis, cuius decus Bonifacio Ateſtino fama detulit, effuſo curſu ſaluti conſuluere: acies ad decem millia abſumpſit, reliqui diſſipati. cùm ad ſe redijſſet Princeps Ateſtinus, quē aliquandiu ex ictu ſopor oppreſſerat, regi vt quidam affirmant & circumſtantibus dixit, ſiue ea inanis ſpecies animo obuerſata fuiſſet, ſiue illam obieciſſet deus, viſum ſeſe in cælum rapi, ac videre Galleranum & Argum, quòd pro veritate occubuiſſent, corona inſignitos, & Chriſtum eadem præmia pollicitum ijs, qui eorum veſtigijs inſiſterent. hinc arrepta occaſione omnes vehementer hortatus eſt, vt tam præclarum tāq; numini acceptum opus ſtrenuè vrgerent. Atila facto iam periculo inconſultæ ſuorum audaciæ, & quam imperitè tenderent, ſtatuit reducere caſtra, & communire, vt impreſſionibus noſtrorum minus pateret. compertū eſt eam Quadi ſententiam fuiſſe, quam etſi multum cōmendaſſet Pandutus Atilæ patruus, hactenus tamen barbarus neglexerat. Et hoſtes quidem poſtquam longius receſſerant ſeq; vallo circundederant, vti noſtrorum eruptiones non magni pendebant, ſic viciſſim oppidanis leuiorem obſidionem faciebant. Foreſtus quoque nihilo quam antea ſegnior crebro inſidiari, ac fugatis qui frumentatores proſequerentur, commeatus in oppidum auertere: adeò vt commutata belli ratione barbarus inciperet videri obſeſſo propior quàm obſidenti: qui & Hunnos intra munitiones continebat, & Tillauento ponte iuncto è regione Concordiæ ad vtranque ripam turres excitauerat grandi impoſito præſidio, ne noſtri ea libere commearent, ſimul vt ſui expeditiorem incurſum ac receptum haberent. Hæc agebat Atila: tantumq; de priſtino pugnandi ardore remiſerat, vt plures menſes vtrinque ceſſatum ſit ab armis: non ipſe Menappianos prouocarit, non ſe eorum virtuti aut dolis opportunum præbuerit. tandem vſu edoctus, quòd alterum iam annum cum gente calliditiſſima bellū gerebat, & ipſe ad inſidias animum adiecit. videbat enim ad eam diem tanti exercitus conatus in irritum cecidiſſe. ſuper his cum intimis atque fidiſſimis amicorum conſilium habuit. tum capta coniectura eſt, quęſiſſe regem, quid inprimis ſpectandum ac præuertendū eſſet: illos re diſcuſſa in hanc ſententiā conſenſiſſe, ſi victoria potiri vellet, duo, quæ eam morarentur, omnino remouenda. alterum eſſe eximiam Foreſti virtutem, quem tot victorijs onuſtum ad ſuos remiſiſſent, cuique ſumma imperij incumbebat. alterum propugnaculum pro muris ſub ipſorum oculis erectum ac defenſum, vnde magna detrimenta accepiſſent, & deinceps accepturi eſſent. huc omnis

cura

cura intendit. Exinde non inſubtiliter ratiocinati in veteri munitione,vt aſſolet,multa ſibi ſubſidia milirem parauiſſe;inprimis ad arcendam ab ſe equiſque hiemem tabernacula ſtruxiſſe, putauerunt ea quod eſſenr lignea congeſta remerè mareria facile incēdi poſſe,modò idoneū tantę rei miniſtrum nanciſcerentur: in tumultu nō eſſe deſperandum, quin aliquo modo Foreſtus excipiatur; quippe intrepidus,& omnia audens nulli non periculo ſe obijciat: ita capi aut obtruncari poſſe. ſcilicet oderat eū Atila tantò impenſius,quantò oraculi ſors uulgatior erat,lethum ipſi à fortiſſimo principe imminere; ſupra modum anxius ne hunc fata portenderent. conſtituerunt autem,vt quo tempore caſtellum conflagraret, eodem pars copiarum inſtructa & agminibus diſtincta hand procul ſubſiſteret,intēta ſi prę ſidiū intra munitionē ſe contineat,aut vi flāmæ exigarur,tum pro re vel oppugnationem rentari oporrere, vel qua inclinet hoſtis, ſigna inferre:prorſus non pati euadere in oppidum: incendium plurimū ad victoriam collaturum eſſe. Menappum, qui poſitis ad vrbem caſtris ignem aciemq́; repente admouiſſet, ſatis docuiſſe, quanrum ea res pauoris ac conſternationis afferre ſoleat. Fuerant in concilio duo fratres parrueles regis Sarmatæ,qui eius mortem iniquo animo ferebanr. hi ſcire ſe dixerunr eſſe in caſtris Italum deſertorem chriſtianæ religionis vafrum hominem & audacem; qui diutius inter deorum cultores verſatus, & ſi aliquot peregrinas linguas ſtudioſè didicerit, patriam tamen egregiè calleat: ſi illum muneribus ac promiſſis minime vulgaribus capiant, & in conſpectum regis adducant, non dubirare quin eius opera aliquid inſidiarum, ſicuti ſtatuerint,procedat. haud mora,conſilium omnium conſenſu probatum re confirmant. ſimulauir proditor ſe chriſtianum & in armis exercitatum abfuiſſe domo ſtudio viſendi terras ad boream vergentes,ibi earum linguarum peritiam comparaſſe, quæ res mendacium plurimum adiuuit, quòd Menappus eiuſmodi hominibus indigerer. Per hunc modum intra mœnia recipitur:inde deductus ad Foreſtum apriſſime de rebus Patauinis diſſeruit, quippe cui ad fallendum cuncta Atilæ exploratores aperuiſſent. Aquileiæ cum eſſet, & tum oppidanis exigentibus,tum ijs, qui propugnaculum rutabantur,ſtrenuam operā nauaret, hoſtibus vel cum iactura de induſtria cedentibus,aliquantum gloriæ eſt adeprus,& Menappo veluti fidus miniſter in dies magis inſinuatus. talibus artibus quæſita fide, quoniam ſpecie transfugarum vel aliquot contubernales in militiam regis traxerat, dein in præſidio retentos, vel nonnullos ex cuſtodibus corruperat;haud difficulter (quod oſtendit ſcriptor huius belli mētionem

tionem faciens rerum,quas tanquàm alimenta ignis comparaſſet,) nocte vno atque eodem tempore pluribus munitionis locis ignem ſparſit,maximè ad portam barbaris aduerſam,& pontem in oppidum ferentem. reſpondit conſilio euentus etiam cumulatius, quā barbarus optaſſet.Foreſtus ad primum tumultum hoſtilē fraudē veritus emittit ſpeculatores,iubetque milites in armis eſſe; deinde ab ſuis factus certior & conſpicatus ipſe adeſſe hoſtē,haud ignarus diſſipato tota munitione maiori, quàm vt extingui poſſet,incendio teneri eam non poſſe,audacter erumpit; Perottum cum Patauinis ſequi imperat. obuij extemplo profligantur; nihilo ſecius alij atque alij accurrunt, nec Sarmatarum ſtrage, quæ regis propinquos doli machinatores traxit, deterrentur quo minus in atroces pugnæ fluctus ruant,& Foreſto colluctanti perrumpere ſeſe obijciant. ibi nequicquam protegente Perotto vulneratur. ſumma tamen vi euadere in oppidum nititur;denſantur magis magiſque barbarorum cunei: ad extremum Atila cum lectiſſima Hunnorum ala ſuperuenit,priuſquam laborantibus ſubſidio ex vrbe eatur.miſerat quidem Menappus fratrem cum aliquot cohortibus & auxiliaribus ex Flamminia & Piceno ſub domeſticis ducibus: ſed vt in re latinis minimè prouiſa, meditata barbaris neceſſe fuit accidere,ſæpe ab ijs,qui ex occulto pluribus locis viam obſederant, petiti adeſſe in tempore non potuerunt. Foreſtus cum primos ordines penetraſſet ad oppidum modo vnicum omnium perfugium iter flectens, Hunnis vehementius ingruentibus lethaliter ſauciatur.rumor auctorem vulneris Atilam prodidit. Patauini & Ateſtini magna ex parte cæſi: cecidit in primis Alanus pro communi ſalute fortiſſime prælium ciens. Perottus vulneribus obrutus, & aliquot Patauinorum manipuli aduentu Arioci ſunt ſeruati,ad quos ſe aggregauerant Carni interfecto Arpinello fratre Agoridis regij auguris, viciſſimque amiſſo Colletto Spilimbergenſi præſtanti centurione.integri in vulnera,in cædes ruebant, vt Foreſtum propè exanimem hoſti eriperent,cadentibuſque promptiſſimis ea pertinacia fuit, vt ſpirantem adhuc Aquileiam perducerent. prælio cum magna vtriuſque partis clade direpto aliquot dierū factæ induciæ ad mortuos ſepeliendos vireſque reparandas; quæ etſi ſine controuerſia longè magis apud hoſtes fractæ fuerant; adeò tamen apud noſtros conciderant cæſo quod fuit roboris in exercitu,vti dubium amplius non eſſet Aquileiam propè excidium eſſe;potiſſimum Foreſto interfecto,quem vnum barbari hactenus horruiſſent,quique alterum iam annum haud dubia Italię ſalute eam obſidionem extraxiſſet. Ille regem alloquutus hortatuſque præſentes, tū

Perotto

Perotto, quem ex vulneribus ægrum eò detulerant, commendatis
Acarino filio & fratris liberis Alforiſio ac Maroello, vt ipſo moni-
tore in pietatis ſtudio & Lilij obſequio perſeuerarent, ſingularẽ ani-
mi magnitudinẽ præ ſe tulit, deditq́; certiſſima pietatis ſigna in com
militones & deum; cui propria voce ſpiritũ reddidit. illatus in Ma-
riæ apud aram maximam, quo loco ipſe iuſſerat, appatatiſſimo fune
re iuſta faciẽte vrbis antiſtite conditur. adiunxerat Foreſtus magno
planè ſtudio ad rei militaris ſcientiam linguarum & ciuilium artiũ
cultum, ita vt de iuſti principis officio græce ſcriptos cõmentarios
Patauino regi dicaret, idq; præter reliquas animi eximias dotes: &
quam cuſtodiam Italiæ Chriſtianæq́; pietatis tanquam proprium
munus ſemel vltrò ſuſceperat, ne mortis quidem periculo vnquam
deſereret. eo vita functo regnũ trifariam diuiditur. Ateſte & Monſili
ce Acarino filio ex Conſtãtia vxore, Feltria Alforiſio, Vicetia Maroel
lo Tiberij liberis ceſſit: hæc geſta principio tertij & quinquageſimi
453 anni ſupra cccc. tertio iam obſidionis ineunte. Menappus pręſen-
tem rerum ſuarum ſtatum contemplatus non turbam modò inutilẽ
bello, ſed ẽt cariora tutum in pręſidium ablegare ab ſe decreuit. ad id
delecta parua quędã inſula maris Adriatici haud procul inde ſita; cui
poſtea Gradi nomen indidere incolę, quod gratũ receptum procedẽ
te tempore præbuiſſet, quã initio Malgradũ vocarant prę dolore mu
tatę tam vili ſolo patrię. poſt ſatis exoneratam vrbẽ Menappus Perot
tum nondum planè confirmatũ, nec magno vſui futurum exhauſta
legione Patauiũ remiſit, ſi perſuadere ſuo regi poſſet, vt reſpiceret: im
minentem perniciẽ, neq; enim dubium erat, quin Aquileia euerſa Pa
tauiũ, & proxima quęq; eadem ruina traheret. profecto Perotto Ario
cus, quẽ non latebat barbaros ab inſita ferocia, tũ ab ſecundis Atilæ
ſucceſſibus multo inflatiores nullas cuſtodias agere, Maranum ad-
iunctis cohortibus Valterianis improuiſo de Dalmatis capit. Per eos
dies, quibus modica ſpes Aquileienſes ſuſtentabat, quoniam lon-
gius hoſtem ſubmouerant, ac minore negotio auxilia accipere in
oppidum licebat; Atila ſi quando vnquam furens prædatores in
Concordienſem agrum immiſit. continuò patefactis portis erum-
pens Cordoanus Lambram præfectum interemit, eiusq́; ſagittarios
fudit: dein proſpiciens animo quanta in ſe furoris vis effunderetur
ſummo ſtudio munire aditus, bellum quo ad fieri poſſet, vndique
arcere inſtitit. Iam perfunctus nauigatione Perottus erat, nam ab-
ſtinuerat terreſtri itinere ab hoſtibus inſeſſo, ſimulque expoſuerat
mandata Aquileienſis: quæ vt Lilius ad animum admitteret priuatæ
ſcilicet vtilitatis gratia haud magnopere Perotti oratione opus fuit.

confeſtim decernitur expeditio ductu ipſius regis. igitur conſtitutis domi rebus Iordanum fratrem, qui Serenæ vxori aſſideret, reliquit, ea & gazam & imbelles mortalium in editiorē maris locum ab natura Riuumaltum appellatum tranſportandos curauit. rex delectis ex decem, quæ contraxerat, equitum quattuor millibus Aquileiam perrexit, ceteros locis opportunis in præſidia diſtribuit. ſequebantur eum tres Ateſtini proceres, qui ex ſuis amicorumque finibus haud ſpernendam manum coegerant. Lilius pro mirifica in Foreſtum ac nobiliſſimam ſtirpem voluntate liberaliter iamdudum eos exceperat, & equeſtribus ornamentis donauerat, paterne cohortatus ad perſequenda maiorum veſtigia. Dum hæc apud latinos geruntur, Atila & ipſe auctus magno ſupplemento, quod mater & patruus regni cuſtos ſubmiſerant, accedente inſuper Fereda Munliparenſi cum ingenti Marcomannorum multitudine (incolebant hi extremam Sueuiæ oram, & vectibus in prælio vtebantur) eoſdem Marcomannos duce Fereda Concordiam expugnare iubet. ille, vt erat imperatum, cum equitum millibus duodecim ad Grualem portam à grue id nominis ſortitam ſe oſtendit. Cordoanus, qui tanto ante id præuidiſſet, ad propulſandam vim egregiè ſe parauerat; adeò vt ſubeuntem barbarum ſagittis, pilis, feruenti calce, ſaxis, atq; huiuſmodi miſſilibus ex omnibus vrbis partibus peſſimè habuerit, qua in re etſi obfirmaſſet animum, tamen aduentu Patauini de ſententia depulſus aliam pugnæ rationem inijt. quippe Lilius in primo agmine collocauerat Acarinum & Maroellum; alter quingentos ab Ateſte equites ductabar, alter à Feltria quadringentos. claudebant terga Alforiſius cum totidem Vicetinis, nec non Craſtinas Veronæ regulus & earum faucium, quibus Germania aditur, cum quingentis popularibus. rex in acie cum ceteris conſtiterat; iamq; Altinum modico illic relicto præſidio prætergreſſus ad pagum Brainum ſex à Cōcordia paſſuum millia peruenerat. ibi comperto in magno diſcrimine rem verti, ad ferendam opem ſe accingit. progreſſus paulùlum cum ſigna hoſtium conſpicerentur, hortatur milites tam præclaram occaſionem alacriter arripiant. vix ad manus ventum erat, cum Feredas cadit, & barbari propè vniuerſi diſijciuntur. quo in conflictu ſunt qui ſcribant adeò Ateſtinorum virtutem enituiſſe, vt celebrem ſui memoriam relinquerent. eodem temporis momēto Cordoanus facta eruptione Marcomannos impigrè inuaſit, qui nequaquam ferentes impetum fugæ ſe mandarunt. Ita Lilius & Cordoanus ouantes oppidum ingrediuntur. Atila, qui Patauinos aduentare cognouiſſet, vti prohiberet ne Aquileienſibus iungerentur, cuſtodias ad

Tilla-

Tillauenti pontem intentius inſtruit: præſidij quod ſatis viſum eſt caſtello Petræ, vbi tum ſteterat, imponit; atque in vetera caſtra reuertitur, quo interſeptis itineribus ad obſeſſos aditus non eſſet. Menappus expectatione auxilij excitatus, intentuſq; in hoſtis conſilia, vbi intelligit cum tertia parte exercitus, quæ ſuperiore conſuetudine armata vallum cuſtodiebat, proceſſurum obuiam; ex compoſito cum Lilio paciſcitur, qua hora aggredi hoſtem decreuerit, ad eam ſubſidij robur mittat inſignibus mutatis: ſic facultatem rei bene gerendæ non defore. quæ illum res magis ſollicitabat, quod tempus muniendis caſtris, ac fortaſſe etiam contrahendis in vnum omnibus viribus barbaro relinqui nolebat. igitur luſtratis duodecim equitũ millibus, ac permagno peditatu ſtatuit nihil non moliens aut fortiter oppetere, aut ſe ea obſidione liberare; quam arctior annona diutius tolerari non patiebatur. Iam Nicetas Patriarcha, cuius meminit Ioannes Candidus, Roma ab Leone Pont. Max. omnium delictorum veniam, atq; expiationem attulerat ijs, qui pro religione aduerſus hoſtem dimicarent. Ea indulgentia in ſolennibus ſacris coram rege pronunciata eſt ab Præpoſito Rozzonenſi, tantoq; efficacius atque ardentius explanata, quanto maiorem Itali præcipue, qui barbarorum ſuperbiam ſuperioribus prælijs retuderant, ardorẽ animi, & in ſacroſanctæ Eccleſię ritibus tuendis conſtantiã præ ſe ferebãt. interim Atila, quas ſupra memorauimus legiones duce Gothorũ rege pręcedere, reliquos expedire arma iubet. Menappus & ipſe cum VI. millibus porta obuerſa in hoſtem, cui ab Diuo Stephano nomẽ eſt, egreſſus inter poſtremos ſubſtitit, præmiſitq; alas quatuor, vni Ariocum præfecit, alteri Valterum Ariminenſem; tertiam Robertus Monfalconius, poſtremam Federicus Goritienſis rexere. Haud ſecus ceteram barbariam ad ſigna coeuntem Imperator ordinabat: his carreuis Tillauenti munimenta, illis committebat Petrã caſtellum, vnde ipſe tertium poſt Gotthũ agmen traxit. Lilius admonitus quid Menappus pararet, Acarinum ab ſe dimittit; qui vt hoſtes fallat, quemadmodum conuentum erat, ſagulis coloris fuſci ſuos induit, aliud ſumit inſigne, idem facit Perottus comes, & mille quibus præerat, equites punicea veſte exornat. ſtipati inter ſe, & perito itineris duce vſi, qui propter linguæ commercium loco exploratoris fuit, ſupra vallem Briliam, ita locum incolæ vocant, reperto vado, & vitato ponte, quem Hunni obtinebant, Tillauentum trãſmittunt. noctu fecere iter, declinatiſq; Atila & Menappo, qui ſe leuibus prælijs irritare ceperant, alia Aſprechum obuium habuere iuſſum circumuenire Menappum, ac ſi ſors tuliſſet, portam occupare.

Dum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

dum ij pergunt in Dalmatas, Marcellus oppido interim præpoſitus Philippum filium cum equitibus CCCC. ſex cohortibus emittit, qui ſtatim Acarinum & Perottum cognoſcit retecta ſimulatione in barbaros vadentes. Aſprechus vbi contra adeſſe hoſtem, & à tergo circumfundi animaduertit, tum Aquileienſes vrbe exiſſe, ſicuti ab tribus partibus inuadebatur, ita triplicẽ aciem inſtituit. Perotto nepotẽ ſuum opponit, Bargottum Philippo, ipſe in Acarinum ducit: à quo primo congreſſu fuſus, mox occiſus hoſti victoriam conceſsit. Perottus & ipſe deſtinatos ſibi profligat: Philippo laboranti ſuccurrit Ateſtinus, nec prælium modo reſtituit, verũ etiam Dalmatas diſijcit: Menappus & ipſe creſcente vtrinq; numero ad iuſti certaminis magnitudinem ſecũda cum Atila fortuna dimicabat. barbarus certatim multorum telis petitus equo deturbatus maleq; acceptus fuerat: nec tametſi Rex Sueuus illum vltimo diſcrimini exemiſſet, Dalmatarum audita clades non hoſtium formidinem adauxerat: quod niſi Albanus, qui alterum ducebat agmen, in tempore ſubueniſſet, haud quaquam Hunni iam auerſi vel duce in equum illato integraſſent pugnam. aduentu vero ſociorum recreatis barbaris nec pius rex auxilium deſiderauit. affuere Acarinus & Perottus ab prælio minus quidem vigentes, ſed ab recenti victoria multò ferociores. certamine inſtaurato cùm identidem Albani feſsis ſuccederent, facile apparebat eò rem deductam, vt noſtri prægrauante multitudine ſuccumberent; præſertim quod Ariocus laturus opem Ateſtino longius ab ſuis diſceſſerat. itaque Menappo præſtare viſum, recipere ſeſe priuſquam pugna crudeſceret. quocirca ad diſtinendum hoſtem cum ſua quemq; manu obiecit Robertum, Valterum, & Federicum protegente eos Acarino, ſenſimq; in tutum abducente. ita omnes ſimul incolumes eodem propè temporis veſtigio in conſpectum oppidi venere. è portæ propugnaculo, maximè autem è turribus miſsilibus petitus Atila finem inſequendi fecit, ſuoſq; in caſtra reduxit. barbari etſi propter magnitudinem copiarum iacturam vix ſentirent, quippe ad quindecim dumtaxat millia deſiderauerant: tantus tamen ſuper dilapſos à ſignis ſauciorum numerus extitit, vt creditũ ſit eo die ex tanta gentium colluuione vix quattuor equitum millia operam nauare potuiſſe. Pandutus iuſſu Regis diſſipatos collegit, vulnera curari mandauit: Dux ex caſu grauiter afflictus & ſeſe ipſe refecit, & Aquilienſes paſſus eſt reſpirare; quorum paulò ante fortiſſimos ad duo millia Mars abſtulerat, quattuor florem ſine dubio totius exercitus conuulnerauerat. Hos cum Arioco, qui mortiferum vulnus acceperat, Gradum aſportari placuit. ſub hæc Acarinus Lilio

arceſſente

arceſſente ad domeſticum præſidium cum Perotto diſceſſit. pariter Valterus ac Raphael cum defuncti Bertolacij cadauere domū abierunt, euocati à præfectis Cæſaris, qui ad certam diē Menappo legionē commodaſſent, non quo tamdiu apud eum eſſet. adhęc veriti, ne Hunni eò ſe conuerterent, auxilio ſuis properabant. His Atila compertis præfectos in prætorium aduocat, decerniturq́; longè acrius inſtandum Aquileienſibus; eò magis quòd cum ciconiæ aliò nidos transferrent, fiebat coniectura ciues laborare inopia, paſſimq́; diffugere: ſolent enim hoc augures ita interpretari, & naturæ ipſi planè cōgruit. augurium vulgo in caſtris multis verbis aperiebat Agoris, cuius propter ſummū ſacerdotiū apud Hunnos magna erat auctoritas. Lilius & Cordoanus ab Acarino de Menappi rerū ſtatu edocti, qui tot malis preſſus ſi diutius circūſederetur, ſtatuerat portus adhuc potens Gradū profugere, conſiliū inierunt occupandi pontis Tillauento impoſiti, præſidijq́; trucidandi, vt Atila nouis difficultatibus circumuentus abiecta ſpe peruadendi vlterius, retto iter verteret. Facultas rei perpetrandæ nulla domi ſuppeditabat, nec erat vnde foris quærerent. forte ſuccurrit explorator is, quem itineris ducem Acarinus proficiſcens Aquileiam habuerat, ac Dalmatam conciderat. hic habitus idoneus, cuius induſtria hoſti imponerent, & cogitata exequerentur: ſed Orcanini Dynaſtæ & Gaiferri filij expeditio rem facilè explicauit, quos ad Concordiam cum equitum quinque millibus profectos ſpe oppidi per proditionem potiundi reges inſidijs excepere, atque interfectos ſpoliauere armis, eaque inter milites partiti ad pontem perrexerunt. Acarinus & Craſtinas, quibus cuſtodes decepti Orcanini & Gaiferri inſignibus locum vltrò dederāt, interempto Naretto præfecto propugnaculum, quod Concordiam reſpicit, nullo negotio cepere. Garpanellus, qui ex aduerſa ripa alteri munitioni præſidebat, Naretti exemplo edoctus arma corripuit, & milites pro turribus collocauit eò audacius tutiuſq́; vim repulſurus, quo arctiore ſemita noſtrorum impreſſionem exceperat; vt ne alia quàm à fronte atque ipſo in ponte vrgeri poſſet, vbi loci anguſtiæ cum multitudinem non caperent, certamen propè exæquabant. Ac niſi aliquot turmæ ſuperueniſſent, quas Atila cogitatione humanorū caſuum Orcaninum ſequi iuſſerat, tanta vi inſtabant noſtri, vt diutius ſuſtinere pondus nequiret. Proinde recentibus copijs ſubleuatus adeo acriter in noſtros ſe intulit, vt pontem magna ex parte recuperaret, vbi Acarino impigre reſiſtente totis viribus concurſum eſt: dumque hi cedunt, rurſus inſtant, ex vtraque munitione miſſilia auxilium peſtéq́; miſcent, prælium anceps ac maxime tumultuoſum

O D in no-

in noctem tenuit: cædes, vulneta promiſcua barbari latiniq́; complures ponte derurbati in flumine perierunt. Tandem cum adueniſſet Atila, & barbari alij trabibus ingeſtis tranſirent, quidam explorarenr vadum, Lilius Cordoanum & Acarinum ſubmonet, tranſgreſſos inuadant, ceteros tranſitu prohibeant; ipſe munitionem occupatam diruere, pontemq́; interſcindere parat: quod & fecit eò facilius, quod Atila iracundia ſtimulante & ingenio ad omnia præcipiti tranſmiſſo flumine dum equum vehementius adigit, effuſus magnum vitæ periculũ adijt. ita cum barbari non ſe ſatis explicarẽt, & nequaquã facilem tranſitũ haberẽt, noſtri incolumes Concordiã reuerterunt. Interim Menappus iam diſceſſurus probato Roberti ab Falconis monte centurionis clati, & Maroelli veteris tribuni ſui cõſilio, ſtatuas è ligno & linteis fieri mandat, eaſq́; galeis & reliquis adornat armis, quo ad murorum pinnas diſpoſitæ propugnatorum ſpeciem præberent, dum ipſe theſauros ciueſq́; ad littus coactos in deſtinatam inſulam traduceret. Sic fortunæ ſuæ illacrimans, qui patriã regnũq́; in cineres, in ſolitudinem immanibus barbaris relinqueret eodem, cuius ſupra meminimus, anno ſextili menſe nemine prohibente naues ſoluit. tandem patefacto dolo Atila ciuitatem incẽſam dituit frendens fremenſq́;, quod regem ſumme inuiſum ſibi non liceret in triumphum ducere, non ſe chriſtiano ſanguine ſatiare, non denique oprata præda militem remunerari poſſet: poſt Concordiã duxit. Etſi autem Cælius, & quidã alij aliter excidium Aquileiæ narrent, pluris tamen eſt teſtimonium atque auctoritas Thomę Aquileienſis Nicetæ Patriarchæ ab epiſtolis, qui bellum, cui ipſe interfuit, litteris mandauit. eius hiſtoriam Nicolaus Caſolius Bononienſis fuſè explicauit. (aſſeruatur autem liber in auguſtiore bibliotheca Ateſtinorum Principum, & alij præterea multi manuſcripti, quos ſuis locis citabimus) hunc ſequutus ipſe compendio potiora excerpſi, reliqua conſultò omiſi, quando extat commentarius priſco ſermone hetruſco editus, vnde & prætermiſſa à me, & minutiora quædam, ac quæ fuit eius tẽporis inſcitia, ab hiſtoriæ dignitate ſanè quã abhorrentia peti poſſunt. atqui non ſemper eadem facultas ſuppetit; nam multarum poſt ætatum facta adeò reciſa & trunca ſunt, vt qui vnam veritatem nobis propoſuerimus, maximè anguſta rerum argumenta eruamus. Lilius Cordoano, quæ in tanto diſcrimine ſalutaria arbitrabatur, amicè præmonito domum ad ſua tuenda rum diſceſſit, cum Valentinianus cohortes conſcriptas ex regionibus Flamminiæ propinquis, vbi tum degebat, Concordiam etat miſſurus. quod cũ Atila non latuiſſet propter naues in mari Adriatico ad id cõtractas,

ſubſidio

ſubſidio anteuertẽdum ratus oppidum ter oppugnatum poſtremo cepit. magno profecto impendio ea victoria ei ſtetit: amiſit enim militum duodeuiginti millia; in queis &illos cõnumeramus, quos aliquot prælia ante abſumpſerant. muros tectaq; ſolo çquauit, nullo neq; ætatis neq; ſexus diſcrimine mulieribus atq; infantibus, quos imbecillitas culpa liberat, iuxta implacabilis: partim quòd ira in Aquileienſes nondum deferbuiſſet, quorum in cadaueribus ſe cruentare nequiuerat, partim vt dignum haberet exitum ciuium pertinacia, atq; illatas clades cumulate rependeret. Inde Altinũ a conditore Antenore olim, vt eſt auctor Bernardus Iuſtinianus, Antenorida appellatũ, cuius cuſtodiã Lilius Arimonti cum magno præſidio commendarat, promouit bellũ; præmiſſis qui oppidum circuirent, non ante tamen quã Acarinus, Alforiſius, & Maroellus pedites bis mille, equites CL. duce Reneſto Alforiſij fratre patruele intuliſſent. Altinũ, qua vergit ad Septentrionem, longus ac præaltus ſinus à continenti diſcernit: ab eo latere, quia ſat prçſidij in aquis putabatur, parum firmũ erat, ceteris in locis validæ munitiones erectæ fuerãt. proinde vbi minus præſidij foret, ſtatuit Atila caſtra facere, arbitratus ſinum põte ſterni poſſe tabulis atq; ſublicis inſtar ratis inter ſe compactis. ſed vix dum cœpto opere tam cõtinens tamq; grauis auſter flare cœpit, vt impulſis ad littus vndis ſpem barbaris ademerit ea murũ ſubeundi. ſatius viſum primo oppidanos de deditione pertentare, quibus fortaſſe, vti mos ipſius erat, parum integre fidem ſeruaſſet. quapropter binos caduceatores ad illos miſit, qui propoſito recẽti duarũ vicinarũ vrbiũ exemplo formidinem oſtentarent, facerentq; militi abeundi poteſtatẽ cum ſarcinis atq; impedimẽtis. item ciuibus permiſſum, vt ſua exportarenr, vacuã vrbem relinquerent, modò eodem die fieret deditio: poſt necem æque omnibus imminere. Altinates, quibus libero mari Patauio & Rauenna cõmeatus affatim ſupportabantur, freti prçterea virtute Acarini, qui eadem opportunitate vſus ſub illos dies cum delecta manu aduenerat, nullo nec obſidionis nec oppugnationis metu non minus audacter, quam par erat, & exiſtimatio præſidij exigebat, reſponſum Atilæ dederunt. At barbarus non ignarus quã fractæ opes Latinorũ eſſent, multo tetrior nihil de conditionibus detraxit. interim deſijt ventus, qui continenter aliquot dies tenuerat; ſtagnũ quoq; ad infirmũ oppidi latus velut munimentũ obiectum refluẽtib. aquis ſolito magis vada aperuit: facilisq; eo ponte cõſtrato, vt iuſſerat Atila, trãſitus fuit. Acarinus quod ab terra fretus egregio opere nihil metuebat, etſi ſciret Hunnũ ceteroſq; reges barbaros ſolitos temere plerũq; & nullo cũ fructu oppu-

gna oppugnatorum agmina ad certum interitum propellere, vbi videt mare alterius partis munimentũ præter conſuetudinem atque omnium memoriam hominum deceſſiſſe, oppidi tuendi ſpe prorſus decidit. quocirca in conſilio diſſeruit, quòd præſens exitium inſtatet, ſi Altini morarentur, longe vtilius fore Aquileienſium exemplo exportatis omnibus fortunis in tutiora loca migrare: ſi ſeque & facultates incolumes aliquò traieciſſent, melioribus auſpicijs poſſe olim patriam repeti, tecta diruta refici, ciuitatem inſtaurari, atque in priſtinã faciẽ reſtitui: alioqui ciuibus ſine ullo operæ pretio cadentibus perpetuis & ipſam ruinis obrutũ oppreſſumq; iri. adiecit quando mari liber pateret exitus periclitandas prius Atilæ vires, impetũque aliquãdiu ſufferendum. comprobato ab omnibus conſilio cum aliquoties ſuccedentes Hunnos pari cum ſuorum ſtrage, ſi ratio paucitatis ſubducatur, repuliſſet, nec diutius reſiſti poſſet; intẽpeſta nocte ſilentio milites & vniuerſum populum educit, ac paruas aliquot inſulas occupat: quibus ab totidẽ Altini regionibus nomina impoſuerunt. fuerunt autẽ hę, Turricella, Amoriana, Mazorbia, Boreana, Conſtantiaca & Amiana; quarũ duas poſtremas mare abſorpſit. capto ac deleto Altino Vdertiẽſes & ipſi egeſtis omnibus fortunis aufugerunt. quoniã vero Atila late victor, quicquid agri eſt intra Atheſim & Abduã depopulabatur, Feltriãq; Vicetiã, & Tauriſum euerterat, Lilius quãdo rebus ſuis deploratis neq; ipſe per ſe remorari hoſtes poſſet, & finitimorũ vaſtitas aliena præſidia ſubtraheret, Patauio exinanito ciues ad Riuũ altum perduxit, quo iampridẽ Serena vxor regios theſauros præmiſerat. Acarinus itidem vbi certius de fuga ſtatuiſſet, aduocatos Ateſtinorum ac Monſilicenſium primores his verbis alloquutus eſt. Si dijs immortalibus ciues huius prouinciæ ſalus cordi fuiſſet, non eadem calamitas nullo inter tot mala ſolatio nos oppreſſiſſet, ſed recreati interdum atque refecti meliore cum hoſtibus conditione contendiſſemus. fruſtra enim Foreſtus parens meus, etſi conſilio fortiſſimam operam adiunxit, fatigandos & aſſidue peragitandos barbaros cenſuit: fruſtra Menappus ex occaſione ad vltimam propè dimicationem deſcendit. non auxilia, non militũ virtus iſtius propugnaculum regionis defendere potuerũt: quin mare, quod Altini latus parũ opere firmum emuniebat, prodigio quodam facilem Atilæ aditum dedit. nequicquam etiam, ex quo iſta lues Italiam inundat, tot cum noſtrorum primorum ſtrage omnes ferè barbarorum duces interierunt. Itaq; præter Tragurium, Sicum, Iaderam, Signam, Polam & Tergeſte, Aquileiam, Concordiam, atq; Altinum nuper ignis hauſit, idemq; fatum ab ſæuiſſimo tyranno

no Vdertio & Patauio impendet. ſanè eò res deducta eſt, vt non tãtum noſtræ opes maxime imbecillæ ſint, ſine ſpe externi auxilij aut ex propinquis Cæſaris regionibus, aut aliunde; verum etiam quibus præſidijs hoſtem ſuſtinere poteramus, ea amiſimus. quamobrem etſi prægraue ſit ſua deſerere, quia tamen conſtat auidiſsimas crudeliſſimi monſtri fauces nullo modo ſubterfugere licere, ea res cogit grauiſſima quæque cogitare, leuiora eligere, ac boni conſulere. nam vita, quæ ſpe boni omnibus periculis atque adeo morti ipſi eſt exponenda, non modo cũ aliquo fructu non profunderetur, ſed magno etiam cum hoſtium emolumẽto; quos deinceps nemo prohiberet a finitimarum regionum fœdis incendijs & populationibus. quod ſi loca petamus inuia barbaris, quorum agmina quotidie in Italiam redundant, licet opinor ſperare futurum aliquãdo, vt vel Cæſare opem ferente, vel hoſtibus debilitatis, vel quancunq; rationẽ opportunitas ſuggerat, hoſtes propulſemus, vlcumque eamus iniurias illatas. aut ſi eiuſmodi facultas nulla ſit, ſaltem vacuas ab ipſis ſedes noſtras repetamus, easque ſi forte barbaram rabiem expertæ ſint, de integro luculentius extruamus: quorum extremam vim perpeſſi cũ poſtremi omnium nobis proſpexerimus, & pro aliena ſalute principes arma ceperimus, par eſt in has anguſtias adacti ſalutare conſilium ineamus. ceterum quando non id præcipuè ſpectandum eſt, quo modo euadamus, ſed etiam ſi ſeſe occaſio det, huc reuertamur; neque longius neque propius abſcedere oportet, ne ſit in poteſtate Hunnorum quandocunque libeat ad nos penetrare. iacent haud procul inter maris Adriatici Padiq; æſtuaria complures inſulę non magnæ ipſa loci natura ab incurſionibus barbarorum tutæ: qui nauigijs deſtituti, & rudes maritimarũ rerum eò adituri non videntur. ſi experiantur certè iuſtam claſſem vada non ferant. idq; res ipſa admonet, quandoquidem alios ex oppidis eò profugientes non ſunt inſecuti. verum cum ſuperiora loca ad os Atheſis alij præceperint, nos inferiora petemus etiam continenti propiores futuri: quæ res multas commoditates afferre poteſt. Id conſilij vt vobis dem, quietioresque ſedes exquiram, mei muneris eſſe arbitror. Eſt quidem lõge acerbiſſimum patriam, quæ nos genuit, tecta, auitos fundos, fortunas, omnia denique immaniſſimis barbaris diripienda, diruenda relinquere: ſed hæc tamen certa diuinæ in nos beneuolentię teſtimonia alacri animo amplecti debemus. nemo enim dubitat opinor celeſtem eſſe vltionem, vt iſtæ gentes ſtudio religionis inflammatæ eò magis per infortunia ſuperis cõciliẽtur ac probẽtur, quæ deus Chriſtus nobis explicauit oſtenditque, Apoſtoli denunciauerunt, ſuis

deniqueſupplicijs martyres ſanxerunt. haud ſecus confidere oportet, quando iſtiuſmodi omnia diuina prouidentia regit, diligentiæ quam conſtituendis rebus noſtris adhibebimus, numen affuturum, multaq́ue commoda, quæ mens humana prouidere non poteſt, pro ſua bonitate cumulaturum. vos itaque liberiq́ue, & coniuges veſtræ ita animos parate, vt voluntati numinis libentes pareatis, & me ducem de veſtra vtilitate tantopere ſollicitum ſequimini: quam non modo mihi cum omnibus communem, ſed propriam, ſed meis ipſius commodis omnino præferendam duco. Poſt eam orationem omnibus ad profectionem rebus comparatis cum Ateſtinis ac Monſilicéſibus ad Foſſam Clodiam, Philiſtinam, & Methamaucum abijt ſitum ab nouo eiuſdem nominis oppido ter mille paſſus, atque olim mari obrutum. eò deductis popularibus eminentiores tumulos inſedit, qui inter diuerſa Padi oſtia in Adriaticum procurrunt. Tradit Peregrinus Priſcianus tum ex archio Ateſtinorum, cuius ei fuit copia, tum aliunde ſubſidijs rerum abs ſe ſcriptarum pluribus conquiſitis (is autem collegit multa pertinentia ad rem Ferrarienſem ac loci ingenium toties immutatum) Acarinum ad iuſtorum formam oppidorum redigiſſe Auentinum, Antium, Tridentum, & vicos aliquot his propinquos obiectis amni aggeribus, & ſecreto munitoq; ab aquis paluſtribus ipſius ciuitatis agro: hanc Ferrariæ originem, hanc non exiguam opum acceſſionem: perinde ac Riuumaltum Lilius amplificauit commorante etiam ibi poſt viri mortem Serena, conditor haud dubiè Venetiarum; quæ vrbs loci opportunitate, hominum rerumq́ue omnium affluentia multum contulit Heracliæ & Methamauco, vbi initio Imperij domicilium fuit; tandẽ totius Venetiæ princeps conſtituta nomen cum regione commune ipſa ſibi vni aſſeruit. quemadmodum autem ex Troiæ & Albæ reliquijs vrbs Roma fundata atque aucta inde gradum fecit ad imperium totius orbis terræ; ita Veneti ab ſimilibus auſpicijs, quamquam anguſtiore fortuna, ſtabili tamen longeq́ue meliore Reipub. forma in tantas opes, quantas nunc ſuſpicimus, creuerunt. par eadem tempeſtate primordium cauſaq́ue Ferrariæ nec diſpari ratione. cuius in initijs nemo miretur Tridentum à nobis commemorari: extat enim in bibliotheca ab II. Alfonſo Duce inſtructa Claudij Ptolemæi codex omnium fortaſſe vetuſtiſſimus: huius in tabulis ante Venetam vrbẽ lineatis & coloribus diligentiſſimè diſtinctis videre eſt Tridentum hoc ipſo in loco ſitũ. Atila anno ſalutis partæ CCCCLIIII. cũ ferro 454
atque igne vaſta omnia circumcirca feciſſet, tot victorijs tumens, ac propè potentiæ & crudelitatis ſuæ fructus oculis luſtrans in agro

Mantuano

Mantuano ad oppidulum Gubernium propter confluentes Mintij & Padi ſtatiua poſuit, inde peſtem trans Apenninum Romæ conco quens. Iam decreuerat Valētinianus eò proficiſci gnarus ægrè ſe abſente aliquam tolerabilem tuendæ vrbis rationem iniri poſſe. erat tum Rauennæ in Flamminia, quam Imperij ſedem iamdudum ceperat Honorius Pop. Romano iratus, & ſucceſſores deinceps probarant non ſine cauſa. nam cū barbari Italiæ aſſueti frequentes huc immigrarent, viſum eſt municipium opportuniſſimum afflictis populis ſubleuandis, & alpibus Romam verſus intercludendis. accedebat locus natura munitus & aeris temperies. quippe æſtu montiū radices alluente in oppido vndique mari cincto paſſim riuulis cymbæ commeabant: licet poſtea, vt terra ipſa plerunque nouam ſumit faciem, mare longius receſſerit, & Pado ſtagnante alijſque fluminibus limum aggerentibus locus priſtinā ſpeciem ac temperiem prorſus depoſuerit. Cæſar planè deſperans in Flamminia aut Æmilia ſeſe Atilam demorari poſſe firmo Rauennæ præſidio relicto Romam feſtinauit; vrbem quantum temporis anguſtię ſinerent, aliquot locis tumultuarijs operibus firmauit: mox diffiſus humanis opibus ad diuinas confugit. ſalutare viſum perſuadere Leoni Pont. Max. ei rei propter religionis maieſtatem in primis idoneo, vt Atilam conueniret, coramq́; ei denunciaret ſummi Dei nomine ſigna ſiſteret, vlterius ne progrederetur. tantiſper etiam dum ab numine auxilium petitur, opportune interiecta mora cetera ad defenſionem parata. cōtempſit vir ſanctiſſimus vitæ periculum tanto exploratius, quanto probabilius erat ſæuitiam barbari furentis in pios inaudita legatione in ſacrorum principem acerbius erupturam. Leo in Galliam ciſalpinam perrexit comitantibus Aurelio Candido ſcriba Caſſiodori patre, & Carpillo Gaudentio Ætij filio innocentiſſimis ac ſapientiſſimis viris. peruenerat ſub id tempus Atila, quemadmodū narrauimus, ad Gubernium, inde præ ſuperbia vix ſui compos Romam cogitabat. conuentum donatumque magnificè ex more ſummorum regum Leo appoſitiſſima oratione mulcens vaſtitatem à Chriſtianis deprecatur. dein fidentius iam proponit vim numinis humana multo maiorem, eam cum omnibus tum illis maximè horrendam, quos immania facinora delectent: quippe nihil eſſe magis aduerſum ſummæ præpotentis Dei beneficentię, cuius largitatis nulla pars terræ expers ſit. poſtremo ſubiecit, quod voluntate numinis mortales ad occaſum & ortum ſolis afflixiſſet, vt inſontes probarentur, ſontes perderentur; ipſum hactenus Flagellum Dei extitiſſe, in poſterum caueret, ne qui alios pulſarit, nūc viciſſim vapulet. Ea fuit vis orationis

nis dictante, vti credibile eſt, diuino ſpiritu, vt barbaro attonito ſpiritus ceciderint, faſſuſque deinde ſit viſum à ſe Pontificem medium inter duos robuſtiſſimos iuuenes minitabundos: hi traduntur fuiſſe Apoſtolorum Principes. Ita furore extincto, non ſolum mitigato, Vtini condito à ſe, dum in Carnis moratur, oppido præſidium imponit, ſeque trans Danubium cum magno Hunnorum dolore in Pãnoniam recipit. ibi tanquam diuina miſericordia deſtitutum & vetere ferocia exarmatum neque pœnitentia neque metus numinis ſubijt: quinimo tantorum ſcelerum ſibi conſcius, & quia deeſſet iracundiæ ſeges, vecors ac perditus in omnẽ luxũ atque libidinem ſeſe effudit. Igitur Aetio Flauio, & Flauio Studio Coſſ. anno à CHRISTO nato CCCCLV. cũ in nuptijs, vt ſcribit Iorhandes, vxoris Ildiconis 455 auidius ſe ingurgitaſſet, mane exanimis repertus eſt; ſiue ſanguis violentius è naribus erumpens animam intercluſiſſet; ſiue eum noua nupta iugulaſſet, quod nonnulli memoriæ prodiderunt. Dum paululum ex tantis malis Italia reſpirat, Acarinus ne Ateſte ſolitudo fieret, eò reuerſus refici mœnia atque anguſtius cõtrahi curauit, quo facilius defendi poſſet. ſed interrupit opus Vandalorum in Italiam aduentus Genſerico Mondegeſili filio duce, qui quacunque iter haberent, cuncta depopulati Romam vſque excurrerunt: captamque anno CCCCLVII. rabie immani ac planè barbara quatriduo diri- 457 puerunt. Martianus Græcus Auguſtus cum Vandali, qui longe acerbiores quàm Hunni calamitates Italiæ intulerant, poſt diſceſſum aliquot tyrrheni maris inſulas occupaſſent, indeque claſſibus mediterranea & ipſius etiam ditionis maria infeſta haberẽt, Heraclio imperat quam plurimas poſſit naues cõtrahat, ac Ionium ſinum tuetur: Flauium Baſilium cum centum armatorum millibus in Africã mittit, vnde barbari tanquam ex arce circumiecta maria libere peruagabantur. itidem Latini Cæſaris auſpicijs, qui nihil tum commodius tentare poſſet, Marcellianus Aetij ex pellice filius & Marcellus Ateſtinus in Sardiniam aduerſus eoſdem barbaros duxerunt: ægrè prouincia eſt confecta; ibique Marcellus mortẽ obijt ſine liberis, quãquam in matrimonio haberet Theſaureã Roxolanorum rege natã: cuius vxor Arepentina, quæ Atilam auxilio iuuerat, cum Pamphilia & Theſaurea adultis virginibus religionem noſtram profeſſa caritate ſanguinis Atij, qui poſtea Ateſtinus eſt dictus, & admiratione virtutis Marcelli atque Alforiſij, vt innuit Thomas Aquileienſis, eos ſibi generos aſciuerat. itaque vterque Cæſar totus animo in Vandalos ferebatur: ſed is conatus irritus fuit. nam alterius quamuis egregiæ opes, præfecti tamen minus quàm tanta res poſceret, auctoritate apud

apud exercitum valebant, paſſimq; milites dilabebantur: & Baſilius ſummo cum imperio præfectus exiguum in re militari vſum habebat. alteri, quantum conijcere licebat, popularium ſtudium fideſque non defuiſſet, ſed barbarorum iugum prohibebat. verum Occidentis imperium grauius in dies affecerunt enata poſt Valentiniani obitum inteſtina mala, per quorum occaſionem Maximus, mox Auitus Auguſtam ſedem inuaſerunt. Maioranus quarto poſtquam imperare cœperat anno interficitur. Seueriano deinde impetium auſpi-
460 cante anno CCCCLX. Alani, qui cum Vandalis Galliam & Hiſpaniam petiuerant, communemq; in poſterum militiam profeſſi fuerant, Biorgij regis ductu relictis, quibus aliquandiu paruerant, Viſigotthis Europam populati in Italiam Tridentinis alpibus deſcenderunt, cædibus atque incendijs Carnos, Iſtros, ac Venetos compleuerunt: vt coacti iterũ ſint incolæ vitabundi perniciem ex oppidis intra veteres paludes demigrare. Acarinus quoque poſthabita reſtitutione Ateſtis, quam incohauerat, vt ante laudati & in auguſtiore Ateſtinorum bibliotheca conditi annales produnt, Rauennam cum duobus liberis ſe contulit. alteri ex familia Atio nomen fuit; quod multis Ateſtinorum poſt vſurpatum detortus more ſuo in barbarum ſonum latinus ſermo Azonem pro Atio reddidit. hunc ſuſceperat è Gardena Damaſci regina, quæ poſt ſubmiſſum Atilæ auxilium ſacro lauacro ablura Electæ nomen ediderat & ſeſe Acarino matrimonio iunxerat. alterum Conſtantium nomine pepererat ei Amalaſunta Theodorici Francorum Ducis filia. continuit ſe Rauennæ Acarinus, quoad Seuerianus, qui initio principatus Alanos pellere Italia decreuerat, Romam ad ſe vocatum comiterque exceptum vniuerſo equitatui præfecit. erat ille locus ſummo proximus, eoq; illuſtrior, quo plus illa tempeſtate equiti tribuebatur, eoque fermè bella conficiebantur. omnibus copijs præerat Richimer homo magno vſu & nomine in re militari, qui gente Gotthus dignitate erat Patritius, & ad regnum aſpirabat. Richimer & Acarinus hoſtem in agro Bergomate adepti commiſſo prælio cum ingenti ſtrage cędeq; regis eum fuderunt; quam pugnam Matthæus Palmerius retulit in
463 annum ſalutis CCCCLXIII. Ex hac victoria magnus ad ceterã gloriam præclaraq; Acarini facinora cumulus acceſſit, eius enim opera parta in primis fuerat. Quapropter Anthemius ſtatim ac purpuram induit, Richimerem generum Ciſalpinæ Galliæ præpoſuit, Acarino quãtum regionis ſecundum Atheſim eſt, credidit; vnde illi Præſidis
473 Atheſini appellatio. defuncto Anthemio ſucceſſit Olibrius anno
475 tertio & ſeptuageſimo ſupra CCCC. Olibrio biennio poſt Gliterius,

huic

huic Iulius Nepos puſſus ab Oreſte, qui Moniſellum Auguſtulum filium adhuc puerum Cæſarē dixit. interim cum Nepos eſſet in Dalmatia, vt Oreſtem vlciſceretur, ac imperium recuperaret propoſitis certiſſimæ prædæ præmijs in exitium Italiæ ſollicitauit Herulos, Turcilingos ac Scythas: quorum capita erant ſine dubio reliquiæ exercitus, qui duce Atila Italiam vexauerat. perfacile autem Nepoti fuit ſpe priſtinæ licentiæ illectos, inquietos, ſæuos, rapto viuentes barbaros excire, qui ex quo tempore Hunni in Pannoniam reuerterant, poſt Aquileieſem expeditionem ſine commeatu magnis agminibus palati, vagi, præda ac latrocinio vitam toleraſſent; demum victi a Gepidis & Oſtrogotthis circa Danubium ſedes ſtatuiſſent. Itaque Odoacri ductu, quem regem ſibi delegerant, Baſilio & Armatio Coſſ. anno eius ſeculi LXXVIII. trans alpes primo in Iſtros & 478
Carnos delati quaſcunque regiones adiuerunt, ibi ſolita barbaricæ feritatis veſtigia impreſſerunt. quamobrem Acarinus & Alforiſius pro veteri conſuetudine, nullam vt occaſionem dimitterent obſiſtē di barbaris, ad Laudem Pompeij cum Cæſariano exercitu occurrerunt, collatiſque ſignis acertime pugnantes ſumma cum gloria mortem occubuerunt; maxime Acarinus non Foreſti modò patris memoria, ſed etiam propriæ virtutis commendatione clariſſimus. magnifico funere eodem vterque ſepulchro conditi ſunt; quod declarat epitaphium in hanc ſententiam. L. RENESTVS L. F. FL. ALFORISIO FRATRI ET FL. ACHARIO PATRONO BENEMERENTIBVS ET ATESTIO FILIO CARISS. INC. CVR. Oreſtes etiam, qui tanquam rector pueritiæ Cæſaris exercitum duxerat, e fuga Ticinum ſe recepit: mox inſequutus Odoacer & ipſum & vrbem cepit, perductumque Placentiam in conſpectu exercitus ſua manu confodit, ſeque conſulem pronunciauit. ita potitus Italia, atque vſurpato per decennium regis nomine occidentis imperium funditus euertit, quod annos amplius trecentos iacuit: ac quodam quaſi fato accidit, vt quemadmodum ſub Auguſto Imperiū cœperat, ita ſub Auguſtulo eius dimidia pars deficeret. Odoacer cum eos, qui pro ſalute Italię contrà ſe ſteterant, armis perſequeretur, Azonem & Conſtantium Acarini filios domo expulit. Ateſtini, alter natus annos xxviij. alter xix. non modò opibus exuti, ſed inſidijs etiam petiti in Germaniam profugere coacti ſunt ad paternos & amicos & cognatos. venere in inferiores Boios benigne ſuſcepti a Theodone eorum Duce, cuius poſt filiam (nomen occulit vetuſtas) Azo vxorem duxit. aliò ſe vertit Maximus Alforiſio genitus: in Carnis primo delituit, nec ſatis ab Odoacro tutus haud diu-

tius ibi manſit,ſed alijs atque alijs errauit locis:quoad ipſi ac patruelibus vindictæ occaſio ſe offerret. nam Zeno Conſtantinopoli ad regnum euectus, cui magna cum Theodorico Amalo Oſtrogotthorum Rege neceſſitudo intercedebat, ex quo ille menſes aliquot obſes apud Leonem fuerat, eum conſulem cum Venantio creauit anno
486 CCCCLXXXVI. præfecitque omnibus exercitibus, addito inſuper Procuratoris Imperij nomine, quem poſterior ætas Vicarium appellauit. quapropter cum S.P.Q.R. Italiam omnem, ac Pannoniam in poteſtate haberet, Ateſtini Principes quanta potuerunt maxima nobilium clientium manu e veſtigio ad ipſum cõtenderunt. Theodoricus, quo facilius Odoacri opes atque exiſtimationem contereret, Artemidorum Auguſtuli cognatum acciuit, & ex Pannonia in Italiã
490 cum florentiſſimo exercitu profectus anno CCCCXC. tribus illum prælijs domuit, primo ad Sontium propè Aquileiam, altero in cam-
491 pis Veronenſibus, poſtremo inſequenti anno haud procul Rauenna, quo Odoacer confugerat. oppidum ſumma contentione fruſtra oppugnatum, per ſe enim munitiſſimum incolę etiam additis operibus, necnon milites ex ea pugna elapſi longe munitius reddide-
493 rant. propterea Odoacer biennij obſidio ſubactus fame deditionem fecit ea conditione, vt Italiæ partem retineret: quo in fœdere memor Theodoricus operę atque officij ab Ateſtinis proceribus ſibi promptiſſime exhibiti oppida illis ſua reſtitui curauit. omnia præter Vicetiã & Monſilice recuperata, quoniã Vicetini diutina licẽtia deprauati, freti præterea pollicitationibus Theobaldi Veronæ prętoris renunciarunt Maximo ſe pręſenti rerum ſuarum ſtatu contentos in eadem ſententia permanſuros, donec quid certius de publica quiete ſtatueretur. Monſilicenſes ſubegerat Remeus Herulus Odoacri præfectus. at perempto rege Theodorici iuſſu Cos. Albino ſine
494 collega, qui incidit in annum quartum & nonageſimum, Azo & Conſtantius ea oppida receperunt; & Sabinus, quem Sabinianum quidam vocant, Alforiſij filius, cuius extat mentio apud Iornandem in hiſtoria de origine Gotthorum, præfectus prætorio Illyrici creatus eſt, eamque prouinciam feliciter adminiſtrauit: quanquam eum
499 bello perſequentem Mundum, qui ex caſtellis ad Danubium occupatis totum eum tractum excurſionibus vexabat, fuderit Petzamis Sirmij Comes Mundo ſubſidio miſſus cum millibus peditũ II. & Gotthis equitibus quingentis. Pacata in præſens Italia, & dum Theodoricus vixit quieta, nihil interim memorabile geſtum eſt, quod iſtos Principes contingat; bella nonnulla externa eaque leuia in Sicilia
511 & Dalmatia; multò grauiora anno DXI. extitere in Gallia, quæ

poſt Francia, quòd eam ante annos LXX. captam Franci poſſiderent. eius partem pertinentem ad mare mediterraneum, & Pyrenæum, Theodoricus dedit operam vt ſubigeret nepoti ex filia, quæ Alarico Viſigotthorum regi nupſerat. Iiſdem diebus cum aditus Italiæ aduerſus irrumpentes barbaros propugnaculis atque arcibus obſtrueret, nominatim per litteras ab Sabino & Maximo fratribus, qui Feltriç commorabantur, petijt vellent dum Tridentum mœnibus circundaret muniretque, quàm maximum agreſtium numerum ex illis locis contrahere poſſent, ad ſe mittere, ne immunibus quidem eius oneris ſacerdotibus. Aquitaniam imperio adiectam ſuo cum tranſmittere ad nepotem cuperet, anno vndeuiceſimo Amalaſuntam Eutarico Vederici filio Amalo adoleſcenti nobiliſſimo deſponſam in Hiſpaniam miſit: ex qua natus Atalaricus. ſed intra octauum annum viro, paulò poſt patre orbata Amalaſunta in paternas opes & Oſtrogotthorum regnum ſuccedens cum Theodato amitino, cui nupſerat, imperium communicauit, tantumque auctoritatis inter Gotthos illi conciliauit, vt haud multum infra Theodoricum eſſet. ſed nimirum infelix acerbã officij mercedem tulit. Theodatus enim de regno ſollicitus, quod hereditarium vxoris eſſet, relegatam in lacus Vulſinienſium inſulam anno XXXVI. interfecit; inſigni profectò 536
perfidiæ exemplo & incredibili omnium dolore, quia fœmina lectiſſima regijs moribus, virili prudentia, linguarum inprimis græcæ atq; optimarum artium cognitione præſtaret; quę res in cauſa erat, vt litteratos homines enixe foueret. Conſtantius, qui Theodoricum de ſe ſuiſque optime meritum memoria teneret, iam antea conatus Amalaſuntæ opem ferre non ſine Theodati offenſione quamdiu ſuperſtes fuit, de eius libertate non omnino deſperauit: vbi per ſummum ſcelus necatam videt, ad vindictam accenſus litteris & nuntijs Iuſtinianum certiorem facit: is quartum iam annum Iuſtini ſucceſſor regnabat; hortaturq; ad ſumendas pœnas de homine profligatiſſimo. commemorat ampliſſimos magiſtratus à Theodorico geſtos, ſumma in Auguſtos, quibus militauerat, merita, quorum adhuc fructus vberes extarent. addit multa de virtutibus Amalaſuntæ, multa de ſcelere atque infamia Theodati. officio frater & conſanguinei, qui Carnis & reliquis clientib. ac neceſſarijs adnitentibus ſua recepiſſent, plurimum addiderunt. ſic Principes magnarum & opum & nominis, accedebat etiam cauſæ ęquitas & Imperij, de quo agebatur decus, Cæſarem magnopere commouerunt, qui primo Theodatum acerbe caſtigauit: dein vix vertente anno Mundum, quanquam natione Gotthum, Auguſtæ tamen maieſtatis obſeruantem cum

pedeſtri

pedeſtri exercitu Dalmatiam adoriri, Flauium Beliſarium Africæ victorem cum claſſe in Siciliam iuſſit traijcere. ille Gotthis nequicquã repugnantibus Catinam, Syracuſas & Panormũ ipſam vi expugnat; reliqua voluntate in deditionem venere. poſtero anno tranſportato in Italiam exercitu perpetua quadam felicitate Neapolim & Campaniam ad officium reuocat. nec interim in Dalmatia tranquillæ res, quin deſęuiebat bellum: etenim Gotthi ab initio repulſi Salonas occuparunt & fortiſſime defenderunt: ſed Conſtantius, qui cum propinquis Ateſtinis in fide Iuſtiniani erat, ſuſcepta ea expeditione caſtris ad muros poſitis Gotthos exegit, oppidum Cæſaris imperio reſtituit. eo anno Conſtantij frater Azo deceſſerat, & reliqui eiuſdem familiæ proceres procul domo aduerſus Gotthos rem gerebant. iccirco qui cum Remeo Herulo ſenſerant, ipſorum regnum ſeditionibus agitauere. nec Vitigis Gotthorum rex, qui Theodatum Rauennæ e medio ſuſtulerat, ſpe vaſtandæ atque opprimendæ Italiæ occaſioni defuit; ſed ſtatim Optarem e cohorte amicorum magna apud ſe gratia in Ateſtinos miſit. is Conſtantium, qui paulò poſt obijt, & Bonifacium Maximi filium prælio fudit, qui profugiens in Carnos ibi fuit, donec Beliſario & Narſeti ſe coniunxit comite Baſilio Conſtantij & Atuſiæ Ebrino natæ filio; quippe Gotthi Theodati generi, dum Amalaſunta floruit, ipſius reginæ cauſa affinitatem Ateſtinus nõ repudiauerat. exinde interfuit Bonifacius omnibus prælijs, quæ ancipites ac memorabiles exitus habuerunt: hi, quoniam de poſſeſſione Italiæ certabatur, etſi læti interdum forent, magna tamen Italorum clade conſtabant. verum quia Guido Rauennas, Caſſiodorus, Agathias Smyrnæus, Iornandes, Sidonius, Cælius Seuerinus, Conradus Peutingerus, Olaus, & alij res Gotthorũ geſtas perſcripſerunt, & omnium diligentiſſime Procopius Cæſarienſis, partim quòd illa tẽpeſtate vixit, partim quod Beliſarij ſcriba fuit, proindeq; conſiliorum atque omnium euentuũ gnarus, & eſt propoſiti mei ea modò complecti, quæ ſpectant ad Ateſtinos, hoc vnũ monuerim viros clariſſimos ne ab his quidẽ periculis abſuiſſe. Bonifacius enim ac Baſilius Ariminum Gotthica obſidione exemerunt; qua in re Bonifacius non minorem fortitudinis, quàm prudentiæ laudem tulit. ea victoria Beliſarius incredibili celeritate vniuerſam Flamminiam in poteſtatem redactam Auguſto reddidit. At vbi Rauenna & Vitigis dedidere ſe, & confecta iam prouincia videbatur, Beliſarium nonnulli detulerunt tanquam Gotthorum regnum affectantem: quod eum vſq; adeò permouit, vt coactus ſit redire Byzantium, coramque grauiſſime expoſtulare, ſibi pro maximis laboribus prodi-

tionis crimen obijci, & obtrectantium aduerſus ſe calumnijs aures præberi. diſcedente Beliſario barbari confeſtim poſt Theodibaldi & Atarici cædem, quibus imperium detulerant, Totilam regem creant: qui inſequenti anno deuictis Romanis & campis Tau- 546
riſanis cum inſigni mortalium ſtrage percurſis breui Galliam ciſ- 547
alpinam, Brutios, Apuliam & Neapolim domuit, Baduillam anno illius ſeculi L. obſedit: Romam ſemel atque iterum diripuit: 550
nec potuere Maximinus & Demetrius, ac demum ipſe Beliſarius, qui cum maximis exercitibus in Italiam traiecerant, Barbari celeritatem & perpetuum victoriæ curſum remorari. Ateſtini, qui vſquequaque Cæſari eiuſque præfectis affuerant, & nullo non tempore cum popularibus in ipſo Italiæ limine cum aquilonaribus nationibus reliquiſque barbaris depugnarant, ac propterea contracto Gotthorum inexpiabili odio cum Italorum nobiliſſimis ac Cæſarianis ducibus iterum ſubacti ſunt Totilæ furori cedere, qui pulcherrimam prouinciam infeſtis ſignis peruagatus omnia inſtar horribilis procellæ proſtrauerat atque hauſerat. patria caruerunt, quoad Narſes a Iuſtiniano e Græcia miſſus anno eius ſeculi LVI. poſt aliquot ſecun- 556
da prælia mari facta victum Totilam interfecit, & Gotthos prope occidione occidit. Bonifacius ſtatim ad ducem acceſſit, ac pugnæ interfuit proſperæ quidem ob victoriam Cæſarianis, ſed luctuoſæ tot cohortibus cæſis ac viris clariſſimis. Bonifacio dum inter hoſtium globos fortiſſime præliatur, per dextrum oculum caput ſagitta tráſfigitur. milites impoſitum ſcuto, quod munitum corio bubulo more aui ipſius depictum habebat cycnum (nam aquila candida gentilitium inſigne erat ab auctore generis Alforiſio, ſicuti monoceros ab Foreſto interitu eius ſtirpis olim dimiſſus) in tabernaculum retulere, vbi mox expirauit. nihiloſecius celebre nomen ei manſit aduerſis rebus nõ modò exercito, ſed etiam victori cum ſingulari animi robore. Valerianus eius filius ex Elida vxore vix dum pubes vna cum Baſilio Conſtantij filio ad Narſetem ſe contulit, qui tandem anno ſalutis DLVIII. pulſis Gotthis & Teia rege occiſo, quem barba- 558
ri Totilæ ſuffecerant, Italiam pacauit perpeſſam annos duodeſeptuaginta ſeruitutem immaniſſimorum barbarorum. quá prouinciam Zeno ab Tanai ad Danubium victricibus armis progreſſos habere iuſſit, cum quidem ante a Beliſario pulſi Sicilia, Calabria, Neapoli, ipſaque vrbe poſt illius diſceſſum Italiam recepiſſent. quapropter Beliſarius altera expeditione parum proſpero euentu Romæ etiam obſeſſus in Græciam ſoluit, diſpoſitis Cæſarianis ducibus idoneis in præſidijs, quos ſubſidio ſuo vſque adeo ſubleuauit Narſes, vt Roma-

norum

norũ victores barbaros proſus deleuerint: atq; ille ſummo in ocio Italiam annos ſedecim continuit. Per hos dies Iuſtinianus deuictarum ab ſe gentium nominibus appellatus Alamannicus, Francicus, Gotthicus, Germanicus, Anticus, Alanus, Vandalicus, & Africanus felici quidem, ſed non vſquequaque abſoluto opere leges omnes in eos, quibus vtimur libros, congeſſit: quamquam enim illi ita fauerit fortuna, vt quod alijs parũ ſucceſſerat ad hanc diem incolume permanſerit extinctis tot Iuteconſultorum optimis cõmentarijs, haud tamen multum prouidiſſe architecti videntur: quandoquidem & tractatibus mutilatis, & capitibus vix cohærentibus inter ſe connexis quiduis potius exiſtimantur pręſtitiſſe, quàm nobiliſſimam diſciplinam artificioſe digeſſiſſe. Iam fato cõceſſerat Iuſtinianus, & quartum annum Iuſtinus imperabat, qui fuit a ſalutari partu LXXI.
571 ſupra CCCCC. cum Narſes exagitatus contumelijs Auguſtæ, quæ na talium ſordes ei exprobrabat, & abſtracturam ſe ſe ad penſum minitabatur, intelligens procurationem Italiæ Flamminio Longino mãdatam, idque agi, vt quemadmodum Beliſarius, ſic & ipſe, qui tot vigilijs tantas res egiſſet, omni dignitate ſpoliaretur, iniuriam aliter ſibi eſſe repellendam ſtatuit. pacauerat & veteri domino reſtituerat Italiam, docuit ſe poſſe omnia miſcere, eádemque prouinciam a Cæſare alienare: quod quidem poſteris ſit documento, quam temere viri principes eos, quorum opera vtuntur, homines magnis & ſpiritibus & opibus nihil tale commeritos ignominia afficiant. Florebant tunc Longobardi robore ac magnitudine imperij ſupra ceteras Aquilonares gentes, cum alijs de cauſis inclyti, tum quod nouiſſime eorum rex Alboinus aliquot nationes vicerat deleueratque. per eos Narſes voti compotem ſe fore putauit. Longobardos autem pręcipue delegit, quod & regi non ignotus eſſet; ſcilicet barbarus clariſſimum ducem longe plurimi faciebat; & quia facile conditionem accepturi videbantur: nam qui inter alios eminerent, & tum maxime noua regna appeterent, nullam occaſionem repudiabant, vnde augerent opes, & aliàs eos in caſtris habuerat. Sed enim quoniam Lõgobardorum aduẽtus nouos in Italiam principatus intulit, magnoſque exciuit motus, qui ſine Ateſtinorum principum commemoratione explicari non poſſunt, haud ab re erit vti deinceps memoriæ prodenda planius percipiantur, illorum originem ac proceſſum ad id temporis, de quo nunc agimus, paucis enarrare. Duplex eſt opinio inter ſcriptores probatiſſimos, cur populi Scandiæ peninſulæ ad Germanicum oceanum duabus popularium partibus domi relictis ipſi ducibus Ibore & Aigone nouas ſedes quæſiuerint. alij,

quo-

quorum princeps Paulus Diaconus, prægrauãte multitudine, quam cæli felicitas & plures eodem tempore vxores efficerent, patria exceſſiſſe memorant. alij auctoribus inprimis Saxone Grammatico & Alberto Crantio in hiſtoria Danorum, exiſtimant cum aliquando anguſtiſſime fruges proueniſſent, auctã multo magis ab ipſis incolis penuriam, dum ceruiſiæ ex fruge madida vſum pertinacius retinent, vrgente inopia alia loca petijſſe. vtcunque ſe res habeat, certe coacti fratrum auſpicijs, de quibus diximus, hortante inſuper matre Gambara magni animi fœmina in Scoringam peruenerunt: inde ſuperatis Vandalis in Mauringam, mox in Grulandiam, tandem in Rugiam penetrarũt. Poſt Ducum obitum regnum ad Agelmundũ Cungingum Aigonis filium defertur: ab eo tempore qui Vuinili nuncupabantur, a promiſſa barba Longobardi dicti. cõgredi auſos Bulgari in fugam conijciunt: rex cum magna exercitus parte trucidatur. huic Lamiſſio ſucceſſit, exemplum non quidem ſingulare, ſed illuſtre non ſolum quãtum iuris fortuna in rebus humanis ſibi vindicet, ſed etiam virtus: in qua longe plus momenti ad dignitatem, quàm in externis bonis, ſi erumpere & ſe ſe dilatare poteſt. nã infantem a matre meretrice in piſcina expoſitum cum illac forte rex tranſiret ſuſtulit, quòd haſtam admotam manu prehendiſſet, exq; facto nomen inuẽnit. vbi ætas adoleuit, nemo tota iuuentute animi aut corporis dotibus prior habitus: dein cùm multitudo regem flagitaret, omnium conſenſu in imperio eſt poſitus. Ille comparato exercitu iterum cum Bulgaris pugnat, quos Longobardi proximæ cladis memores adeo horrebant, vt vix cõſpectum laturi eſſent, ni Lamiſſio inter primos egregius & bellator & hortator eos conſiſtere coegiſſet: ſic confirmatis animis ſtrauit hoſtem, prędamq; ampliſſimam reportauit. Lamiſſioni ſucceſſit Lethus multorum annorum rex. Lecho Ildeochus, Ildeocho Gedeochus. is ademptos Rugis agros tenuit, ac regnum Claphoni filio reliquit. hic Tadoni, qui patre audacior ac fortunatior finibus egreſſus acie cum Herulis conflixit, eorumq; multa millia & ſimul Rodulphum regem cecidit. qui cladi ſuperfuerant, vtpote patria extorres & latrocinijs aſſueti alij trans Danubiũ in illyricum, alij ad oceanũ vſque profecti coactis nauibus ad Thulen inſulam peruenere. Exterminatis Herulis poſt Tadonem regnũ accepit Vuacho fratre Truchilone editus, qui patruum nihil tale metuentem coniuratione facta facile obtruncauit. Longobardi prout quiſq; ſceleris conſcius ignaruſue regis caſum ferebant, in duas factiones diſcedunt. alterius princeps Ildechis Tadonis filius extitit, alterius ipſe Vuacho. prędio victus Ildechis ad Gepidarum regem cõfugit.

fugit. Longobardi iam poſitis ſimultatibus inter ſe conciliati Ildechin a Gepidis receptum moleſte tulerunt. nec tamen bello petiti, quia ſatius viſum illis omiſſis Sueuis inferre arma. In defuncti locũ filius Vualtarus ſuffectus, cuius matura mors Audoino regnum dedit. is opportune Gepidas bello vltus eſt. filius Alboinus tantis opibus, tot legionibus ſuccinctus oblatam a Narſete conditionem accepit, quem, vti prædiximus, contumelia non magis in Auguſtam ſtimulabat, quàm in Cæſarem iantum impotenti fœminæ tam inconſulte indulgentem. igitur anno à ſalute parta DLXXIIII. in Italiã gentes integras atque ipſas pene prouincias traduxit. nam & continentia mulierum ac puerorum agmina exercitum ſequebantur, & innumerabilis prope turba inermis cum impedimentis & ſupellectili migrantium modo populorum. erant hi inptimis, vt ſcribit Irenicus, Longobardi, vnaque Sueui, Norici, Pannonij, Sarmatæ & Bulgari cum appendicibus Saxonum ad xx. millia. Auares, queis Longobatdus Pannoniam annos duos & quadraginta a ſe occupatam tradiderat, nihil ſe commouerunt. Gepidæ eandem fortunam ſubierunt. ita complures, ijque maximi exercitus ex innumerabili multitudine conflati fuere. Alboinus ſine certamine Italiam ingreſſus, etſi Narſetem nõ ingrato ſpectaculo mors eodem anno ſubtraxiſſet; Carnos ſubegit & prouinciæ præfectum dedit Giſulphum fratris filium: inde progreſſus celeriter Vicetiam, Veronam, Mantuã, ac reliqua Venetæ oppida ſui iuris fecit: Patauio & Monſilice exceptis, quæ Ateſtini finitimis opitulantibus potiſſimum Exarcho Rauennate, cum quo ſocietatem coiuerant, vt teſtantur Hagonius & Seuerinus, impigre defenderunt barbaris obuiam euntes, priuſquã eorum vires firmius adoleſcerent. eadem auſi Aquileienſes, Patauini, & qui in æſtuaria Adriatici concedentes ſein proximas Padi inſulas diffuderant eo audacius, quod munitiones paludum facilem ac tutiſſimum receptum præbebant. Alboinus fruſtra ſe ibi tempus terere animaduertens Ticinũ contendit, & triennium circumſeſſum tandem ad deditionem compulit. mox cum vxor ex calua patris bibere coacta, quo poculo in ſolennibus epulis maritus vtebatur, vlta indignitatẽ adminiſtris Perdeo & Helmiche anno eius ſeculi duo-

574 (margin, beside "ſulte indulgentem")

578 deoctogeſimo, proximo poſt Cal. Octob. die eum ſuſtuliſſet, Taurisani, Vicetini & populi cõfines excuſſo ſeruitij iugo ducibus partim Ateſtinis Principibus, partim ſocijs, quorum res agebatur, ſe ſe armis tueri cœperũt. nec quamquam Cephes ſtatim rex ſalutatus per legatos Ateſte miſſos cum Valeriano ea de re expoſtulaſſet, quidquam in eum mouit, ſed in Flamminiam profectus totam ferè perdomuit.

Cephem

Cephem inſequenti anno intimus familiaris interfecit, & Ateſtinis priſtinas vires reddidit: non enim ſolum ante amiſſa recuperarũt, ac populos, qui in fide ipſorum erant, texere, ſed Giſulphum etiam Foroiulienſium præfectum prælio vicerunt. qua re adducti Vicalaris, Alachis & Euinus Longobardi duces, quibus ſeparatim Bergomum, Brixia, & Tridentum obtemperabant, inter ſe conſpirarunt, ſicuti eſt auctor Iuuentius, vt ſi opus foret, alter alteri ſubueniret: ſic ex compoſito ſemel iunctis viribus Vicetiam & Tauriſum aggreſſi eas diripuerunt; interque diripiendum nullo neque ſexus neque ætatis reſpectu promiſcue in omnes ſæuitum, ne ab ſacris quidẽ rebus temperatum eſt. cum in dies magis magiſq; res barbaris procederent, Venetia & citeriore Gallia, cui deinde Longobardia nomen fuit, ſubacta vltra citraque Apenninum ad orientem verſus imperium protulerũt, ſuáq; omnem ditionem in quinque Tetrarchias diſtribuerunt. Beneuenti, Spoleti, apud Forum Iulij ſingulos duces collocauere. vni Campanos, Brutios, Samnites & Lucanos attribuerunt: alteri Vmbriam atque Hetruriam: tertio Foroiulienſes, Carnos, & Iapidas ſubiecerunt. duobus reliquis Tetrarchis Venetiæ mediterranea & Picenum paruere. hæc poſtea Marchia Anconitana, illa Tauriſana nuncupata. Ea partitio vti cuique plus minuſue dignitatis aut compendij attulerat, ita Ducum animos affecit, vt ab occultis ſimultatibus ad aperta odia & contentiones haud modicas proſilirent. quos tumultus Autaris Clephe natus rex ſalutatus compreſſit. Is anno a partu Virginis D X C I. factis cum Flauio Smaragdo 591
Exarcho inducijs, vocatuſque Flauius, quod reliquis deinceps Longobardorum regibus cognomen manſit, Italiæ pacem attulit. haud multo poſt Garibaldi Bauarorum ducis ſoceri auxilijs inſtructus iterum in Venetos excurrit, nactuſq; Ateſte incolarum fuga penè deſertũ, eo Gutoldum vxoris fratrem donauit: Droctulphum, qui Cæſaris partes ſequutus fuerat, Brixillo eiecit. Territus ea re Mauritius ſeptennio ante Tiberij ſucceſſor miſſis in Galliam quinquaginta aureorum nummum millibus cõcitauit Francos, a quibus Gallia vetere nomine abolito Fràcia eſt dicta. illi nullam moram interpoſuere, quin arma caperent, ſeq; Cæſarianis coniungerent. at Longobardi congreſſi magna hoſtium ſtrage victoriam retulerunt. inter primores, qui in acie cecidere, meminit Vnibaldus ſcriptor Gallicus Valeriani Ateſtini Franci. vt ignominiam delerent, Childeberti regis ductu anno X C I I I I. in Italiam regreſſi Longobardiam tribus 594
exercitibus vaſtarunt, oppida expugnarunt, in prædamq; verterunt nemine contra prodire auſo: quæ res Autari tantum doloris attulit,

quod

quod certum gentis ſuæ excidium oculis cerneret, vt ijs diebus fato ceſſerit, non ſine ſuſpicione ipſum ſibi veneno mortem conſciuiſſe. Theodelinda poſt viri obitum de procerum conſenſu Agilulpho Tauriſanorum Prętori nupſit, qui vt ab ea parte regnum firmaret, cum Gallis pacem compoſuit. his rebus conſtitūtis quoſcunq; Gallis ſtuduiſſe, aut eos in Longobardos ſollicitaſſe comperit, comprehenſos ac proditionis damnatos ſecuri percuſſit. Acceſſit malis, quæ hominum improbitas inuexerat, naturæ ipſius vis: ſiquidem altero
596 anno de menſe nouembri tota citeriore Gallia ac Venetia tanta violentia in inſolitam altitudinem creuerunt aquæ cum tectorum ſtrage hominumq́ue pernicie, vt quod vix credibile fuiſſet, multo maiorem luctum hæc clades intulerit, quam Francorum & Longobardorum crudelitas. teſtatur Gregorius Pontifex Maximus flumina adeo abundaſſe, vt Atheſis lamberet feneſtras Fani Zenoniani in ſuburbano Veronæ agro; & rapido effuſum impetu in agrum Ateſtinum late obuia quæq; proſtrauiſſe. Agilulphus in tanta Patauij calamitate haud cunctatus oppidum adoritur, capitq́ue pactis militibus, vti ſine fraude abire liceret; qui poſt incolumes Rauennam peruenerunt. ciuium, qui remanſerant durior conditio extitit; quippe eos, ne vn-
600 quam ciuitas reſurgeret, anno DC. fortunis exuit, in exilium egit, muros ſolo adæquauit. inde ad Monſilicenſes ductus miles, ſed diu irrito conatu; quod caſtrum alioqui natura & opere firmiſſimum Aldoardus Ateſtinus Valeriani & Conſtantiæ filius ſingulari virtute propugnabat. ſubinde redactis in ditionem ſuam Mantua, Brixillo & Cremona, vti dum viuenti vigentiq́ue facultas eſſet, regnum
604 conſtabiliret, anno DCIIII. filium Adoloaldum regem ſalutari iuſſit, eiq́ue vxorem dedit filiam Theodiperti Francorum regis, addito priuatæ neceſſitudini perpetui inter vtranque gentem fœderis vincu-
612 lo. Anno eiuſdem ſeculi XII. Cacanus Auarũ rex excurſione in Carnos facta Longobardos cum Giſulpho Duce trucidauit, & locis temere munitis nullo negocio potitus eſt. Forum Iulij prodente Romilda Giſulphi vxore obtinuit; quæ capta amore ipſius Cacani iuuenis formoſiſſimi fortunarum mariti vrbiſq́ue eum compotem fecit. oppidum præda militum fuit: proditrix duodecim manipularibus conſtupranda tradita, mox vnde flagitium fecerat, inde exitiũ nacta. aduerſus eam procellam Agilulphus coactus eſt annuas indu-
620 cias paciſci cum Ioanne Lemigio Exarcho. demum anno DCXX. cũ naturæ conceſſiſſet, Adoloaldum filium reliquit cuius adminiſtrationi non modo tanto oneri imparem. Iam ex Chriſti Dei noſtri

certiſſimo oraculo ſupplicia & cruciatus tanto ante denuntiati iuſtos exercebant; nec ad occaſum modo & boream efferatiſſimæ gentes Chriſtianam rempub. immani rabie lacerabant nemine tot malis propulſandis idoneo, verum etiam ad ortum & meridiem iiſdem incommodis vehementer laborabatur: Heraclio ſeptennio ante Auguſta maieſtate ornato, cui vires quidem ſuppetebant, mens conſiliumque deerat: & ne qua in re barbaris Italiæ opes formidoloſæ eſſent, Adoloaldi inertia efficiebat. Quoniam in occidente ferè bellorum cauſæ ferebantur odia & vindictæ cupido, alia ratione hoſtis humani generis permiſſu Dei ad orientem eſt debacchatus, ex fomite Eutichiani erroris, qui octogeſimum iam annum ibi ſerpebat, ſæuiſſimo incendio excitato. hinc Mahumetes Mechæ Arabiæ oppido Abdemoeto natus homine tenuiſſimæ fortunæ ſcriptus heres ab Abdimoneplo, cui ſeruierat, conſilio Sergij ſyti monachi Eutichianę opinionis aſſertoris, cum perturbatam Chriſtianam religionem offenderet, deteriorem cauſam eſt amplexus. iccirco concitatis Saracenis, qui ante xvij. annos magnis incommodis Siculos affecerant, & cum opulenta præda domum reuerſi latrocinijs vitam agitabant: Iudęos eorumque fœderatos bello laceſſiuit, ac deuicta Arabia ea fines imperij latius occupauit. demum anno DCXXV. nefariā 625
illam atque fatuam ſuperſtitionem diſſeminauit, quæ arcano ſummi dei iudicio tantum terrarum cōtaminauit. interim Longobardi pertæſi ignauiæ Adoloaldi, qui decem annis regno pręfuit, eius ſeculi anno XXX. Arioualdum regem deſignarunt. is cùm egregiæ vo- 630
luntatis erga proceres Ateſtinos ſignificatione Aldoardo reddidit Ateſte ac reliqua, quæ ipſius maiores tenuiſſent, deinde ad poſteros tranſmiſſa. Gondelardus vero iiſdem parentibus natus ad Dagobertum Galliæ regem ſe contulit, eiuſque auſpicijs in Hiſpania meruit, mox & in Aquitanos defectionem molientes: quibus locis conſilio manuque iuxta promptus ita ſe omnibus probauit, vt regi in primis carus anno XXXVI. illius regni procurationem conſequere- 636
tur. filij Eribertus & Aldoardus II. Ateſtis & Monſilicis principatum obtinuerunt Aldoardo patruo ſine liberis defuncto, quanquā Giſulphi Foroiulienſiū Ducis filiam in matrimonio habuiſſet. Arioualdi regnum excepit Rotaris Harodus anno ſalutis altero & quadrageſimo ſupra DC. adminiſtrauitque annos quindecim. Rodoal- 642
dum filium iam octauum regnantem annum popularis, cuius vxorem violauerat, interemit. Aribertus Auarus ex Theodalindæ fratre Gundoaldo procreatus biennio imperauit. Gundopertus mēſes qui-

nos denos. Grimoaldus Aricus annos octo. Pertaricus Eriberti filius excluſo Garibaldo annos duodecim. patri ſuffectus Cunibertus
682 anno altero & octogeſimo Eribertum Ateſtinum Gundelardi filium Ateſte,& Monſilice pellere eſt conatus. duo enim reliqua antiquæ ditionis oppida Viceciam & Feltriam Perdeus nobilis Longobardorum præfectus ſibi habebat: quippe animi ſaluti impēſius vacātem, ac propterea nullius nominis pace aut bello Cunibertus opportuniſſimum iniuriæ exiſtimauit. Erneſtus, qui ſucceſſit patri an-
694 no illius ſeculi XCIIII. vita functo militari iuuenis aſpectu elatoq; animo, vt ex Cęlij hiſtoria colligitur, fuit in magna gloria apud Lōgobardos, quos potiſſimum iuuit expeditione ab Eriberto ſuſcepta contra Dalmatas, cui regioni ante centum annos ab ſe deuictę Sclaui proprium nomen impoſuerant. eos in Carnos irrumpētes anno
711 DCCXI. Longobardi vnaq; Erneſtus ſæpe fuderunt: ſic pulſi diſſipatiq; intra fines ſuos deinceps ſe continuerunt Carnis abſtinētes. geſſerat iam regnum annos ſenos Liuebertus a morte patris Cuniberti. huic Ragumbertus & Aribertus, vtrique Aſprandus, huic po-
718 ſtremo Luitprandus filius ſucceſſerat. Is anno duodeuiceſimo Rauēnam obſidione cinxit, agros circa depopulatus eſt. Erneſtus haud dubius oppugnatione Exarchi Cęſarem offendi, cuius ipſe maieſtatem maiorum ſuorum exemplo ſtudioſe ſanctéque coluerat, ab Lōgobardorum amicitia prorſus deſciuit. Luitprandus deſperata Rauennæ expugnatione Ticinum copias reduxit. Exinde res in Italia
728 minus turbulentæ fuere, ſed anno XXVIII. is motus exortus eſt, qui nouam propè faciem orbi terrarum imponeret. nam Heraclio, tum Heracleone,& Conſtantino II. qui vrbem Romā pulcherrimis monumentis ſpoliauit: alio item Conſtantino, ac Iuſtiniano II. inſuper Leontio,& Tiberio eius nominis Tertio, deinde altero Iuſtiniano, Philippico, & Anaſtaſio II. ac Theodoſio III. mortuis, regiam ſedem inuaſerat Leo Armenius homo vaſto animo, cuius intolerandam arrogantiam auxerant Saraceni nauiter a mœnibus Conſtantinopolis repulſi; gens ea tempeſtate non ſuperſtitione modo late propagata, ſed etiam armis præualida. Is falſa perſuaſione imbutus Diuorum imagines toto oriēte ſuſtulerat, idemq; vt faceret in occidente Gregorio II. Pontifici religioſiſſimo ſuperbe imperarat. cum vehementius inſtaret, Pontifex Venetam Rēpub. appellat; hoc enim nomen Riuus altus abunde frequens iamprìdem tenebat: vti ſi vis fiat, eius opibus religionis cauſam tueatur: quod Senatus benigne promiſit. Dum per hunc modum Gregorius & Leo inter ſe diſſen-

tiunt anno xxxv. Principes & populi Italiæ decreto Pontificio ve- 735
tere Auguſti ſacramento atque imperio ſoluuntur. itidem complures ciuitates exturbatis Exarchi miniſtris arbitrio ſuo ſine vllo Cęſaris reſpectu magiſtratus & præfectos ſibi legerunt. Exarcho rerum gubernaculis deiecto, etſi paſſim fluctuatum eſt, ea tamen principatus Ateſtini moles fuit, ea ſubſidia amicorũ clariſſimæ familiæ ſuppetiuere, vt Erneſtus, qui poſt patrem Eribertum annos ferme quadraginta regnauerat, ſummaque in pace ſuos continuerat, nullam iactationẽ ſenſerit. Sub hoc tempus Regifredus Ateſtinus Aldoardo II. natus in Aquitania, vt Ernandus auctor eſt, deceſſit accerſitus ab Eudone eius prouinciæ Duce, & Cliperici Regis partes ſequuto, vt vnà proximo bello inſtruendo operam daret. is quantum oppidorum in Italia poſſidebat, ad poſteros ætatis prærogatiua pertinere voluit, & in Galliam profectus multis bellis ſub Cloderico, Clodoueo, & Ildiperto, ſeu Childeperto regibus defunctus eſt, quorum maieſtati egregia quadam animi propenſione addictus de Francico nomine optime meruit, ac magiſtratum, quem Theodaldus Grimoaldi filius geſſerat, bellicæ virtutis commendatione obtinuit. hunc aulæ magiſtrum vocabant tantæ tunc dignationis, vt ab vnius nutu tanquam gratioſiſſimi apud regem miniſtri domus procuratio, vectigalia, belli paciſque munia omnia penderent. ſub Dagoberto & II. Cliperico Regifredus aulæ pręfuit nullo ab moleſtijs vacuo tempore, quod Pipinus quoad vixit Clipericum ſollicitũ habuit. ex hoc editus Rheomannus; quẽ, quod pro inſigni candida vteretur aquila, & Gallici ſcriptores & Ioannes Feronius auctorem perhibent nobiliſſimæ familiæ ab eadem aui cognomen adeptæ. at inſigne cum ab ſtirpis maximo vſurpatũ non eſſet octonis lineis diſtinguebatur. Interea Luitprandus ſatis ſibi proſpectum ratus a Carolo Martello Pipini filio, ad quem eiuſdem magiſterij ergo tota Gallia potẽtiſſimum magna legionum robora auxilio miſerat aduerſus mauros ab vltimis Hiſpaniæ finibus ad Rhodanum progreſſos, infeſto agmine Rauennam petit; ſi quo pacto eam & Pado vicina oppida, quæ defecerant, ad officium reuocare poſſet. cũ ſe fruſtra ea tẽtare perſpiceret, Arimino copias admouit, vbi multo vtrinque ſanguine bis iuſto prælio concurſum. gerebatur bellum ſecundum littus Adriaticum haud longe a Venetis finibus. quapropter Senatus rebus ſuis nonnihil metuens arma in Longobardos ſumpſit: accitum anno DCCXL. 740
Erneſtum Ateſtinũ Adeodatus Vrſus Princeps omnibus copijs præfecit: quibus ille ex improuiſo Luitprandum aggreſſus. eos, qui in

pineto

pineto caſtra conſtituerant, ſimulque Perdeum Vicetinorum Prætorem cecidit. venere in poteſtatem aliquot primores, in queis Ildebrandus regis nepos, mox dimiſſus ſexto ab libertate menſe rex ſalutatur. Is breui ſucceſſorem habuit Rachim Remonem Foroiulienſium Ducē: cui triennio poſt, nempe anno eius ſeculi XLIX. ſucceſ-
749 ſit frater Aiſtulphus, qui Rauennam tertio poſt anno circumſeſſam
752 tandem expugnauit, interfecto Erneſto, qui oppidum non tantum Cæſari, ſed & Pontifici ad id locorum manu aſſeruerat. poſt Erneſti obitum filius Henricus ex Theodora vxore paternum principatum inijt. Aiſtulphus ne deeſſet arridenti fortunæ partim vi, partim vo-
754 luntaria deditione vix altero vertente anno Fauentiam, Comaclum, Ferrariā & circumiecta loca ſubegit. Iam ſummi ſacerdotis auctoritas ingens erat in profanis rebus; & Stephanū II. non magis pop. Rom. quàm reliqua Italia reuerebatur, quæ propter vetus certamen de abolitione ſacrarum imaginū a Cæſare paulatim deſciuerat, cuius ſupremum ius nihiloſecius penes Græcum Auguſtum erat. ſed quoniam vnæ Longobardorum opes ſacroſanctæ maieſtati & quieti Italię obſtabant, Pontifex miſſo Byzantium Paulo fratre Auguſti fidem implorat. cum ſimultas ex eodem illo imaginum fomite ſub Leone Tertio accenſa adhuc vigeret, quę Græcos ab veteri ſanctę ſedis obſeruantia valde alienarat; & Bulgari Thraciam bello vrerent, reſpondit Cęſar ſe ſe domeſticis negocijs occupatum auxilij copiam non habere. Stephanus vocato ad concionem pop. Rom. edoctoq; quantum diſcrimen impenderet, quam celeritatem poſceret, quantum de communi Italiæ libertate ſibi cogitandū foret, quid de Frācis pop. Rom. polliceri ſibi poſſet; perſuaſit orare opem a Pipino cognomento Breui, qui extincto Carolo Martello Burgundiam, Neuſtriam, Auſtraſiam & Turingiam adeptus fuerat, geſſeratque magiſterium equitum ſub Theodorico IIII. & Childerico III. eo ab regni adminiſtratione amoto optimates Pipinum regem ſalutauerāt aſſentiente Zacharia Pontifice Maximo, qui ſacramenti Childerico dicti religione obſtrictos auctoritate ſua liberauit. quocirca arbitratus Pōtifex Principem ampliſſimum cupiditate gloriæ, & memoria beneficij ſanctæ ſedis patrocinium ſuſcepturum, ad eum proficiſci conſtituit. In Galliam cū veniſſet, Pipino inuncto coronatoque ſuc-
755 ceſſores ei declarauit Carolum & Carolomannum filios. poſtero anno Francus in Italiam deſcendens Longobardos ſic imparatos, ſic a rege, qui ire obuiam non erat auſus, deſertos offendit; vt deiectis alpium præſidijs nuſquam prę terea viſo hoſte Ticinum contenderet.

 Aiſtul-

Aiſtulpho ea conditione pax data, vt Pontifici adempta reſtitueret, ab eo in poſterum vexando abſiſteret: mox Pipinus domum redijt. Longobardus, qui putaret Francos nulla priuata cauſa cepiſſe arma, ſed id Pontifici gratificatos, nec facile Italiam repetituros eſſe, magnum exercitum in Campaniam inducit; vbi ferro & igne regionem perpopulatus eſt, Romam obſidet. Pipinus reuocatus Longobardum acie victum Ticinum compulit, coegitque deditionem facere. Nec miretur quiſpiam dum iſta exponimus, nullum a nobis de Henrico Ateſtino verbum fieri, etiamſi ſcriptum ſit in illis ipſis Ateſtinis annalibus hiſce rebus eum interfuiſſe. quippe nihil anceps, ſed liquido compertum conſignare litteris decreuimus; nam quoq; notam multis ante deprecati, ſicubi geſta ſuo quæque tempore ſigillatim perſequuti narrationum longitudinis vel breuitatis rationem haud curioſe ſubduxerimus. nec id eo dictum quis opinetur, quod rei, de qua agitur, inſtitutique noſtri decoro decedere velimus. verũ quemadmodum illius ætatis ſcriptores aut ignoratione Italorum Principum facinora ſilentio præterierunt, aut obtrectatione decoris Italiæ non ſolum clariſſimæ prouinciæ rebus præclare geſtis lumen aliquod non addiderunt, ſed etiam tenebras de induſtria offuderunt, vt ſæpiſſime hiſtoriæ in exterarum nationum gratiam conſcriptæ vix nuda procerum noſtrorum nomina retineant; ſic contra admodum veriſimile eſt, Principes Ateſtinos, qui alibi inſigne virtutum ſuarum ſpecimen dediſſent, tum propter principatus ſplẽdorem, opeſque & ſuas & clientium his expeditionibus multa memoria digna egiſſe, non modo ſpectatores fuiſſe. ſed enim quamuis ex probabilibus argumentis priuatos rerum ſucceſſus in vniuerſum appoſite conijcimus, haud tamen ad illa, de quibus manifeſto nobis non conſtat, manum admoueamus. Pipinus ereptam Lõgobardo Exarchiam Põtifici tribuit: qua ex re Flamminia, quod fidei Romanę vrbis commendata eſſet, Romandiola vocitari cœpit. ex eadẽ liberalitate acceſſere multa oppida intra alpes & mare Adriaticum: quorum extat mentio apud Ioannem Funtium & Pium II. Francus fruſtra hortante Cõſtantino IIII. cuius oratores ea de cauſa in Italiam traiecerant, bellum aduerſus Longobardos ne intermitteret, quadraginta ex prima nobilitate obſidibus imperatis pacem cum Aiſtulpho fecit: qui anno illius ſeculi LVI. in venatione perijt. continuo Rachis Remo cœnobio eductus rex appellatur: Deſiderio 756
tamen Hetruriæ præfecto Pontifice adnitente regno ceſſit. verum anno LXXIII. Stephano III. vita functo, qui alteri Stephano & Pau- 773
lo

lo eius nominis Primo ſucceſſerat. Deſiderius ſublato beneficij au-
ctore, qui integra fide reddidit Pontifici Fauentiam & Ferrarieſem
Ducatũ tum ac deinceps perpetuo ſic vocitatum a Stephano Pom-
poſiano monacho, atque in annalibus Regienſis cœnobij Proſpe-
riani, Ferrariam Fauentiamq; Põtifici eripuit. deinde cum Adrianũ
Pontificem creatum ſuccenſuiſſe ſibi non ignoraret, more ſupplicis
ad mitigandam iracundiam cum vxore & liberis Romam venit. at
ob inſignem contumaciam ne ad cõſpectum quidem Pontifex eum
admiſit: ita ſpe veniæ inciſa res ad vim ſpectare cœpit. quoniam au-
tem certior fiebat Carolum Pipini iam defuncti filium Italicum agi
tare bellum, eoque nomine magnas ad Geneuam copias cogere, &
Bernardum nepotem Cottijs alpibus in Italiam venturum, Regem
ipſum Cinißio iugo, quod nunc Moncenesium nuncupant, iter fa-
cturum, eos ſaltus firmiſſimis præſidijs occupauit. Francus cæſis de-
iectiſque ſtationibus cum nepote ad Auguſtam Taurinorum exer-
citum coniungit. nec deerat ſibi Longobardus: Ticinum commu-
nire, locis opportunis diſpertito exercitu hoſtem prohibere, bellum
mœnibus propulſare, caſum denique vniuerſæ pugnæ tanquam ho-
ſti minime par formidare, ac perniciosum ducere. Carolus reuerſus
Roma, quo recta tetenderat, vt Pontificis animum magis confirma-
ret, ac fœdus cum eo feriret, caſtra ad Ticinum poſuit; oppidum val-
lo atque aggere cinxit, & ne cui vſui flumen foret, claſſem Venetis
prompte ſubminiſtrantibus ſtationem agere mandat. nec eo dunta-
xat modo officium Franco præſtiterunt, ſed etiam valida peditum
equitumque auxilia ad Longobardos exterminandos duce Henrico
Ateſtino in caſtra miſerunt. oppido in poteſtatem redacto, captoq;
Deſiderio Carolus illud imperium funditus euertit, ſecundiſſimo re-
774 rum curſu menſe Maio anno ſalutis partæ DCCLXXIIII. ſecun-
dum tam nobilem victoriam acclamatione populi Patritius, Ponti-
ficis decreto Eccleſiæ Defenſor appellatus, ne victus liberalitate vi-
deretur, Pipini munera in Stephanum Secundum diplomate rata
eſſe voluit, auxitque adiecta maxime Vmbriæ & Beneuenti præfe-
ctura. deinde Italia abſcedens cõplures Vicarios titulo Comitum &
libera rerum omnium poteſtate conſtituit. inter ceteros Henricum
Taruiſi locauit, & Ateſte, totamque Scodoſiam Comitatus digni-
tate ornauit, remuneratus recens ad Ticinum veteraque in Franci-
cum nomen merita: diſcedens Berengarium huius Henrici filium
ſecum duxit annos XX. natum, & aliquot nobiles Centuriones, ac ſe-
na millia peditum Italorum, equites mille. cum ea manu quãta ma-
xima

xima potuit celeritate approperat, vt Bauaris, qui aſcitis alijs populis Galliæ imminebant, in armis occurreret. itaque exercitum ex hac & finitimis gentibus conſcriptum Pipino tradidit, atque in hoſtes ducere iuſſit; qui prælio fuſi & captus Bauarorum dux Taſſillo. eius victoriæ præda pro merito cuiuſq; nationis diuiſa fuerat; cum Bonamarus Venetus, quem Henricus præter Berengarium filium auxilijs Carolo ſubmiſſis præfecerat, in Italiam reuerſus omnia ſibi habere, ceteros fraudare obſtinatius pergeret, milites magna pars Tauriſani coniuratione facta & ipſum & Henricum obtruncarunt, cum prope eſſet, vt toti Venetiæ abſolute iura daret. videbantur autem moleſte paſſi præfecti auaritiam ab Henrico non coercitam, eique Carolum rem Tauriſanam commiſiſſe: præſertim Rudegando Foroiulienſiũ Duce inſtigante, qui Ateſtini opes formidabat. Tauriſani Ateſtiam poſt mariti necem, & Othonem filium annorum VIII. in cuſtodiam dederunt. atque hæc geſta anno a partu Virginis L X X X. ſupra D C C. 780
Varij dehinc motus tota prouincia extiterunt, qui Carolum ac Pipinum non mediocriter affecerunt, quod regio officio decederet, partim quod Henricum amiſiſſent. Sequitur annus X C I X. quo Leo III. 799
Carolum adijt pontificatu expulſus acerbo populi Romani odio, cuius nullus modus erat, quando ob controuerſiam de ſimulacris Diuorum inter vtramque Eccleſiam contempta græci Auguſti maieſtate publicum vexillum Aquilaſq; in Galliam tranſmiſerat. Francus, vt ſtudium obſeruantiamq; ſuam ſacroſanctæ ſedi certius probaret, & Pontificis animum magis demereretur, cum liberis in Italiã venit. primus in Venetiã acceſſus fuit anno octingenteſimo; rebelles 800
qui Henricum occiderant, vt eſt in Aquileieſium annalibus, Tauriſi direptione grauiſſime multati: ſeditionis auctores ac ſocij capite luerunt. Tauriſani Ateſtia & Othone cuſtodia eductis Berengarium præfectum acceperunt. inde in Carnos pergens Rudegandum omnium turbarum caput ſecuri percuſſit. Inſequenti anno cum ad vr- 801
bem ſe contuliſſet, natali Domini ac Dei noſtri in æde Petri a Pontifice Auguſtus appellatur: regij iuuenes Pipinus & Ludouicus ille Italiæ, hic Aquitaniæ rex coronatur. Hunc rerum ſtatum ac tranquillitatem noua perturbatio eſt conſequuta, quod Ioannes Gradenſium Patriarcha ex altiſſima inſulæ turri præceps datus eſt iuſſu Mauritij Venetorum principis. Fortunatus, qui patrui ſedem adeptus fuerat, veritus eundem exitum ad Obellerium Methamauci Tribunũ Mauritio inimiciſſimum confugit. is non fugere, ſed ire vltum iniuriam ſuaſit. dum cupiditate magis quàm conſilio rem adminiſtrant, pro-
diti

diti ſolum verterunt. Fortunatum ad ſe venientem Carolus, cui tum Magno cognomentum erat, pecunia ac milite ſic inſtruxit, vt Mauricius & Ioannes paternæ dignitatis atque inimicitiarum participes coacti ſint Mantuam decedere. nec tamen belli cogitationem Francus rex abiecit, quanquam Obelerio, qui Ateſte ſe receperat, & Beato ac Valentino ipſius fratribus imperium delatum foret: quinimo Pipinum ea de cauſa in Italiam profectum iuſſit rem vrgere, a qua Berengarius, quod Reipub. vires ſuſpectas haberet, non omnino alienus fuiſſe creditur. Veneti nequaquam tantæ moli pares a Nicephoro Græco Cæſare auxilium petierunt, magno cum ipſius detrimento communicatam illi genti ſummam poteſtatē, regna regnis quotidie a b Francis cumulari dictitantes. Nicephorus, qui tantum Venetis ſatisfacere cupiebat, eiuſmodi occaſionem contempſit, nulla etiā cura reſtituendæ Exarchiæ, ornatiſſimam claſſem miſit, quæ in ſinu Adriatico ſubſtitit. inde nullo propter quietem ipſius vſu domum remiſſa. Sub græcorum diſceſſum Pipinus vndiq; contractis nauibus vti rem Venetam labefactaret, iterū in hoſtes ducit. illi adiunctis Illyricis & Græcis audacter obuiam iere. ferunt haud procul Comaclo concurriſſe tāto animorum ardore, vt mane cœptum certamen ingenti vtrinque ſtrage in ſerum diei ſit extractum; noctis interuentu pari prope iactura diremptum. Pipinus Rauennæ refecta atque amplificata claſſe belloq; renouato Brundulum, Clodiam, Philiſtinam, atque ipſum Methamaucum expugnat. Obelerius, qui a Francis ſtabat fortaſſe regnum apud ſuos affectans auctor fuit tentarent Riuumaltum, quo Veneti fortunas omnes contulerant. conſilio probato dum ad canalem Arcum nomine Orphanum poſtea vocatum nauibus ac ratibus pugnatur, decreſcente aqua naues rateſq; inuicē diſtractæ; naues hæſere vadis, rates æſtu reciprocante defluxere. Ita nauigia præſidio, quo potiſſimum fidebant, nudata prædæ Venetis fuere. Pipinus, qui cum paucis Methamauci ſubſtiterat, tanto accepto vulnere oppidum diruit, vnaque Albiolam, Clodiam, ac Brundulum, Rauennamq́ue refugit. ſic Veneti ſcriptores tradunt: Ioannes tamen Zonaras, Nicetas, Eginardus, Regino, Sigibertus, Conradus, Abbas Vrſpergenſis, Gottofredus Vetulonenſis, Gulielmus Tyrius, Nauclerus, & poſtremo Munſterus cōtra ſentiunt, penes Pipinū victoriam fuiſſe, Obelerium a Carolo Byzantium miſſum non quia inuiſus Francis, vt innuit Sabellicus, ſed quo eorum gratia & titulo legationis Nicephoro commendatior foret: item Beringarium Ateſtinum expeditionis in Venetos ſocium a Carolo receptum: Opizo-

nem alterum fratrem timentem ne reſpub. ab ſe pœnas expeteret,
Bergomũ cum matre Ateſtia & Martia ſorore Obeletij vxore con-
ceſſiſſe. quod comprobatur teſtimonio Epitaphij in vtramque fœ-
minam poſt mortem conſcripti, in quo Ateſtia de gentis Atiæ no-
mine nuncupatur Atia. Inſcriptionem autem retinet vetus lapis his
Principibus a Bergomatibus dono datus, ac relatus inter familiæ
monumenta, his verbis. ATESTIA. I. L. D. ATESTIAE TERTIAE
PATRONAE BENEMERENTI ET CAPITONI RINETAE ET MARTIAE
PRIMVL. DELICATIS. ET TELAMIO CELERI AMICO CARISS. ET
ATESTIAE ATIAE. Eodem anno oct. Id. Iul. Pipinus Vero-
næ obijt, ſepultuſque eſt ad Zenonis extra mœnia. eius filium
Bernardum Carolus Italiæ regem dedit anno DCCCXIII. Ludo- 813
uicum, qui vnicus filius ſupererat, Cæſarē ſibi cooptauit: altero poſt
anno deceſſit & Ludouicus Cal. April. Aquiſgrani diadema capiti
circumdedit: apud quem Berengarius pari gradu honeſtiſſima mili-
tia functus eſt, miſſuſque in Italiam ad reprimendam Bernardi Pipi-
no nati audaciam, quem ab aduerſa pugna in poteſtatem venientē
Aquiſgranum perduxit: vbi eius ſeculi anno vndeuiceſimo regno 819
& luminibus priuatur. Lotharium ſubinde Auguſti filium regem
Italiæ deſignatum Berengarius ſequutus tertiū eo venit anno XXIII. 823
Francus hoc nomine plus maieſtatis nouo principatu conciliaturus
ad vrbem acceſſit. eum Paſchalis triēnio ante Stephano IIII. ſuffe-
ctus de more inunxit ſacrauitque. Ille, vt ſe gratum memoremque
Pontifici teſtaretur, aliquot Hetrurię ciuitates Romanæ ſedi largi-
tus eſt, ratamque habuit Flamminiæ & Exarchiæ donationem.
compoſitis ad hunc modum rebus alpes tranſmiſit. Berengarius &
ipſe, qui in Lotharij clientela erat, auctus ornatuſque in regnum
ſuum ſe recepit, & Obelerium iuuit, vt Corcyram nigram, quæ &
Velia, ſubigeret: ferentibus etiam opem ijs, qui Methamauci præſi-
debant. Ioannes Particiacus Venetorum Princeps omiſſo Berenga-
rio Methamaucenſes aggreſſus ingenti clade eos caſtigauit. Accidit
poſtmodum, vt grauiſſimæ diſcordiæ inter regem filium & Augu-
ſtum patrem orirentur: quibus Berengatius iterum in Galliam ab-
ſtractus eſt: vbi perpetuis laboribus exercitus ac prope nullius belli
expers, quod quidem illa ętas vidiſſet, cum ſumma gloria Lutetiæ
Pariſiorum anno eius ſeculi XL. moritur. In Ateſtinum Comitatum 840
ſucceſſit filius Otho, quem Ludouicus Secundus Comaclo oppido
etiam tum antiquiſſimo, & poſito haud diſſimiliter ac Venetiæ in
Adriaticis paludibus donauit, anno quarto ſupra L. Cimaclū Lean- 854
der

der monachus a Cimaclis populis dictum arbitratur. munus cumulatum eſt conceſſione ſupremi iuris in æſtuaria ipſa littoraque, atq; eorum appendices omnes, quemadmodum teſtantur ſolennes tabulæ Aquiſgrani III. Cal. Iunij eodem anno obſignatæ. ex quibus etiam appatet, illud tributum fuiſſe meritis huiuſce Principis & maiorum ipſius in reges Francos Auguſtoſque. extemplo Otho Marinum filium ex Lada Caladocco Foroiulienſium pręfecto nata ad capiendam oppidi poſſeſſionem miſit. Ioannes Patriciacus minime lętus eam vrbem Ateſtinorum imperio acceſſiſſe ſuſpecto ſitu ac vicinitate, ſimul ratus ab Italiæ regno abſciſſam facilius intercipi poſſe, non contemnendo reipublicæ incremento, tentare illam ſtatuit non prius tamen quàm Pontificem ſibi adiunxiſſet. itaque Badoarium fratrem Romam legauit. Marinus re competta in Pineto inſidias poſuit, quibus ille non ſine vulneribus exceptus Comaclum deducitur. Ibi duodecim retentus dies, aciureiurando adactus decetero nihil tale moliturum, Venetias remittitur; ac poſt aliquanto ex vulneribus decedit. Veneti inflammati ira repente ad oppidum nauigant, & crudeliter graſſati in ciuium capita Marinum fuga ſibi cōſulere ſubigunt: qui Ferrariam primo, deinde in Galliam ad Othonem patrem Cæſaris tum gratia florentem, ac præfectum equitatus ſe proripuit, vbi in diebus paucis finem vitę fecit. filio ſuperſtes fuit
898 pater annos vndecim: nam & ipſe anno DCCCXCVIII. mortem obijt, vir profecto egregius ac militię artibus celebris. quattuor ſuper Marinum ex Lada liberos reliquit Sigifredum, Vbertum, Hugonem, & Amizonem. Sigifredum, qui nonnullis Sigibertus eſt, familiæ principem Luca ac Parma dominum habuere ſponte deditione facta, vt à Saracenis & Hunnis vindicarentur, quibus Italorum inteſtinę diſſenſiones tranſitum in Hetturiam ac citeriorem Galliam dederant. Vbertus Ateſte & finitimis Venetiæ municipijs ſe continuit, eaque matris fœminæ prudentiſſimæ cōſilio rexit, quoad Berengarius Eberardo Foroiulienſium Duce prognatus Italiæ magna iam ex parte potens rex ab Arnulpho Cæſare Carolomanni filio confirmatus eſt: victoque Ludouico Boſſonis filio, quem Longobardi proceres eodem nomine appellarant, ex profeſſo regis titulum Ticini vſurpauit. Etenim poſt Caroli Tertij exceſſum cum noua prouinciarum diuiſione noui quoq; principatus prodiere. Galliæ pars ea, quæ ad oriētem ſpectat, Arnulphum ex Caroli fratre editum receperat, quę ad occidentem vergit Eudonem Roberti filium: Berengarius, de quo ſupra dictum eſt, & Vido Lamberti Vmbriæ Ducis filius Italicum

regnum verbis factiſque inuaſerant. ſed Vido ſummoto Berengario inſignia ſumpſerat Stephano VII. Pontifice trium annorum duntaxat rex. parentem conſequutus eſt Lambertus ſedente Formoſo. quo extincto idem Ludouicus accitu Almerici Hetruriæ, Alberti Eporædiæ Marchionum in Italiam aduerſus Berengarium tranſijt auſpicatus regiam dignitatem anno DCCCCIII. temporibus Be- 903
nedicti IIII. ſed inſequenti anno Veronæ captus iure ſuo decedere coactus eſt. ſic victor, & ſine æmulo rex Berengarius ijs, qui ipſius fortunam ſequuti fuerant, gratiam retulit: Vbertum & Amizonem in principatum Ateſtinum ceteraque Venetiæ oppida reſtituit: quin eadem liberalitate proſequutus eſt Albertum & Almericum eorum liberos, & Giſelam filiam, quam Eporædienſis in matrimonio habuerat, Alberto nuptum dedit. Etſi autem Bernardinus Corius longe aliter huius Amizonis, quem & Opizonem vocat, originē ac natales explicet, potior tamen atque antiquior eſſe debet auctoritas Luitprandi Ticinenſis, Vuitichindi, & Funtij præſertim corroborata certiſſimo teſtimonio ex publicis Ateſtinorum monumentis. Feruebāt ſub idem tempus acerbiſſima inter Rodulphum regem Conradi filium & Hugonem patruum odia. hunc Itali proceres Ticini in os cōpetitoris anno eius ſeculi XXVIII. menſe Iulio regem conſaluta- 928
uerant. Rodulphus primorum ſtudijs aliò verſis regno ceſſit. Almericus, qui & Amizo eodem quo pater nomine ab rege, cuius cauſam iuuerat, in fidem receptus plurimas immunitates obtinuit, eumque gratiæ locum, vt in magna apud omnes exiſtimatione foret. cum ob hanc cauſam, tum virtute ac finium propinquitate adductus populus Ferrarieſis eum acceſſiuit: ac primo quidem rectoris munus atq; vices obijt: mox vti alacrius remp ub. capeſſeret, omnium ordinum conſenſu Princeps renunciatus eſt. hunc Funtius Albertum vocat inductus in errorem ab Vberti filio eiuſdem nominis, cum ille, ſicuti oſtendimus, Almerico Amizone nato frater patruelis eſſet, licet vterque ſeparatim imperaret. nam Albertus Ateſtis & Comacli Comes erat, Almericus Ferrariæ Princeps: cui Marchionis titulo præfuiſſe memoriæ proditur eo ſtabiliore imperio, quo plura latifundia in Parmenſi, vbi Sigifredus patruus rerum potiebatur, Mantuano, & Adriano agro poſſidebat: quod indicant tabulæ nominatim exprimentes, quibus quæque locis ſita eſſent. auri ditiſſimus Princeps, qui religioni ſe totum deuouiſſet, magnam fructuum partem fanis ac cœnobijs elargitus eſt, pecuniam ædificandis templis erogauit, inprimis Georgiano tum maxime nobili, cuius ſacerdotibus annuos

reditus

reditus in alimenta attribuit. Is bonorum, quæ in oppido Ferraria
eiusve finibus poſſidebat, heredem ſcripſit Almericum I I. progna-
tum Gerardo Parmenſium Regulo ipſius fratre patruele: quę deinde
hereditas ab illo ad Azonem I I I. ſeu mauis Airardum Ateſtinorum
Comitem peruenit. Albertus autem, vt ex quibuſdam Ferrarienſi-
bus annalibus inſtar ephemeridum conſcriptis elicitur, non ſolum
ſub Berēgario ſtipendia fecit, ſed & ſub Cęſare Henrico Aucupe, qui
938 anno duodequadrageſimo e vita exceſſit, quo tempore & ipſe obijt
tribus ex Giſela liberis ſuſceptis, Hugone I I. Azone I I I. quē alij Ai-
rardum vocant, ac Vualderta Petro Candiano Venetorum principi
in matrimonium data. dos fuit, quæ paterni iuris ac mancipij in V-
dertienſi erant ex Giſelę matris hereditate, & caſtella quædam in ex-
tremis Ferrarienſium finibus, qua attingunt Adrianos ditionis &
ipſos Ateſtinorum. Candianus per cauſam recuperandæ dotis ab
heredibus Alberti bellum Ferrarienſibus atque Vdertienſibus fecit;
multoq; plura vi abſtulit, quàm iure ei deberentur: ac nō multo poſt
Veneti omnia ad priuatas opes reuocantem, deprehenſumque non
leuibus argumentis libertati inſidiari, cum paruulo filio interfecere:
quæ congruunt cum noſtris ſcriptoribus, etiamſi Dandulus & Mar-
cellus tradant hanc Alberti Ateſtini filiam nupſiſſe Petro Candiano
eius nominis I I. exque eo poſtmodum ſuſtuliſſe Candianum Prin-
cipē. Hugo cum Othoni Magno, qui in demortui Henrici parentis
locum Cæſar ſublectus fuerat, virtutem ſuam aduerſus Berengarium
I I. Eporędienſem accommodaſſet, poſthabita fraterni nominis nę-
ceſſitudine; quippe vterque Giſelam matrem agnoſcebat; incremē-
to paterni imperij Inſubrum & Ligurum præfecturas adiecit anno
950 illius ſeculi L. non, vt falſo quidam autumāt, tertio & quadrageſimo:
nōdum enim Otho Italici regni compos erat: ſed tum demum cum
ducta in matrimonium Adeleida Rodulphi Burgundiæ regis filia,
quam Lotharius moriēs viduam reliquerat, dotis nomine Ticinum,
hereditate Italiā nactus eſt: inde porro in Germaniā reuertens vtrāq;
ditionem Hugoni tribuit. cuius tam improuiſus ſplendor, tam &
propria virtute & aliena inuidia inſignis illuxit, vt Berengarius eius
frater, ſicuti memorabamus, vterinus arbitratus maieſtatem ab illo
ſuā præſtringi, quā longe excellere par fuiſſet, Veronenſes impulerit
ad arma Ateſtinis inferenda: irritatus inſuper Othoniana conſpira-
tione, quam egregiæ contumeliæ loco reponebat. Azo I I I. qui, ta-
metſi obtineret Almerici hereditatem in agro Ferrarienſi, Ateſte ta-
men ſedem atque domicilium collocaſſet, a Veronenſibus obſeſſus

fratrem

fratrem appellat: cuius aduentu obſidio vix dum cœpta ſoluitur. reliquam ætatem Hugo religioni ac pietati, atque extruendis ædibus ſacris impendit. eius opus ad Padi marginem occurrit adeuntibus Gori caput multis opulentum fundis, vbi cum anno LIII. naturæ conceſſiſſet, funerari ſe mandauit. 953 Azo etſi perpetuo pro Berengario ſtetiſſet, ſicuti Hugo pro Othone, graues tamen iniurias ab eo pertulit, cuius inueteratum odium ad omnes Ateſtinos porrigebatur. etenim exorta controuerſia ſuper matris hereditate, quæ vtrunque ex diuerſis nuptijs procreauerat, quemadmodum retulimus: Berengarius vt fratris partem interciperet, de nece illius cõſilium inijt. ille infirmior, quàm vt repellere vim poſſet, ad Othonem in Germania tum bellum gerentem cum vxore & Vidone filio abijt. Eius itemque filij exitus obſcurus: id modo proditum memoriæ eſt, Vidonem ibi per ea tempora deceſſiſſe relictis liberis Azone Ateſtinorum Comite, Alberto & Tigrino. Hugo anno a Chriſto nato XII. ſupra MC. Almerici II. hereditatem ceſſit Gulielmo Adelardo, ac filium ſuſtulit eodem quo & ipſe nomine, quem Comitem appellat filia Mathildis in quibuſdam beneficiorũ codicillis ad noſtram vſq; ętatem ſeruatis in Ateſtino tabulario vna cum illa ipſa ceſſione Hugonis ac Landulphi Ferrarienſiũ pontificis manu cõfirmata. Annus iam octauus erat, vt Sigifredus poſt Saracenos, quos Gręci inhiantes Apuliæ & Calabriæ ſollicitauerant, pulſos a mœnibus Romanis, ac defenſum Ioannem XI. haud minus ſtrenue, quàm Landulphus Bęneuenti Dux feciſſet, Parmæ obierat eo paulo ante profectus Luca cum magna nobilium manu effugiente incurſiones barbarorum, quorum armis Hetruria opprimebatur: quoniam Almericus Marchio odio Põtificis Romani in Italiæ vaſtitatem eos traxerat, pactus fines ſuos intactos, qui primi calamitatem ſenſere. Ex Sigifredo nati Azo eius nominis ſecundus, Atius appellatus, multi Attum dixere; alter Sigifredus, & Gerardus. verum extincta Vberti & Amizonis fratrum ſtirpe, cum ante quadriennium Almericus Ferrariæ Marchio obijſſet nullis ex Atoperga & Franca eiuſdem nepti liberis ſuſceptis, quæ familiæ nobiliſſimas Italiæ præfecturas obtinuiſſent, Azoni diplomate Cęſareo ius indultum in Inſubres & Ligures. inſidebat ſcilicet grato Othonis animo quid Hugoni, quid Azoni ipſi deberet, quo conciliante poſt Edithę coniugis mortem Adeleidam vxorẽ duxiſſet. huius viduæ & heredis Italici regni nuptias præmortuo Lothario marito Adelbertus Berẽgarij filius ambiuerat, vt per eã ſemel apprehenſam Italiæ poſſeſſionem conſtabiliret. repudiantem

condi-

conditionem filius paterq; coniecere in arcem Simeonis,quæ in Benaci promontorio erat.ſed commeantibus clam ab Azone internũcijs cum virilem ſumpſiſſet veſtem nauicula a Martino ſacerdote excipitur,Padoq; in Ferrarienſes fines ſubuecta, deinceps terreſtri itinere victum quæritando Ateſte euaſit. ibi honorifice excepta, ac ſecura inſidiarum manſit, quoad Otho, quo cum Azo ea de re egerat, Veronæ nuptias celebrauit, regnoq; Italiæ potitus eſt. huius rei teſtem habeo incertum auctorem, qui priuato commentatio Mathildis vitã accurate complexus eſt,quiq; apud Ateſtinos aſſeruatur,nec non Danduli hiſtoriam. ab eadem grati animi memoria cum Azo Canuſſij obſideretur, Auguſtus cũ exercitu accurrit. quod vt clarius liqueat,neceſſe eſt paulo altius repetere,quę conſulto in hunc locum reiecimus,ne quam obſcuritatem afferrent Azones duo, qui eodem tempore vixerunt.Diuiſo inter germanos regno Ateſte,quæque illi contribuebantur,Azoni I I.euenete,Luca Sigifredo, ex quo oriundi ſunt Comites Baratini, & vt quidam auctores in primis graues tradũt,Malęſpinæ Marchiones.Gerardo Parma ceſſit,cuius ſtirps ſunt Comites Gibertini. vtrique familiæ nomina dedere vxores Sigiberti & Gerardi, quæ late alpinis gentibus & montanis Regienſibus dominabantur, quemadmodum teſtãtur vetuſti annales Fani Proſperiani ciuitatis Regij. ceterum Azo pro eo iure, quod viuenti in fraternas quoq; portiones conceſſum erat, cum rem Parmenſem nutare cerneret a Berengario,qui finitima tenebat loca,labefactatam, eo migrauit, & quod tutandis finibus cenſuit, in agro Regienſi prope Parmam ad Orientem teretem atque vndique abſciſſam rupem emuniuit. in vertice leniter faſtigiato quidquid plani eſt peramplo caſtello (Canuſſij nomen inditum) occupauit. Etſi autem Berengarius impedire opus voluiſſet,haud tamen Azo rem dimiſit,cauſatus non ſe arcem Italiæ regno imponere,ſed præſidium ſibi ſuiſque ſtatuere aduerſus exules,latroneſque, & id genus homines perditos, qui facta manu ex Apennino repẽte eum tractum incurſarẽt: quinimmo licere ſibi, quod in ijs locis ipſe fraterque poſſiderent, additis munitionibus pro arbitrio firmare. locum fors Azoni oſtendit. nam dum ibi frequens in venatu eſt (ea res magnopere oblectabat putantem ad valetudinem vireſque conferre, & in pace belli ſpeciem referre) iugum aſcendit non ſine labore; quòd circuitus ſpinis obſitus & denſa arbore intercluſus eſſet. propterea non modo ſitus caſtello idoneus cuiquam notatus non fuerat, ſed ne notus quidem. Berengarius magnis cum copijs filium eo ducere iubet, odio potius

incenſus

incenſus ob Adeleidæ fugam ac matrimonium, quorum vtrunque Azoni acceptum referebat, quàm eius munimenti cauſa. haud ceſſit Ateſtinus, ſed audacter egreſſus ęquo marte hoſtem fudit ac fugauit, & quam victoriam nox ingruens ex parte interpellauerat, poſtridie ſic eſt perſecutus, vt Adelbertus cum tardius fugam explicaret, argẽteum inſtrumentum amiſerit, quo in menſa ac re diuina vtebatur. Berengarius deinde, qui ſolitus erat dicere, elidẽdum paruulum ſerpentem, priuſquam ſua illum magnitudo inuictum redderet, ipſemet magnas illuc copias adduxit. Azo tranſuerſis callibus, quos venando peragrauerat, ad vallum delatus bifariam aggreſſus hoſtem late cecidit. frater longe quàm antea inſtructior eodem pergit: redactumq; intra Canuſſij mœnia Ateſtinum circunſedit. Iam Otho ab pacata Lotharingia & Henrico fratre Norici Duce ſic edomito, vt veniam ſupplex peteret, in Italiã reuerterat. Veronæ cum eſſet ſponte ſua maximeque hortatu Adeleidæ legiones Padum traducere inſtituit ad Azonem obſidione liberandum. quam ab eo tres annos ac bis totidẽ menſes toleratam ſunt qui ſcribant. Berengarius obuiam progreſſus cõmiſſo ad Fontanam vicum prælio ſuperatur. etſi Azo diſcrimine eximitur, tamen cum Adelbertus, quem captũ Luitolphus Auguſti filius vita ac libertate donauerat, paterni exercitus reliquias collegiſſet, ac tumultuarias cohortes ex Italia ac Sueuia, quo ſe contulerat, eduxiſſet, complura oppida a Cæſare alienantur. eo Berengarius exploratę fidei pręfectos ſtatim miſit. Ex aduerſo Ateſtinus exercitum parat confluente Regienſium ac Placentinorum multitudine; quippe Parmenſibus finitimi ob eam cauſam magnis affecti beneficijs, quorum calor ad extremas quoq; eorum limitum partes ſeſe diffuderat, conſociauere arma. Adelbertus & ipſe maiora in dies auxilia moliebatur. verum vt nulla diligentia adæquari hoſtem poſſe animaduertit, aſtute pacem affectat. data ab Auguſto his conditionibus eſt, vt Berẽgarius regno Italiæ cederet Venetia cõtentus intra amnes Padum & Abduam, tum Carnis hereditate aui materni delatis; donec præſidia deduceret ex vrbibus, quæ defeciſſent, obſides daret: ablata Pontifici ac pop. Rom. bona fide reſtitueret: quas ciuitates, quoſue fines Cæſar ei relinquat, ne quibus legibus (hoc in gratiam Ateſtinorum additum) quam quibus ante bellum moderetur: regis Italiæ nomine abſtineat: annuum ſtipendium Cęſaribus pendat, capta de Ateſtinis reddat. ſubſcripſere conditionibus Berengarius & Adelbertus. Cæſar rebus in hunc modum compoſitis domũ repetit reuocantibus Vngaris, qui duce Toxide Germaniam vrebãt.

Azo

Azo Gerardo, quid facto opus eſſet, præmonito commendataque ei Parma & reliquis municipijs, quæ ſe in ipſius fidem commiſiſſent,
955 anno ſeculi illius L V. Othonem ſequutus eſt, ac tum forte terrā Germaniam attigit, cum dies prælio ſtatuta inſtaret. fuit tum facultas periclitandæ virtutis, ac ſeſe Cæſari in armis oſtentandi, quemadmodum deinceps fecit deuictis Vngaris, dum bellum cū Boemis & Sclauis tenuit. At cum Berengarius conditiones, quibus pacem impetrauerat, neglexiſſet, e Germania ad ſua tutāda retractus eſt. Othone alibi intento Vngari in Carnos deſcenderant, Toxis Italiæ excidium minitabatur: quam peſtem Berengarius magno auri pondere auertit: quin & fœdus cum barbaro percuſſit aduerſus Venetos, qui videbantur cum Azone conſpiraturi pro publica ſalute. Itaq; Comacli, quod Italici reges occupauerant, adornatam claſſem in Venetos miſit: ipſe ad Azonem debellandum proceſſit: qui quo magis impare ſe hoſti cernebat, eo impenſius certamen detrectabat. attamen comparanti exercitum inter Mutinam & Regium neceſſitas dimicandi aliquoties imponitur: quos conflictus diſerte non exprimūt, qui Mathildis vitam litteris mandauere: ſed victo Parma receptaculum fuit. Berengarius eo muris incluſo iamiam Canuſium obſeſſurus fit certior claſſem ſuam a Venetis profligatam atque incenſam, qui fortuna vſi Comaclum cædibus flammiſque peruaſtant. vix ea clades nuntiata fuerat, cum Luitolphum cum validis Germanorum copijs a patre miſſum in agrum Veronenſem veniſſe cognoſcit ad ferendam opem Ateſtino. Berengarius recta ad Germanum fertur: nec mora, Azo & ipſe ex oppidis tum ſuis tum fœderatis præſidia deducit. Luitolphus libere in vlteriorem ripam trāſgreſſus princeps hoſtem laceſſit: diriguntur infeſtæ acies: ibi Luitolphum obuium Adelbertus in fronte vulnerat atque interimit. Germani, quibus interitus pro ſalute a captiuo quondam repēſus ſuggerebat indolem, adoleſcentiam, formam, atrocitatem rei, denique memoriam Cæſaris, ſimulque amorem, miſericordiam, iram, indignationem excitabat, acrioribus ſtimulis concitantur, quam ſi Dux non dediſſet, ſed retuliſſet opima ſpolia. Tanta eſt nonnunquam vis calamitatis, vt animum mœrore afficiens adeo eum non proſternat, quin verti in rabiem poſſit. ſed deerat ductor ferocientibus Germanis: forte audito per exercitum Azonis nomine, qui cum ſuis ſuperuenerat, ac præ ſe ferebat eius necis ſe vindicem futurum, tanta animi contentione dimicauere, maxime ducis exemplo incitati, qui inter principia rem gerebat; tanta pertinacia inſtitere hoſti, vt perturbatum ac terrore perculſum tandem in fugam auerterint. Berengarius atq; Adelber-

tus diſiectos fruſtra conglobare conati & ipſi ſubditis equis calcaribus ſibi conſuluerunt: ſtatim Placentini & Regienſes Azoni ſe dedunt: finitimi paulo opibus validiores victoriam gratulatum mittunt. idem facit populus Romanus. vndique vindex tyrannidis Berengariorum atque antiquæ Italiæ libertatis reſtitutor acclamatur. ipſe interim cõquiſitum ac repertũ Luitolphi cadauer Regij in Diui Antonij honeſtiſſimo apparatu ſepulturæ mandarat: vnde ſublatum poſtea Otho, atque odoribus differtum in Saxoniam deferendum, regioque funere tumulandum curauit. Germanorum, quibus vindicata imperatoris mors non mediocri ſolatio fuit, ſuper Italorum comitatem & prædam ex victoria quæſitam, alij patrij ſoli dulcedine tacti domum redierunt, alij apud Azonem manſerunt. qui Berengario nouas ſubinde turbas conciente haud quidem in ipſum Italiam, ſed in pontificiam ditionem, tum pręſentiens, quia Ioannes eius nominis XII. ſacerdotibus ſumme inuiſus eſſet, magnam Chriſtianæ pietati perturbationem ac ſeceſſionem impendere, Cæſarem in Italiam acciuit. ſtatim ad vrbem profectus proſequẽte Azone maximæ apud Romanos auctoritatis tumultus ſedat. Sed vix abſceſſerat, cum pontifex archidiaconum & ſubdiaconum, quorum calũmnijs parum abfuiſſe dictitabat, quin dignitate exueretur, infamibus ſupplicijs afficit. repetit vrbem Cæſar. Pontifex aufugit. coeunt homines ſacrati, inter quos Auguſtus concilij auctor procãcellarij innocentiam vſque adeo effert, vt omnibus ſuffragijs pontifex renuntietur ſumpto Leonis VIII. nomine. huic cũm grauis infeſtuſq; foret Berengarius, Azo appellatur. ab eo Cæſar acceſſitur, vt ſua ſacroſancto Antiſtiti maieſtas conſtet. Berengarius, qui exiguas ſibi vires eſſe, vnumque conatibus ſuis Cæſarem obſtare intelligit, inſidias ſtruit, vt cum primum in vrbe pedem ponat, nec opinans e medio tollatur: detecta fraus in auctorẽ vertit. ipſe petitus armis cum Adelberto in poteſtatem venit, alter filiorum Vido obtruncatur. poſt anno LXIII. cum vxore Vuila Boſone Hetruriæ Marchione genita, 963
cumque Adelberto filio vinctus in Germaniam abducitur. propinqua vrbi loca, quę ſub eius ditione fuerant, pontificię ſedi attributa, oppida togatæ Galliæ Azoni dono data. quem Otho alioqui egregie de ſe meritum tota Italia ſupremum Vicarium conſtituit. altero anno Berengarius Bambergam Frãconiæ vrbem relegatus fato ceſſit. Adelberto, quæ vna vtriuſque Berengarij reliqua ſtirps erat, ſuperiore anno in libertatem reſtituto Longobardi, quorum factione regium nomen obtinuerat, aucupati Othonem bello Boemico ac Sclauico diſtineri, vt illata incommoda vlciſcerentur, ad arma con-

ſurrexere.

ſurrexere: ſed anno tertio regi imperium ac vita adimitur, & Italia iterum Romano imperio adiungitur. Quando autem patet principes Ateſtinos hiſce Regibus perpetuo connexos fuiſſe, e re fuerit eos ordine enumerare, non ſolum vt lux ijs, quæ hactenus retulimus afferatur; ſed etiam vt quorundam ex Italis ſcriptoribus tum veteribus tum recẽtioribus error detegatur, inculcantium nobis poſt duos totidem eiuſdem nominis Berengarios: quos ipſa ſeries a nobis pauciſſimis explicata euincet nũquam fuiſſe inter mortales. Etenim ab exceſſu Caroli III. cuius ætate imperium in multas partes diſtractum fuit, vſque ad Tertium Othonem XIII. tantummodo reges in Italia imperarunt. Berengarius & Vido. Arnulphus Cęſar a Vidone accitus, mox repulſus. Lambertus, qui profecto ex Italia Arnulpho ſucceſſit, poſt cuius cædem Berengarius regnum recepit. Ludouicus Boſonis filius, in cuius verba Itali proceres ſuperſtite adhuc Berengario iurarunt. Rodulphus Burgundiæ rex, a quo idem Berengarius ſuperatur. Hugo Comes Arelatenſis Ludouici filius, qui Rodulphũ expulit. Arnulphus Baioarię Dux Veronæ, quo ſe contulerat, regnum auſpicatus. Lotharius Hugonis filius, cui pater regnũ viuẽs tradidit. alter Berengarius ex Giſila Primi Berengarij filia prognatus. Henricus Baioariæ Dux Ticini rex dictus. Otho Auguſtus, qui eundẽ Berengarium regno iam ante reſtitutum captiuum fecit. Adelbertus Berengarij filius ſeditionis in Othonẽ auctor. ita duo tantum extant Berengarij, vnus Eberardi Foroiulien. præfecti filius, alter Adelberti March. Eporædienſis. Azoni amoto Berengario vtranq; præturam Otho mandauit, non modo patriũ imperium reſtituit: quod teſtimonio Benedicti VI. Põt. Max. aliorumq; didicimus, & diplomata in eã rem confecta abunde comprobant. Nec prętereundum videtur, præterquãquod magnam illi auctoritatẽ apud Italos conciliarant principatus, quorum meminimus, plurimum ẽt nominis atq; ornamenti acceſſiſſe ex Ioannis XIV. pontificatu. defuncto namq; Leone VIII. cum de ſucceſſore inter Romanos parum conueniret, illi ab Azone petierunt, vti cum Marino Sutrij Epiſcopo ipſorum oratore ad Cæſarem profectus ageret cũ eo, ne qua diſſidij occaſio exiſteret. Ille libens negotium ſuſcepit, tamq; ampla mandata retulit, vt communi conſenſu creatus ſit Pont. Ioãnes, de quo memorauimus. qui Azonis acta pro ſancta ſede animo reputans, eiusq; ingenio ac ſingulari prudentia perſpecta ipſius deinde vti cõſilio perſeuerauit, tantũq; auctoritatis eſt impertitus, vt Petrus & Retfredus Romæ præfecti nihil in eũ auſi, quippe iniuriæ haud opportunũ, in Pontificẽ conſpirarent, captumq; in carcerem detruderent. Azo cõuento Othoni perſuaſit,

vti ſacrorum Principi opem ferret, comeſq; itinetis Romam vſque fuit, vbi vindicanti Pōtificem in libertatem affuit: eaq; res permultis nobilibus exitium attulit. Ioannes vt ſalutem acceptam remuneraretur, Othonem filium inunxit: & licet ſucceſſores imperij ſuperſtitibus Auguſtis Cæſares ſolerent appellari, ille tamen Auguſtū conſecrauit nuncupauitque. Atque vt Græcum Latino Cæſari reconciliaret, qui diuerſis tum regni finibus in huius Auguſti locum ſucceſſerat, effecit vt poſt creationem iungeret ſibi Theophaniam Romano natam. His confectis vterque Auguſtus in Germaniam reuerterunt. quibus patre ita iubente officij cauſa præſto fuit Albertus II. ex Hildegarda ortus, quem Riccobaldus, Priſcianus, Æquicola, Ludouicus Areoſtus, atque alij Albertatium nuncupant ex proprio & parentis vocabulis coniunctis, monachus Prumiēſis, qui Reginonis chronica ſuppleuit Obertum, alij Sigibertum propter Sigifredum auum, quem vti prædiximus, nonnulli eo nomine appellarunt. tres alios filios ſuſtulit Azo Gottifredum, Thedaldum, & Rodulphum. Gottifredus religioni ſe deuouit, adeo vt cum Azo obiret Ciſalpinam Galliā, Brixiani ab eo poſtulauerint, ageret cum filio, vti eum honorem ne aſpernaretur, ac paulo poſt eius vrbis pontificatum adeptus eſt. Rodulphus ſeptennio ante deceſſerat. Thedaldum Ferrarienſes aduocarūt. quippe ab Italis tyrannis dilacerati, quibus vindicibus Bononienſium ac Rauennatium in interiorem agrum crebrę excurſiones propellendę fuerant, auctore Othone eius fidei ſe cōmiſerunt. Admotus imperio, quod olim obtinuiſſet Almericus Ateſtinus è poſteris proaui ſui, ad Padum in extrema vrbe, quę ad occaſum vergit, & tum ſuburbana erat, arcem ædificauit dictam de conditoris nomine Thedaldi caſtrum. Dum Albertus apud Cæſarem in Germania commoratur, atq; ibi ſe diutius futurum præfert, Thedaldus in intimam patruorum Sigifredi & Gerardi familiaritatem ſeſe inſinuans Lucam & Parmam de ipſis conſequutus eſt, vt & Regium de Azone patre, qui anno à partu Virginis DCCCCLXX. vitam cum morte cōmutauit. Al- 970
bertus veterem Ateſtis tetrarchiam hereditate nactus eſt, quæ peculiari quodam iure, ſi regnum diuideretur, ad ſtirpis maximum pertinebat. idq; cum tertium iam annū in aula Cæſaris verſaretur, qui nō modo Ateſtis, Scodoſiæ, Montagnanæ, Cerri, Calaoni imperium ei confirmauit, addita ēt Soleſſini Curia, ac Plebatu Villę cum oppidis utriq; loco contributis, ſed priſco Comitatus nomine abolito Marchionem appellari voluit multo honeſtiore titulo, quo ſecūdum regium nullus extat maior neque amplior. hęc dignitas æmulabatur præfecturam Reipublicę Romanę ad orientis occidentiſque limites,

quos

quos Cæſares Germani Marchas dixerunt, alteram Oſtenreichiam, quæ poſtea Auſtria dicta eſt; nunc Barbantiam, Lotharingiam, Auſtriam limitis orientalis membra continet; alteram Vueſtenreichiã, quę poſterioribus ſeculis Neuſtriã, limes itidem occidentem verſus, nunc Normannia appellatur, nec plures tunc Marchiones erant, quã quos tuerentur limites: limites ipſi clauſtra propemodum aç munimenta imperij habebantur, vbi præſidebant duntaxat Marchiones Auaricus, Carẽtanus, Foroiuliẽſis, Saxonicus, Hiſpanicus & Nortmãnicus, cui longe maximus honos fuit Ludouico I. regnante. verum cũ Auguſta maieſtas communicata Saxonibus eſſet, & Vngari ac Sclaui vtranq; Danubij ripam ferro atque incendijs popularentur, inſuper Saraceni Italiam ac maria infeſta haberent, plures pro conditione tẽporum ſunt limites Marchęque, vt ita dixerim, inſtitutæ. In primis, vti refert Lazius, aduerſus Sclauos Brandẽburgenſis, Auſtriæ Carinthiæque ad tutelam regionum cis Danubium, in Italia Spoletina & Beneuentana. mox antiquato iſtiuſmodi defenſoris nomine atq; munere Marchionis appellatio ob quandam excellentiam honoris teſtimonium ſolum eſſe cœpit, non ratione limitis expeti, quo principatus magis illuſtraretur. inde nonnullæ Italiæ partes deſcriptæ in Marchas: nec Ateſte modo, ſed Ferraria, Subalpina regio, quę Monsferratus dicitur, Mantua, Verona, Tauriſum, & Ancon. in Germania prioribus additæ Badenſis, Rotelenſis, Vogburgenſis, ac Miſnenſis. ita pro numero earũ plures Marchiones vbiq; creati. Per hunc modum Albertus auctus ornatusq; in Italia ac Germania claruit. itaque Cæſar, apud quem tum diuerſabatur, Haraldi Regis Dani ludicrum certamen cohoneſtaturus (Daniam incolit natio ferox in ſinu Venedico ad Boream) quo Saxoniæ inferioris principes finitimiq; frequentes conuenerant, Albertum eò miſit. Ille gentili maiorum ſuorum Foreſti atque Acarini repetito inſigni caſſidem monocerote argenteo exornauit, & ex equo pedeſq; pugnauit: ac præter mirificam amiculi elegantiã tam ſcitè tam appoſite armatus decucurrit, vti palmam retulerit. nam etſi perpetuæ oris grauitati mira hilaritas ineſſet, magnam tamen in primis gratiam arma conciliabant: proinde ſingulari nobilitate ac ſpecie mirificè commendatum, quæ vtraque Germani plurimi faciunt, tanto amore complexus eſt Cęſar, etiã virtute incenſus, vt filiam ei Adeleidam in matrimonium daret, cui poſtea Aldæ nomen fuit, editam ex Adeleida, quę ex cuſtodia Berengarij elapſa Ateſte profugit. dos extitit Friburgum in Germania, in Italia complura Gallię Ciſalpinę oppida, Abbatia, Caſtrum, Caſale maius, Buxetum, Nocetum, Corticella, Pontremulum, Soleria, Campus

Caia-

Caianus & Herberia. ceterum cum menſe maio anno LXXIII. ſupra 973
nongenteſimum Otho Migdeburgi in Saxonia obijſſet, non tantũ
quia eo ad apprehendendam poſſeſſionem eorum, quæ doti accepe-
rat, ſe contuliſſet, ſed etiam vti Cæſari vxoris fratri pręſto eſſet, ibi
ſubſtitit, quoad regnum firmaſſet. Reginaldus enim & Lambertus
Reginonis filij, qui parti Flandrię atque Annonię iura dabant, freti
affinitate Gallica, quod alteri Carolus Lotharij regis frater Gerbri-
gam, alteri Hugo Pariſiorum Comes Haduidam filias collocarant:
orientales Francos, qui erant ditionis paternę, iniuria ſubactos fuiſ-
ſe ab Hugone Henrici Aucupis genero, & Othonis Cæſaris affine, at-
que Archiepiſcopi Colonienſis querebantur. qui cum plus animo-
rum quàm virium oſtentarent, Cęſar quo tutiore loco res ſuas collo- 974
caret, inſequenti anno in Italiam profectus eſt, eiq; Ticini ab The-
daldo Ateſtino plurimus honos habitus. is de Vuila, quæ alijs Voli-
liá, Bonifacium Tertium, Conradum, Thedaldum Secundum Areti
norum Pontificem, & Mariam liberos tulerat. præmiſſus Bonifacius
primis in regni finibus Cæſarem operitur, Leo Ferrariæ Epiſcopus
longius proceſſit. aduenientem Thedaldus magnificentiſſime in op-
pido excepit. Benedictus VI. Pontifex Maximus ab vrbe occurrit ad
os Tartari, qui ut ſcribit Peregrinus Priſcianus in Collectaneis rerũ
Ferrarienſium, tunc in Padum cadebat. cõtinuo Itali proceres affue-
runt ſacramento adacti: dein Cęſar retro vertit reuocatus germani-
cis motibus, nec ab eius vnquam latere Ateſtinus diſceſſit, quem etiá
in tanto tumultu bello Saxonico ducem deſtinauit. Etenim dum
Reginonis liberi res nouas aduerſus Othonem molirentur, Héricus
Bauariæ Dux ipſius patruelis anno eius ſeculi LXXVI. anteuertit, im- 976
pulſore Bertoldo patruo Comite Schirenſi Arnulphi filio, ac regem
ſe profeſſus palam deſciuit; traxitq; in partes Henricum præſidem
Carinthiæ affinem ſuum, & Boleſlaum Boemię, Mieciſlaum Sarma-
tiæ Duces: præterea & Haraldum Daniæ Regem. quocirca Danis
Tranſalbianos adortis Cæſar vti Henricum retunderet, ſummæ rerũ
prępoſitum Ateſtinum iuſſit eò contendere, vbi Haraldum caſtra fe-
ciſſe intelligebat, ominatus perinde atq; Albertus Danos ludicro vi-
cerat, ita ſerio victoriam reportaturum. quę coniectura eum non fe-
fellit. nam Haraldum nõ Saxonia modo exegit, ſed in Daniam vſq;
armis perſequutus coegit pacem demiſſiſſime petere, ac ſtipendium
Cęſari paciſci. Albertus cum victore exercitu ac præda graui obſide
regis maiore filio accepto ad Othonem redijt. confecto bello Dani-
co, ác regio obſide abducto Cæſar in Henricum conſternationis ca-
put, qui ſe Boiorum Regem appellabat, duxit. vix Noricum attige-

rat,

rat, cum populi ne tecta diruerentur, confeſtim deditionem fecere. eodemque tempore Boemus & Sarmata poſuerunt arma. At anno
978 LXXVIII. Reginaldo & Lamberto orientales Francos prementibus Varnerius, Ramoldus, & Regino, qui cum victoria earum regionum præfecturas ſibi ſpondebant, ſuperati ſpe prorſus exciderunt. communierant iam ante pugnam Buxidem caſtellum ad flumen Axoná: inde reliquię exercitus loci munitione fretæ in Lotharingiam excurrerunt. quod vbi Bruno patruus Cæſari renunciauit, miſſus cum copijs Albertus Saxoniæ Dux Rhenum verſus oppidum circumuallatum intra dies quindecim expugnauit, incenditq; captis oppidanis omnib. Reginaldus & Lambertus Franci militis duces fuga ſibi proſpexerunt. Pacata Germania nouus ex Italia tumultus affertur, Saracenos Gręcis adiuuantibus Calabriam inuaſiſſe: ea res in Italiam Cęſarem exciuit. congreſſum impij ingenti ſtrage fuderunt: cæſus in acie clariſſimus quiſque: ipſe ęgre euaſit enatans ad Roſanum maritimú Apuliæ oppidum, vbi vxor ſubſtiterat. haud multo poſt Marchione Ateſtino pedites atque equites in ſupplementum adducente, auctus etiam auxilijs ex Flaminia, & propinquis locis iterum cum hoſte conflixit, eumq; ita proſtrauit, vt ex nobiliſſima victoria Saracenici co-
983 gnomen retulerit. Anno LXXXIII cum reditum in Germaniam adornaret, repente morbo correptus VI. Id. Decemb. interijt, atq; a Ioanne XVI. qui duobus eiuſdem nominis Pontificibus ſucceſſerat, quorú alter menſes iij. alter viij. ſedit, in vrbe ad Diui Petri conditur. Poſt Auguſti obitum Albertus Ateſtinus aliquot dies Romę ſe continuit, ne controuerſiæ de imperio enatæ Othoni affini obeſſent, cuius partes conſtanter eſt tutatus, vt fruſtra tumultauerint, qui rerum arbitrium ad Henricum Bauariæ Ducem trahebant fratrem patruelem Secundi Othonis, proindeq; huius Othonis patruum, qué nonnulli propter infantiam tantę moli imparem dictitabant. Albertus tamen peruicit, vt Pontifex eum confirmaret ac declararet Cæſarem: dein ea de re per litteras admonitum conuenrumq;, qui iam Aquiſgrani coronatus inunctuſq; fuerat ab Epiſcopo Rauennate, Coloniam deduxit. Henricus Cęſaris agnatus moleſte ferens Ateſtinum affinem propè tutoris loco cuncta pro arbitrio moderari, ipſe pueri tutelam poſcebat: vt cœpto deſiſteret, Bauarię principatus, qué ei Otho II. ade-
995 merat, eſt reſtitutus. Alberto anno eius ſeculi XCV. extincto, cuius mirifica in Romanum imperium beneficia, tot exhauſtos pro Cæſare labores nulla vnquá obſcurabit obliuio, cuius glorioſa facinora omnis poſteritas celebrabit, ſuperſtites fuere filij ex Alda coniuge Hugo Tertius, Bonifacius & Fulco, qui dum regnum Saxonicum procura-

ret,

ret Friburgum eſt adeptus. mater Alda fato functa in cœnobium a ſe ædificatū eſt illata: quod in hiſtoria ſcriptum reliquere Hermannus, Lambertus Scaffnaburgenſis, Auentinus, atque alij. ſub eos dies deceſſerat Adelengus ex hac eadem familia Gottifredi filius, Humbaldi Camertis ac Spoletini Marchionis nepos, necnon Apaldus Berengario Henrici Primi filio natus. ex Apaldo Iugulanda Latij Comes genita. ex Adelengo Vpaldus Azonis pater numero non diſtincti, quia ſtatim expirauit. Interim cum populus Romanus ſuaſore Creſcentio homine magna domi potentia, ſed vita prorſus deteſtabili, Gregoriū vrbe eieciſſet, Cæſar cognationis cauſa, & quia commendatione ipſius Pontifex renūciatus fuerat, dum Ioannes XVII. ante Placentinus Præſul annum propè ſummum gradum occupat, magnas copias comparare non deſtitit: tranſgreſſuſque in Italiam vrbem obſedit; quam etſi egregie permuniſſent circa molem Adriani Creſcentij deinceps arcem, poſtremo Sancti angeli appellatam, tamen irrumpens cum III. Hugone Ateſtino familiæ poſt mortem patris principe Romanis in fugam coniectis Ioannem & Creſcentium in arcem compulit. ij poſt diem x. deditionem fecerunt. vterq; pro merito fœdo ſupplicio affectus. Conſuli præciſo naſo atque auribus, perq; vrbem circunducto laqueo gula fracta; Pſeudopontifex effoſſis oculis deportatur. Gregorius recuperata dignitate memor quibus ſeditionibus in creando Cæſare certatum eſſet, vel potius quantum ſalutis ſuæ auctori, atque adeo inimicorum vindici deberet, accedebat origo Saxonica, & cognatio, qua Othoni coniunctus erat, eius ſeculi anno XCVII. promulgata ſanctione ius declarandi Cæſaris ſeptem 997 proceribus Germanis partim ſacratis, partim profanis tribuit. Ea res adeo triſtis, atq; acerba populo Romano accidit, vt ira ſtimulāte impetum in Cæſarianos fecerit, deprehenſos quoſq; trucidarit, ipſum Auguſtum in Vaticano circumſederit. ſed Hugo Ateſtinus, & Henricus Dux Bauariæ ex Cæſaris comitatu longe clariſſimi nihil territi tam graui ſeditione vltro citroque commeantes per ſpeciem ſanciēdæ pacis Othonem, ſicuti teſtatur Funtius, clam vrbe eduxerunt. ex inde Hugo, quòd modico interuallo vtrumq; ſeruaſſet, Pontifici & Cæſari multo acceptiſſimus fuit. quin Auguſtus conſentientibus Bonifacio & Fulcone fratribus, eidem integrum paternum regnum adiudicauit, præfectumque Hetruriæ, vt idem Funtius atque alij ſunt auctores, Italiæ Marchionem nuncupauit. propterea qui Marchionem in poſterum ſimpliciter diceret, non alium quàm Ateſtinum ſignificabat. Cui rei teſtimonio eſt epitaphium Bonifacij Mathildis patris, & ſententia Bernardi Cardinalis ab ea confirmata, omniaq;

fermè

fermè ipſius diplomata, in quibus nullo adſcripto titulo ipſa ſemet enunciat Mathildem Bonifacij Marchionis filiam Dei gratia ſi quid eſt. idem cõfirmat mos vſurpatus ab Arnulpho Mediolanenſi,& Lãberto Scaffnaburgenſi ſcriptoribus temporũ illorũ, itemq; a Dante & Ioanne Villano in appellandis his Principibus,comprobant denique tabulæ ac publica monumẽta,quæ ipſi ex priuato archio proferre poſſunt. Italia Ioanne XVIII. Pontifice, qui defunctis Gregorio
1001 & Siluestro II. ſummum locum anno primo ſupra milleſimũ obtinuerat,& quantum ex vitæ breuitate colligi potuit,magnum quietis ſtudium prę ſe tulit,grauibus malis conflictata, ac multo magis perterrita cometis,fulminibus,tonitruis inſolitis, horrendis terræmotibus,ceteriſq, huiuſmodi prodigijs grauiora minantibus,quæ Pontificem vehemẽter angebant,vnius tum Hugonis,vt ſcribit Platina, opem ſenſit. Othone ſine liberis, dum ex vrbe in Germaniam reuer-
1002 titur,ſequẽti anno mortuo, bienniũ interregnum tenuit,tantiſperq́, Hugonis opera ſua Italię quies,ſua maieſtas Pontifici incolumis manſit. Henricus cognomento Sanctus inter Cæſares eius nominis Secũdus, Tertius inter Noricos Duces Imperator renunciatur. Haud obſcuras ſignificationes dabat Cæſar ſeſe Hugonem ab Hetruſca procuratione amoturum,quod Ioannes XIX. eodem,quo obiit Cæſar,anno alteri Ioanni ſuffectus haudquaquam probabat,quippe ipſius ac Roberti Gallorum Regis Pontificię cauſæ ſtudioſiſſimi opibus innixus. quocirca Ateſtinus,vti Cæſar propria reſpicere cogeretur, Ardoinum Eporędienſem Marchionem fouere atque augere decreuit: deditq́; operam,vt communibus Italorum Principum ſuffragijs ad Imperium eueheretur. Iam in ſententiam ſuam traxerat proceres citerio
1004 ris Galliæ, cum Henricus anno IIII. ſupra milleſimum collatis cum Ardoino ſignis in finibus Veronę victor regni æmulum interfecit:
1007 Hugo vix elapſus eſt. Tertio deinde anno Subagoni Baſilij Gręci Augusti præfecto ſeſe adiungens,qui Saracenos magna Calabriæ atque Apuliæ parte expulerat, ab Henrici exercitu cum liberis Azone,Opizone & Aldrouãdino captus eſt,quorum poſtremum Arnulphus paulo ante adductus Adelbertũ,omnes Italię appellat Marchiones. Sed dimiſſus Benedicto VIII. ſatagente, præſertim quod ex auctoritate Sergij IIII. Subagonem in perſequendis impijs adiuuerat, a Græco ad Germanum tranſijt. Hugo in Hetruriam regreſſus,quam Vicarius nomine Cæſaris regebat,Peruſiæ,vbi eius præſentia valde opus erat, manſit; deditq́; operam ſedandæ inter plebem ac nobilitatem ſeditioni. videbantur nobiles cum tributorum exactoribus tacite pacti, modicum ipſi conferrent,tenuiores maximam partem ſuſtentarent:

quod iſtiuſmodi in rebus plerunque accidit: ſiquidem diuites, quantum in ipſis eſt, onus a ſe in pauperes transferri patiuntur. propterea plebs propemodum animis efferata certa atque ſtata etiam tributa perſoluere recuſabat. his quaſi facibus ſuccenſa, gliſcereq; in dies ira ad arma cucurrit; nec nobilitas quieuit. Hugo gnarus iſtiuſmodi grauiorumque turbarum in medium proceſſit, atq; ita locutus eſt. Quis furor o ciues Peruſini ſic veſtros obcęcat oculos, vt acuto alioqui ingenio, id tamen nõ proſpiciatis, quod maxime vobis exitioſum eſt, cuius in pręſentia ſi compotes fiatis, peſtem ac perniciem vobis ſummam poſt afferet? quæ dementia vos in vos exagitat? atque in nefariũ læſæ maieſtatis crimen præcipites deturbat? quæ cum nunquam a popularibus lædenda ſit, eo nunc venit vt iniquiſſime offendatur. Imperate animis obſecro quouſque diſcernere vobis ſit integrum, poſſit ne pars altera in alteram ſine mutua pernicie ſæuire: poſſit alterutra tandem victrix, poſtquam vel illa modo, vel vtraque hanc rabiem exſatiauerit, parta victoria frui? nonne animaduertitis, vbi ij primi ardoris impetus efferbuerint, iuſtitiam, quæ firma atque incorrupta cõſtanter perſtat, iuſtis ſupplicijs patrata facinora vindicaturam? ac vel confeſtim, vel paulo poſt quà exilijs bonorumq; proſcriptionibus, quà atrociſſimis cædibus, quà denique infamiæ notis, atq; alijs id genus pœnis grauiſſime rebelles vlturam? Cęſaremq; cuius vires longe lateq; patent, vel citò vel certe aliquando vos comprehenſurum? an non intelligitis nihil deterius vos poſſe committere, etſi nullus alius aduerſus ſubſequatur caſus, quam ab vno vos corpore abducere ac ſeparare, perinde ac ſi oculi, manus, ac pedes inuicem ſuſpecti, atque ira ebrij ſeſe mutuo conficerent. nã ſi pars nobilior inferiorem negligeret, contra vero hæc illi debitum obſequiũ negaret, ſine dubio quidquid inde detrimenti ſequeretur, omnibus membris commune foret. An non intuemini, quæ hæc futura ſit rebellio, cuius vos crimine magis forſan inconſiderate quàm conſulto obligabitis, quę in Cęſaris magiſtratus meæ curę commiſſos ac proinde in me ipſum illius Vicarium ſtruuntur. itaque cum aduerſus Cæſaris coniunctiſſimum eam moliamini, conſequens profectò eſt vt in ipſum quoque Cęſarem intentata cenſeatur. Sedenim, vt pernoſcere poſſitis quantum a ratione decedatis, cogitate ciues quàm iuſque & fas vos obſtringat, ne illa tributa intermittatis, quæ tum hominum memoria ſunt antiquiora, tum ſacroſanctę imperij maieſtati idcirco præſtantur, vt ſumptus ſuo dignos faſtigio poſſit ſuſtinere, ac vos totamq; hanc prouinciam, quæ promptus animis vobiſcum vnà diſſoluendo nomini præſto eſt, atque adeo Italiam ipſam, quantum-

tuūq; Chriſtiani orbis illi priuatim paret, tueatur atq; defendat. quin-
imo ſi diuino non modo humano iure vero ac iuſto Principi licet ob
bella impijs, vel alijs iuſte indicta mortalibus, ob ſuſceptas in popula
rium gratiam peregrinationes, ob locorum munitiones, atque id ge
nus alia, quę ſanè omnia Cęſarem ſummum omnium principem vr-
gent, populis noua atque inſolita tributa imperare, & qui ea in re il-
li minus obſecundant, eius maieſtati, ac vtique ipſius Dei optimi ma
ximi auctoritati reluctantur: quanto minus vobis ius faſq; eſt in anti
quis ſolitiſq; tributis illi aduerſari: in ijs inquam tributis, quæ clarū
exploratumq; eſt a ſubditis libenter pendēda illos ſuſtentaturis, qui
ipſos fulciunt ac ſuſtentant. facite ne inteſtina odia impedimēto ſint
exactionibus, quæ ſi vnquam, hoc maxime tempore ſunt neceſſa-
riæ, tum nec alio nomine nunc indicuntur, quàm vt a vobis, fortu-
niſque veſtris ac familijs iniuria propulſetur. facite vt reſtincto pau-
liſper veſtro hoc ardore mihi tantum temporis largiamini, quo ius
veſtrum poſſim noſcere, atque vt vnuſquiſq; pro rata pendat diſce-
ptare: vt nec potentibus auctoritate tenuiores liceat opprimere, nec
tenuioribus falſis in potentiores criminationibus a debitis ſeſe mu-
neribus eximere. hæc hercle vna eſt ratio, qua vos ciues Peruſini iu-
ſte vlciſcamini: hinc liquido conſtabit ac ſine ſuſpitione, ne non co-
gnitio ex affectu pendeat, quinam velint ſubterfugere. hinc deni-
que Cæſari, iuſtitiæ, voto officioq; veſtro luculenter ſatis fiet, ac mihi
præſtabitur occaſio vos inculpatos arbitranti apud Cęſarem ea diſ-
ſerendi, quibus Peruſia non minorem quàm reliqua nobiliora Thu-
ſcię oppida, imo etiam longe maiorem gratiam fauoremq; deinceps
ſibi conciliet. Secundum tam grauem orationem, quæ circumfuſæ
multitudinis animos mire permulſit, populus errore cognito iracū-
diam & arma poſuit, ac planè quieuit. quod factum etiam comme-
morat Petrucius diligens rerum Piſanarum ſcriptor. Hugo tota ea
prouincia magnis laboribus attritus in morbum incidit, ex quo men
1014 ſe octobri anno ſalutis M X I I I I. obijt. vnam ex reliquis illius virtu-
tibus magnificentiam Hetruſci ſummopere commendant, quando
multa inſtaurauerit; cœnobia ad octo omnia ferè apud ipſos ſua im
penſa ædificauerit: & Donati, Pulcij, Nerlij, Gangalendi & Belli ex no
bilitate Florentina in laude ponant, maiores ipſorum de illius manu
equeſtria ornamenta accepiſſe. omnes eum Hetruſcæ Reſpublicæ lu-
xerunt, parentem ſuum, parentem communis ſoli vocitantes; ſingu-
larem iuſtitiam ex ſumma integritate natam, perpetuam quandam
in omni fortuna æquabilitatē animi lacrimas ſibi excutere dixerūt.
quæ eo magis in illo cōſpicua fuerunt, vnde nomen Marchionis Ita

liæ egregie ſuſtinuit, quo minus in rebus aduerſis trepidus ardua, quæq; promptiſſime capeſſiuit. Azo IIII. & Opizo III. geniti ex Maria Thedaldi Ateſtini Ferrariæ Marchionis filia ipſius patruele, quæ etiã Aldrouandinum peperit, epitaphium parenti poſuerunt in agro Tiphernatẽ haud lõge ab oppido repertum. lapis vetuſtiſſimo familię nomine, quod vti notũ poſterioribus ſeculis ſubiceti coepit, Hugonẽ Atium, & Auguſtalẽ Hetrurię Principem vocat. VGONI ATIO FILIO ALBERTI ATESTINI MARCHIONIS PRINCIPI AVGVSTALI HETRVRIAE ATIVS ET OBICIVS FILII. P. C. MXIV. Porro tanta fuit hominis amplitudo, vt multi, qui exiſtimabant exceptis Brandenburgenſibus nullos ea tempeſtate inſignes principes Marchionis titulo honoratos, crediderint Hugonem Germanum, atque ab his proceribus originem traxiſſe. At Brandeburgenſem principatum neque tum Hugo vllus, neque aliàs vnquã obtinuit, ſi omnes recenſeamus a Brandone Francorum Rege, quem ferunt anno à Chriſto nato CXL. vixiſſe, & tractum illum de ſe nominaſſe, ad hunc, qui noſtra ętate dominatur: quamquã nulla regio vel plures, vel magis inter ſe alienos principes pertulerit. quãdoquidem modo Marchionibus Morauię, modo Ducibus Saxonię & Bauariæ, interdum Burgrauijs Norimbergenſibus paruit. æque falſum eſt Duces Saxones ab Hugone Ateſtino oriundos eſſe per Fulconem filium Friburgi Comitem: cuius mater Adeleida Saxonię heres a patre ſcripta ad Fulconem, poſtea regnum tranſtuliſſet: aliud namque aperte conſtat, non tantum quia Fulco frater ei fuit, non filius, & mortẽs Migdeburgi eodem anno, quo Otho III. nullos ex ſeſe liberos reliquit; ſed etiam quia Adeleidę pater collato Imperio Othoni II. ac Bauaria Henrico, Saxoniam diuiſit: ac ſuperiorem quidẽ partem Brunoni nepoti, inferiorẽ Hermanno Bilingi Duci tribuit. Ante annos vj. quàm Marchio e vita excederet, mortem oppetijt Thedaldus eius ſocer ac patruus relicta inter cetera pręcipua Ferraria Bonifacio III. qui Ateſtini etiam principatus particeps fuit, & cum Conrado Lucę, Regij, Parmę, ac Placentię imperijs communibus potitus eſt. dux erat Bonifacius poſt parentis obitum Richildam Giſelberto Cęſaris apud Veronenſes pretore natã, quo tum nomine, tum ob Venetiæ ſtudium in Ateſtinam gentẽ, ac potiſſimum quod Mantua & Mutina in illius fidem ſe tradidiſſent, nonnulli citerioris Gallię proceres, qui hanc exaggeratam magnitudinem timebant, eas ſuſpiciones animo Cęſaris impreſſerunt, vt Bonifacij auctoritatem imminutam vellet. quod cum parum procederet, clam aliquot Parmenſes aggreſſi effecere, vt ciuitas opportuno tempore deficeret. quam etſi Thedaldi

daldi filij ex Auguſti tabulis poſſiderent, tamen defuncto Henrico cum Imperatoria comitia diutius in expectatione eſſent, qui Aceſtinos oderant, re communicata cum nõnullis nobilibus antea ſolicitatis, populi partem ſubduxerunt, docueruntque mandatum finiri morte mandantis; proinde donec nouus Cæſar Aceſtinis auctoritate ſua id Imperium non ſtabiliat, nullum eorum ius eſſe: eadem Placentinis ſuggeſſerunt. omnia tam ſolerter acta, vt vtrunque oppidũ à veteri domino abalienatum ſit. Bonifacius & Conradus rebelles ad officium reuocaturi arma parant; dum in Parmenſes mouent, Mediolanenſes & Ticinenſes præſto ſunt, non modo circumiecti populi, qui in ditione ac fide ipſorum forent. quod reliquũ erat togatæ Galliæ impulſu regulorum, qui per vim dominabãtur, Parmenſibus opẽ fert: cum virium nõ pœniteret, ad Cuniolum Bonifaciũ operiuntur. ille manu conſerta impigre hoſtẽ fundit: ſed frater in prælio ita ſauciatur, vt Canuſſium delatus paulo poſt expiret. eodem tempore,
1025 qui fuit annus ſalutis xxv. ſupra milleſimum, Conradus II. Cæſar declaratur. is petente Bonifacio, qui egit cum Ioanne xx. de ipſo coronando, ac Pontificatu ab latrocinijs barbarorum aſſerendo, quippe parum aberat quin vrbem obſiderent, in Italiam inſtructo exercitu tranſmittit, exceptuſq; eſt a Bonifacio eximio epularum ac munerũ ſplendore; a quo pariter exercitus primores magnifice donati. dum nullum hoſpitis colendi finem facit, & de Italicarum rerum ſtatu multa prudentiſſime diſſerit, Cæſar munificentia ac virtute haud obſcura ita allicitur adiuuante etiam fauorem oris ſuauitate, vt ſoleret dicere non modo mirificam ex Bonifacij conſilio voluptatem ſe capere, ſed etiam ex aſpectu & oratione. propterea vt Parmenſes in priſtinam ditionem concederent, cum dimidia copiarum parte oppidum circumuenit, reliquos duce Bonifacio dimittit aduerſus Saracenos & Vngaros, qui interim eam Italiæ regionem, quæ patrimoniũ appellata eſt, & Hetruriam ſibi vindicabant. mox relicto ad obſidionem Azone Aceſtino ipſe eodem perrexit, domitiſq; barbaris, vt ſcribit H. Mutius Germanus, Romam ingreſſus a Pontifice diademate exornatur. inde Parmam reuerſus obſidione eam domuit. dumq; in Placentinos expeditionem parat, Mediolanenſes aduentu Cæſaris cõmoti, quod timerent ne quo aſperiore impetio inueterata ipſorũ licentia coerceretur, cum Placentinis fœdus inierunt. ita Auguſti cõſilia diſturbata, quod expeditio diuturnior opinione erat futura, & res eum Germaniæ proceribus quibuſdam tumultuantibus aſſidue domum reuocabant. vix diſceſſerat, cum Archiepiſcopus Mediolanenſis, quemadmodum teſtatur is, qui de illius oppidi origine com-

mentarium ſcripſit, magna cum Auguſti nominis cōtemptione refigi ex ædibus aquilas imperat: Bonifaciumq; calumniatur, quod Romanæ eccleſiæ protector, & Cæſaris Vicarius, ſic enim a Pontificibus & Cæſaribus appellabatur, regnum Italiæ affectet. atq; hoc nomine complura citerioris Galliæ oppida deſciſcunt. Dum hæc geruntur, Conradus Germanis pacatis per Heluetios tranſgreſſus Comum vſq; proficiſcitur: ibiq; ſuaſu Bonifacij ſubſtitit. caſtra ad oppidum collocata, in quibus & Azo fuit: inde milites excurſiones in Mediolanenſem agrum fecere, vti eorum ciuium exemplo ceteros rebelles terreret. Como portas aperiente dū Mediolanenſes oppugnat, reliqui ſupplicibus verbis præterita tributa pollicentur: atque in ſeditionis auctores grauiter animaduertunt. accepti in fidem ſunt, eoq; acrius Mediolanenſes preſſi; qui vt Cęſarem placarent, Archiepiſcopum ad colloquium emittunt nulla propter hominis dignitatem cautione interpoſita. Cæſar benigne appellatum comprehendi iubet, & captis ſuburbijs ignem inijcit. hoc rerū ſtatu forte fortuna Bruno Archiepiſcopus Colonienſis ſolenni Pentecoſtes die ſacris operabatur, cū repēte coorta horribilis procella mixta tonitruis ac fulguribus creberrimis tentoria in ſublime rapuit, ac tabernacula humi proſtrauit omnibus ingenti pauore defixis. cui prodigio quoniam Brunonis teſtimonium acceſſit aſſerentis obiectam ſibi, dum rem diuinam faceret, diui Ambroſij ſpeciem minitantis peſtē exercitui, ni continuo Antiſtitem ſibi ſuū remitterent, Cęſar qui antea Mediolanenſium preces repudiaſſet varias conditiones afferentium pro ſeſe ac fortunis ſuis, Bonifacium vt deditos reciperet, in oppidum miſit. ipſe nō prius ingreſſus, quam obſidibus acceptis, his conditionibus pacem affirmauit, vt ciues ſolita vectigalia pendere, legatos Cęſaris in poſterum agnoſcere, ſi bellum gerendum eſſet, auxilia ſubmittere Auguſtis tenerentur. initio comiter eos tractauit, quos in officio manſiſſe comperit; peruicaces ſola vultus ſeueritate caſtigauit: poſt deditionem factam: cū vrbe excederet, omnibus ex ęquo comē ac benignum ſe prębuit. Cæſari poſtmodo ad vrbem anno xxxiii. comes fuit: aduenienti 1033 occurrit Benedictus ix. plane amicus, atq; eius opes reſpiciens non ſolū quia dignitatis æmulos ſuſpectos haberet, ſed etiam quia ſacroſanctam maieſtatem aduerſus Normānorum vim ſe retinere poſſe deſperaret: qui pręter domeſticos hoſtes propinqua loca bello premebant: præſertim cum animi magnitudine ac conſilio Ioannem nulla ex parte æquaret, qui proxime Pontificatum geſſerat. Normanni Scandiam inhabitant. eius tres partes ex deſcriptione Ioannis Gotthi ſunt inter ſe nominibus diſtinctæ Gotthia, Suetia, ac Noruegia cir-

circuitu minima, ſicuti maxima Suetia. Noruegię incolæ Normanni ſunt appellati, quos, ſi nonnullis credimus, Septentrionales dicas: & planè ea regio in Boream vergit. hi in plures manus diducti, poſtremo Rhollonis auſpicijs claſsibus occidentalem oceanum peruagati perq; mediam Germaniam numeroſa pube penetrantes, multis locis Galliam inuaſerunt. porrò quemadmodum indidem egreſſa altera manus poſt varia certamina erroreſq; Italia petita togatæ Gallię ab ſe nomen impoſuit, pariter Normãni, cum Rhollo ſedes titulo Ducatus a Carolo Simplice Francorum Rege obtinuiſſet, qui eo pignore, inſuperq; nuptijs Giſilæ filię regni tẽpeſtates ſedare ſtuduit, Normanniam eam dixere. Ex Rhollone, qui ſacra aqua lotus Roberti nomen aſciuit, ortus eſt Gulielmus Normannorum Dux II. quem ſtirpis ſuę auctorem Britanni Reges produnt, & Ricardus Tãcredi pater, qui anno ſalutis DCCCC. ex Gallia in Italiam emigrans in Piceno atque Apulia magnum ſibi nomen potentiamque peperit. huius ſtirps fuit Gulielmus Ferrebachius, quem in duodecim Tancredi liberis nonnulli falso numerant: nam Tancredus eius nominis Primus quinque tantum filios genuit: alter Tancredus duos, quorum ipſe maior natu fuit. in tanta Normãnarum virium amplitudine, quæ in Calabriam vſque porrigebantur, Ferrebachius id cognominis, vt quidam ſcribunt, nactus ex lacertorum vi, id eſt virtutis ac diſciplinę militaris pręſtantia, vel robore corporis Romanum agrũ auſus eſt excurſionibus tentare, ipſi etiam vrbi minitabundus. Cæſar intelligens nequicquam ſubmotos Saracenos & Vngaros, in Apuliam mouet, vbi Normannorũ opes maxime conualuerant, vti virium, quæ pontificem male habebant, radice euulſa ſimul terroris cauſa concideret, ac in perpetuum iaceret. eodem cum Italicis legionibus ſequutus Bonifacius cum animaduerteret Germanos proceres parum ſtrenuam operam Cæſari nauare, quippe aſſidui in conuiuijs vino, quod ex agro Neapolitano generoſiſſimum ſupportabatur, ſeſe largius inuitabant, & vulgo milites morbis tentari cœperant, præſtare ratus eſt, priuſquam graue aliquod incommodum acciperetur, honeſta pace ſacroſanctæ ſedi proſpicere. ac ſanè peropportunum conſilium incidit; nam eius ſeculi anno XXXIIII. de Rodulphi Burgundiæ Regis obitu nuncius affertur. ea res quemadmodum aliàs in externorum principum motibus fieri conſueuerat, qui domeſticis diſtricti curis in ipſo ardore ab rebus Italicis abſtrahebantur, compulit Conradum reſpicere poſſeſſionem regni haud planè expeditam. ille quidem Henrico filio materno iure regnum deberi profitebatur, ceterum partem quoque vindicabat Eudo,

1034

quod

quod Conradi Rodulphi fratris filiam in matrimonio habebat: quare ea prouincia in Ducatũ & Comitatum diſtincta fuit. Cęſar itaq; toti Burgundię inhians exercitum nauibus imponit: Bonifacio dat negocium, vt pacem, de qua pro Pontificis incolumitate agebatur, cõponat. Nicæam cum veniſſet ad Eudonem contendit. mox per litteras a Bonifacio auxilium vehementer petit; qui cõpoſitis vrbanis & Apulię rebus in Italia milites conſcribit, his adiungit conductos pro prijs ſtipendijs ex Inſubribus, atque in Burgundiam pergit: vbi primum affuit, commiſſo prælio Eudo profligatur. hinc ne colligendi ſeſe ſpatium haberet, inſtat Cæſar: inde Bonifacius aliquot oppida expugnat: inter cetera magnam ei moleſtiam exhibet caſtellum natura munitiſſimum, cum diutius ibi hæſiſſet, eo tandem capto tot præſidiarijs naſum aureſq; præcidit, vt ternos clypeos compleuerit, vltus eiuſmodi facto inſignes contumelias Cæſarianis captiuis illatas. domitis Burgundionibus Bonifacius in Italiam reuertitur ampliſſimis & muneribus & priuilegijs a Cæſare decoratus. nec is modus adhibitus: Beatrix ſoror ei collocatur priore vxore iam defuncta, ac Verona totaq; illa præfectura doti dicitur, pignus familiaris amicitiæ, quæ ſuper recentem interceſſerat Ateſtinis principibus cum Auguſtis Henrico I. Othone, ac duobus itẽ eiuſdem nominis principibus, Henrico II. Auguſtis ac propinquis ipſius. primus etenim Henricus ex Mathilde Othonẽ Primum, Henricum cognomento Rixoſum Bauarię Ducem, & Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem ſuſtulit. Ex Henrico Rixoſo natus eſt Henricus Hezilo Noricorum Dux, & Bruno Saxonum Marchio: Henrici Hezilonis ſoboles fuit Henricus II. qui voluntate vxoris ab ea ſe abſtinuit, necnon Bruno Auguſtę Epiſcopus. ex primo Othone filius eiuſdem nominis & Luitgarda; ex II. Othone Tertius editi ſunt: ex Luitgarda & Conrado Franconię Duce procreatus Otho Dux, cuius filius traducta a Saxonibus ad Frãcones Auguſta dignitate fuit hic Conradus II. Beatricis pater, quę Bonifacio Ateſtino nupſit. ſic itaq; dotis nomine Verona adiecta eſt Ferrarię, Mutinę, Regio, Parmę (Placẽtini iam defecerant) Mantuę, & Lucæ, ac totius Italiæ præfecturę, quam & auus ipſius Azo geſſerat. inter hęc numerat Riccobaldus Comitatũ Longobardiæ, ſic enim vocat, quẽ quoad vixit, poſſediſſe Bonifacium idem afferit. Veronenſes Ateſtini nominis amantes ob beneficia difficilibus ipſorum temporibus accepta ab Ateſtinæ ditionis populis, quæ magna ex parte eum limitem complectebatur, & qui ab Richildæ matrimonio priuatim Bonifacium obſeruabant, magnã ex hac re lętitiam ceperunt, impetraruntq; apud ſe celebrari nuptias ob memoriam

riam Othonianarum,cum Azo reginam Adeleidam eò deduxit.An-
1040 nus a ſalute parta . MXL. poſt Conradi parentis obitum Henricum
III.Auguſtum habuit,quem ad tollendum ſchiſma in Italiam venien
tē Bonifacius ſororis vir regio apparatu Veronæ excepit,ab eoq; teſte
Riccobaldo in Henrico IIII.Tuſcię Marchio creatus,& cum illo Ro
mā profectus, Azone itidem officium præbēte, acerrimū Pontificiæ
dignitatis propugnatorē ſe præſtitit.Silueſter III.Benedictum IX.eie
cerat.is ſummo loco iterū occupato eū Gregorio VI.ceſſerat; nec pla
nè conueniebat inter populū Romanum & Cardinales,quorum no
men cultuſq; tum primum tanta maieſtate in orbis terrarum lucem
prodijt. Cæſar ne ea labes in religione diutius reſideret, coactis om-
nibus pontificatu ſe abdicare, Sindegerum Epiſopum Bambergen-
ſem, cui deinde Clementi II.nomen fuit,creandum curauit,a quo Im
perij inſulis exornatus eſt. Bonifacius cum Cęſare regreſſus iā LXX.
natus annos cultui diuino ſe dicauit, multa in religioſos elargitus,
pręſertim in Cœnobitas Pōpoſianos. cum Mantuæ habitaret, & idē
religionis ſtudiū retineret,triremem inſtrui iuſſit ſacroſanctum Ser
uatoris noſtri ſepulchrum coram adoraturus. ceterum cum inſignē
nebulonē, cuius nomen memoriæ non eſt prodendum,grauiſſimē
proſcripſiſſet,ille inter vepres delitecens ac ſpeculatus dū haud pro-
cul caſtro Martiniano ſuorum turmam pręuehitur,ſagitta venenata
eum transfixit. quo ex vulnere Bonifacius anno eius ſeculi altero, &
1052 quinquageſimo prid. Non. Maij obijt, ac Mantuæ in Epiſcopio
ſepultus fuit cum huiuſmodi elogio. HIC IACET EGREGIVS DO-
MINVS BONIFACIVS ILLVSTRIS MARCHIO, ET PATER SERENISSI-
MAE DOMINAE COMITISSAE MATHILDIS, QVI OBIIT M LII. DIE
VI. MAII.magno ſanè ſtudio princeps clariſſimus publicæ Italię quie
ti,Pontificis Auguſtiq; maieſtati tuendæ incubuit:cui arduis quidē,
ſed tamen egregijs facinoribus ſuſceptis ſæpiſſime & conſilio & ma
nu profuit; ſuperante omnem laborem tum ingenita virtute, tum
ſpe commodi ad poſteros redundaturi.Federico filio ętas immatura
paterna monita ſubtraxit,deceſſit enim impubes, ſicuti puella Bea-
trix de matris nomine vocata: vxorem ciuilibus officijs vir adeo im-
buerat, vt defuncto Federico reliquam ſtirpem Mathildem ſic nun-
cupatam ab tritauia,quæ olim Primo Othoni nupſerat,viriliter edu
carit. ea fratri ſubſtituta, ſi intra pupillarem ętatē decederet,pater-
ni hęres imperij extitit.Beatrix,donec viueret,mariti teſtamento re-
gni procuratrix & domina relicta non regnum modo ipſius fidei cō
miſſum rexit,ſed Pontificibus & fratre Cæſare fauentibus totius Ita-
lię gubernandę onus ſuſtinuit: cuius Regens ac Vicaria dicta eſt.cō-

plures regiones, quæ partim pontificij iuris vel Auguſti erant, partim ſuis legibus viuebant, in pace ocioq; continuit, atq́ue obiuit pro ut quęque ipſius præſentiam magis poſtulare videbantur. religioſiſſime cum viueret primario Lucenſium templo certos reditus attribuit; tractum illum Apennini horridum, qua iter eſt in antiquos Feroniæ lucos & Lucenſem agrum, venerabilem reddidit celebri monachorum cōuentu & cœnobio Fraxinoriano; vt in vaſta ſolitudine aliquid opis viatoribus ſuppeteret, & haberet ipſa dum in Galliā togatam Tuſciamue commearet, inter incultos montes amplum diuerſorium. Canuſij ſacras ędes auxit, ac cœnobium inſtituit: prouectaq́ue extra fines ſuos Cremonæ aliud item condidit: Leonem Pontificem Maximum, qui Damaſo ſucceſſerat, pari pietatis ſtudio & cohortata eſt & iuuit ad celebrandam Vercellenſem Synodum; in qua Berengarius Turnonius, qui Seruatorem noſtrum ineſſe euchariſtię ſpecie quadam ac tropo, non vere aſſeuerabat, errorem ſuum publice coactus eſt fateri. Leonem Victor II. eſt conſequutus anno MLVI. 1056
qui eiuſdem Beatricis hortatu ac liberalitate conciliū Florentiæ coegit; vbi complures, qui de religione minus recte ſentiebant, opiniones ſuas retractarunt. ægrotabat tum Cæſar grauiſsime perexigua vitę ſpe. itaque Beatrix de fratris filio Henrico adhuc impubere ſollicita, ne quis ei comitijs imperatorijs præferretur, a Pontifice contendit, vellet in Germaniam proficiſci, tū vt ipſos inter ſe diſſentientes proceres, atq; ab eccleſia Romana ad ſanitatem reuocaret, quod Cęſares neſcio quid iuris in Pontifice creando ſibi arrogarent; tum vt Henrico in ſupremo vitæ diſcrimine nonnihil ſolatij prębereт. haud grauate rē ſuſcepit Victor, quippe qui pręter rei honeſtatem Bauaria oriundus Germanos plurimum amaret, & magnis a Beatrice beneficijs affectus ei ſatisfacere cuperet. ita vnius ipſius opera atq; induſtria ſequenti anno Henricus IIII. Cæſar renunciatur. Eodem anno 1057
Stephano IX. ad Pontificatum euecto, quo tempore Alexius ſucceſſit Nicephoro in Oriente, Beatrix arrepta occaſione quod Gallię Ciſalpinæ populi longe plurimum ipſi tribuerent, atq; honeſtiſsima quiete fruerentur, decreuit Inſubres eccleſiæ Romanæ conciliare atque ſubijcere, qui ante annos amplius centum quinquaginta impulſu, vt nonnulli produnt, vnius Berengarij Primi ab ea defecerant, eo magis quod fructus ex duobus ſalutaribus concilijs perceptus mirabiliter omnium Italorum animos accendebat. nec prius rem omiſit, quàm eā ad exitum perduxit; Pontificemq; exorauit, vti eos conceſſa veterum erratorum venia in gratiā reciperet. Quo tēpore hæc agebantur, Azo belli artibus magno in honore fuit apud Conradum Cęſarem,

ſarem, qui ei Iuditham filiam deſpondit: itemq; apud Henricum III. ſed multo magis inclaruit quiete regno ſuo parta Italia vndique fluctuante, & Bonifacio ipſius propinquo ac finitimo & alienis & proprijs periculis haud leuiter exagitato. Nec parui æſtimatus eſt ob ingentes diuitias, quas in theſauris conditas habere fama erat: ſed biennio ante fato concedens tres liberos ex totidem coniugibus reliquit. vni Chunzę nomen fuit, quam Latini ſcriptores Chunigundam appellant, natæ ex Velſone IIII. Bauariæ Duce regulo potentiſſimo ob poſſeſſa in Ambianis, & Sueuis oppida. is egregia in Ateſtinam familiam voluntate antiquam neceſſitudinem nouo hoc vinculo arctius adſtringere voluit: ſiquidē nobiliſſimi proceres diutius in Germania verſati, ex quo tempore Acarinus & Azo Primus principum Francorum ac Boiorum filias in matrimonio habuerant, veteres affinitates coluerant, ac nouiſſime ductis Alda & Beatrice Othonis Primi & Conradi II. Cæſarum filijs renouauerant. dos fuit magnum auri pōdus: ad hoc celebris chors dicta Helſina circiter mille & trecētis culta heredijs. eam ſunt qui tradant ſecundum Padum aggere circundatam fuiſſe, quibus locis nunc extant Guardaſtallum, & Suzaria oppida. alij potius fundos cenſent nunc appendices Bononienſis agri coniunctas oppidulis Arzelatæ & Medicinæ: qui pagi haud exigui olim fuere. ita eodem ambitu includunt poſſeſſiones a Ioanne Villano deſcriptas: quæ poſtremo Mathildi obuenerunt, manētibus adhuc eius aggeris veſtigijs, vti Abbas Vrſpergenſis admonet: chors vero Helſina nomen fortaſſe traxerit ex Felſina ciuitate dein Bononia appellata, peculiari extero in ſermone primæ literæ in vicem mutatione. alterum Azoni connubiū fuit cum Iſabella Gulielmi Montisferrati Marchionis filia. poſtremo ducta Iuditha, vt diximus Conrado II. genita. hæc Azonem VI. Bertoldum, & Albertum III. ei peperit: Iſabella matris nomine caruit. Ex Chunigunda natus eſt Velfo cognomine fortis ſerie inter Germanos VI. inter Ateſtinos eius nominis Primus: qui vnus materni aui heres eo nomine Carinthiam, latos in Sueuia & vetere Rhętia fines, necnon Veronenſem præfecturam obtinuit. Enimuero vt apertius doceamus hinc trahere originē regias familias apud inferiores Saxones rerum potientes, quarum in numero ſunt Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes; & pariter conſtet, eos Germanos ab Ateſtinis ortos, non contra, haud ab re erit paulo altius exordiri. Sueui gens vetuſtiſſima, & ad bella nata introrſus Germaniæ partem habuerunt intra Danubium, Albim, Viſtulam, & Hercyniam ſiluam ac ſinum Codanum: vbi poſtea Venedi, Pomerij, Saxones, Boemi, Moraui, Boli, Luxates,

aliæq; ferociſſimæ nationes ſtatuere ſedes. multis deinde interiectis annis patrio ſolo Ilderico & Ludouico Magno Francorum regibus cedentes, appoſitas Danubio & Rheno terras occuparunt. quas ſunt qui putent olim habitatas Hermunduris, Heluetijs, Rhętis, qui vtráque Neri ripam accolunt, Hoegis, Hegandinis, Curienſibus, & vallis venuſtæ populis, ijſque, qui ſuperiora loca ad Oenum incolunt. inter hos ſucceſſerunt Boij, qui paulo minus ducentis annis Noricum & Licatios tenuerunt. quibus imperium nomenque illuſtrius peperit Theodebertus Altdorphi natus: ab illo oriundus Varinus Pipino Francorum Regi militauit. Rhotardus Varino ortus magno in honore apud Carolum Magnum fuit. ſed Velfo II. Altdorphi Comes IIII. eam familiā nō parum nobilitauit. ex eo geniti Rodulphus, Henricus, Mardus, & Iuditha: ex qua Ludouicus Pius Auguſtus Carolum Caluum ſuſcepit. Eticus quoq; Henrici filius Babonem, ſeu Bardonem aquis merſum procreauit, & Luitgardam collocatam Ludouico II. Boiorum regi filio alterius Ludouici, cui ſenex cognomētum fuit, fratris Caroli III. Auguſti, & Carolomanni Boiorum regis. Ex Henrico & Beata Hochuuarti & Andechi domina nati Cōradus Sanctus Pontifex Conſtantienſis, & Rodulphus: ex Rodulpho Velfo III. ex hoc alius patri cognominis. Hēricus IIII. ex Imiza, cui hereditatis iure obtigerat regnum Spoleti, Hetruriæ, & Sardiniæ, ſuſtulit Velfonem & Chunigundam Azoni iunctam; cui ſicuti prædiximus ex viuis erepto non licuit videre auctum poſt annos aliquot filium Velfonem VI. opulentiſſima hereditate. Velfo enim V. Dux Carinthiæ & Nortgoiæ nullis ſuperſtitibus liberis obijt anno eius ſeculi LXXII quocum Theodeberti genere prorſus extincto paternæ maternęque omnes opes ad Chunigundā peruenere. At ex Velfone ipſius filio & Iuditha prognata Balduino Flandrię Comite, quę Tōſtoni regis Angli filio ante nupſiſſet, editi ſunt Velfo VII. & Hēricus Bauarię Duces. Henricus de Vuilfilda Magni Bilingis Saxoniæ Ducis vnica filiā ex Sofia ſorore Colomanni Sclaui regis (altera Sofia Lazæ Vngarorum Regis ſoboles nulla ei ſtirpē pepererat) liberos ſuſtulit Conradū poſtea inter Cardinales cooptatum, Henricum Superbum Saxoniæ ac Bauarię Ducem, Velfonem VIII. Tuſcię Marchionem & Ducem Spoletinum, Iuditham Federico Sueuo deſponſam, ac parentem Cæſaris Federici Aenobarbi, Mathildem vxorem Gebehardi Sultzbacenſis, & Vuilfildam Rodulpho Comiti Brighentini locatā. Ex Velfone VIII. Velfo Iunior ortus eſt, iſq; ſine liberis fato functus. Henricus, qui a patre Noricum ducatū, a matre Saxoniam inferiorem accepit (etenim Magno auo materno nulla ſtirps fuit) ex Getruda vnica filia Lotharij

rij ſuperioris Saxoniæ Ducis, qui Auguſtum faſtigium tenuit, ſuſcepit Henricum Leonem Bauariæ ac Saxoniæ Ducem. is matrimoniũ iterauit, nullos ex priore connubio Clementiæ filię Ducis Zerigenſis liberos tulit, poſtmodum ex Mathilde Regis Angli filia Henricum genuit, Gulielmum, & Othonem Cæſarem eius nominis IIII. hic iterũ vxorem duxit Mariam primo Brabantini Ducis ſororem, quã po ſtea repudiauit, dein Beatricẽ Philippi Cæſaris filiã. ex neutra factus eſt parens. Gulielmus Brunſuicenſem ac Luneburgẽſem ducatũ poſſedit, quos principatus Otho ipſius filius a Cęſare Henrico VI. beneficiario iure adeptus eſt. huius ſtirps ſunt, qui ad noſtrã vſq; ętatem propagati vtrunq; ducatũ retinent Brunſuicenſes & Luneburgenſes proceres Ateſtini nihiloſecius ſanguinis. Henricus ex Clemẽtia Conradi Comitis Palatini filia duas fœminas, nullam virilem ſtirpẽ procreauit: quarum ex altera, vt ſuo loco indicabitur, in familia Vuitelſpachienſi originem traxere Comites Palatini Rheni in Norico rerum potiti ad hanc vſque ætatem; alteram Marchiones Badenſes generis auctorem ſui nuncupant. quos cognationum gradus omnino euincẽtes ab Ateſtinis principib. ſupra memoratas Germanię clariſſimas familias & paterno & materno latere tamquã e fonte manaſſe, licet intueri expreſſos, ac ſuis quaſi ramulis pendentes in ſtipite, quo Ateſtinę gentis ſeries explicata eſt: præterea & in probatorum ſcriptorum commentarijs, quibus apud orbem terrarum auctoritatem, fidemq; vetuſtas conciliauit. horum in numero ſunt Eginardus, Regino, Lambertus Scaffnaburgenſis, Monachus Herſeldenſis, Albertus Crantius, Nauclerus, conradus Lictheſtaus. Azonis, cuius in matrimonio fuit chunigunda, ſtirpem hanc cum ex alijs auctoribus, qui res Germanicas litteris mandarunt, cognoſcimus, tũ vero ex Abbate Vrſpergenſe, vbi Velſonum genus prima ab origine ad illa tempora deducit, agnoſcente hunc ipſum Italię Marchionem opulentiſſimum. quod aperte explicat Auentinus Azonem annumerans Marchionibus Ateſtinis, quos Ferrariæ Duces ætate ſua vocari affirmat. huius cognationis teſtimonijs accedit pictura in cœnobio Raitempuchenſi, quę poſteros omnes ordine quemq; ſuo ab ipſo Azone ad Othonem Primum Brunſuici & Luneburgi Ducẽ exprimit. nec ſcriptores noſtri eandem cognationem non viderunt, licet ordinem ac ſeriem alicubi ignorauerint: ſcribit enim Priſcianus fretus auctoritate octo teſtium, qui anno ſalutis MCXCIII. publice ſunt interrogati, ex iſto Azone genitum Velſonem, ex Velſone Henricum alterius Henrici Saxonum & Velſonis Spoletinorum Ducum parentẽ. Areoſtus quoque dum Ateſtinos recenſet, vnius atque alterius Henrici pa

tris & filij, totidem Velſonum meminit, canens indidem ottos Au-
guſtos, tametſi Boiardi commentum vulgo pro vero receptum poe-
tarum more ſequutus aliud genti initium affingat. ſed eiuſmodi fa-
milias Germanorum procerum & inſigniores, quotquot ab Roma-
nis ad hæc vſque tempora floruerunt, ab Alexandro Sardo depictas,
& accurate expoſitas cum breui rerum geſtarum indice Alfonſus
II. qui hoc ei mandauit, inter reliqua ampliſſimi muſęi decora dica-
uit. Reliquum eſt demonſtremus, quonam pacto Velſonum impe-
rium ad Ateſtinos tranſiuerit ob hereditates Velſoni vi. delatas. Vel-
ſo eius nominis v. haud ſatis ęquus Ateſtino Marchioni ſororis ſuæ
viro, quod ſibi opem non tuliſſet aduerſus Conradum ii. & Henri-
cum iii. quibus perpetuo atque conſtanter Marchio adhæſit, nec
Velſonem nepotem ad ſe tranſmiſiſſet, cum Cæſare in gratiam re-
dijt, & cum ſupremus vitæ dies inſtaret, teſtamento eum heredem
nuncupauit & ditionis ſuæ, & fundorum innumerabilium, quos
omnibus regni ſui templis diſtribui iuſſit. quod teſtamentum Imiza
ipſius mater oppugnauit, euocatumq; ad ſe Velſonem ex filia nepo-
tem, ex aſſe eum heredem ſcripſit. Henrico iiii. Cæſare declarato cũ
eo expoſtulat de filij iniquitate, quod præ ira quem ius faſque eſſet
in regnum ſuccedere, eum expertem feciſſet. auiæ querelam grauiſ-
ſimis verbis in gratiam fratris ſubſequuti ſunt Albertus Pontifex
Amburgenſis, quem tradit Crantius regni negotia obiuiſſe, & Azo
vi. poſt patrem Marchionem rerum potitus, quorum cum eſſet ma-
gna auctoritas magnęq; opes, & plurimi inter Germanos Italoſque
proceres fierent, quidquid Velſo v. ei abſtulerat, facile recuperauit. Ita
obuenere in Licatijs. Amergum, Landſperga, monaſteriũ Altenſe,
Raiptemburgũ, ac Stutgartum, in Nerictijs Abudiacum, Scongauũ,
Rauenſpurgum, & Altdorphum. Mox vt Bauariæ ducatum ip-
ſe adeptus fuerit, nepos vero Saxonicum, qua de re nonnihil ſupra
attigimus, ordine ſuis locis oſtendemus. magnis itaq; dignitatis or-
namentis atq; opibus in Italia potens pollenſq; ſtirps Ateſtina non
minora imperia in Germania cum feliciſſimis maioris amplitudi-
nis auſpicijs poſſidebat.

FINIS PRIMI LIBRI.

ARGVMENTVM
Secundi Libri.

SECVNDO libro continentur Mathildis matrimonium cum Gottifredo Gibbero. viri genus. Henrici IIII. contentiones cum ſancta ſede: Mathildis ſingulare ſtudium in ea protegenda, pacificatio Henricum inter & Pontificem, Noricum Velſoni VI. conceſſum. Fœdus in Germania atque Italia percuſſum opera Procerum Ateſtinorum pro Pontificis ſalute, cui Henricus & Pſeudopontifex imminebant: vnde reſtituta auctoritas Eccleſiæ deinceps ſtetit. alterum quoque Mathildis matrimonium cum Azone V. contractum, poſt diremptum ob arctiſſ. cognationem, necnon tertium cum Velſone VII. ſacrumq́; bellum aduerſus impios decretum hortatu ipſius Mathildis, vtque Henricus ſeſe imperio abdicauerit. Ad hæc Henrici V. cum Mathilde pax, & eius obitus. Auguſta Maieſtas Lothario II. Henrico VIII. parta vtraque Saxonia; mox diſcordia inter Lotharium & Federicum Sueuum orta, bellumq́; ab Henrico eidem Sueuo illatum recenſentur. Præterea Lotharius in Italiam accedit. Henricus Hetruſcã Tetrarchiã iuris ditionisq́; ſuę agnoſcit. Conradum armis laceſſit. Norico ſpoliatur. Velſo VIII. cum Lupoldo Auſtriaco belligerat. in Syriam proficiſcitur. Conrado vita functo Henricus IX. Noricum recipit. Federicus Ænobarbus Gallos Ciſalpinos & Pontificem vexat. Rainaldus Rhodigium capit. ad Carcanum Federicum acie profligat. Comitem Toingenſem, qui defecerat, armis ad officium reuocat Velſo. Hic Guelfæ & Gibellinę factionum nomina primum audita. Mediolano diruto Alexandria conditur, obſideturq́;. Ex Cæſarianis caſtris diſcedit Henricus. Federicus cum Pontifice in gratiam redit. Henricus Saxonia & Norico euertitur. Oppida Brunſuicum & Luneburgum Henrico, Inſubrum & Ligurum Præfectura Azoni VI. tribuuntur. Federicus in Syria ſupremum diem obit. Normannę ſtirpis interitus notatur, quoque modo Hen-

ricus

ricus V I. Auguſtus vtriuſque Siciliæ regnum, Henricus X. Palatini dignitatem ſuerint adepti. Adde quod Ezelinus cognomento Monachus & Azo V I I I. bello contendunt. Azo a Ferrarienſibus recipitur: eam ob cauſam Salinguerra & Ezelinus conſpirant. Otho I I I I. Cæſar renunciatur. Azo Picenum obtinet, eandem prouinciam tuetur Aldrouandinus I I. aduerſus Gliterni Comites. Azo & Ezelinus inter ſe, Federicus cum Pontifice armis concertat. Jn Federicum Germania, Ciſalpina Gallia in Salinguerram coniurant, qui victus in cuſtodiam traditur. Azo I X. a Ferrarienſibus rerum omnium poteſtate collata Princeps declaratur. Narratio a deſcriptione amplitudinis & opum Mathildis progreſſa ad Ferrarienſe Jmperium ſolidè vereq; tum demum familiæ Ateſtinæ partum clauditur ſpatio C L X X X V. annorum a M L V I I. ad M CC XLII.

IO. BAPTISTAE PIGNAE
De Principibus Ateſtinis
AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM, HISTORIARVM
LIBER SECVNDVS.

DVM noua ſtirpi ſuæ amplitudine apud Germanos conciliata Velfo ijs de rebus cum Cęſare agit, alij eiuſdem gentis Proceres, quorũ in dies magis magisq́ue in Italia opes florebant, eo ardentius pro ſacroſancta ſede propugnabant, quo illam maior neceſſitas premebat. quippe Azo, cuius iam meminimus, ac Bertoldus frater huic negocio pari ſtudio inuigilabant, ſimulq; Mathildis tantæ iam exiſtimationis fœmina, vt eius Comitis nomen, quod per ſe illam modo abſolute indicabat, atque in omnium ore erat, non minoris fieret, quàm ſi ipſa, quemadmodum poſtea apparebit, non tantum Italiæ regina fuiſſet, ſed etiam regis partes ſuſtinuiſſet. nupſerat Beatrix proximo poſt Bonifacij Ateſtini mariti obitũ anno Gottifredo Gozeloni Lotharingię Duci; Mathildem filiam Gottifredo Gibbero priuigno collocarat. is a Martino Comitis ſcriba non diſerte exprimitur in cõmentario, quẽ de ipſius vita cõſcripſit, & nos ſequimur; ſed Baptiſta Panætius & nonnulli alij tradunt illum a Rache Longobardorum rege, cuius tres proximi recenſentur poſteri Arathus, Grimoaldus & Sicco Beneuẽti Duces, originem trahere. horum poſtremus liberis Rachiſio & Sibernulpho imperiũ æquis partibus tribuit tetrarchiæ Salernitanæ & Capuanæ nomine diſtinctum. Sibernulphus Audaliſium Beneuenti Ducem procreat: ex quo tres ordine Principes idem regnum tenuerũt Landulphus, Almericus, & Gottifredus eius, cui Mathildis iuncta eſt, pater. ſed quando Lambertus

grauis in primis auctor illis temporibus æqualis eum Lotharingum prodit, aſſeritq; matrem & filiam in eandem domum duobus Gottifredis denupſiſſe, idemq; affirmat Ricardus Vuaſſeburgius, res eſt extra controuerſiam; erit ille ſoboles Gottifredi Arduennenſis Lotharingiæ Ducis Nancij & Bergæ Comite prognati. qui Lotharingiæ ſuperiorem partem Gozeloni, inferiorem Gottifredo filijs attribuit. Ex Gozelone ortus Federicus monachus, cui poſtea ad Pontificatum euecto Stephani Noni nomē fuit, & Gottifredus Gozelo, cuius filius Gottifredus cognomento Gibber. his vt diximus, mater & filia matrimonio iunctæ. quis autem & vnde natus Gottifredus incertum atque obſcurum eſt, quoniam patre adhuc ſuperſtite appellatus eſt non Lotharingiæ, ſed Ferrariæ Dux vxoris iure. propterea cum Italicæ ſtirpis ac nobiliſsimus haberetur; eum a Longobardis omnino ducere originem putarunt, quorum ſanguinis claritatem late fuſam ſoli ad eam diem Beneuentani Duces retinuerant. Spoletum, Picenum, atque Vmbriam dotis nomine a ſocru accepit eas regiones nacta Henrici III. fratris ſui liberalitate. Nec fieri poteſt, vt Mathildis ante in matrimonium data fuerit Drogoni Normanno Apuliæ Dynaſtæ. errat enim Platina in eorum Principum ſerie explicanda, falſumq; eſt, vt docet Felinus in commentario de illorum origine, Gulielmum Ferrebachium & Drogonem Tancredo natos, alterumq; in præmortui fratris opes ſucceſſiſſe. Normanni quinque Tancredi nomine a ſcriptoribus referuntur, priores duo Apuliæ Principes, poſtremus Rex vtriuſq; Siciliæ; reliqui alter Comes Altauillæ, alter Tiberiadis & Antiochiæ Tetrarcha, omnes ab Normanno Duce oriundi. Drogo primi Tancredi, Ferrebachius ſecundi fuere filij, qui haud minus annis centum inter ſe diſtant. itaque Drogo multo ante quam Mathildis naſceretur, mortē obierat. quin illa cum Normannis graues inimicitias exercuit. etenim Robertus cognomento Viſcardus Comitis Altauillæ filius audacia ac fortitudine magnis opibus comparatis eo proceſſerat, vt non obſcure ad regnum Italiæ aſpiraret. faciebat animos Cæſaris ætas adhuc rebus gerendis immatura, & Hagnes matris tutela, cuius pater Gulielmus Pictonum Comes; tum incitabat Nicolaus populo Romano parum venerabilis: nec plane inter Eccleſiam & Imperium conueniebat ob Pontificia comitia. proinde etſi late edomita armis Apulia & Calabria ab Romanis finibus non abſtinebat, plus tamen apud Nicolaū valuit iracundia in beneficiarios Proceres ob eorum cōtumaciam, quam vllæ Viſcardi iniuriæ. hinc cœpit animo agitare, ſi quo pacto congredi cum eo atque amicitiam iungere poſſet; vti

tali

tali præſidio munitior aduerſariorum ferociam reprimeret. breui
1060 in colloquium deuentum anno MLX. nec deſtitit hortari Pontifex
vellet parta ijs in locis ſua maiorumq́; virtute iuſto titulo poſſidere;
eam maxime tutam rationem parandi ſtabiles opes, ſuamq́ue ad id
operam & auxilium prolixe eſt pollicitus. accipit Normanus conditionem,
tabuliſq́; in eam rem confectis a Pontifice Dux Apuliæ ſolenni
ritu omnium princeps declaratur inauguraturq́;. ceterum auctus
etiam Eccleſiaſtici Vicarij dignitate multo quàm antea inflatior
ad dotales Gottifredi dominatus animum adiecit. haud magni
negocij res viſa ijs potiri coniunctis Pontificijs ſuiſq́ue viribus.
Mathildis minime animum deſpondens matre auxilium ſubmittente,
& cōſcripto exercitu ex ſocijs Hetruriæ ciuitatibus ſeſe ad vim
propulſandam inſtruxit: adortaq́ue Robertum in Vmbria eum fugauit,
regni aditus communiuit, præſidia locis opportunis diſpoſuit.
haud ſecius Roberti nomē formidoloſum eſſe. peruaſerat iam
in Germaniam, motiq́ue Cęſaris adoleſcentiæ rectores aſſidue inſtare,
vti communicatis cum Pontifice conſilijs Normanorum opes
contunderentur, quorum nefaria arma Romanæ vrbi perniciem
minentur, non modo complures regiones, quæ Pontificiarum partium
erant, miſere oppreſſerint. pariter ſunt deteſtati tantum iuris
in tanto munere, quod longe ſupra muliebrem captum vireſq́; foret,
conceſſum Beatrici & Mathildi; & Giberto cuidam Parmenſi
homini confidenti negotium dederunt, qui ſeſe huiuſmodi procurationi
immiſcens breui Italicarum rerum arbitrium atque adminiſtrationem
fœminis extorqueret. Hagne pro egregia in vtranque
voluntate filium nequidquam monuit, quod auguſta maieſtate
polleret, vnius Beatricis materteræ artibus habendam gratiam; propterea
ne peſſimis conſultoribus aures præberet. Gibertus Romam
miſſus etſi nihil profeciſſet, ſubſtitit tamen retentus Pontificis morte,
1062 quæ incidit in annnum alterum & ſexageſimum illius ſeculi. Anſelmus
Mediolanenſis ſumpto Alexandri II. nomine ſuffectus eſt.
continuo Parmēſis Cæſarem certiorem fecit agi ea in re de ipſius dignitate:
quandoquidem Romani ſacerdotes nullas Auguſti partes
agnoſcerent in Pontifice creando. perducti in ſententiam aliquot
ciſalpini Epiſcopi, vnaq́; in Germaniam profecti, vbi frequētiſſimo
aliorum patrum conuentu Baſileæ habito vſque eo adnixus eſt, dum
Cadalous Antiſtes Parmenſis Pontifex renuntiaretur. reuertens in
Italiam, cum omnes reguli exceptis Ateſtinis vel palam Pſeudopontifici
ſtuderent, vel minime aduerſarentur, Alexandro exacto, qui ad
Lucenſes, quorū Epiſcopus fuerat, ſe recepit; omnia eius acta reſcin-

L 2 denda

denda curauit. ſacram vterque Pontifex iuriſdictionem in Mathildis ditione obtinuerat, peruetus ei cum vtroque amicitia intercedebat, prætulit tamē iuſti Pontificis cauſam, datoq; negotio viro Gottifredo, vt copias Spoleti cōtraheret, Parmā contendit: ibi Cadalous remanſerat nondum auſus Romam petere; eiq; Comes finibus ſuis interdixit. interim Gottifredus Lucam cum exercitu profectus Alexandrum ad vrbem deductum ſacro in ſolio collocauerat. tali rerum ſtatu etſi permulti vt antea exitum operirentur, multi a Pſeudopontifice ſtarent, nemo ab Alexandro, haud tamen inflammatus Mathildis animus in tuendo vero Pontifice refrixit. Gibertus & ipſe Mutinam inter & Bononiam per agrum Florentinum ad Vaticanū peruenerat; & in loco, qui Neronis circus antiquis fuit, caſtra poſuerat. Gottifredus relicto Alexandro in Creſcentij arce ſeſe communiebat, expectabatq; vxorem, quæ valido ex Longobardia & Tuſcia coacto exercitu per Piſanos fines Senas proceſſerat, atque ibi maiores in dies vires colligebat. Mathilde appropinquante Gottifredus eruptionem fecit, Gibertumque veritum ne ab tergo intercluderetur, in fugam cōiecit: qui poſtmodum Normanorum auxilijs & Cadaloi pecunia, qua maxime abundaſſe perhibetur, copias reparauit, conſilioq; habito cum aliquot Romanis in vrbem Leoninam peruaſit (erat hæc vrbis pars cis Tiberim circa Vaticanū a Leone IIII. pro munimento ſanctæ ſedis operibus egregie firmata, ac de ipſius nomine appellata) nec Pontificis modo ædes, ſed etiā Diui Petri tēplum diripuit. Mathildis, quę Giberto pulſo, ac proinde nullo itineris operæpretio ſubſtiterat; neque vnquam iudicaſſet fore, vt eo modo proderetur Alexander, cui maxime populus Romanus fauere videbatur; fruſtrata opinione ſua maritum fecit certiorem paratus intentuſq; eſſet, decreuiſſe die cōſtituta vrbem Leoninam adoriri. non ſuſtinuere vim vtriuſque exercitus ciues. Cadalous ab ſuis deſertus dum pontem Miluium, qui iam hoſtium præſidio tenebatur, tranſire conatur, a Cincio Stephani Præfecti vrbi filio comprehenſus in arcem Creſcentij conijcitur, ibique certam pecuniæ ſummam pro ſalute paciſci cogitur. Interea Gibertus in Germaniam accurrerat, coramq; Cęſarem quo in ſtatu res Romana eſſet, docuerat, haud diſſimulans vnius fœminæ opera totam Italiam miſceri. orationi nonnihil detrahebat, quod Mathildi ſubiratus videretur: proinde legato Romam Hannone Antiſtite Colonienſi litteræ ad Beatricem & filiā datæ. ad Vrbem cum veniſſet vocatis Patribus & adhibitis cum Gottifredo mulieribus Cæſaris mandata edidit: quæ vix quidquam aliud continebant, quàm vehemētem expoſtulationem,

quod

quod in Pōtificijs comitijs nulla ipſius ratio haberetur. excepit Hildebrandus procancellarius, adeoque hominem argumentis permouit, vt ad pedes Alexandri procumbens ſatis ſibi factum eſſe aſſereret; rogaretq; proficiſceretur vna in Germaniam, quo auctore de celebranda ſynodo conſilium iniretur, vt omnis tandem controuerſia inter Pontificem & Auguſtū tolleretur. Pontifex Hildebrandum delegit, egitq; cum Mathilde ſuum & ipſa oratorem eo mitteret. Auguſtus a Legatis conuentus in Italiam venit, ac Mantuæ regio cultu a Beatrice & Mathilde exceptus eſt; quæ cum magno equitatu fermè militari Alexandrum compluresq́; ſacerdotes eodem deduxerūt. eo in conuentu Cęſar cum Pontifice in gratiam redijt: Cadalous & Gibertus ignominia notati; ille quod ambitu Pontificatum occupaſſet, hic quod ſeditiones excitaret, & falſis criminibus apud Cæſarem innocentibus periculum crearet. attamen Auguſti precibus datum, vt Cadalous Parmenſi ſacerdotio frueretur; Gibertus prauo in Repub. Chriſtiana exemplo, maioreq́ue in poſterum detrimento Archiepiſcopus Rauennæ deſignatus. Beatrix ac Mathildis multis magniſq́ue officijs Cæſarem quoad Mantuæ fuit proſequutæ ſunt, coramq́ue eo ſtatuerunt propinquos ſuos Marchiones Azonem V. Aldrouandino Hugonis III. filio procreatum, & alterum Azonem, quos ſupra memorauimus; additus eſt Bertoldus, qui Auguſto in Italiam deſcendenti obuiā proceſſerat. nobilitatis & virtutis ergo, tum arctiſſima cognatione mulieribus coniunctus Cæſar Italicarum rerum adminiſtrationem eis mandatam ratam habuit, ſuaq́; auctoritate confirmauit: iuſſitq́; vtraque Venetiæ Marchionis titulo pręeſſe. Dum quies ab armis fuit, Robertus Apuliæ Dux Campanorum animos clam tentauit nihil auſus aperta vi, priuſquam Henricus in Germaniam reuertiſſet: tum vero gentem ab Eccleſiæ obſequio palàm auertit. ſed Mathilde cum validis copijs ſuperueniente pręſidia aliquot oppidis impoſuit; quæ ſunt ab illis expugnata, paxq́; & otiū Pontifici reſtitutum: ipſe in Saracenos duxit per occaſionem Campani tumultus Calabriam premētes. Cum haud dubius Pontifex eſ-
1066 ſet Alexander, Beatrix anno ſexto & ſexageſimo ſupra milleſimum parto longe clariſſimo nomine vitam cum morte commutauit. Alexander itidem quod æui reliquum erat placide tranſacto mortem
1074 obijt. Anno LXXIIII. ſuffectus eſt Hildebrandus acerrimus eccleſiaſticæ libertatis defenſor. quem credibile eſt, quoniam Gregorius VI. vt ſcribit Gibertus, rem Romanam ſuperiorum Pontificum negligentia collapſam in veterem ſplendorem reſtituere enixe ſtuduiſſet, Gregorij VII. nomen ſumpſiſſe. nocte, quam Natalis Dei noſtri conſequi-

ſequitur,dum ſacris operaretur ad Mariæ, cui maiori nomen eſt, & ſacratiſſimum Panem frangeret,ab eodem Cincio, qui Pſeudopontifici manus iniecerat, correptus in eandem cuſtodiam, vnde ſe ille auro redemerat, detruditur. ſcelus patratum eſt auctore atque impulſore Giberto Archiepiſcopo Rauennæ, qui Cæſaris auctoritate abuti ſolitus,& eo nomine indignus verebatur,ne ſi conciliũ ab Gregorio indictũ celebraretur, ſede excideret. Mathildis copias in Vrbẽ Leoninam miſerat, quæ religioſis viris ad ſynodum conuenientibus præſidio forent;aliaſq́ue ad capti Pontificis nuntium coactas ſecum rapiens omnibus coniunctis turrim Pontificis carcerem adorra expugnauit; & quod Cincius ipſe clàm aufugerat, quicunque in manus venere, ijs ignominiæ cauſa præcidi nares imperauit. Gregorius in libertatem reſtitutus paulo poſt Cæſari Imperium abrogauit: eundem,cum ſacerdotia opimiora conferret,atque pro libidine adiudicaret nequidquam monuerat & litteris & Adalberone Archiepiſcopo Moguntino coràm interdicente, ac ni incœpto deſiſteret, ſeſe eum diris execraturum interminatus fuerat. quod cum tandem fuiſſet executus per epiſtolas admonuit Proceres,quorũ ſuffragijs Auguſtus creatur, pari inuidia ipſos deflagraturos, & ſuo iure deceſſuros,ni confeſtim alium Cæſarẽ declararẽt, ſolutis interim ſacramẽto ac tributo,quod Henrico pendi aperte interdicebat,Imperij beneficiarijs.Germani Proceres vt Pontificis iracundia leniretur,a Mathilde contenderunt,vellet huic negocio auctoritatem ſuam interponere;ſimul cum Henrico egere, induceret in animum ſacroſanctæ poteſtati debitum honorem reuerenter impertire:In hanc rem Archiepiſcopus Treuirum Romam miſſus; Pontifici renuntiatũ non prius controuerſias ſublatum iri, quàm ipſe in Germaniam profectus in gratiam ſacerdotum eius prouinciæ ſynodum haberet. renuit Pontifex multis de cauſis arbitratus ęquius eſſe Henricum prius Romam venire:tum de ceteris agendum. attamẽ Mathildis precibus de ſententia deceſſit;quæ non modo ſe ſuaſq́ue opes ei obtulit,ſed conſilia communicaturos vtrũque Azonem& Bertoldum propinquos ſuos recepit,& Velfonẽ eadem ſtirpe genitum:qui quinquennio ante Imperijs Germanicis Cęſaris liberalitate,quoad tamẽ viueret, adiecerat Noricum ademptum Othoni Saxoni, quem aduerſus ſe conſpiraſſe publice teſtatus fuerat.Velfo enim eodem anno,qui fuit LXXV. metu 1075
Pontificiæ ſimultatis fœdus percuſſerat cum Sigifredo Hermanno, Alberto Gebardo Sueuo, & cum Epiſcopis Metenſi, Vangionum, Saltzburgenſi,Gulielmo Abbate Inderſdorfi, & Altmanno Saxone; quibus accedebat Archiepiſcopus Moguntinus,qui ob eam ſocietatem

tem vnus e Septemuiris a Pontefice ſtabat. traduxerat ergo totum Ateſtinum nomen, Italiam ac Germaniam ad Pontificis dignitatem tuendam; quando & Thedaldi progenies ab II. Azone propagata, & poſteri item Hugonis, necnon Azonis IIII. ſtirps bifariam diſtincta, prout pars in Italia deſederat, pars in Germaniam commigrarat, ſumma ope nitebantur & ſuis & ſociorum viribus veterem
1076 Pontificis maieſtatem intactam illibatamque præſtare. Inſequenti anno Pontifex pergit Auguſtam Vindelicorum a Mathilde editam, & ab Germanis ſuffragatoribus probatam. Hēricus porro anteuerſurus contra tendit; quamquam Antiſtes Vercellenſis Pontifici ſuſpicionem inieciſſet, quod ſibi exploratum diceret, aliquot nobiles Germanos ſtatuiſſe de via paululum declinantes ad capiendam Vrbem cōtendere. Mathildis tuta omnia affirmabat. Haud ſecius Gregorius comperto cum inſtructis copijs Henricum omiſſis a Velſone inſeſſis ſaltibus per Burgundiam & Allobroges aduentare, cum Galliam Ciſalpinam attigiſſet, ſubſtitit; petijtq; a Mathilde, duceret ſe in aliquem ditionis ſuæ munitum locū, ibi deinde ageretur de congreſſu. Canuſſium caſtrū ea tempeſtate ſitu inexpugnabile petitum: & Henricus vltro citroq; commeante Treuirū Epiſcopo equitatum ac peditatum, qui ponè ſequebatur, Veronam remiſit. Caſtrum Pontificem certumque eius comitatum, atque itidem Henricum cœpit: nec quia Ateſtini Proceres, ingens Germanorum ſacerdotum numerus, Amadeus Allobrogum Comes, tum ex omni propè Italia legati eo conueniſſent, loci anguſtia quidquam laboratum eſt. quanquam enim ſummo in colle planities, quæ arcem ſuſtinet, minus in circuitu pateret, tamen quod Mathildis (& hæc cauſa cur abſolute, vt diximus, Sereniſſima Comes ſit appellata) plurimum ibi moraretur, frequentibus ad radices vicis tectiſq; locus creuerat; licet in præſentia eiuſmodi ædificijs dirutis, & humo ſuccreſcente vix vnici propugnaculi fundamenta haud procul cernantur. Anno eius ſeculi
1077 LXXVII. v. Cal. Febr. Henricus cum Pontifice in gratiā redijt: qua de re haud perinde inter auctores conuenit, prout quiſq; in hanc vel illam partem inclinat. ſed Lambertus, qui vixit illis temporibus, multa de Pontificis conſtantia & Auguſti humilitate commemorat. illud plane conſtat, Cæſari non prius id conceſſum, quam Mathilde, Azone Marchione & Vgone Cluniacenſe Abbate internuncijs recepiſſet, filium ſeſe atque in poteſtate ſacroſanctę ſedis futurū, neq; prohibiturum quo minus illa Caroli Magni, Ludouici Pij, trium Othonū, Henrici II. ac III. parentis ipſius beneficijs frueretur: deniq; Pontificijs comitijs ac ceteris talibus in poſterum temperaturum.

qui-

quinimo ſunt qui ſcribant eadem die huiuſmodi conditiones omnes ſingulari decreto comprehẽſas fuiſſe:relictumque Mathildi Lotharingiæ Ducatum, quem ei vir hoc ipſo anno ſine liberis ibidem fato functus teſtamento legauiſſet. Cæſar vbi de Gregorij manu Euchariſtię hoſtiam ſumpſiſſet,atq; ab Mathilde magnifice cultus fuiſſet Regium deceſſit. ibi Gibertum Archiepiſcopum Rauennæ,Epiſcopos Cremonenſem,Mutinenſem,& Bononienſem offendit: irritatuſq́ue ab eodem Archiepiſcopo, qui cupidine Pontificatus Antiſtites,quos modo memorauimus,ſubornauerat,ſe ipſum qui indigna maieſtate ſua fecerit,incuſat;vehementer de conſultoribus conqueritur,eoq́; tandem prorumpit,vt exercitum Verona accire,Pontificem ac Mathildem de repente opprimere conſtituat. at Gibertus exiguas vires, intutam rei per cupiditatem gerendæ ſpem cauſſatus alia Pontificem capiendum edocet. ex eius ſententia conſilium Brixinam,quod eſt Bauariæ oppidum, indicitur: res tanto artificio adminiſtratur,vt communi conſenſu litteræ ac legati quoquouerſus confeſtim ea de re ad profanos Principes ſacriſq́; initiatos homines mittantur. at fraus quanquam occulta Mathildem non fefellit:ſenſit illa nihil aliud quæri,quàm vt redemptis ante ſuffragiis Gregorius dignitate exueretur;vel ſaltem aliquo compulſus arbitrio victoris leges acciperet. hunc fructum prauus miniſter,cuius etiam res agebatur, peperit calumnijs & mendacijs Cæſaris aures obruens. omnes quidem in vniuerſum errare ac decipi cum perniciosum & fœdum eſſe hinc colligimus,& alia eiuſmodi indicant;tum in viro principe periculoſum in primis aberrare a veritate; eoque magis, quo latius imperat. nam & quies exulat, & religio flagitioſe contaminatur, totæ denique prouinciæ funditus euertuntur. proinde Cęſar de Archiepiſcopi conſilio domum reuertitur quamprimum tranſmiſſurus in Italiã cum ingentibus copijs,quando ante adductæ nulli vſui fuerant; vti Pontificem ſuarum partium Romanis daret. Saxones & ipſi huius rei admoniti cõſilia contulerunt cũ Sigifredo Metropolitano, Adalberone Epiſcopo Vuttẽburgẽſi, Velſone Norici, Bertoldo Charintiæ Ducibus, & alijs Proceribus,maxime autem cum Bernardo Romanæ Eccleſiæ Cardinale, Bernardo Abbate Maſſilienſi, & Chriſtiano Theologo Pontificis internũcijs. conuẽtu ad Forcheim habito in finibus Franconiæ & Norici inter Norimbergam & Bambergam Cæſarem declararunt Rodulphum Rhiueldenſem Reinfelti Comitem & Sueuiæ ac Burgundiæ Ducem. Ei Pontifex coronam miſit huiuſmodi verſiculo inſcriptam. Petra dedit Petro,Petrus diadema Rodulpho. quamobrem de Imperio ſæpe inter ſe infeſtis ſi-

gnis

gnis certarunt. Velſo ſentiens ſe Henrico inuiſum tum quia conſpiraſſet cum Proceribus, qui religionis ergo ab eo deſciuerant, tum quia in eadem forent cauſa propinqui ipſius Principes Itali quemadmodum probabili de cauſa primum a Cęſare diſceſſerat, ita deinde domeſtico periculo coactus in illum arma ſumpſit. Cęſar magnā eam Rodulphi virium acceſſionem intelligens æmulum facile occa-
1078 ſurum putauit, ſi prius Velſonem euertiſſet. itaque inſequenti anno Neoburgi obſeſſum oppidanis deditionem facientibus cępit, atq; in cuſtodia Vuiſſeburgi habuit. at ille re cum nonnullis amicis & quidem apud Henricum gratioſis compoſita clam elapſus, atq; improuiſo Auguſtam adortus albeſcente cęlo vi expugnat, captum Sigifredum Præſulem diligentiſſime aſſeruari iubet. Friſingam itidem Vindelicorum oppidum cum in ditionem redegiſſet, plura molieba tur, ni Cæſar iterum communione piorum a Gregorio ſummotus contumelia ſtimulante Gibertum Archiepiſcopum Rauennæ, cui Clementi nomen fuit, Pontificem renunciaſſet. eius precibus anno
1080 ſalutis MLXXX. cum Auguſtam copias admouiſſet, intra mēſem oppido potitur: ac ſub idem ferè tempus Rodulphum prælio ſuperat. qui ſexto poſt menſe quā potuit maximo coacto exercitu, vt incommodum paulo ante acceptum reſarciret, iterū male pugnat; ſed longe deteriore fortuna, quia grauiter conuulneratus in diebus paucis obijt, ac Martianopoli ſepultus eſt. Henricus victor nouis tumultibus aliò diſtractus nec bellum proſequutus eſt, nec pacem cum Velſone fecit. interim Pontifici, qui aliquādiu Canuſſij ſe continuerat, Mathildis ad vrbem comes fuit: inde domum reuerſa animo prouidens quanto impetu Henricus in Italiā irrupturus eſſet, Mantuam ac Ferrariam communire cœpit; arbitrata fore, vt ad vtrunque oppidum loci opportunitate firmiſſimum omnis Henrici vis langueſceret, priuſquam Pontifici negocium faceſſeret. opportune quoq; vti res ſuas firmius conſtabiliret, de nuptijs cogitauit, ne deeſſet qui alacriter in partem laboris ſuccederet. quippe audierat ab Henrico in conuentu Vuormaciēſi imperium Lotharingiæ, rerumq; Italicarum procurationem, ac Marchionis dignitatem ſibi abrogatam: illum præterea minitabundum dictitaſſe erepturū ſe illi togatæ Galliæ, Piceni, Vmbriæ, & Hetruriæ ditionem; & ne diutius munia virilia tāta impudentia fœdaret, pro gladio & haſta coacturum ſe inter Auguſtæ ancillas acum & colum ſua tela ſumere. nupſit itaque Azoni IIII. Marchioni Ateſtino æquali ſuo homini prudentia ac rei militaris ſcientia præſtanti, quod in tuenda ſacroſanctæ ſedis maieſtate conſilio & manu ſæpe declarauerat: licet coniunctis cum Ma-

M thilde

thilde viribus eius dumtaxat nomen,cuius auſpicijs res gerebantur, celebraretur. cum Viſcardo quoque Apuliæ Duce in gratiam redijt, eumque Pontifici conciliauit,quo ſi opus eſſet e propinquo Romam aduolaret. vtilitas autem a Mathilde propoſita Normanum inprimis mouit; ſiquidem apparebat, ſi Germanus vrbe potiretur,nunquam neque ſumptu neq; metu ipſum vacuum fore. Ceterum Henricus aucto iam exercitu & præmiſſis Brixinam ſuarum partium Epiſcopis anno eius ſeculi LXXXI. in Italiam profectus Nouicomi ſub- 1081
ſtitit. inde ad conciliabulum accedens ſuum de Clemente iudicium ratum haberi confirmarique imperauit. Azo cum ſuarum & vxoris copiarum parte ad Parmam, qua Padum ſpectat, caſtra facit:fretuſq; oppido,quod firmo præſidio tenebat, in ſpem venit ſi ſe Henricus eo conuertat, quemadmodum ferebatur, aliquam ſibi victoriæ occaſionem datum iri. at ille ſicuti Mantua & Ferraria abſtinuit, quo ſe iturum ante iactauerat, ita Azonis congreſſum deuitauit id modo ſtudens Pſeudopõtificem Romam deductum in ſolio collocare. tranſgreſſus in agrum Regienſem magnis itineribus militari via ad vrbem contendit: introductuſq; a populo,qui ſi reſiſteret direptionem metuebat, vrbem Leoninam eſt ingreſſus. ibi parentem Henricum imitatus, qui de manu alterius Clementis coronatus fuerat, ab ſuo adulterino Pontifice Imperatoria ornamenta accepit. Profugerat Gregorius in arcem Creſcentij: ibi priuſquam arctius circumuallaretur, Viſcardum expectabat, quo appropinquante & nuncijs allatis de Marchionis & Mathildis apparatu hoſtis retro ceſſit, ac palam gloriatus eſt Henricus hoc vno ſe contentum, mox in Germaniam cum Clemente rediturum eſſe. Romani autem veriti ne hoſtium loco a Gregorio haberentur plecterenturque, aduerſus Apulum arma expediũt,ne qua Pontifex elabatur, arcem obſepiunt, muniuntq; inprimis Lateranum ac Capitoliũ. ſed Viſcardo,quem Mathildis per litteras nuncioſq; hortata fuerat,vti datam ſibi fidẽ ne falleret,copias admouente ſtatim in fugã vertuntur;magna in eos crudelitatis exẽpla edita; perruptis Lateranẽſibus munitionibus arx Capitolina expugnatur atq; incenditur, vrbs Normanis diripienda datur;non profanis,non ſacris tectis parcitur; præcipue in Mathildis inimicos ſæuitur. Iam in Galliam citeriorem venerat Henricus nequidquam ex itinere tentata Florentia, ad quã aliquandiu caſtra habuerat,& vetera tributa flagitauerat,etiã cum contumelia repulſus,quod vitio creatum Cæſarem dictitarent. nec Mathildem laceſſiuerat,quæ cum marito cum magnis copijs apud Parmã conſtiterat. in Padi tranſitu grauiter offendit Comite poſtremũ agmen

agmen carpente, compluribus partim cæſis, partim flumine abſumptis. Exinde Mantuã obſedit caſtris vallo atq; aggere ita firmatis, vt nullo ab externo hoſte metu obſidioni hærere poſſet. intra paucos dies, quibus nihil geſtum fuiſſe legimus, oppidani pacti incolumitatem ſe dediderunt. cũ minitaretur validam ſe claſſem in Ferrarienſes immiſſurum, & ex tota Italia a Pontificia cauſa abhorrente, vno excepto Apulo, magnæ quotidie manus ad eum cõfluerent, Mathildis municipijs Aemiliæ viæ præſidio futura Ferrarienſes monet, ita cum Henrico trãſigant, vt liberi ſuiq; iuris in neutrius ditione ſint. quod facile obtinuerunt, ipſa ſimulante ſeſe auxilio iturã. sub eos dies Anſelmus Præſul Lucenſis ſacra confeſſione Mathildem expiare ſolitus iuſſu Pontificis in caſtra venit, hortatus tãtis ſuis & eccleſię anguſtijs animum ne demitteret; ſimul admonens haud ſatis cõſulto contractum cum Azone matrimonium quarto gradu propinquo ſuo, qui etiam priori marito cognatione iunctus fuiſſet. In eandẽ ſententiam ſcriptis litteris, quarum exemplum extat apud Blõdum, diſerte mandauit eius cõſuetudine abſtineret. idem Marchioni imperatum. conſtat quidem, quoniam Mathildis ab Azone II. originẽ duxit, & eundem, ſicuti diximus, ſtirpis auctorẽ habuit hic Azo, quod attinet ad Mathildem, eam quam ſcripſit Pontifex cognationẽ inter ipſos extitiſſe; at quo pacto prior vir Lotharingus poſterioris cognatus fuerit, prorſus incompertum eſt. id minus mirũ efficit vel ipſa Cæſarum progenies alicubi paulo incertior: quamquã enim iſta familia propaginum, vt ita dixerim, fœcũdiſſima ſit, tamen vitio ſcriptorum non facinora dumtaxat egregia, ſed etiam connubia occuluntur, vnde affinitatibus ac cognationibus aucta eſt; quemadmodum licet deprehendere in Aldrouandino huius Azonis parẽte, cuius vxoris nomen ignoratur. paruit vterq; Pontifici, tum Marchio paucis poſt diebus
1082 repente expirauit. Henricus inita iam alterius & octuageſimi anni hieme exercitum bifariam diuiſit, ipſe cum parte in agro Ferrarienſi trans Padũ loco, qui nunc vicus Ficariolus appellatur, conſedit: cum reliquis Oſbertum magni nominis præfectum Mutinã ac Regium verſus pergere iuſſit, ſi quo pacto excitis ad arma Cæſarianarum partium ſtudioſis alterutrum oppidum intercipere poſſet. continuo & Mathildis Vgonem IIII. fratrem patruelem, quippe genitum Conrado Bonifacij fratre aduerſus Henricũ mittit, ipſa Oſberto ſeſe opponit. Germani ab mulieris contẽptu negligenter & infrequentibus cuſtodijs noctu in caſtris deprehenſi cũ ingenti ſtrage fundũtur. nõ eadẽ fuit Vgonis fortuna, quẽ Henricus octo diebus ludificatus traiecto Pado aliquot cohortes cedidit, ac ſine moleſtia, quo intenderat

peruenit. ingreſſus agrũ Mutinenſem Montẽ bellum caſtrum opere & natura egregie munitũ circundedit. irrito labore, iamq; haud minore exercitu Mathildis, Pſeudopontifex per Eribertum Regienſem Antiſtitem de pace agendum cenſuit; Mathildis ni Gregorio in primis ſatisfiat, eiuſmodi orationem conſtantiſſime aſpernata, intentaque in omnem occaſionem, quod ſpe pacis iam propè exploratæ hoſtis cuſtodias aliquantum remiſiſſet, lectum militem in oppidum intromiſit. ſoluta obſidione Mathildis Parmæ nouis cõſcriptis copijs hoſtem ſuburbana Canuſſij ædificia diruentem tanto impetu inuaſit, vt terga dare coegerit, Imperatoriam aquilam retulerit cæſo Marchione Adalberto Henrici conſobrino, cui fuerat commendata. Verona eum cum fuſi exercitus reliquijs excepit grauiter ab Hagne matre increpitum, necnon a Berta Auguſta Othonis Marchionis Italiæ filia, quod tanta pertinacia Pontificiam maieſtatem oppugnaret. ac ne quam officij partem prætermitterent, Canuſſium profectæ operam dederunt, vt inter Gregorium & Henricum publicæ vtilitatis cauſa aliqua tolerabilis concordiæ ratio iniretur. cum neque parentis reuerentia, neque coniugis caritate de ſententia dimoueretur, ſcilicet curatione deſperata eiuſmodi conſilium prorſus abiecerunt; quin Hagne filij conſuetudinis pertæſa, vt ſibi Pontifex benediceret ad Vrbem venit, ibique reliquum vitæ trãſegit. inuidia materni facti, tum multo magis Germanicus tumultus a Velfone Aceſtino excitatus & Henrici diſceſſus Mantuã, Ferrariam, atque alia oppida a Cæſare abalienata Mathildi reddidit. deinceps cuncti ferme populi Apulis & Calabris exceptis alius ſuper alium eius fidei ſe crediderunt, atque Italiæ Reginam conclamarunt. quod quidem nomen vanum euaſit, partim quia non appetitum, partim quia nullo ab certo auctore neque ſtabili indicio delatum. icciirco Veneti, qui hactenus ocioſi belli exitum circumſpectauerant, eius partes ſunt amplexi; idem fecit Flaminia ad id vſque tempus conſilij incerta ac nutãs. Velfoni, cum indomitus Henrici animus, Hagnes iudicium ſuccurreret, diuina occaſio viſa eſt conſulendi rebus ſuis: ita ſequenti anno Germanis ad arma ſollicitatis non ſolum ex Italia eũ abſtraxit, verum etiam coegit Noricum ſibi ac poſteris adiudicare, expreſſique in formula nominatim Velfo & Henricus vterque eius nominis VII. procreati ab Iuditha, quam Abbas Vrſpergenſis Mathildem vocat, Balduini Flandriæ Comitis filia: ea tamen lege, vti de incommodis illatis Auguſtano & Friſingenſi populo ſatisfaceret. quod cumulate præſtitit, atque in poſterum quieuit ædificato etiam Cœnobio apud Rotemburgenſes. Annus illius ſeculi LXXXVI. Gre- 1086
gorio

gorio finem vitæ attulit. is eſt ille Gregorius, qui Romanam Eccleſiam in veterem libertatem vindicauit, eius ditionem ſtabiliuit, ſanctæ ſedi tantum auctoritatis atque amplitudinis quæſiuit, quantum poſteri inter varios fluctus vſque quaq; defendere ſunt adnixi, ita vt Cæſares ex illo tempore pontificijs comitijs, imperio, inſtitutiſq; Eccleſiaſticis ſe non interpoſuerint, totum illud negocium ad ſacerdotes reiecerint. quæ decora animis & viribus ſoli prope Ateſtini Proceres triplici in Italia, ſimplici apud Germanos ſtirpe, vt ſuo loco narrauimus, propagati reſtituere atq; ſuſtentauere, dũ ſumma conſtantia tot bellis cõflictati huiuſce VII. Gregorij facta fortia quidem illa, ſed ancipitia tuentur atq; prouehunt. Succeſſit Victor eius nominis Tertius veneno, vt quidam ſcribunt, ſacro calici infuſo ſublatus primo Pontificatus ſui anno. dein II. Vrbanus ſedit, fuitq; is annus
1088 duodenonageſimus, cum Henricus iterum in Italiã tranſcendit, ne Pſeudopontifex diutius Vrbe careret. Mathildis Florentinis opem eſt pollicita, ſi forte, quemadmodum in vulgus ediderat, Hẽricus eo ſe verteret ferro contumeliã vlturus, quod cum ipſo annis ſuperioribus contumacius egiſſent. ob hæc delectam manum Florentiã miſit conflatam ex Picentibus & Vmbris. mox Senis Vrbano obuia, & quo omnem ei Henrici metũ eximeret, qui a Florẽtinis mœnibus repulſus illo properabat, emenſa ſuperiori Hetruriæ parte per Flaminiã Canuſſium perduxit, quo loco Pontifex hortatus eſt, nuberet Velfoni VII. cognomine Pingui inter Ateſtinos Principes eximiæ indolis ſpeique. quinto hic cognationis gradu Comitem attingebat, nõ tamen ea res impedimento fuit matrimonio Italiæ ac Romanæ Eccleſiæ tuendæ appetito. valuit Pontificis auctoritas, etſi eandem conditionem ab Alexio Græco Auguſto oblatam ante repudiaſſet cauſſata viduitatis ſtudium. Nuptiæ Haugi, cuius hodie extant veſtigia prope Auenticum oppidum olim Heluetiorum nobiliſſimum, regio apparatu ac ferme magnificentius, quam temporum conditio pati poſſe videretur, celebratæ. ob eam cauſam Velfo paterno titulo Norici Ducis adiecit & alterum Marchionis Mantuæ, quod indicat diploma anno ſalutis DXC. VI. Cal. Sext. in gratiam eorum ciuium exaratum, & a Mario Aequicola adductum. Triennio poſt Mathildis Pontifici Placentiam venienti comes fuit, vbi coacto piorum cœtu Henrico & Pſeudopontifici Kal. Mart. ſacris interdictum. inuitauerat idem Pontifex Chriſtianos Principes ad ſacrum bellum aſſiduo Mathildis hortatu, quam de ea re acturã grauiſſimæ cauſæ hactenus interpellauerant. at cum per eos dies Henricus & Clemẽs Romæ eſſent prope ab omnibus deſerti, Vrbanum ſubmonuit daret

operam

operam vt Galli Flandriq́ue proceres maturarent, ſe curaturam vti Velſo VI. ſocer, eiuſq́ue propinqui Germani in eãdem militiam nomina darẽt. Cęſar autem Roma profectus traiecto Pado in fines Veronenſes peruenerat, ac ſupplemento ex ea vrbe & circumiectis, quę imperio parebant, confirmatus imminebat Nogarolo, quod erat caſtrum permunitum eo loci ſub Comitis ditione. haud ſegnius illa Parma, Regio, Mutina milites educit, ac reliquis iunctos copijs in hoſtem mittit: qui deſperata expugnatione exercitum deduxit, atque in Germaniam ſe ſe proripuit. Velſo VI. nihil veritus Henrici turbas cum alijs Germaniæ nobiliſſimis viris anno eius ſeculi XCV. 1095 iter in Aſiam ceperat, coniunxeratq́; ſe ſe cum Gottifredo & Balduino Lotharingis Ducibus, Balduino & Roberto Flandriæ Comite vxoris fratribus, quos in Gallia Claromontanum Concilium eius expeditionis duces elegerat. Byzantium cum veniſſent ſuppeditante Græco nauigia pręmiſſus ipſe in Aſiam per Bythiniam tranſiuit difficili ſanè ac periculoſo itinere, cum inſidijs Barbarorum tum aperta vi aſſidue petitus. tandem deſideratis ex ipſius comitatu Bernardo, Henrico, & Dietmaro in conſpectum ſanctæ vrbis peruenit interim fame, peſtilentia, alijsq́; huiuſmodi incommodis grauiter vexatus. Poſt capta anno XCIX. Hieroſolyma, vti biennio ante Nicomedia 1099 atque Antiochia in ditionem Latinorum conceſſerant, cum domũ rediret in Cypro moritur anno a partu Virginis primo & centeſimo ſupra milleſimum. oſſa inde tranſlata ac condita fuere in æde Vuaingortenſi, tametſi multo ante Raitempuchẽſe monaſterium, cuius alibi meminimus, extruxiſſet: quod quidem teſtantur litterę parietibus illius ſani inter vtranque ipſius Velſonis & vxoris ſtatuam inſcriptæ. ceterum dum vixit eo fuit ſplendore atque gloria ampliſſimis in domum ſuam deriuatis imperijs, magnorum Principum atque adeo Auguſtorum parens, vt celebris etiamnum nominis ipſius memoria vigeat. Dum Chriſtiani in Aſia bellarent, Conradus adductus exemplo auię a patre deſciuit, trãſgreſſusq́; in Italiam Mathildis, ad quam ſe applicauerat, opera non Pontificis modo beneuolentiã promeruit, ſed etiam Conſtantiam ortam ex Rogerio Siciliæ Comite Roberti Viſcardi fratre in matrimonio habuit. is Italiam nouis tumultibus compleuit, dum inſolentius, quàm par eſſet, nomen regium affectat, nec eum ad finem iter ſibi munit, quam ei ſpem Florentię mors incidit. Scribit in annalibus ſuis Dandulus, qui ea temᷠpeſtate vixit, Ferrariam forte Henrico traditam ab ijs ciuibus, qui minus Põtifici fauerent, & Conradi aduentu animos ſuſtuliſſent, recuperatam a Mathilde fuiſſe auxilio claſſis a Venetis ſubmiſſę præfecto

Vi-

Vitale Michaelio, & Rauennatibus. Mortuo ſuperiore anno Vrbano ſucceſſerat Paſchalis II. qui Mathildis opibus dignitatẽ retinuit. namque poſt Clemẽtem Pſeudopontificem Ricardo Campano Comite impulſore Albertus ſacerdos Atellanus locum inuaſerat; poſt Theodoricus quidam; ſed is quarto ab creatione menſe incœpto deſiſtens in ſolitudinem abijt. inde Maginulphus ciuis Romanus Rauennæ Põtifex coronatur, vbi quoniam populus cum Mathilde ſentiebat, nõ eſt diutius moratus; quin expulſus nulla ſtabili ſede vagus egenſq; exitu obſcuro vitam finiuit. Sublatis ſummi ſacerdotij competitoribus Velſo petente vxore Henrico auctor fuit, vt per legatos cum Pontifice in gratiam reconciliaretur. accidit autem, vt cum ea cauſa miſſi in Italiam præſules Bruno Treuirenſis, Henricus Magdeburgenſis, Gherardus Conſtãtienſis, Eberardus Aichtaſtenſis, Otho Bambergenſis Tridento iter fecerent, Albertus oppidi præfectus, quod ab Henrico aliorum exemplo in huiuſmodi ſeditionibus deſciuerat, eos comprehenderet. cuius rei Velſo factus certior cum delecta manu ex Norico aduolauit: captiuos dimitti, Gebeardum Tridentinorum Pontificem Alberti opera ſedis expertem reſtitui curauit. Henricus parentis nomine inſignis Conradum fratrem æmulatus fuerat; quare Germani, prout varie animis afficiebãtur, alius alio inclinabant. Velſo dum conſilium ſuum callide obtegit, haud mediocriter vxorem offendit; præſertim quod illa quarto anno ſupra
1104 mille centum Pontificem perpulerat, vti de imperio deferendo Henrico perſcriberet ad eos, quorum id ius erat. Hęc dum geruntur pro-
1105 ximo ineunte anno moritur Connus Calaoni, & Cerri Comes natus III. Opizone Hugonis III. Marchionis Ateſtini filio: nullis autem ſuſceptis liberis ex Berta Maltrauerſa ad Azonem huius nominis VI. vtrunque oppidum peruenit. Conni opus nullum extat præter cœnobium magna impenſa in pago Candiano conditum nunc iuris Canonicorum, qui Regulares vulgo appellantur, vbi & ſepultus eſt. & exędificationem vici Conni id nomen ab eo ſortiti: quem locum ſilueſtrem & ab cultu humano purum egregijs munitionibus ędificijſque inſtruxit, quorum adhuc veſtigia & nomen manet. Henricus iunior Pontificis contentione ſuffragatoribus conciliatus, Saxonibus in ſocietatem pellectis parenti arma intulit, cum quo collatis apud Spiram ſignis ſuperior fugientem conſequutus in cuſtodiam tradidit in oppido Inglinhenſi trans Rhenum, coegitq; imperio cedere. haud tamen ea calamitas diuturna fuit, quin fato cõceſſit apud Eburones, quorum Antiſtes ſacra eum ſepultura tantiſper arcuit. In-
1107 cidere iſta in annum ſalutis MCVII. quo tẽpore Henricus eo nomine

inter

inter Auguſtos Quintus omnibus ad vnum Germanis proceribus conſentientibus ſummo in faſtigio fuit. Guardaſtallum commendante locum Mathilde ſe Pontifex contulerat Patrum conuentum habiturus. venerant eo legati miſſi a Cæſare orantes ipſius nomine pateretur ex ſuffragatoribus ſacris initiatis quempiam munus Pontificium obire in tribuendis imperatorijs ornamentis. reſpondit ille conditionem temporum expoſcere, vt ipſe ea de cauſa in Italiam accederet. propterea Henricus valido coacto exercitu, ac bifariam diuiſo itineri ſe dedit: alterum agmen Velſoni Ateſtino attribuit, alterum ipſe duxit. omnium primi Mediolanenſes petiti decimo eius 1110
ſeculi anno, qui cum nonnullis circa oppidis rem Romanam minus obſeruabant, nec ſatis Germanorum procerum de nouo Cæſare iudicia probabant. Nouaria incenſa atq; euerſa Gallos ciſalpinos conterruit; quorum longe maxima pars ſe Auguſti clientes profeſſi ſunt. flexit deinde Placentiam Romam ad regni inſignia capienda cogitans; quæ res in cauſa fuit, vt minus pertinax in exigendo obſequio paululum de iure ſuo decederet, necubi diutius hærere cogeretur, eo magis quod a Placentinis, ne in poteſtatem ipſius peruenirent, Comitem acciri intelligebat. ita haud procul Parma cum ea in has cõditiones deſcendit. Nihil prohibere Cæſarem, quo minus oppida, quę pater Auguſtorum beneficio poſſediſſet, Verona, Mantua, Placentia, Parma, Regium, Mutina Mathildi pareant; idq; præter fines a matre doti dictos, & quidquid in Tuſcia obtineret. Cæſarem, ſi ſe Mantuani, qui nutare dicebantur, commoueant, nullam eis opem laturum recipere. placere, vt quoad Mathildis uiuat, Tauriſanæ præfecturæ beneficiario iure præſit: item quicquid iuris habet Cæſar in Italicas vrbes ei Vicarij nomine cedat, exigatq; libere cuncta vectigalia nullo Cęſaris reſpectu. teneatur tamen cum Auguſtis ſtare vel pace vel bello, præterquam ſi ſacroſancta ſedes armis petatur: ijſq; de rebus fidem ſuam iureiurando obſtringat. Fuit tum ſuſpicio, quod maritus ſub proximi Cæſaris exceſſum ad neutram ſeſe partem applicaſſet, hanc diuortio cauſam incidiſſe vtriuſque voluntate: quod quia notum omnibus erat, cauſa ignota multis argumentum fabulę a quibuſdam narratæ præbuit, Pontificem hoc quoque matrimonium diremiſſe, quod alter vitio corporis, altera propter ſenectutem liberis gignundis non eſſet. vtcumque res haberet, parum confiſa Velſoni, multo minus Cæſari Ferraria Landulpho Epiſcopo commendata, cui & ſucceſſoribus dono dederat, quæ teſtamento Conni ei obuenerant, Manegiũ, Villam nouam, Bagnolum, Pontecchium, & Arianum, caſtris, quo Henrico iter erat, in Flaminia poſitis ita ſe paraue-

parauerat, vt conditiones commemoratas ſit amplexus, ne cogeretur dimicare. qua in re cum pro ea Velſo laboraſſet, reditum eſt in gratiam. Compoſitis cum Mathilde rebus Marchio (hæc dignitas ſi Areſtini Principes numero plures forent, ſtirpis maximum ſequebatur, iſq; tunc erat Azo VI.) cū Bertoldo fratre ad Cæſarem ſe contulit, qui apud eum deinceps fuit donec in Germaniā redijt. vterque & propria virtute & Mathildis Velfoniſq; cauſa apud Cæſarem in magno honore fuit: quem Romā profectum quidam auctores ſunt Pontifici reconciliatum, datoſq; cautionis ergo inuicem obſides; ſed tumultu ab irata plebe excitato, quod Henricus quidā Naufringus Germanorum tribunus ſacerdoti vim intuliſſet, ciues militeſq; peregrinos in atrocem pugnam animis exarſiſſe, edita vtrinque ingenti cæde: ea de cauſa Cæſarem, vt ſe periculo ſubduceret, cautiuſq; ſibi proſpiceret, vrbe emigraſſe, Pontifice ac primoribus patrum abductis; quem Henrico Carnorum principi, Abbati Cœnobij Galliani apud Heluetios, & Vdalrico Goritienſi Patriarchæ Aquileienſi cuſtodiendum tradidit. plures tamen memoriæ prodiderunt ſub primum in vrbem aduentum controuerſiam exortam, ꝙ conditionibus a patre ante annos tres & triginta Canuſſij probatis ſtare nollet: hinc Pontifici manus iniectas. Tali ſacrorum Principis ſtatu miſit Comes Arduinum inſigni hominem facundia & doctrina, qui Cæſarem ad Pontificem liberandum flecteret, Velfoniſq; & Bertoldi opera vteretur. Ateſtini rem ſuſceperunt, temperamentiſq; quæ neceſſitas poſcebat, excogitatis vt pax iniretur, effecerunt. quæ IIII Idib. April. anno M C X I. celebrata fuit. Magnum hæc res nomen peperit Velfoni & Bertoldo, qui hoc ipſo anno fratri Azoni ſucceſſit, tum edito virtutis ſuæ præclaro ſpecimine, tum etiam ſalutari & egregio facinore confecto. Itaque Cæſar quo teſtatior eſſet ipſius in Ateſtinam familiam beneuolentia, vti poſſeſſioni opum, quas locis admodum diſiunctis obtinebant, plus roboris accederet, quidquid nobiliſſimi Proceres poſſidebant in agro Dertonenſi, Brixiano, Cremonenſi, Placentino, Parmenſi, Mutinenſi, Ferrarienſi, Patauino, Vicetino, Veronenſi, Apuanis Liguribus, Lucenſi, Piſano, Aretino conſentiente Bertoldo patruo Vgoni V. & Fulconi II. prognatis ex Marchione & Mathilde Henrici III. Auguſti filia auctoritate ſua confirmauit addixitque. his finibus tum vici opulenti, tum caſtra ad vnum & ſeptuaginta continebantur cum fundis fertiliſſimis, quæ ſingula Auguſtæ tabulæ diſerte exprimūt. Henricum domum reuertentem, vt Almonem a patre pulſum in Pannoniam reſtitueret, Vgo & Fulco officij gratia Veronā vſque proſequuti ſunt:

N Mathil-

Mathildis, quæ in primis regni finibus obuiam ei proceſſerat, ad Padum ſubſtitit: rebusq; illius tractus compoſitis ad Montembaroccium ſe contulit: quo loco cum tentari morbo cœpiſſet, Mantuani occupata Riuoltella arce, quę ipſius præſidio tenebatur, rebellarunt. deteſtanti audaciã Manfredo Antiſtiti, & grauibus eos verbis caſtiganti reſponderunt, ſi Comes morbum depuliſſet, e veſtigio ſe arcem dedituros. confirmatæ non ſubiecti modo populi ad vindicandam iniuriam præſto fuerunt, ſed Venetus Senatus & Flaminia. ſtabat iam inſtructa claſſis in lacu Benaco, itemque altera ad Mintij oſtium; ſimul terreſtris exercitus augebatur, cum Mantuani miſſis legatis ad Mathildem, quæ tum apud Bõdenum conſtiterat, quem locum aduerſus iſtiuſmodi tumultus muro circũdederat, ſeſe eius arbitrio permittẽtes clementiſſimam ſunt experti. Exinde parum commoda valetudine ſemper fuit. cum eius ſeculi anno XIIII. 1114
Natali Domini die pijs precibus noctem, quam longa eſt, abſumpſiſſet, perdifficilem morbum contraxit: ex quo paululum recreata anniuerſarium ieiunij tempus poſtero anno de more pari abſtinentia exegit, fruſtra monentibus ſacratis viris inſtitutum largitione in 1115
pauperes mutaret. verum extrema iam ſenectute, vt quæ ſeptuageſimum ſextum annum ageret, tot bellis, tanta grauiſſimorum negotiorum mole fatigata, morbo & fato IX. Kal. Sext. ceſſit, non prius tamen quàm numinis benignitate, quod religioſiſſimam decuit, ſacroſanctum panem de manu Præſulis Regienſis ſumere, de ſalute animi diſſerere, atq; eum denique Seruatori commendare ſua voce poſſet. ſepulta eſt in monaſterio, quod Diuo Benedicto dicatum Thedaldus eius auus inter Padum & Larionẽ olim extruxerat. mauſoleum octonæ e marmore columnæ fulciebant, quod trecentis triginta poſt annis Vido Gonzaga fani inſtaurator in angulum ad Iuſtinæ aram tranſlatum duabus grandibus columnis impoſuit. Mathildi, quoad vixit, ex arduarum rerum tractatione tantum nominis gloriæq; contigit, quantum pauciſſimis virorum excellentium vaſtus animus, & neutiquam fluxa prudentia attulit: nec Comes ſolum, quod ea ætate planè ſingulare eſt habitum, & Marchio dicta eſt, quemadmodũ narrauimus, ſed vt tum loquebãtur, Ducatrix: ꝙ teſtatur donatio plagæ agri Regiẽſis in Rainaldum Ateſtinum collata & conſignata publicis tabulis, quibus & ipſa ſua manu ſubſcripſit. extant autem hę litteris Longobardicis exaratæ inter Ateſtinorum monumenta. tales quoque dignitates ac titulos Proſpetiani ſuperius adducti annales parenti, auo, proauiæq; Hildegardæ communicant, & ipſa ſe Mathildis in diplomate cõceſſo Dodoni Mutinenſi

nenſi Epiſcopo appellat filiã Bonifacij Ducis ac Marchionis. nobilitauere illam non commiſſi modo exercitus ſacroſanctæ ſedis geſtuſq́; re ipſa honos, & obitæ Auguſti nomine Italicæ res, ſed ditionis aditus maxime cirerioris Galliæ, qua Flaminiam attingit, egregijs arcibus muniti, ſtratæ viæ, ſana cōſtructa, pōtes inſtituti, complura oppida inſtaurata. acceſſit ſingulare ornamẽtum, quod marito Velſone adiutore auctoritate ipſius adductus Irnerius præſtantiſſimus Iureconſultus, ſicuti teſtatur Auentinus, iuris ciuilis libros correxit, ſuis voluminibus ac titulis diſtinxit compoſitos quidem illos quondam, vt ante conſulto admonuimus, a Iuſtiniano & temporis iniuria prope conſumptos, ſed longe magis ab exterarũ gentium barbarie afflictos, quæ pręinſita feritate cum in omnium diſciplinarum monumenta paſſim graſſata eſt, tum leges peculiari quodam atq́; hoſtili odio proſecuta eſt. hinc Azoni paulo poſt pręhibita facultas eſt concinnandæ Epitomes. Nec vulgarem gloriam ei peperit ſcientia variarum linguarum pręſertim Germanicę & Gallicæ, qua non minus familiariter eſt vſa, quàm Italica & Latina. nulla vero laus amplior religionis ſtudio, ac tutela Romanæ Eccleſiæ, communiſq́; Italiæ libertatis. Mathilde ſine liberis, quãquam iam tertium nupſiſſet, obeuntre multæ de regno ipſius contentiones exortæ. Pontifex quidem ad ſe trahebat quidquid a flumine Piſcia & Quirici Fano ad Ceperanum intra Apenninum & mare cōtinetur, quod patrimonium poſtea dixere, adiecta etiam Ferraria, quæ hereditario iure eccleſiæ obuenerat, vti ſcripſere Funrius, Sigibertus, Villanus, Palmerius, & alij: contra Cęſar aſſerebat Picenum, Vmbriam, Spoletum vtpote Auguſtorum munere Beatrici collata ad eoſdem reditura: idemq́; iuris ſtatuebat de togatæ Galliæ oppidis; & ſuper ea re in publico conuentu Moguntiæ Kal. Nouemb. actum eſt. ac tabulæ, quibus beneficia a ſuperioribus Auguſtis tributa primario vrbis templo confirmauit nō ſine fidei ciuium erga ſe commẽdatione, aperte indicãt, eum Ferraria potitum fuiſſe. Nec proceres Ateſtini nō prehenſarũt Italicos & Germanicos Principes: quippe qui cognatione niterentur, atq́; altero in ipſorũ familiam coniugio, poſtremo etiam marito ſuperſtite; quem totius hereditatis cōpotem factum Nauclerus tradit: cui rei illud ſuffragatur, quod Vel-
1118 ſonis poſteri in Tuſcia & reliquis prouincijs regnarunt. Annus ſalutis centeſimus duodeuiceſimus ſupra milleſimum Paſchali vitæ finem attulit, qui Mathildis opibus confirmatus deinceps inconcuſſum venerabilemq́; ſe pręſtiterat. idem Bertoldum Ateſtinum eripuit ſuperſtite Rainaldo, quem ex Sofia Zeringẽſis reguli filia ſuſce-

perat. Is ille Rainaldus eſt, cui Regienſis agri plaga dono data eſt, quemadmodnm ſupra memorauimus. tum & Velſo, cui Mathildis iuncta fuerat, mortem obijt apud Chufringiam Licatiorũ pagum: cadauer Altdorphi veteri familiæ monumento illatũ eſt. orbo ſucceſſit fratet Henricus cognomento Catulus intet Norici Duces VII. qui id nominis ſortitus fuerit. Henrico enim Rixoſo, quod Arnulphi filiam in matrimonium duxiſſet, ea prouincia potito filius nepoſq; cognomines ſucceſſere. nepos Auguſta maieſtate conſpicuus affini ſuo Henrico IIII. tradidit. Conradus II. ſummũ faſtigium adeptus Henrico filio conceſſit: is defuncto patente ad Impetium euectus Henrico Sexto Quarti filio eandem reſtituit. quo ſine liberis mortuo Othoni Saxoni ttibuta eſt, mox ab eo, vti diximus, ad Henticum VI. huius parentem traducta Hentici IIII. beneficio. ex Vuilfilda Magni Bilingis Saxonum Inferiorum Ducis filia, quam ille ex Sofia Colomanni Pannoniæ regis ſorore genuerat, pręter immatuto ereptos fato ttes virilis ſexus liberos procreauit, Henticum, Conradum & Velſonem VIII. fœminas quatuor Iuditham, Sofiam Mathildem & Vuilfildam. Iuditha Federico Staufenſi Sueuię Duci nupſit, ex quo natus Federicus Cęſar, & vxor Matthæi Lotharingiæ Ducis: Sofia Bertoldo Zeringiæ Duci locata eſt: poſt eius obitum Lupoldo Tauriſcorũ Marchioni; Mathildis Gebehardo Sultzbacenſi: dein Diepoldo Marchioni Vogburgenſi. Vuilfilda Rodulpho Comiti Brigentini & Rhętiæ matrimonio iunctæ ſunt. anceps in Henrici Catuli domo fortuna fuit, quæ inter ceteros Henricum cognomento Superbum non mediocriter euexit agitauitque. Nam II. Lothario, qui poſt Henrici obitum anno illius ſeculi XXVII. Cę- 1127
ſar renunciatus fuetat, paulo ante ſuperior Saxonia & Luneburgenſis Comitatus obuenerat ducta in matrimonium Riſſa Hentici Lunebutgẽſis filia ex Getruda vnica ſobole Brunonis Marchionis Saxonum ſuperiorum. Getrudam ex Riſſa ſuſceptam Lotharius virilis expers prolis Henrico, de quo loquimur, deſpondit. nuptiæ exquiſitiſſimo ac planè regio apparatu in campo ampliſſimo celebratæ ſunt ad flumen Licum ſupra Auguſtam inter Fridbergum & Moringum. eo lectiſſimi quique proceres ex Germania & Italia vocati confluxetunt. Henricus cum ad ſocerum Norimbergam acceſſiſſet, ſibi poſteriſq; totius Saxoniæ Ducatum impetrauit materna hereditate inferiorem adeptus, ſuperior dotalis fuit. Eius prouinciæ tunc fines latiſſimi erant, vt Vueſtphaliam, Tutingiam, Sorabos, Cimbros, quam Vuagriam olim dixetunt, nũc Dani regis filiorum natu maximi pręfecturam, Stormatiam, vbi oppidũ Hambutgum, & Thiet-

& Thietmarſiam, vbi Brema poſita eſt, complecteretur. obtinuit inſuper, vt in eius fide ac tutela Gethingẽſes ac Norimbergẽſes eſſent, vnaq; ampliſſima ſacerdotia Fanaq; Norici, quæ Antiſtites ac cœnobiorum moderatores proximo Cęſari detulerant. Obierat ſuperiore anno Barij in Apulia Conradus Henrici frater Archiepiſcopus Colonienſis homo non minore, quam ille locus poſtularet, doctrina; quod teſtantur libri publice editi, & conuictus Petrus Baiolardus de numine parum pie ſentiens, tum vita in conuentu Claraualleuſi ſanctiſſime acta: quem Hieroſolymis reuerſum Pontifex in ſenatum legerat. Henricus quoque Catulus & Vuilfilda eius parentes hæc Altdorphi, ille Rauenſpurgi deceſſerant. vnus Henrico reliquus erat Velfo, quo maiore ſpiritu atq; opinione virtutis, eo certius pręſidium fraternæ amplitudinis. itaq; ergo in magna fortuna erat, nec dubitabat ſocer ſi eum ſibi adiũxiſſet, quin ingens ad ſummam rerum momẽtum accederet. per filiam eum aggreſſus dedit operam vt conſociaret arma aduerſus Federicum, quanquam ſororis virum. belli cauſa ferebatur regni inſignia, quæ Sueuus nõ reddebat. nonnihil etiam priuſquam Staufenſium opes creſcerent, eas imminutas cupiebat, haud abſurde veritus Cæſarum Guibelingorum factione ſua de tradendo regno genero conſilia diſturbari facile poſſe. Henricus prouidens iſtiuſmodi cauſam in vulgus plane probatum iri, & occaſionem pręte rmitti non oportere Federici in ordinem cogendi dum Cęſaris auxilium abeſſet, ne forte maiorum imaginibus excitatus, quod alterum Federicum parentem habuiſſet generum & affinem vtriuſq; Henrici ex ſtirpe Guibelinga poſtea extincta, aut ipſe, aut Conradus eodem matrimonio genitus imperium ambirẽt, cum Lothario ſocia arma eo promptius iunxit, quo grauior communis res agebatur, & minus fucatis inter ſe animis congruebãt. Ad Falchſtaenſe oppidum munitiſſimum copias primum duxit, quod erat in Federici ditione in Hercynia ſilua trans Danubium, tenebaturq; a Comitibus Arci. cum non niſi ſero in poteſtatem venturum appareret, nec e re eſſet incœpto abſiſtere, Sofiam ſororem virilis animi mulierem, cuius vir Stiriæ Marchio iam obierat, ad obſidionem cum octingentis equitibus, & magno peditum numero reliquit. Ipſe Rhenum verſus flectens, qua Federicum Noricos vexaturum intelligebat, in itinere obuium fudit; coactumque terga dare Gruningam vſq; eſt perſequutus. Inde repetita obſidione oppidum vi expugnatum incẽdit. Federicus reparato equitatu Meningam, Maueſpurgum, Altdorphum excurſiones fecit in agros, in tecta iuxta ſęuiens. Henricus ea belli gerendi ratione prouocatus, vt vindicta &

dedeco-

dedecoris metus fieri amat, nullo pœnæ modo ferro igneq́; ab Tegendorpho ad Hoenſtauphum & Vlmam hoſtiles fines vaſtat: dein cum Velſone fratre Ratiſbonam prouolans Gottifredo Calbi Comiti homini ampliſſimis diuitijs perſuaſit, vt filiam Vtham nomine fratri vxorem daret. Erant Vuitembergenſes in ditione Alberti Vthæ patrui, quo cum fœdus Federico intercedebat; eo promotis caſtris Germani intro peruaſerunt, vrbemq; diripuerunt: tum ab ſecundo rerum curſu Leouſtain & Calbum in poteſtatem redegere. Albertus male mulctatus nulla auxilij ſpe, quod erat pertenue etiam ſi ſocietatem cum Conrado Zeringiæ Duce inijſſet, pręſtare duxit antequam bellum crudeſceret, & Bauarum vehementius irritaret, fœderi ſeſe eximere, veniamq́; ab hoſte deprecari. aditus per Velſonem Henricus ſupplicem humaniſſime in gratiam recipit, captaq́; ſtatim reſtituit: tanti eſt obſequium aduerſus animi impotentiam, quæ ſimili reſiſtit perturbationi, contrariæ cedit. Interim Italia maioribus indies ſeditionibus laborabat. Robertus Siciliæ Comes Calabros atq́; Apulos infeſtabat: plebs Romana, quæ poſt Galeſij II. caſum in Paſchalis locum ſuffecti, & a Fregipane comprehenſi quieuerat, Innocentij II. minus reuerens tumultuabat. obtéperauerat Caliſto II. & alteri Honorio; Innocentio aduerſa alium Pontificem flagitabat. populi & ipſi, qui Mathildi paruerant, ſuas turbas & quidem pernitioſiores concitant: quorum alij Cæſaris fidem eò cum Auguſta profecti ſequuti fuerant: pars Pontificem obſeruabant: nonnulli ſuis legibus viuebant. itaq́; Lotharius ſummo regni emolumento domeſticum Germaniæ incendium reſtinguendum ſibi eſſe exiſtimauit, & pace cum Sueuo facta, cui nominatim generum inſeruit, ad componendum Italiæ ſtatum animum appulit. eodem tempore Henricus ædificia & pontes, quæ bello Sueuico euerterat, reficere eſt agreſſus: nouum pręcipue in Danubio ad Ratisbonam inſtituit. lapideus eſt, ſuburbia excellenti ſtructura oppido coniungit. fornices XV. a fundamentis ſaxo quadrato excitati pari inter ſe vicenum pedum interuallo binas prætaltas turres ſuſtinent. quod opus inchoauit ac perfecit anno eius ſeculi triceſimoquinto: eum annũ æſtus intolerabilis inſignem fecit. herbas plantaſq́; alimenta defecere, flumina aruerunt, montes vſq́ue eo vaſtati, vt qua parte foueri ignis ſoleret, inde torrentes flammæ egerentur: in ſumma tanta fuit caloris vis, vt materia concipiendo igni apta tacta humo ſtatim arderet, quemadmodum teſtatur Auentinus. 1135

Deuicerat Rogerius anno, qui proxime inſequutus eſt, Calabros & Apulos, & Regis vtriuſq́; Siciliæ nomen extorſerat ab Innocentio, 1136

cuius

cuius exercitum profligauerat. Eam occaſionem nacti Romani iuſto Pontifice eiecto Petrum Leonis filium Anacletum poſtea vocarũ ſuffecerunt. Florebat tum Bernardus Abbas Claraualleñſis, homo ſingulari vitæ innocentia, & caritate venerabilis; cuius ſtudia innumeri honeſti mortales æmulabantur, & mirificus labor apparebat cum ſummo totius Europæ fructu in colenda Domini vinea; quo nomine paulo poſt conſecrata ab Alexandro III. memoria inter diuos relatus eſt. is ad Lotharium ſcripſit (& extat epiſtola cũ ceteris) muneris ipſius eſſe curare, quę Cæſaris ſunt Cæſari vt reddãtur, quæ Dei Deo; ſciteq; expreſſit quibus malis pij laborarent, ſignificans expedienda arma, vti ſuam ſibi profanam iuriſdictionem ipſe aſſereret, ſacra Innocentio iuſto ac legitimo Pontifici cederet, Rogerio ſiculi prædonis nomine notato. Auguſtus pudore, qui diſſimulari amplius nequiret, coactus potius quàm officio admonitus, nulla am-
1137 plius tergiuerſationis cauſa reliqua anno XXXVII. in Italiam mouit, Henricum Ateſtinum generum cum magnis copijs ſecum ducens. celeriter domita omni citeriore Gallia, exercitum bifariam diuiſit: partem ipſe ſuperiore itinere ductauit Picenum & Vmbriam victricibus armis Barium vſq; peruagatus: Henricus cum altero agmine in Hetruriam profectus ſoceri voluntate eos populos ſacramento ſibi, fratriq; & poſteris adegit. inde in Campaniam tranſgreſſus adiuuante Pontifice, qui pulſo Anacleto priſtinam dignitatem recuperauerat, Albam, Beneuentum, Capuam, & Salernum expugnauit. mox coniunctis cum Lothario armis Rogerium Italia in Siciliam
1138 exegit. Cæſar ſequenti anno cum domum reuerteretur, inter flumina Oenum & Licum vltra alpes Tridentinas in itinere VIII. Id. Decemb. deceſſit. gener corpus in Saxoniam detulit, cœnobioque, quod eſt ab auctoris nomine Luthareum appellatum, condidit. Cęſaris obitum multiplices diſſenſiones vndiq; ſunt inſecutæ. quippe nulla non Italiæ pars veterum ſeditionum flammis deflagrauit: populi complures libertatis ſtudio res nouabant: Rogerium ſua factio acciuerat: ſed multo grauior erat Pſeudopontifex, quod Innocentium cum purpuratis patribus Piſas profugere coegiſſet: vbi coercẽdis eius ſeculi vitijs concilium eſt habitum de loci nomine Piſanum dictum. Franciæ pars ea eſt, quæ ſpectat ad Occaſum, domeſtica inter Regem Ludouicum & Dierhboldum Bleſenſem diſcordia vehementer laborauit. Britannia & ipſa, cum Mathildis cognomento Auguſta poſt viri mortem a fratre Stephano, ad quem tranſmiſerat, diſceſſiſſet, nõ omnino expers tumultus fuit. Vngari, qui antea Vgri vocabãtur, defuncto Rege in duas factiones abierunt. altera Belam

cæcum Almonis, altera Borichium Colomanni filium ſequuta eſt. huic Marchio Auſtriæ affuit, illi Sarmatiæ Princeps: quem ipſi titulum circiter ducentos annos vſurpauere poſt abrogatam ei imperio a Gregorio VII. regiam dignitatem ob Boleſlai II. praua facinora. Cum hac de cauſa odijs belliſq; magna pars Europæ arderet, Germani proceres tantum circum ſe ignem veriti conuentu Moguntiá indicto celeriter cõuenere Confluentiam, quod oppidum ſitum eſt ad confluentes Rhenum ac Moſellam: ibi Cæſarem renuntiauerunt Conradum III. Federici Sueuiæ Ducis filium, ſubnixum eorum ſtudijs, qui ab Guibelingis ſtabant. Horum vt interitus innoteſcat, ſimulque quo modo veteres eorum clientes ad Staufenſes ſe applicauerint, quorum in familiam ſtirps Henrici IIII. nupſerat; tum quid cauſæ fuerit, cur hicce Conradus materno genere indidem oriūdus ad Auguſtam maieſtatem aſpirarit, quam quaſi hereditariá primo Caroli poſteri, dein Othones Saxones, poſtremo hi ipſi Guibelingi apud ſe habuiſſent, breuiter eorum ſeriem receſebimus. Conradus Guibelingus Francorum ac Lotharingiæ Dux Luitgardam Othonis Cæſaris filiá vxorem duxit, ex qua ſuſtulit Othonem Conradi II. ac Gebehardi Epiſcopi Ratisbonenſis parentem: Ex Conrado ac Giſella Conrado Burgundiæ Rege ſata geniti Henricus III. ac Beatrix Bonifacio Marchioni Ateſtino, dein Gottifredo Lotharingo in matrimonium data. Ex Henrico III. & Cunigunda Dani Regis, quam ille ex Hagne Comitis Pictonum filia ſuſceperat, nati Henricus IIII. Conradus Bauariæ Dux, Sofia Salomoni Pannoniæ Regi, Limpurgis Marquardo Carnorum mediterraneorum, Mathildis Rodulpho Sueuiæ Ducibus, Itha Lupoldo Auſtriæ Marchioni collocatæ. Henricum IIII. patrem habuere Conradus Italiæ Rex, & Henric. V. qui nullos ex Mathilde Britanni regis filia liberos reliquit, & Hagne nupta Federico Sueuo, ex quo Federicum & Conradum genuit. hic cum non eſſet ea conditione, vt Conrado II. atq; Henricis, qui ſubinde imperarunt, poſſet ſuccedere, Lotharius facile tulit procerum ſuffragia. Ceterum eo mortuo Conradus, qui ſe interim amicis muniuerat atque eo maxime tempore, quo Cæſar in Italia fuit, Imperator declaratur eo procliuius, quod Auguſtus procul Germania ſupremum diem obierat, & Saxonem Henricum ſors ijs Comitijs ac prehenſationibus ſubtraxerat. quin adeo raptim omnia adminiſtrata confectaq; ſunt, vt veſtigio temporis deductum Aquiſgranũ a Theodouino Pontificis Legato inungendum curarint. Non potuit Saxo non probare edictum ab Germanis de conuentu Moguntiæ prudenter promulgatum magnis vndique periculis anguſtijſq;

impen-

impendéribus, at repentinum conſiliũ renuntiandi Cæſaris teſtem vtrique affectæ voluntatis nequaquã: quippe qui non dubitaret magnitudinẽ ſuam vulgo eo magis inuidioſam, quod recentia Italicæ ſtirpis veſtigia pferret, in cauſa fuiſſe, cur illi decretũ acceleraſſent, ac tãtum nõ præcipitaſſent; maxime collata dignitate in Staufenſem ſibi inimiciſſimũ. id ne impune eſſet ſumma ope adniti ſtatuit. augebat indignationẽ ius minime, vt ipſe rebatur, incertũ ſuccedendi ſocero in Romanũ Imperium æque ac Saxonicum. etenim dicebat ille, ſi hoc cognationi defertur, ne illud quidem meritis negetur: quando ego Italiam Cęſaribus pacaui, ſacroſanctã ſedem beneficijs deuinxi, priſtinam deniq; Imperij maieſtatẽ reſtitui, conſeruauiq;. huc accedebat, quòd eo potiſſimum ſi quo vnq̃ tempore deligẽdus fuerat Princeps ditione, armis, veteranis ducibus inſtructiſſimus, tũ ſuopte ingenio, tum longo vſu ad arma propenſus: atq; illum nemo ſanè ijs rebus pręcellebat. Sed enim locus hic expoſtulat, vt quę Henrici Ateſtini vires fuerint, quibus ille tãtopere fidebat, quæ cõtra ſociorum aduerſariorumue opes oſtenſuri Germaniæ ea tempeſtate ſtatũ, quod attinet ad imperia dominoſque, paucis pſtringamus. Protulerat multo tũc latius quàm antea fines ſuos Germania: nã limitibus per ſeſe admodũ patentibus accreuerat Burgũdia, quæ extincta eorum Regũ ſtirpe ad Henricum creatũ poſtea eo nomine Tertium Auguſtum muliebri hereditate peruenerat. per talẽ occaſionem Conradus ipſius pater a Rheno ad Rhodanum Germanorũ decus auſpiciaq; ꝓpagauerat, ac magnã inſuper Galliæ Lugdunẽſis partem ijſdem ſubdiderat. ſed quamuis, ſi totum corpus ſpectares, validiſſimam prouinciam diceres, tamen imbecilla cenſenda erat cõciſa in multos principatus veluti diuerſa membra. ex quibus potẽtiores haud raro inter ſe diſſentientes tenuiores in eãdem cauſam pertrahebãt. Duæ tota Germania familiæ & magnitudine Imperij & clientelis reliquas longe anteibant, Ateſtina Velfonum locum ingreſſa, ac dein Lothario Cæſari affinitate iuncta, & Staufenſis, in qua Conradus Auguſtus & Federicus Monoculus eminebant. quorum alteri Franconia a Norico ad Rhenum, alteri Sueuia illi confinis & ad Alpes vſq; pertinens ſuberat. Ateſtina, quæ latiores terminos in hunc vnum Henricum congeſſiſſet, ac proinde alteri immane quantum anteſtabat, Noricum ab finibus Veronenſibus (nondum enim Teriolis Comitatus ab ea ſeiunctus erat) ad Danubium inter Carnos, Stiriam atq; Auſtriam ab Oriente, Sueuiam ac Franconiam ab Occidente poſſidebat. tum vtramq; Saxoniam clauſam hinc Boemia, qua Septẽtrionem ſpectat ad Germanicum oceanum

inter Cauchos, Catthos ac Frācones, illinc Brandemburgenſi limitē & Ducatu Michelburgenſi. His accedebant aliquot Sueuiæ oppida obuerſa ad alpes antiquum Comitum Altdorphi patrimoniū. itaq; erat multo ſpatioſiſſima hæc ditio ab vltimo Germanico oceano ad primos Italiæ margines in finibus Veronæ producta. quin propè continens in intimum Tyrrhenum procurrebat. nam Henricum familiæ Principem obſeruabāt Sardinia, Vmbria & Hetruria; alioqui Velfoni fratri titulo Principis, Ducis, Marchioniſq́ue dicto audientes, ſuper Italiæ regiones, queis altera cognatione propinqui Marchiones Ateſtini iura dabant. Hanc opum amplitudinem non Otho modo Friſingēſis natalibus & fide inſignis ſcriptor oculis cōpertam agnoſcit referens Henricum ſolitum de imperio, quod duo maria Danicum & Siculum ſtringeret, gloriari, ſed etiam illius ætatis auctores litteris celebrauere teſtificati huic Henrico nullum tota Germania Principem comparari potuiſſe. Talibus vtriuſq; gentis viribus ceteræ multo minores erant. etenim ex Lotharingia, quæ a Moſella ad Rhenum intra Iuram & Gallicū oceanum excurrit, regio titulo exuta Flandriæ Comitatus inſtitutus fuerat; quem regebat Theodoricus oriundus, vt eſt ſcriptum apud Iacobum Meierum, ex Holſatiæ Comitibus heredibus Balduini ſenioris, cuius iam in illa prouincia interciderat genus: Brabātiæ ac Lotharingiæ inde quoq; diremptæ regna parebant Henrico ac Federico, alterum quidem paterno, alterum materno iure a Gottifredo Arduennenſi conſequutis. prçter hos & alij obſcuriores Principatus inde abſciſſi. Burgundiæ quoq; diuerſa membra ſuos regulos habebāt Amadeum II. Allobrogum, Raimundum Prouinciæ, Varnerium Habſpurgi Comites, ac denique Conradum Zeringiæ Ducem; quod tradunt Paradinus, Lucius Marineus Siculus, Hieronymus Gebuilerus, & Irenicus. Auſtria ab inferiore Pānonia ad flumen Amaſum inter Danubium & Valeriam facilius crebras Vngarorum incurſiones propulſare, quàm ſeſe bellis Germanicis immiſcere poterat, maxime quod Domino eius tractus Lupoldo V. nondum in inferiorem Bauariam imperium erat, quam poſtea Federicus Aenobarbus ei ditioni contribuit. Boemia ſuis circumſcripta ſiluis ſub Duce Vlderico quietem agere propoſuerat ſecura externi tumultus, ni iniurijs beneficijſue Germanorum Procerum prouocaretur. Brandemburgenſes ac Zuenteplugēſes inter Vandalos potentiſſimi aſſiduis controuerſijs cum finitimis Pomeranis ac Sarmatis exercebātur: ad hæc in Germania vltra Saxones inter Boemiam & Septentrionalem oceanum ferme ſecreti ab exterorum certaminibus abſtinebant. reliqui

imbecilliores nec ſuis ſubnixi viribus Principes nunc hos nunc illos reſpiciebant, prout eorum animos vel neceſſitas vel occaſio agitabat. Igitur BauarusCæſari, atque adeo toti Staufenſi ſtirpi infeſtiſſimus, quorum ſigna cum per Vngaros licebat Auſtriaci Marchiones ſequebantur, fultus & ipſe ſocietate Comitum Habſpurgi haud exigui momēti propter amicitiam Ducum Zeringenſium, neceſſarios ac ſocios de ſtatu rerum ſuarum edocuit. tum adhibitis Bambergæ in conſilium Norici ac Saxoniæ primoribus ſedulo diſſeruit, Conradum vitio cōtraq; leges atque inſtituta maiorum Imperio irrepſiſſe: illum cum plurimis de cauſis indignum Auguſto faſtigio, tum priuatim ob commiſſum vna cum fratre perduellionis crimen, quod neq; proximo Cæſari Imperij inſignia reddidiſſet; & nulla pace ſubſequutà bellum, cui facem ipſe prætuliſſet, eadem noxa adhuc teneretur: quocirca ſe nequaquā ei dicturum ſacramentum. ſub hæc cōtumeliam conſpiratione inimicorum ſibi impoſitam, præcipitata ſuffragia in Cōrado Cæſare appellādo, ne intereſſet ipſe, expoſtulat, malam ipſius mentem, prauum atque infenſum animū alijs ſibi indicijs perſpectum eſſe affirmat. exitus orationis fuit, huiuſmodi iniuriā diſſimulari non poſſe: ius tempuſq; tradere ferrum in manus, quando ſemel rata optio retractari aut infringi nequeat. Itaque coactis magnis equitum & peditū copijs ante ad Conradum, qui tum Auguſtæ agebat, peruenit, quàm mouiſſe nunciaretur. ille oppido incluſus varijs modis placare inimicum ſtudet, vt quiete regno frui liceat: ex aduerſo Henricus poſtulat Hetruriam, Sardiniam, Vmbriam, Norimbergam ab Ateſtinis Principibus poſſeſſas, quo iure Lotharius conceſſiſſet, eodem ſolennibus tabulis ſibi addici: alioqui non niſi cum vita extorqueri ſibi poſſe. Conradus fruſtratus hominem noctu clam profugit Herbipolim Franconiæ vrbem, Vuirtzpurgum Teutones vulgo nuncupant. Eo conuentu procerum indicto, vt cunctos in Bauari excidium accenderet, ſic inquit. Factū (ſi hoc nomine infandum ſcelus appellare licet) quo nunc Henricus ſuum in me Auguſtamq; Maieſtatem, ac vos omnes, & in ipſam Germaniam animum nudauit, cuiuſmodi ante acta illius fuerint, ſatis ſuperq; documento eſt: quæ ſicubi videbātur obſcura aut culpę minus obnoxia, ab his, quæ nunc oculis cernimus, profecto lucem capiunt. quippe iſta vis præcipiti impetu Auguſtæ in me prompta nō modo patefacit, cur in concione de mea dignitate tam temere obloquutus ſit, ſed etiam certo demonſtrat illum nō Lotharium ęquiſſimum ac modeſtiſſimū Principem bellum Federico fratri meo intuliſſe; illum inquam, non Lotharium, qui ſi quid humanitus ſibi

contingeret, apud nos Imperij inſignia aſſeruari ſciuit, cauſa tum ſacras infulas retineri, vt iniquiſſimam calumniã probabili hac cauſa obtegeret atq; honeſtaret: nec aliũde, quam ab ſimulatione profecta ſunt, quę publicæ vtilitatis ſtudio, aut ſacroſancti Imperij, Romanæue ſedis in Italia geſta audiuimus. iam inde ab initio cũ opes affectaret pares ſummo faſtigio domi ſuæ collocando, tanta cupido erupit, vt cuius rei ipſe adhuc expers erat, hereditariam poſteris traditurus, ei manũ inijceret. hinc appetita comitiorum mora, quia ſperaret quoquo modo libera atq; incorrupta ſuffragia cunctando ad effrę natam libidinem ſuam traduci poſſe. Etſi autem per Pontifices Romanos licet arbitratu noſtro ſuffragationes diſpenſare, Innocentium tamen ac totam eam cohortem ambitioni ſuæ inſeruiſſet, quemadmodum pro re & tempore, quòd in illis gentibus nomen atq; imperium obtinet, Germaniam a ſedibus conuulſam in ſanctam ſedem vertiſſet. hoc ſibi fine propoſito Pontificiæ atq; Auguſtæ maieſtatis cauſam aliquando ſuſcepit. hic fuit ſenſus tum occultus nunc apertiſſimus laborum armorumque, quæ & cupide arripuit, & conſtanter geſſit. hanc ei qualitatem ſemen Ateſtinum largitur: ex his fructibus certiſſima indicia eliciuntur. Recens memoria eſt, quippe haud dum centeſimum quadrageſimum annum ſupergreſſa, cum Vgo Azonis parens, e quo noxia hæc ſtirps in Bauaria Saxoniaq; radices egit, ſumma ope contendit in vacuum Henrici ſolium Ardoinum Eporædienſem ab Italica nobilitate Auguſtum ſalutatum imponere. eadem cupiditas iſtum exagitat maiore inflammata face, quanto interius atq; in ſuum compendium peſtis deſæuit acerbius. quæ adeo immoderata eſt, vt nõ modo Italiam concuſſura, vbi præpotens illi cognatio eſt, vnde ætate noſtra Velſo ipſius auus prodijt, ſed etiam leges, inſtituta, atq; auctoritatem Cæſaris Germaniæq; quacũque ratione euerſura videatur. hũc furorem accendit odium in meos flagrantiſſimum: nempe quod frater Iuditham eius ſororem matrimonio ſibi iunxit, exiſtimat me dignitatem hanc repudiare, externæ ac tantum nõ nuper Germanis inſitæ genti condonare debuiſſe. At vnde locorum aduenæ genti? non ex Gallia, quæ ſicuti ex hac terra incolas eduxit ſuos, ſic eodem Imperij decus remiſit: verum ex Italia, quæ pati magnitudinẽ noſtram non poteſt: atq; adeo ex ſtirpe Atia Romanis imaginibus tumente, quæ ciuitas meram nos barbariem appellauit, noſtroq; ſanguine nouos aperuiſſe lacus profeſſa eſt. Itaque mirum neutiquã eſt, quanquam inſolenti atq; inaudito exemplo, ſi tanta animi temeritate in Cęſarem irruit, ſi iuſta propè obſidione cincto præſcripſit; ſi armis

ſi armis in eas anguſtias redigere tētauit, quibus vel dignitate ac vita exueretur, vel cōditiones iniquiſſimas acciperet. tot hac in re impuri illius animi veſtigia apparent, vt ſcelus minime mirandum ſit, quamuis paris amentiæ nulla ſuperiorū Cæſarum ætas populatibus teſtis ſit; ni vel militaris ſeditio, vel ipſorum imperantium ſecordia flagitiaue mali ſeges extiterint. At enim nec ea nunc Germanorum eſt inſolentia, nec meæ vitæ ratio, vt tam inſignem mihi contumeliam inurere debuerit. vna illa Henrici auiditas ſupremum gradum inuadendi, ad quem veſtræ me ſentētiæ vltro extulere: vnus regionis ac ſtirpis Italicæ fomes; vna deniq; obliqua mens hominem adegere præcipitem, vt illa in Cæſarem arma conuerteret, quæ pro ipſius ſalute prompta parataq; habere oportuit. Quis igitur veſtrum, imo quis vſpiam mortalium animo non plane abiecto, cui nota hęc ſint, in Henrico perſequendo regnum, vitam, atq; opes omnes nō libens offerat? quis Auguſtam Maieſtatē vindicare recuſabit? quis ſuas vires contra communem hoſtem conſociare ſubterfugiet? quis & illum & neceſſarios illius omnes radicitus extirpare non obnixe contendet? eo ventum profecto nunc eſt, vt niſi communibus conſilijs hanc peſtē repellamus ac penitus extinguamus, Cęſaris dignitas & huius clariſſimę prouinciæ nedum noſtræ ipſorum patriæ; ac nos ipſi extremum ſimus adituri periculum. Cum hæc Conradus diſſeruiſſet, de conſilij ſentētia Henricum Maieſtatis reum, hoſtemq; & Saxoniæ ac Norici imperio indignum pronuntiat. ille ſuarum ſibi virium conſcius, & par ſuſtinendo bello quoquouerſum legationibus dimiſſis quid egerit, quibus artibus circūuentus fuerit Germanos edocēdos, ſimul q̄plurimos ſocios cauſæ ſuæ adiungēdos curat. tum ad vltimum oceanū conceſſit, vt ex illis gentibus quàm maximas copias armaret, quas validis Bauarorum legionibus adijceret. ſed hæc parantem mors oppreſſit. anno eius ſeculi vndequa-
1139 dragesimo vita functus eodem quo ſocer ſepulchro conditur. Filium vnicum adhuc impuberem paterno nomine reliquit ex Getruda. Fatum peropportune principē abſtulit quantum viuentem magnitudine atq; audacia Germanis formidoloſum, tanto poſt obitum leuamento Staufenſibus ceteriſq; Auguſti ſectatoribus. verum ne ſolicitudine prorſus vacaret, ſuperſtes frater efficiebat. vulgata Henrici morte Cæſar Noricum Lupoldo vterino fratri ex Lupoldo Auſtriæ Marchione nato, Saxoniam beneficiario iure largitur Alberto Brandemburgi Marchioni, quem Otho Analthenſis ſuſceperat ex Eliſa altera Magni Bilingij filia. Velfo VIII. Henrici frater neq; eas prouincias Auguſto deberi, neque illum recte atque ordine

decreuiſſe

decreuiſſe arbitratus arma cepit: aduocatiſq; ſuarum partium regniq; primoribus huiuſmodi orationem habuit. Si Dij immortales Henricum fratrem meum aliquanto ſerius ad ſe vocaſſent, ea fuit aduerſus grauem atq; indignam Conradi Cæſaris iniuriam cauſæ ipſius æquitas, vt plane confidam quemadmodum iam armis ope numinis pœnas expetebat, ſic publicis litterarum monumentis, perinde ac circummiſſis legatis fecerat, orbi terrarum teſtaturum fuiſſe aduerſarium potius væcordia ſtimulatũ, quàm ratione ductum trucibus verbis Herbipoli exiſtimationi ipſius maculã aſperſiſſe; temerarium illud inſtar fulminis decretum pręter omne ius faſq; intorſiſſe. ſed quoniam illo orbati ſumus, illo inquam orbati, qui tanto ſtudio libertatem Germaniæ principum ab impotenti dominorum ambitione vindicatã, non iuſto Cęſarum imperio ſubtractam conſeruare contendit, noſtrum & munus & lucrum eſt, non dico illius veſtigijs inſiſtere, quamuis acutis tantum decoris ſtimulis vrgeretur; ſed non repugnantes, quin iſte rite inauguratus ac iuſtus Cæſar habeatur, ſtatuere animis quod noſtri iuris mãcipijq; eſt, per illius poteſtatis ſuperbiam non ſinere nobis eripi: nec vlla ratione permittere id e noſtra exportari domo, quod & in illã ſuperi benigne congeſſerunt, & naturæ ordine, ac maiorum noſtrorum virtute honeſtiſſimis nominibus poſſidemus: neque cuius ego filiuſq; ipſius culpæ expertes ſumus, eã nobis adſcribi. quinimo ſi Henricus, vti vos optime noſtis, & ipſe mox oſtendam, eiuſmodi ignominia omnino indignus fuit: ac ſi maxime dignus, quod falſum eſt, nullam ex ea noxa labem nos concipere potuimus; indignũ profecto eſt puerum hunc fratris filium nulla dum cõtrouerſia in lucem editum Saxonia ac Bauaria euertere: indigniſſimum regno, quod Velfones olim renuerunt, me ipſum patris nõ fratris heredem harum litium immunem, nuſquam aut cõdemnatum, aut ſaltem in ius vocatum expellere. Quoniã autem qui ratione mouetur, ſemper illi magis ac magis obſecundat; contra immoderatis animi affectibus ſeſe dedens longius a recta rapitur via; manifeſto apparet, vt ſe Conradus ab initio atrocis ſuæ indignationis geſſit, quam ab honeſtate magis multo in horas diſcedens iræ ſe totum tradiderit, priuato commodo incubuerit: quippe quia ampliſſimam imperij noſtri partem fratri tribuit reſtitutione eo moleſtiore ſine dubio futura, quo plus in iniuria ac violentia obduruit. itaq; quàm laudabilis eius in Henricum impetus extiterit inde colligere eſt, quod quem aliquando placari par fuit, nullum excandeſcendi finem fecit. etenim extincto iniuriæ auctore, quem ſpirantem bonis non exuit, quid eſt quod

poſtea

poſtea ſpoliarit eos, qui vel laceſſiti quieuere, qui Cęſarem ipſum agnoſcebant, qui vti principem reuerebantur, cui ſanguinem ſuum poſthabuerant? illud etiam certiſſimum fraternæ innocentiæ teſtimonium eſt, quòd quem proprijs non poterat, alienis criminibus onerauit: ſcilicet reus maieſtatis nō ſatis inuidia laborat ſua, vt cumulare externam neceſſe ſit. Quæ vt ſumpta obtentui calumniarū conſtet, ecquis Germanorum ignorat quam quiete frater meus viueret, quibus ſtimulis a Lothario belli in Federicum auctore ſit ſubactus? quis non immortalem propè diligentiam agnoſcit in Italicis rebus ex Imperij ac ſedis Pontificiæ vſu conſtituendis; quæ cum re ipſa ſummis laudibus fuerit digniſſima, qui trahi in peiorē partem debet, vt directa omnia credātur ad ſupremā dignitatem conſequendam? quaſi vero ſceleri non laudi verti debeat ſpes honoris ſummi ex præclaris cōcepta facinoribus, quaſi ſublimia inſigniaq; facta, de quibus vtrunq; fidei Chriſtianæ caput nequit conſentire, interpretationē aliquam Germaniæ amplitudini aduerſam poſſint admittere. ſic ſe publicæ vtilitatis ac ſalutis cupidum probauit, vt nulla vnquā odij nebula, nulla venenatæ linguæ petulantia ei pietati tenebras ſit offuſura. hāc ipſius innocentiā mihi re perſpectam, vobis etiam viri proceres patefecit candor dictis factiſque perpetuo vſurpatus. vos ego qui adeſtis, quique intima illius vſi conſuetudine ab cœtu noſtro abeſtis, vos omnes apertiſſimarum actionum teſtes appello: in quarum propoſitū vel ſi occultæ & clandeſtinæ extitiſſent, non tanta cura decuit inquirere. Sed aſpexerint ſanè nonnulli parum lætis oculis fratris mei facta, peſſime etiam acceperint: quid per deos immortales inhumanius eſt, quàm odiſſe, quàm finibus ſuis exterminare, quem cum vetera tum noua atq; arctiſſima amoris, ſanguinis, ac mutuæ beneficentiæ vincula huc trahunt? qui in hac tellure, ſub hoc cælo domicilium ſibi delegit? id vero nobis vſu venit, qui pręter antiquiſſimam cognationem Noricis ac Sueuis cōnubijs cōplures Cæſarum filias domi habuimus, & Germani cenſemur, tum in eadem nati terra, tum Germano parente ſati, licet auctore ſtirpis alienigena, & Velſonum materno iure ſucceſſore. Sed quænam illum regiò huc miſit? non Gotthia, non Suetia, non frigore torpens plaga vlla latrocinijs in agros noſtros infamis, ſed Italia, cuius delitiæ & auctoritas Germanico robori admixtæ terram ipſam tantopere mitigarunt atq; illuſtrarunt: Italia Auguſtorum & diſciplinæ militaris parens, cuius fœtus huc tranſlati in eam, quam noſtra cū eximia gloria cernimus, magnitudinem adoleuerunt. Italia inquam non paſſa modo Romā ipſam creandi Cæ-

ſaris

ſaris iure ſeſe ſpoliari, vti nos, quos ipſa conſpirantes & tanto oneri ferendo cenſuit idoneos, illo condecoraret; ſed æquo atq; etiam læto tulit animo grauiſſimum atq; ampliſſimũ hoc paludamentum perpetua noſtrarum manuum diſtributione conſerri. Sic oportuit Conradum principem alioqui excelſum minime obliquis oculis aſpicere, quæ Italia genti noſtræ decora vere communicet, non vero quia maiorum meorũ inde origo eſt, tempora remotiſſima curioſe inueſtigare, cum neque leges, neq; inſtituta, aut commercia, tantum abeſt vt nobiles affinitates aliquam cõmunitatis neceſſitudinem conflarent. ſic æquius fuit intuentem vetuſtiſſimã familiam & clariſſima in gente ſummi nominis ſplẽdoriſq; tranſlatam in regnum, quod nunc ipſe adminiſtrat, aliquanto maiore humanitate eam complecti, quàm fortaſſe indigenas natali ſolo ſponte addictos comprehendiſſet; maxime cum ageretur de proceribus, qui totius prouinciæ nobiliſſimis annumerãtur, neq; alieni omnino ſunt ab ipſius domo, quam nos ſemper aliàs beneuolentia non odio, vt ipſe comminiſcitur, ſumus proſecuti; & qui ad Germanos Cæſares cognatione primordia ſua referunt. nec vero illi cum maioribus noſtris ſumma imperia, magnos exercitus cõmittebant, hinc aduerſus Burgũdionem & Saracenum hoſtem, aliaſq; eiuſmodi nationes, illinc aduerſus Boemos, & Pannonios: cum Danos alioſq; populos vectigales faciebãt, clades illatas huic inuictiſſimæ prouinciæ, quàm nos inauſpicato ſeuiſſe nimis inuidioſe arguimur, ampliſſimo impetio, & honoribus remunerabantur, ſed fortia ſacta debitis ornanant præmijs: vt maligne, quemadmodum mihi renuntiatum eſt, inſimulatus ſit Vgo Azonis conditoris noſtri parens, quippe aliena inuidia, quæ Henticum in ipſum inſtigauit, coactus ad Græcum Cæſarem tranſijt, mox vt per occaſionem licuit, cum eodem Henrico in gratiá redijt, multas in fide ipſius prouincias pręcipue Hetruriam celebri etiam nunc ſama continuit. Ac plurimę ſunt cauſę, cur Cæſar progeniem noſtram magni pendat, non pertinaci inuidia mordeat, ſicuti etiam non decuit oppugnatam ab Henrico Auguſtam magnificẽtius extollere: quid enim mirum ſi ab clauſo inimico ius ſuum repetijt, ſi ne amicus quidem de ea poſtulatione poteſt conqueri? cuius iracundiæ facem, tametſi illum fugæ dedecus vehementius incenderit, ſuggeſſeritq; verba & facta plane indigna, reſtinxiſſe debuit, cum eius, a quo ſe lęſum dicit, vitæ fine contumeliæ finis ſit impoſitus, & leuatum onus abolẽdæ ignominiæ, pręſertim quòd, vt dixi, periniquum ſit infantem patre orbatum longeq; ante hoſce tumultus genitum tãquam paternæ voluntatis labe

infectum

infectum pœnas dare. etenim ſummum illud ius, quod quæ de parentibus ſupplicia ſumere non licuit, a liberis repoſcit, ad certiſſimum germanæ rebellionis crimen pertinet, & tum illorũ auctoritate potius nititur, qui potentium auribus blandiuntur, tum ab ea atrocitate mortales deterrere vult, quàm vt vlla naturæ ratione probetur, non modo conſentaneo Chriſtianæ religioni iudicio, q̃ ſolam æquitatem & clementiã ſpectat. Imbecilla profeſto Henrici ætas, recens Lotharij aui memoria, cuius inter genua tot in principum conſpectu toties luſitauit, vnde illi multo ampliſſimam fortunam omnes deſpondebant, nõ acerbum & hoſtile odium, ſed honeſtam innocentis pupilli tutelam a Cæſare poſtulat. ſed recte fecerit Cæſar, iuſtam pronuntiauerit ſententiam, etſi quilibet intelligit in damnatione contemptam penitus iudiciorum religionem: licuerit Henricum Norico, & Saxonia deturbare, quænam lex aut interpretatio prudẽtum me meo regno exiget, quod vt a principio dixi, nec fratri debeo, & ab eius cauſa alieniſſimum eſt; quod, mitto ius mulierum ſucceſſione quæſitum, audacia meruimus, opes, ſpes noſtras atq; animos pro Auguſta maieſtate in diſcrimen offerẽtes. Itaq; viri proceres, ſi vt perſpicitis, rationes meæ iuſtam mihi defenſionem præſcribunt, quod popularium ſalutem, regnum, iura gẽtilitia vitæ longe debeã anteferre; ſi ab furore & auaritia Cõradi periculum eſt, ne quo ſuos augeat, in aliotum fortunas identidem inuolet, atq; ideo maxime pertimeſcendum eſt, ne non coercitus qua aliorum ditionem principum, qua priuatorum facultates violenter corripiat, ſi non Conradum vt Cęſarem, Conradum ipſum vt Auguſti muneris violatorem petimus, eſtote precor atque obteſtor parati omnes ad illa arma induenda, quæ nobis iuſtitia ac neceſſitas ſubminiſtrat; eſtote ob glorioſam Velfonum memoriã paratiſſimi, quos non dignitatum modo inſignibus, & ſanguine materno rebus ſanè externis nos referimus, verum illo interiori ſenſu, illa intima animorum propenſione, quibus illi perpetuo quodã humanitatis atq; officiorum tenore ſuam in vos beneuolentiam ac ſtudium declarauerunt: eſtote rurſum paratiſſimi ad tuẽdum eum principem, qui vti ante ſemper, ſic in poſterum quãcunq; dij fortunam dederint, vobiſcum eſt communicaturus. denique ob certam atque exploratam victoriam, quam vobis de Conradi exercitu facile poteſtis polliceri, quando neminem fugit, quæ ſit eius virtus, quibus ducibus maxime confidat: tum ob pręmia, quæ nobis hoſtis debellatus, iuſtæ, communis ac grauiſſimæ cauſæ patrocinium, & partum egregij nominis decus largientur. Ea oratione Velfo in-

P flammatis

flammatis ad bellum omnium animis, ac trifariam diuiſo exercitu Valeium, quod eſt oppidum Vindeliciæ Lico amni impoſitum, iter intendit. ſtatiua illic habebat Leopoldus ea cũ manu, quam ex Norico ac Sueuia conflauerat, & cum auxilijs Analthenſium principũ. erãt in exercitu Henricus Reningæ & Albertus Arci Comites vterq; arcanorum Cæſaris arbiter magna homines auctoritate, ceterum litterarum ſtudijs pace quàm bello meliores. cum caſtra caſtris contuliſſent, ac paruis primo ſe prçlijs laceſſiſſent, paulatim maioribus viribus in certamen deſcenſum: ibi dum crebro caſtra mutant, Velfo hoſtium equitatum a peditatu diſiunctum conſpicatus, vt a mutuo vtrunque ſubſidio intercluderet, opportunis locis conſedit, inde facta in equitem impreſſione ſtatim eum auertit, mox ad pedites conuertitur, ac iam nõ dubia ſpe victorię Leopoldum tãdem fudit, exercitum late cecidit, inter ceteros vtrunq; Comitem. Dux cum ex fuga Ratiſbonã ſe recepiſſet, ab oppidanis excluſus prę animi ægritudine cõtracto morbo intra paucos dies obijt. Eo profectus Cæſar nouas copias conſcripſit, vnde Velfoni nonnihil moræ iniectũ eſt. Henricus in Leopoldi fratris locum Bauariæ Dux datur, ducta in matrimonium Getruda, quam Henricus Saxo in viduitate reliquerat. mulier non auſa palam conditionem repudiare tantum doloris cepit, vt in ipſis nuptijs, quæ anno eius ſeculi altero & quadrageſimo celebratæ ſunt, atra bile correpta tandem vita exceſſerit. Iiſdem diebus defunctus eſt Velfo Marchio hac in gẽte Secundus nominis iſtius. ille vero princeps id vocabuli tulit, quem ob Velfones Germanicos, quorum Quinto ſucceſſit, Sextum recenſuimus. moritur & Vgo v. Marchio, cuius frater II. Velfo extitit, vtriuſq; pater Azo VI. horum frater Fulco II. reliquus Velfonem IIII. (Tertius Velfone II. natus eſt) Bonifacium, Opizonem, Fulconem III. & Albertum procreauit Quarti omnes appellatione diſtinctos, qui vnà cum Rainaldo Bertoldi filio certiores facti, quo loco Velfonis res in Norico tunc eſſent, quibuſcunque rebus potueruut, illum iuuere, quamuis & ipſi laborante haud mediocriter Italia ſua reſpicere cogerentur. Rogerius Siciliæ Rex pecunia eundem inſtruxit. etenim ſubacta iterum Calabria & Apulia Cõradum metuens Germanicis bellis illum implicari cupiebat, vt ab repetẽda Neapoli auerteretur. Geiſa quoq; Pannoniæ Rex mille equites ſua impenſa auxilio miſit, & cõuenere in caſtra, quibus vel ſuperiores Saxoniæ & Bauariæ Duces beneficia dederant, vel Staufenſes, Analthenſes, atq; Auſtriaci odio erant, ita vt aſſiduis in Sueuiam vſq; excurſionibus magnam vaſtitatem Conradi finibus intulerit. Cæſar animaduertens vniuer-

1142

ſam Pannoniã cum Velſone cõſpiraſſe, & homines populationibus aſſuetos in Auſtriã confinem audacter penetrare, ac Bauaros ne intra tecta quidem ab latrocinijs huiuſmodi ſatis tutos, adiecit animũ
1145 ad affinitatem Emanuelis, qui eo ipſo anno XLV. poſt Ioannem II. Orientis imperium adeptus fuerat. idcirco Berta, quam Græci Irenen vocãt, priuigna ex Getruda vxore & Gebehardo Iuuauienſi Comite Byzantium miſſa: quippe tam illuſtri matrimonio, & diſſipato rumore expeditionis decretæ contra Saracenos ſperauit omnes Germaniæ tumultus ſedatum iri, & ſuas etiam in partes Eugenium III. deſcenſurum, qui eodem anno poſt Innocentium, Celeſtinum, & Lucium, ſingulos Secundi appellatione notatos ad Pontificatum peruenerat. Nec ad irritum ſpes omnino cecidit: vix .n. audijt Bernardus Abbas pios moliri arma in impios, cum Eugenio auctor fuit inter Cæſarem & Velſonem inducias conficeret, quoad tam iuſto bello Aſia perdomaretur. amplexus conſilium Pontifex, quem auctorem habuit, eundem & miniſtrũ delegit. Abbati, cui plurimum fidei habebat, ſcilicet maiore indies diuinitatis fama, ac miraculis conſpicuo, præterea ſpiritu veritatis & ſingulari facundia nihil non perſuaſuro tota res commiſſa eſt. ille Cæſarem primum conuentum reperit non inducijs modo, ſed quauis æqua conditione paratum tranſigere. inde ad Ateſtinum pertexit, quem ſic alloquutus fertur. Si pax natura ſua ſemper eſt bona, ſemper expetẽda, vir Illuſtris, dubium eſſe non debet, quin, quotieſcunq; ea illam conſequantur cõmoda, vt multo inde maior in omnes partes redũdet vtilitas, quàm ſi bello decernatur, & certa, plena, atq; opulentiſſima victoria reportetur, ea optima ſit habenda, ac ceteris omnibus rebus anteferenda. quamobrem cognito horum temporum ſtatu ſanctiſſimus Pontifex ac rerum Germanicarum cõditione, adductus Cæſaris tuaque, quos longe plurimi facit ex omnibus proceribus, flagrantiſſima in religionem pietate (vos quidem alibi maxime diſcordes hic planè conſentitis, & quanquam alter alteri maieſtate imperij præſtet, ambo tamen cognatione, clientelis, regni amplitudine ac ſocijs longe principes eſtis) haud dubitat, quin paribus ſtudijs iniurias mutuo condonetis, & cum animis veſtris cogitetis, quam mirificos fructus datura ſit conſenſio inter duo multo potentiſſima Chriſti membra pro Chriſti religione cõtra efferatos Chriſti hoſtes tanto arctius conſpiratura, quanto plus detrimenti vindex ac ſeruator noſter ex iſtiuſmodi publica diſſenſione capit: quæ cũ ſemper obeſt triſtitiæ, diſcordiarum, omnium malorum abunde fœcunda, tum maxime peſtifera eſt, quòd ex ea hoſtibus noſtris in nos animi vi-

reſq; creſcunt. Atquinam iuſtius ſint loco hoſtium, quam qui diuino illi amori, vnde noſtra repeti origo debet, reluctantur? ad quem vel minima tacti ſcintilla tãtopere rapimur, in quo digni habiti tali munere, ne quid ſupremæ felicitati deſit, optatiſſimã quietem conſequemur? diuino inquam amori, qui vnus ſicuti veræ vitę fons eſt, ita quidquid ipſi repugnat, ad veram pręcipitat mortem? itaq; immanibus Turcis aditum prębere, & cunctando eorum vires alere, nihil ſane aliud eſt, quàm a ſalutis ſemita diſcedere: nam ſegnitie noſtra maiora indies incrementa capiunt, quorum in manu eſt exultantes impigre coercere: nos priuato compendio æquo, an iniquo, tum ancipiti longinqui auxilij ſpe, propinquo vero ob leuitatem animorum haud prudenter fidẽtes (hoc ad Pannonium, illud ad Siculũ pertinebat) nos ipſos potius perditum ire volumus, quos germanitas, quos vnus atq; idem parens & ſalutis auctor coniungit, quàm illis obſiſtere, qui nobiſcum de animorum beatitudine multo acerbiſſimo odio digladiantur, & quibus oppugnandis cæli fores aperimus. Quin ſi te magnanime Princeps non fugit cedere priuatam publicæ cauſæ, & cuiuis clienti atq; alterius ſtipendijs addicto illud iniungi, vt pericula ſua patroni Imperatorisve cõmodis viliora ducat, cur non tu quoq; ſimultates tuas cum Cæſare negligis præ cauſa totius religionis Chriſtianæ, ac præpotentis Dei honore, quem veſtræ atq; omnium poteſtatis regem ſolum veneramur? Sancti profecto ſunt, qui ſe Deo deuouent: ſancta eorum facta omnia, vt magni nõ de nihilo ſanctorum hominum mors etiam æſtimetur. quapropter ſi tu ſanctiſſima conſpiratione in Saracenos eas, eaq; te militia viuis eximat, ſanctiſſimus profecto ſit e vita diſceſſus. quam ſpecioſi ſunt eorum pedes, qui verbum Dei enunciant? veſtros eo tendentium, vbi fidẽ ſeruatoris veſtri non lingua, ſed ſanguine teſtificemini, quæ gloria ſequetur? interim dum poteſt inueniri, quæretur dominus. ecquod vnquam expeditius iter ad ipſius gratiam pateat, quàm quo nos Oriens vocat: quæ crux ex Magiſtri diſciplina cõmodius noſtrorum cordium feretur dorſo cum & noſtri contemptione, id eſt omnium affectuum atq; immoderatæ cupiditatis, diuitiarum aut imperij, vnde in tetro delictorum ſquallore, atq; in ipſa ſcelera mutati contabeſcimus, quàm pręſens hæc, quæ in ſupremo malorũ omnium faſtigio martyrum coronam nobis imponit? Teſtes mihi ſunt heroes, qui tum occidere cum ſancta regio in placidiſſimo diuinæ Maieſtatis conſpectu armis recuperata eſt: teſtes qui capto Balduino dũ Hieroſolyma tuentur, ac Tyrum expugnant, ſagittis cõmunium hoſtium corpora

expo-

expoſuere, atque illorum libidini reliquere in ęternæ felicitatis domicilium auolantes. hæ tibi animæ veſtigijs ſuis viam monſtrant: hæ aſſidue inuitant, hortantur, atq; incendunt ad tam pręclarum, tamq; te dignum facinus; Pontifex quoque, vt decet Chriſti Vicarium, nullum vel diligentis paſtoris vel indulgentis patris officium prętermittens in memoriam reuocat, pluris eſſe hoc bellum, in quo cęleſtes legiones pro te ſigna explicabunt, quàm alterum iſtud iuſte quidem, vt ipſe putat, ſuſceptum geſtumq́, non ſic tamen, quin tãquam e fertili malorum ſegete hoſtis humani generis plurimũ gaudij metat, quod ſine controuerſia multo leuius ſit, nec vllo modo conferẽdum cum eo, quod ſuadet, vt diuina cauſa humanæ, lucrum publicum multorum iacturæ, cæleſtis denique felicitas terrenis miſerijs anteponatur. Hæc cum Abbas peroraſſet, reſpõdit Velfo iuſtiſſimis de cauſis ſe arma ſumpſiſſe, quas tum accuratius explicauit, & ſi eaſdẽ Pontifici, ac nobiliſſimis totius nominis Chriſtiani principibus antea communicaſſet: a ſe ius faſq; ſtare, aduerſarium in eo belli feruore longe deteriore conditione eſſe, proinde ſuperuenientibus indies nouis ſocijs non ſperare modo ſe recuperaturum, quę per ſummam iniuriam amiſiſſet, ſed etiam maleficium cumulatius vindicaturum. controuerſiam non priuatam eſſe, ſed communem vetuſtiſſimæ familiæ poſteriſque, populorũ, qui miſere vexẽtur, ſalutem in ea, atq; ampliſſimæ prouinciæ quietem ac ſecuritatem verti: poſtulari a ſe, vt quas gentes fidei ſuæ Deus crediderit, tutas inuiolatasq; pręſtet. non ſe vnum tamen tam ſalutari ac pio negotio obtrectare, ſed ex animo fauere paratũq; eo ſanguinem, opes omnes nihilo ſegnius, quàm alium quemuis conferre. Huiuſmodi teſtificationem animi cum Bernardus Cæſari renuntiaſſet, effecit vt eo vterq; ſtaret, quod Eugenius ſtatuiſſet, induciæ in biennium fierent, de recẽti poſſeſſione nihil mutaretur. Velfo Bernardi oratione non mediocriter permotus, quo etiam petente aliquot nobilia cœnobia ędificauit, conditionem accepit teſtatus cum primum induciarum dies exiſſet, ſeſe cõfeſtim atq; vltro bellũ redintegrare velle. profectus deinde Damaſcum eſt cum Auguſto, quem paulo poſt eſt conſequutus Rex Francus, vnaq; affuerunt Vldericus & Ladiſlaus Boemiæ, Stephanus Lotharingiæ Duces, nec non duo Henrici Ratiſbonenſium & Tullenſium Pontifices, item Otho Cæſaris frater Friſingæ, Odoagrius Stiriæ Epiſcopi, ac Federicus eodem nomine quo pater Sueuiæ Dux Cæſarisq; germanus. Emenſi Pannoniam, Mœſiam, & Thraciam Byzantium peruenere. inde in Bithiniam, Pamphiliam, ac Ciliciam peruaſerunt a barbaris, ſed multo

a Græcis

a Græcis deterius accepti, qui vel Emanuelis ipſius iuſſu, vel naturali in Cæſarem Germanum odio ceteris inſignem hanc fraudem addidere, vt farinæ, ex qua panis militaris conficiebatur, gypſum & calcem admiſcerēt. propterea quemadmodum eorum temporum æquales auctores referunt, ad ſeptingenta armatorum millia nihil prorſus memoratu dignum geſſerunt, ſed partim ſigna deſeruerūt, partim ferro ac fame interierunt. quin propè fuit, vt Francus dum reuertitur, a Græcis captiuus fieret. is voti, quod in diſcrimine vouiſſet, reus auguſtiſſimū apud Gallęcos Diui Iacobi templum adijt, Alfonſum quoque Regem Caſtulonenſem ſocerum ex itinere inuiſurus: Germani proceres terreſtri itinere cū Cæſare in Germaniam remearunt: Velfo æger nauem conſcēdit, deuectusq; Ægeo eſt tum vt in Sardiniam atq; Hetruriam deſcenſione facta populis illis pro tempore, quod re ipſa prętitit, pręſens conſuleret, tum vt in Siciliam appelleret ad veterem cum illo rege ſocietatem confirmandam: quod rebus ſuis inhianti, ac bellū aduerſus Conradum concoquenti plurimo ſibi vſui futurum prouidebat. Etenim ſimul ac domum rediſſet inducijs iam exactis Flochbergum oppugnauit, in qua re ſcriptores variant, Vrſpergenſis pulſum, alij oppidi factum compotem tradunt, haud obſcuro iam conſilij ipſius teſtimonio. ceterum Federicus Sueuus, qui ſicuti prędiximus, vnà ſacram militiam profeſſus fuerat, ac tota ea expeditione amicum ſe ac beneuolū Velfoni prębuerat, alioqui ex Iuditha ipſius ſorore natus apud patruū interceſſit, easq; cōditiones impetrauit, vt Ateſtinus recepta ditionis interceptæ portione deinceps quieſceret. Italicæ res, quas abſenti ordinare perdifficile erat, Conradum facilius huc perpulere: Bernardus & ipſe litteris monuit, vt cum Pontifice conſentiret vſurpato Salomonis dicto fratres mutuo ſeſe auxilio conſolati: diſcordes plurimis malis conflictari eadem planè exhortationis formula, qua apud Lotharium dudum vſus fuerat, qui ſummum in terris locum obtineat, ei curæ eſſe debere, quæ Cæſaris ſunt Cæſari, quæ Dei Deo vt cedant: quando non minus interſit ſacroſanctá tiaram, quàm quod ipſe capite diadema gerat, venerabilia omnibus gentibus exiſtere, hinc Regis, inde Patroni nomen quæri. mouebant Conradum ſuper Bernardi monita cum iam Romana plebs infenſa Eugenio eum in Galliam profugere coegiſſet, vnde ſynodus Remenſis nata, complures minime leues cauſæ, pręcipue Picentium & Ciſalpinorum tumultus, vt in Italiam tranſeundū ſibi omnino exiſtimaret. Accidit autem peropportune, vt frequentem manum ad Ateſtinum propulſandum ſub ſignis haberet, qua exequeretur cogitata

gitata, ſed Bambergæ mors cœptis interuenit anno eius ſeculi altero & quinquageſimo, ad xv. Kal. Ma. Iam Staufenſes ſummũ Imperium ad ſe deriuarant, quod ex ſuperiorum temporum conſuetudine propter familiæ amplitudinem atq; opes diuturnum apud eos fuit. Quocirca Federicus Sueuus in patrui locum ſubrogatur, eo procliuius quod Velfonem auunculum haberet, qui vti alibi a nobis eſt commemoratum, ſine controuerſia primas ſecundum Cæſarem nihilo maioribus ſuis inferior tenebat. Henricus I.X. Ateſtinus ex ſeueritate atq; animi magnitudine poſtea cognomento Leo, quem infantem ab Henrico Superbo Saxoniæ Duce relictum demonſtrauimus, arrepta occaſione ad Cæſarem acceſſit, atq; in ius Henricum Auſtriacũ vitricum vocauit: ſed diſceptatione in aliud tempus reiecta Auguſtus in Italiã ꝓfectus eſt comite Henrico, quo cum Bonif. IIII. & Fulco III. in pago Pouellano haud procul Verona veterẽ neceſſitudinem & ſanguinis coniunctionem confirmarunt: ſimul liberam ac perpetuã ab eo ceſſionem ſibi & fratribus Opizoni IIII. & Alberto itidem IIII. obtinuerũt partis Ateſtinæ Tetrarchiæ ad illum pertinẽtis. Cæſar anno illius ſeculi LV. inauguratur ab Adriano IIII. qui per eos dies Anaſtaſio itidem IIII. ſucceſſerat poſt Eugenij reditum e Gallia, atq; obitum, qui in huius celebritatis annum incidit. mox cognationis, quæ ſibi cũ Velfone intercedebat memor, & remuneratus mirificum ipſius ſtudium, dum imperium ambit, Sardiniæ, Vmbriæ, Hetruriæ regna illi affirmauit, quæ in eum collata diſerte tradit Canonicus Raudericus. ille poſſeſſione apprehẽſa populos nouo ſacramento adegit. Federicus difficili rerum Italicarum exitu domum reuerſus Ratiſbonæ regia tũ vrbe eodem fermè modo, quo ante Goſlariæ in Saxonia, diſcordias inter priuignum vitricumq; cõpoſuit. Auſtriacum abolito Marchionis nomine Ducem appellauit auctum tribus Norici prǽfecturis, qua in Orientem vergit ab Oeni oſtio ad Anaſſum circiter ſexaginta millium paſſuum in longitudinem, ac totidem Taurum verſus & ad Maricæ amnis fontem: reliquas ſeptem, quæ ad ſolem Occidentem ſpectant, Ateſtino tribuit cum totidem vexillis, ſicuti pro partium numero tria etiam Auſtriaco contulerat. Ladiſlaus, qui Boemia nec dum regni titulo honeſtata, regium deinde nomen ſumpſit, anno LVI. XV. Kal. Oct. decretum recitauit. Comites Bertoldi Bogenſis & Andechius, Gebehardus Hallenſis, Henricus Ratiſbonæ prǽfectus & Otho fratres, ac primores alij in Henrici verba iurauerũt. ita pacato eo tractu nouis Piceni ac ciſalpinæ Galliæ turbis Cæſar in Italiã retrahitur, prǽmiſſo Othone Vuitelſpachio, qui Græcis Ancone & Arimino expul-

ſis ad

Margin dates: 1152 (beside "ro & quinquageſimo"), 1154 (beside "cta Auguſtus in Italiã"), 1155 (beside "pertinẽtis"), 1156 (beside "honeſtata").

ſis ad Auguſtum contendit. tum omnibus in vnum contractis copijs itum in Mediolanenſes, ſuburbanus ager igne populatus, Romana turris oppugnata, Trecium in poteſtatem venit, hoſtes cum Brixianis & finitimis grandi pecunia mulctati imperata fecere: Brixiani trecentis ſexaginta aureorum nummũ millibus noxam luere: in quorum fines commodum Federicus peruenerat, cum Inſubres ad Laudem Pompeij caſtra locãt. miſit in illud pręſidium aliquot cohortes Auguſtus; Nouariam, Ticinum, atq; alia ſuarum partium oppida opportune firmauit, poſt alpes rurſum tranſcendit. ſed vix iuga ſuperauerat, cũ Inſubres iterum rebellant, & Trecienſes adorti capiunt, vrbes omnes, quæ ſeſe in fidẽ Cæſaris dediderãt, eadem tabe infectas ſibi adiungunt. Ad primum nuntium Federicus exercitum multo ampliorem comparat, ſummæ rerum proceres Ateſtinos Henricum & Velfonem pręponit; qui ex Norico, Saxonia, atq; alijs ditionis ſuæ locis non contemnendã equitum ac peditum manum conflarunt. his, vt certo ſcirent par induſtriæ pręmium futurum, datur fides procurationem Inſubrium ipſorum familiæ reſtitutum iri. Progreſſi in hoſticum Gardo, vnde nomen propinquo lacui inditum, potiuntur, viaq; ferro patefacta ad Cæſarem erumpunt, qui anno duodeſexageſimo comitãtibus Conrado fratre, La- 1158 diſlao Boemiæ rege, Federico Sueuiæ, Henrico Auſtriæ, Bertoldo Zeringiæ Ducibus, Catulo Norico principe, Cõrado Dalmatiæ Duce, Coberto Neoburgi Comite, Henrico Iſtriæ, Odoardo Stiriæ regulis, ac magno procerum agmine e Germania aduenerat. exercitus in hoſtilem agrum inductus eum longe lateq; vaſtauit. ad vim arcendam conſilia armaque cum Mediolanenſibus conſociauerant Brixiani, Bergomates, Vicetini, Veronenſes, Patauini; Tauriſani, Bononienſes, Ferrarienſes, Mutinenſes, ac Regienſes præfecto copiarũ Rainaldo Ateſtino Marchione, cui ſe Opizo IIII. patris paulo ante defuncti ſucceſſorem coniunxerat. Dux non exercitato, ſed vt neceſſitas cogebat, tumultuario milite collecto acie cum Germano conflixit: pugnatum eſt vtrinque ſummo animorum ardore ac pari ſtrage. verũ etſi Cęſar accepto in brachio & tibia vulnere coactus fuiſſet Laudem Põpeiam ſecedere, & princeps Catulus, nec nõ Dalmatiæ ac Stiriæ Duces, Comes Neoburgenſis, & Beoduni Pontifex cecidiſſent, Mediolanẽſes tamen, quod hoſti longe eſſent numero inferiores, mœnibus ſe tutaturi prælio deinceps temperauerunt. ſocij ſolemnes promiſſiones haud re æquantes, ac ſegniores ad ſubeunda munera, quia Mediolanenſem per ſe bello tolerando eſſe exiſtimabant, diſſentire inter ſe cœperunt. quapropter Rainaldus ne-

dus negligentiam & fœderatorum diſcordias perſpiciens, quibus quantum ex multitudine ac varietate ſententiarum accedebat, tantum ſubſidijs detrahebatur, palam in cōcione munere ſe abdicauit quid conſilij tandem caperent, prǽſtolans: tum & Velſo eognatos ſuos Italicæ ſtirpis Cæſari reconciliauit, ipſe Opizoni & Velſoni fratribus, quos a Marchionibus eodem nomine vna Quarti nota diſtinguebat, in perpetui beneficij loco aliquot Ateſtinæ Tetrarchiæ caſtra largitus eſt, quæ hereditatis iure ad ſe pertinere dictitabat,
1159 quemadmodum apparet ex tabulis anno quinquageſimo nono cōfectis, vnde etiam elicimus hunc ipſum Opizonem Ligutum & Inſubrum Marchionē vocatum fuiſſe. Interim Cæſar cum exercitu in Cremenſem agrum venerat, nihil ad potiundum oppidum reliqui ſibi facturus, vt ſi res ſucceſſiſſet, alia citerioris Galliæ municipia ad officium facilius reduceret, miſſo Henrico, qui Auguſtam e Germania aduentantem ad ſe deduceret. is imperio perfunctus cum ſua manu in caſtra iam mœnibus admota XIIII. Kal. Aug. redijt. Cæſar quantum ſpatij eſt ab porta trans amnem Serrum ad Riuoltam occuparat. Conradus e regione portæ Vmbrianæ, Sueuus ad Magolfum, is eſt locus inter hanc, & quam Planengi portam dicūt, inſederat. poſt hos Henticus caſtra ſua Cæſarianis ad Serrianam portam applicarat cū Ticinenſibus cohortibus, Auguſta Laudē Pompeiam ſubmota. ſuper hos patruus Velſo poſt aduerſum prælium nouo ex Germania ſupplemento auctus Cæſari ſeſe iunxit: ita arctius circūuallati hoſtes. ſed eorum & prætérea Mediolanenſium, qui in prǽſidio erant; crebræ eruptiones nunc Cremonenſes nunc Ticinenſes, maxime autem omnium Germanos exercebant. Ceterum tum geſta alioqui per ſe parum memoratu digna vna etiam lignea turris oblitterat, pro qua pertinacitet dimicatū eſt, nimirum oppidanis valde incommoda; huic quinæ obiectæ machinæ, quæ multiplici tabulato hoſtile vallum ſuperabant; inde ſaxa atq; ignis fuſilis in opus iaciebantur. Germani, vt ictus auerterent, productos quos ciuiū captiuos obſideſq; habebāt, reſte pro eo vinxerunt, quo ſuorum caritate parentes, fratres, atq; liberi ac propinqui permoti a munitione abſtinerent. ea ſolertia vana euaſit, nam crudeſcente in dies bello, cum par vtrinq; immanitas pectora obſediſſet, qua manibus pedibusve prǽcidendis, qua oculis effodiendis ne immunibus quidem talium exemplorum dedititijs, quod victorem ad miſericordiam flectere ſolet. Cremenſes patriæ amore & communis ſalutis, licet cum cariſſimorum ſibi capitum peſſimo atq; pernicie nihilo quàm antea ſegnius munitionem petebant: vſque adeo

Q pertur-

perturbat atq; efferat animos impotens vindictæ cupido, ſi flagranti iræ ſuppetant alimēta. quaſſata tot ictibus ac prope corrupta turri obſeſſores alia rem gerere inſtituunt. obſeſſi comperta ciuium ac propinquorum ſuorum ſtrage, quam aliqua ex parte e muris proſpexerant, ſed tantam minime animis fingebant, recenti ſuper veterem furorem caſu irritati quoſcunq; Germanos, Laudenſes, ac Cremonenſes in vinculis habebant ſpirantes in hoſtium caſtra tormentis miſere. ſic cum certatim alteri ne alteris impune foret ſtuderent, ꝓducti in mutuū conſpectum primores captiuorū, qui ſuperioribus prelijs intercepti fuerant, & cruci affixi. Germani veram vim tum demū intentantes foſſa dolijs ac virgultis oppleta admota teſtudine muro ſuccedunt, ſed oleo, pice, calce, alijſq; huiuſmodi rebus, aduerſus quæ nulla munimenta ſatis protegebant, male habiti hęſere tamen pertinaciter aliquandiu: ad extremum irrito incœpto abſceſſere. dein tētata res eſt, ſi ope transfugæ capi vrbs poſſet pollicentis machinationem pontis quadragenum cubitū in longitudinem, ac ſenum in latitudinem; qui ex ſublimi turre in mœnia portigeretur. Conradus Auguſti frater plenus bonæ ſpei eam prouinciam depopoſcit, & is fœde repulſus. tandem oppidani fatigati victiq; continentibus laboribus ac vigilijs ſeſe Federico ea cōditione dedidere, vt abirent inermes cum fortunis, quantum quiſque humeris efferre poſſet. Crema in poteſtatem venit VI. Kal. Feb. anno illius ſeculi LX. quo in tumultu propter Germanorum ſuperbiam in illos ciues Peregrinus Aquileienſis Patriarcha vni Henrico 1160
Ateſtino ſalutem ſuam credidit. Sub eos dies grauis ſeditio religionem agitauit Rolando Senenſi, qui Alexandrum Tertium nomen edidit, ab nonullis Pontifice maximo creato, atq; æmulo Octauiano Pſeudopontifice, qui Victor appellatus eſt. Cæſar vtrunq; Ticinum euocauit, quo poſt captam Cremam ſe contulerat; vt coacto patrum cœtu de eorum ſententia religionis motum comprimeret. auxit diſſenſionem Alexander, cui vt caput rerum Romam dimitteret, nulla ratione perſuaderi poterat, principem ſe ac pluribus lectum ſuffragijs dictitanti. Victor paruit, ac præſens ab illo conciliabulo Pontifex ſalutatus a Cæſare adoratur. ob ea Alexāder Franci amicitiam ſtudioſius captare interprete Gulielmo eius nominis Tertio, qui Rogerio itidem Tertio vita functo in Sicilia regnabat. Dum ceſſatum eſt ab armis, Velfo Ateſtinus in Hetruriam profectus conuentu ad Geneſij Fanum indicto prouinciam recognouit, coactiſq; ſub iugum aliquot oppidis, quæ ſe in libertatē vindicauerant, præſidia arcibus impoſuit. deinde aliquot dies Piſis & Lucæ cōmoratus

ratus cum ſuſpicione rerum nouarum in Noricum ſuperius tranſi-
uiſſet, eam ipſam prouinciam Velfoni IX. tradidit. nepotem quoq;
Henricũ dubij Ratiſbonenſium animi ob deteſtanda flagitia Har-
tonici Antiſtitis domum reuocauere. Federicus prętérquam quod
belli iam pigebat, duorum procerũ diſceſſu placatiorem Mediola-
nenſibus ſe præbuit, impoſitoq; annuo duntaxar ſtipẽdio rriginta
pondo auri præfectum dedit Gherardum Comitem Lignenſem, ac
celeriter domũ redijt. Dum hæc geruntur Adrianus Antiſtes, qui
ſeſe ad Victorianá cauſam adiunxerat, eo municipio prope flucti-
bus obruto coactus ſedes mutare, in Longa Inſula, ſic vulgo vocát
quam molitur Atheſis, caſtellum ex loco Rhodigium nomine con-
didit, quod propter fluminis ac circumfuſarum paludum munimẽ-
ta confluentibus incolis breui ftequens fuit. Rainaldus, qui tum
eam præfecturam adminiſtrabat, contemplatus ex arce Ateſtina
noua mœnia aſſurgere, iuſta arma ratus in ſactæ cauſæ præuarica-
torem, continuo aduolat, atque oppido potitur: mox quę acta fo-
rent Alexandro edocto ab eo cuncta vt firmet, Pontificios codicil-
los aufert: acceſſit deditio ciuium, quæ eiuſmodi poſſeſſionẽ Ate-
ſtino multo magis cõſtabiliuit. Vix alpes Auguſtus rtanſcenderat,
cum Inſubres prætore pulſo Trecium cum Germanici pręſidij cæde
1161 ibi occupãt. itaq; quartùm in Italiã anno LXI. ſuccinctus fortiſſi-
mis legionibus redijt. illi armorum ſtrepitu excitati Brixianos, Ber-
gomates, & Placentinos appellant: ac Turiſedo Polano negotium
dant, vt ad duas & viginti cohortes cõſcribat, has Riccobaldus in
commentarijs de vitis Cæſarum, queis id bellum paulo ætate ſua ve-
tuſtius copioſe exequitur, externas vocat. ſumma Imperij Rainal-
do Ateſtino defertur, qui Mediolanum IIII. equitum VI. peditum
millia adduxit, præter accita propere ab Verona, Vicetia, Patauio,
& Carnis valida auxilia. quin ducis nomen atq; auſpicia ſequuti
duo Manfredi Suanus & Scotus, Boſius Douarius, Vbertus Sepri-
enſis, Anſelmus Mandelli, & Ardericus Caſſina Marcheſij Comi-
tes cum ſuis quiſque turmis affuere. VII. quoq; Azonem vix pube-
rem pater in caſtra accerſiuit, quanquam fratribus orbato ea vnica
virilis ſtirps foret. mercenarij addita vrbana iuuentute, quæ quidẽ
arma ferre poſſet, quinquaginta peditum, ſeptem equitũ millia ex-
ceſſere. Dum Cæſar exercitum parat, quantum multis annis Italia
non vidiſſet, Gozo Comes in Laumellinam cum aliquot Germano-
rum turmis deſcendit. his equites quamplures acceſſere ex Allobro-
gibus & finitimis gentibus, quæ cum Auguſto ſentiebant. inſuper
Gulielmus Mõtisferrati Marchio cũ magno peditatu aduenit. Rai-

naldus, vt ab felici rerum initio optima ſpe animoq; ſuos imbueret, quo in poſterum auidius decus peterent, manum hanc, quæ prima ſeſe obtulerat, aggredi ſtatuit. ita cum expedito agmine eo profectus Gozonem vtpote imparatum fundit profligatque. Cæſar ſatis per ſe inflammatus noua ira æſtuare, ac tum eo nomine, tum quod cognouerat Mediolanum frequentes legiones conueniſſe, quo Ateſtinus affatim commeatus vndiq; cõuexerat, omnium, qui militare per ætatem poſſent, delectum in Germania paſſim habebat. abducti in expeditionẽ nobiliſſimi procerum, partim priuati officij gratia, partim vt domeſtico imperio tam variȩ nationes maiore cõcordia atq; alacritate bello intẽderent. Ac interiorẽ quidem Germaniã ex vnius Henrici Ateſtini Saxonum ac Noricorum potẽtiſſimi Ducis nutu pendere iudicabat, qui magnam popularium manum coegerat, cuiq; plurimũ fidebat, alioqui Ateſtino ſecũdo & quarto agnationis gradu cõiuncto. Boemos, Danos, & Noruegios perpetuo in officio futuros ipſorũ capita Ladiſlaus, Sueno, & Canutus ſpondebant, qui voluntariam eam militiam ſuſcepiſſent. Cæſar tranſgreſſus alpes cũ ad Mediolanum caſtra poſuiſſet, adiunctis Germano Italis, quos Laudenſes, Cremonẽſes, Nouaria, Vercellæ, Nouumcomum atq; aliæ ſociæ vrbes auxilio ſubmiſerant, ad ſeptuaginta peditum, quadraginta quattuor equitũ millia in armis habuiſſe dicitur. Quaternis caſtris vrbs cincta eſt. Cæſar cũ Saxone ad Diuorum omnium memoriæ dicatum Fanum prætorium ſtatuit: poſt eum Ladiſlaus ad Dionyſij, huic proximus Sueno ad Celſi, mox Canutus vſq; ad Cæſarianos vallum produxit. quo primum die obſidio inſtituta eſt nondum collocatis tabernaculis ſub occaſum ſolis Rainaldus iubet Seprienſem cũ delectis mille equitibus obuerſa in orientem porta erumpere in eos, qui Cæſaris munitiones cuſtodiebant, Caſſinæ Danum, Mandellio Noruegios inuadendos deſtinat, Boemos regemq; ipſorum ſibi deſumit. hæc omnia puncto temporis tanta audacia executus eſt, vt ingẽtem totis caſtris tumultum ac trepidationem præbuerit: ſic vt deinceps eæ nationes cum crebro inter ſe haud modica virium parte obſeſſi atq; obſeſſores concurrerent, neç alacritatem nec fiduciam oppidanorum pugnando æquauerint. matura iam æſtate cum frumenta in oppidum comportari nequijſſent, prȩter quæ fœderati cum valido prȩſidio perexigua intromittebãt, (ager circumiectus nulli vſui fuit propter hoſtiles populationes) vidit Marchio vrbanas copias tot mortalium millibus nequaquam ſufficere poſſe: itaq; libero adhuc exitu fortunam experiri conſtituit. eques pedeſque in ſuos quiſque ordines diſtri-

butus

butus tripartito in hoſtem educitur, cum vehemens æſtus Danos & Noruegios, ac ceteras propinquas gētes afficeret, ita vt corporibus animiſq; fluxi ſegniter vallum tutarentur: ex plutibus ſimul partibus facta impreſſio principia obtriuit, ac magnam exercitus partem diſiecit: quæ ignominia præter Sueuorum conſternationem Federicum perpulit ſoluta obſidione in Germaniam reuerti. Vix in pacatum diſceſſerat, cum Rainaldus tantum non in eius oculis Caſtellum Carcanum nomine, quod hoſtium præſidio tenebatur, adoritur: ille frendens fremenſq; retro ſigna vertit. ibi Aceſtinus caſtra cōmuniuerat eo conſilio, vt ſi rediret hoſtis non recederet, quippe haud dubia pernicies proponebatur, ſed capto opportuno loco vel eum diſtineret, vel ex occaſione in aciem ſe commiteret. quadripartito exercitu Polanum probatum ſibi tribunum cum peregrino milite, de quo ſupra dictum eſt, vnaque Azonem filium in prima acie collocat, in ſecunda curauere Mandelli & Marcheſij Comites cum Mediolanenſibus, quos penes octoiugis currus fuit, vnde longe lateque vexillum deſpiciebatur eius populi, cuius auſpicijs bellū gerebatur. ingentem quadrigam media acies cōplexa ſumma ope tuebatur: ibi totidem ſigna figebantur, quot liberæ ciuitates inter ſe ad arma conſpiraſſent: quod quidem, vt eſt auctor Arnulfus, omnium primus inſtituit Herebertus Mediolanenſium Archiepiſcopus, cum Italici proceres iuſſu Conradi Cæſaris ei ciuitati bellum fecerunt. tertiam Brixiani, Bergomates ac Placētini obtinuere præfectis vtroque Manfredo ac Boſio Douatio: poſtremam, quo Venetorum ac Foroiulienſium auxilia reiecerat, ipſe rexit ſtipatus veteranorum ac domeſticorum equitum ala. cum his poſt collem, qui Carcano imminet vepribus ac virgultis cōueſtitus, occultus conſedit: tetra illa agmina diuerſa pro ingenio loci radices, & medium collem, iugumq; inſedere. Cæſar triplicem aciem inſtruxit, alterum cornu Boemus, alterum Danus & Noruegius atq; alij proceres tenuere, in medio Imperator ipſe & Saxo conſtiterunt. Boemus in Polanū inuectus meridiano tempore prælium inijt: ibi diutius varia fortuna pugnatum, quoad Boemum lapide ictum ſemianimem in caſtra tulerunt. ad præfecti caſum primi nonnihil loco ceſſere. Inſubres ſigna inferentes pulſis iam Boemis ſuis ſe cōiungunt in Auguſtum impetum facturi, verum cum ille gradum promouiſſet, Germani equites pedeſtrem inuecti aciem procella obtriuete, cæſis Mandellio & Marcheſij Comite, ſic vt circum euerſum currum cōſiſteret nemo. nec meliore fortuna Polanus fuit; ibi Azo dum iuuenili ardore intemperātius euectus in medios ordines acerrime

rime prœliatur, ab hoſte capitur. Manfredus vterq; & Boſius, qui ſummo in colle ſtabant, ſparſos ſauciosq; ex vtraq; acie inter ſuos recipiebant: cum terga fugientium cæderentur, erigi in cliuum miles cœptus, & poſtremi iuſſi eodem ſigna conuertere. multi, ne iniquus locus ſubiretur, ſuadebant; inter ceteros Ferratenſis Cęſarem ſubmonuit notatas ab ſe rariores, quam pro magnitudine copiarum, Guelforum legiones, necdũ viſa Ateſtina inſignia: itaq; cauendũ a fraude. ille intrepidus ferrum inquit inſidias reteget, ac militum numero loci iniquitas compenſabitur. Rainaldus quanquam affecta re nihil dũ mouerat occaſioni intẽtus, cum ſuis propter tumulum occulte circumuectus a tergo hoſtem inuadit, atque in planum trahit. eo in tumultu cum in auerſos ſuperne ſocij decurriſſent, Ateſtinus Danos & Noruegios, ad quos iam penetrarat, a fronte vehementer vrgeret, media ac nouiſſima acies inuicem implicatæ magnam dedere ſtragem. idcirco profligati, & lubrico veſtigio in procliue eo maiore ſtrage procidentes, quo turbulentior tempeſtas inter hæc tenuiſſimũ imbrem effundebat, in fugam auertuntur. ſigno regiæ turmæ Marchio potitur. ad tria millia hoſtiũ cecidere, totidem capta. quandoquidem ille ipſe nimbus, qui primo tam incõmodus Cęſarianis acciderat, mox grauior obſcuro cælo ac prope adẽpta luce diremit infeſtas acies. ea res, vti quidã memoriæ prodiderunt, non modo maiore incõmodo Auguſtun prohibuit, ſed circũuentum ab ſuis morti aut certe captiuitati eripuit, Mediolanenſes non plus duo millia deſiderarunt. ponunt quidam annales Cæſarem, cum ſequi atq; inſtate victorẽ intelligeret, & tenues exercitus reliquiæ ceteris ex fuga diſſipatis ſuperarent, mutata veſte, quo tectior fuga eſſet, via quæ Nouariam ducit, in Taurinos elapſum, inde per Allobroges & Sequanos domum cõceſſiſſe. quod ſi geſta paulo poſt cõſideremus, verius eſt Comum diuertiſſe, ibiq; reficiendis copijs vacauiſſe, præſertim gliſcente inter ſocios diſcordia, qui aut peroſi pręgrauem belli ſumptum, aut nullo iam Federici metu fœderi renũtiauere, minoribus ipſo cum Imperatore tribunis exauctoratis. Quocirca Rainaldus domum reuerſus proſperiore iam Cęſaris fortuna, nihil tamen ab eo iniuriæ paſſus, italicum decus nõ mediocriter extulit, cui omnis prope Italia ab Apennino ad extremos Tranſalpinorum fines tam celebris victoriæ particeps extitit. At gaudium non interpellauit modo, ſed oppreſſit infortuniũ filij; quem vt dimitteret Auguſtus nullis precibus exorati potuit. non infregit firmitudinem animi calamitas, tametſi quamdiu prælio ſuperfuit, ipſius aſpectu caruerit. miſit in Germaniam

Cæſar,

Cæſar, qui auxilia contracta a Federico Sueuo quàm celerrime adducerent; venere cum eo Rainaldus Archiepiſcopus Agrippinenſis & Daniel Pragæ Pontifex, & præterea procerum cohors cum magna manu: proinde Mediolanenſes ſine Duce, ſine viris militaribus ab ſocijs deſerti, vnicam in tutela murorũ ſpem poſuere. Germanus terrore hoſtium auctus animo ciuitatem iterum circumſedit, ac paucis interiectis diebus ab frumenti inopia eo redegit, vt victoris arbitrio deditionem faceret, qui ab vetere perfidia factus cautior, ne poſt deductum exercitum ciues ad ingenium redirent,
1162 anno eius ſeculi LXII. ante diem XIII. Kal. Apr. Mediolani excidiũ ꝓnũtiat. Haud facile dictu eſt quãto lætioribus animis quàm Germanus oppidanis infenſiſſimus, finitimi odio prope amentes decretum acceperint. certe Federicus regionatim diruendam his vrbem aſſignauit. Laudenſes ad portam orientalem, Cremonenſes ad Romanam, Nouarienſes ad Vercellinam vecordiam prompſere. quæ Comum fert Comenſium, Noua Sepⁱenſium ac Martheſanorum rabiem ſenſit tãto impetu, vt vrbs paulo ante florentiſſima proſtratis ampliſſimis molibus Romanarum æmulis intra paucos dies a fundamentis euerſa ſolitudo fieret. Sub diſceſſum Auguſtus nõ citeriore modo Gallia, ſed tota Italia, quæ breui in partes tranſiuerat, prætores ſuos locauit: queis ex poteſtate indulta vulgo nomen factum. Arnaldus Barbauara Placentiæ, Azo Parmæ, Magiſter Paganus Comi, Conradus Bellanucius Ferrariæ pręſedere. ſpolia abſcedentis fuerunt regum cadauera, qui cum patrijs donis tanto terrarum ſpatio cæleſtia incunabula adoratũ venere. Ea Aſtorgius Byzantius Antiſtes Mediolanenſis in Italiam permittente Gręco Cæſare intulerat. Anno eius ſeculi LXIII. credo quod Germania nimis diu quieſceret, Vgo Palatinus Comes Toingenſis Velſonis VIII. beneficiarius Cęſare, vti ſuſpicio fuit, impulſore, quem inuidi atq; obtrectatores Ateſtinorũ ſtimulabãt, aut certe exagitabat metus, ne quando illi fiducia ingentium opum ſummum Imperiũ in ſuam familiam transferrẽt, in aliquot Ducis ſui milites impetum fecit, ac Moringiacum cum magna incolarum cæde inprouiſo occupauit. Velſo diſſimulata iniuria in Hetruriam deceſſit, ac filium ad paternũ regnum remiſit probe inſtructum, quibus artibus popularium animos tractare oporteret. Id cõſilij eo cepiſſe creditur, vel quia ætate & valetudine affecta foret, arma vero ac turbulenta alioqui prouincia vegetum florentemq; rectorem poſcerent, vel ſi temeritas Vgonis puniretur, abſentia vt inuidiam extingueret. filius a ſuperſtite parente Iunioris additamento diſcretus inſequenti

(margin: 1163 beside "co Cæſare intulerat")

anno

anno poſtr. Non. Sept. adiuncto Zeringenſi magnum exercitum ad mutos Toingenſes duxit. continuo affuere percuſſuri fœdus Spirenſis, Vangionum, & Auguſtanus Antiſtites: mox ſacris non initiati complures proceres magna cum manu, in primis Hermannus Badenſis Marchio, Rodulphus Pfullẽdorfius, Calbenſis, Berghenſis Duces, Gottifredus & Rodulphus Rauenſpurgenſis, Hermannus Nerchbergæ, Henricus Veringi Comites, Albertus itidẽ Habſpurgi Comes eius nominis Primus Rodulphi Auguſti auus, cuius ſtirps Auſtriaci cenſentur. hi communem ſibi cum Ateſtino militiam eſſe voluerunt. Vgonem iuuere Federicus Sueuus, ac proceres Zollenſes, tum alij ſuper alios vtriq; ſocij quotidie aggregabantur. hinc fortaſſe cum Zeringenſis Henrici VII. Saxoniæ Ducis gener apud Velſonem eſſet, eum ſequuti populi ab Lemanno lacu, qui in eius familiæ ditione erat cuiuſdam quaſi propaginis Habſpurgenſium, Lemannorum nomen nacti fuerint, quandoquidem lacus extra veterem Teutoniam Germanico imperio cũ Ciſrhenanis regionibus contributus eſt: eaq; portio Lemãnicus Ducatus vocatus ab Lothario eodem cum patre Auguſto nomine, qui cum Ludouico, & Carolo fratribus paterna imperia Germaniam, Galliam, Italiam ſic diuiſit, vt ſuam quiſque partem proprijs diſterminatam limitibus poſſideret: hi inter Ateſtina auxilia numerati Lemãniam ſiue Alemanniam peculiarem tractum de ſe fortaſſe nominarint. olim enim Alemanni forte eorundem Lemannorum ſoboles ſine imperio palantes vagique nullas habuere ſtabiles ſedes. quibus deuictis Iuſtinianus, vti diximus, inter cetera cognomen Alemannici aliud prorſus ab Germanico, quod pariter vſurpauit, meruit. hanc ipſam Prouinciam Lemannis habitatam probabile eſt vnicam tantum Germaniæ partem cõplexam, & illam Otho Friſingenſis Sueuiæ attribuit: ſicq; ab Germaniæ latere, quod in Aquilonem ſpectat, diſcluſam fuiſſe pari factionum locorumque ac nominum diſcrimine, ſicuti plane Velſonis vtriuſque ſtudioſi ſuam factionem edidere. Horum æmuli cum eſſent Staufenſes in Guibelingorum opes muliebri cognatione inſerti, ac fautorũ ſtudijs ad imperium prouecti, non temperauere ſibi clientes, quin Gibellinos ipſorum nomine inſignirent. quæ quanquam ducti coniectura nec Carioni improbata propoſuerimus, & ea ſit admodum probabilis, grauiores tamen rerum Germanicarum ſcriptores aliam rei originem affingunt. cauſa in euentum refertur, dum poſtero anno infeſtæ inter ſe acies concurrerẽt, Toginenſis, cum animaduerteret hoſtiles copias in dies augeri, nec eum apparatum æquare poſſet, quod 1164

lentius auxilia mitterentur, præſertim Cæſare ſedulo cauente, ne quam communicati conſilij ſuſpicionem præberet, & hoſte omnia incredibili celeritate comparante, rem ad manum deducere feſtinauit, priuſquam cunctando aliquid offenderet. ita ſilentio noctis cũ exercitu ad hoſtem profectus, quod viribus defuit ſolertia penſauit, ac bipartito nec opinantẽ inuaſit eo facilius, quod crepidinem altam ac præruptam cepiſſet, quæ caſtris imminebat. ac tametſi Velſo Henricum cum aliquot cohortibus miſiſſet ad eum deturbãdum, ſaxis ac ſagittis re infecta redire in caſtra eſt coactus: quo in certamine Vgo quanquam minore numero, ſtrenue tamen Velſonem in fugam vertit: pauci in prælio deſiderati, fugientes propinqui ſaltus rupesq; texere, ipſe Achalinum ſe recepit. Proditum memoriæ eſt, cum hinc Velſonis nomen ad inflammandos militum animos, ac pro victoriæ omine identidem inclamaretur, contra ab hoſtibus patrio more redditũ fuiſſe Bibellin Bibellin tracto vocabulo ex Bibella vico, vbi Federicus pueritiam egerat, & libentiſſime diuerſabatur; etenim quod Vgo, vel quis alius ex cohorte ipſius ea nocte eiuſmodi ſignum dediſſet, indicio erat eius conſilij Cęſarem non ignarum: dein facili primi elementi mutatione Gibellini nomen irrepſit. vtcunq; ſe res habeat, illud conſtat Gibellinos Cæſarianarum partium, his aduerſos haberi Guelphos, quæ factio quoniam Velſonum poſteros auctores nominat, quorum ſoboles extiterant, qui poſt Carolum apud Francos rerum potiti ſunt, ea cauſa fuit cur deinceps, qui Pontifici ac Francis ſtuderent, maxime cum poſterioribus ſeculis magnæ illis controuerſiæ cum Cæſare ſocijsq; ipſius intercederent, Guelphi nuncuparentur. Velſonum appellationem gentis conditor Velſo ad poſteros miſit, id Teutonica lingua filium canis, lupìve, aut vulpis ſignificat animantium in terra adhuc falſorum deorum cultrice, quam Velſones virtute ſibi peperiſſent, Marti dicatorum. ſiue hoc pacto illi proceres Marti deditos ſeſe innuerent, ſiue per ambages canis ingenium exprimerent, cui Rerumpublicarum formatores bonum regem cõparant, placidum ſuis, hoſtibus infeſtum: haud abhorret a vero acceptum poſteris nomen inde porro ad familliam manaſſe. Igitur pater audita filij clade quantas potuit maximas copias ex Hetruria, Vmbria, & Ateſtina prouincia conſcribit, atque in Germaniam cum Opizone, & Fulcone propinquis ſuis properat. Id cum Vgo cognouiſſet, quos ex mille captiuis non dimiſerat, Velſoni reddidit, & impedimenta quæ comparebant. deinde opera Zeringenſis annuas inducias pepigere. id & Saxoni & Velſoni ſeniori permoleſtũ

fuit: propterea equitatus & peditatus Italicus, qui nondum Volargnam peruenerat, regredi iuſſus. creditur certe Conſtantiæ repudiata Clementia Zeringenſis filia non aliam ob cauſam, quam vt ſocerum vlciſceretur: quãquam ita factum eſt diuortium, vt licuerit Mathildem Britanno Rege natam vxorem ducere, quam Vrſpergenſis Margaritam vocat. nuptias confecit Auguſtus eius conſobrinus, a quo miſſus in Britanniam eſt Rainaldus Archiepiſcopus Colonienſis tum hoc nomine, tum etiam vt regem illum Franco reconciliaret. Henricus enim materno iure idẽ Rex Anglorum Normannorumq; Dux; paterno Andium, Turonum, & Cenomannorum; vxorio Dux Aquitaniæ, & Comes Pictonũ nihilo opibus Ludouico inferior, æmulus primo deinde hoſtis factus eſt, tũ quod repudiatam ab eo Eleonoram in matrimonio haberet, tum quod Franco cedere minime animum inducens bellum in Comitatu Toloſate mouiſſet, vel certe quia auitum vxoris ius perſequutus eam ad ſe ditionem pertinere dictitaret. cum vterque licet in ſpeciem placatis interdum animis quieſcerent; aſſidue tamen belli cauſas, & prælia vndiq; ſererent; Federicus cupiens eos in gratiam reducere, & Henricum ad contrahendam cum Saxone affinitatem impellere, Colonienſem in Britanniam legauit, qui Anglo filiæ quidem conditionem probauit, proindeq; cum magno illam ſplendidoq; comitatu in Germaniam miſit: verum nequidquam facta eſt mentio de pace cum Franco ſancienda. Auguſto pergratum fuit cõfirmatam eo vinculo Britanni amicitiam: æque graue Franci animum eo modo non demeritum. id auxilij Pontifici detractum volebat, qui ante quadriennium in Galliam confugerat Federicum prius execratus: quod quãquam illum male habuerat, Ludouicus tamen nihil de ſua pietate remittebat ſiue ratus per hunc maxime modum plurimum auctoritatis ſibi acceſſurum, Auguſto deceſſurum: aut certe qui ſacerdotia dominoſq; eorũ, ac fana ad eam diem protexiſſet, vnius religionis ſtudio permouebatur. Cum hic pietas elucebat, tum inprimis quia Petrum Nouarienſem theologorum eius ætatis, quæ Auerroem quoq; & Auicennam tulit, facile principem obſeruabat. cuius nomen ſumma cum gloria ad poſteros propagauere libri quattuor ſacram omnem ſapientiam complexi, & a prꝑſtantiſſimis religionis noſtræ ingenijs innumerabilibus deinde commentarijs illuſtrati. Iam induciæ auctore Zeringenſi initæ exierant, cũ Velſo Chelmunzum & Vielarum de Vgone Toingenſi cepit, præſidiumque in vincula coniecit. quod vbi Vgoni cognitum, Boemos exciuit, & cum Sueuo re communicata Velſonis fines populationibus

nibus

nibus incendijsq́; quam potuit effuſiſſime peruaſtauit: Cæſar Vlmã profectus vtrunq́; diſcedere ab armis & ſe ad Henricum Ateſtinum conferre imperauit. ad hæc Toingẽſis vti ſe purgaret, quod tumultus auctor fuiſſe diceretur, iuſſus concedere in poteſtatem Velfonis Iunioris, ad cuius pedes procũbens defenſione omiſſa culpam tantummodo eſt deprecatus, pauloq́; poſt in cuſtodiam datus. verum
1168 eo defuncto anno illius ſeculi duodeſeptuageſimo pater tum præcipitata ætate ad miſericordiam procliuior, tum innocentis vitæ inſtituto, qua re adductus ſuperiore anno ſacram peregrinationem ſuſceperat, Vgonem dimiſit. ab eodem pietatis ſtudio contemptis humanis rebus ſummo in otio vitã tranſegit venatu modo & muſica interdum animũ oblectans. Cũ ætas nimium ingraueſceret, Cęſari ſororis filio Sardiniam, Hetruriã, & Vmbriam conceſſit: Henrico fratris filio quod ſui iuris foret in Norico Sueuiaque, Saltzburgum nempe & alia Norici oppida, quæ ad Aquileiæ & Polæ fines pertinent. at Sardinia, Vmbria, & Hetruria Velfonis VI. aui hereditate ei obuenerũt, ad quem ea tranſtulerat Imiza, vnde nata Chunigunda Azonis IIII. vxor. Imiza & ipſa huiuſmodi Imperium hereditario iure nacta fuerat, vti ſuo loco memorauimus. quanquam autem poſt Velfonis V. mortem Henricus Cæſar eius nominis Tertius Spoletum cõtuliſſet Beatrici ſorori, tamen ea mortua Henticus IIII. merito Velfoni VI. reſtituit. Interim Mediolanenſes & patriam inſtaurauerant, & vrbem Alexandriam de Alexandri fautoris nomine condiderant, quam Cremonenſes Cæſariano obſtricti fœdere per contemptum Palearem cognominauere. creuit illa, & Mediolanenſiũ hortatu, qui propter agri bonitatem breui tempore non pœnitendas vires collegerant, arma in finitimos Cæſaris præfectis dicto audientes ſumpſit: quorum plane ſingularis impotentia complures ex tota Gallia populos Alexandrinis adiunxit. iccirco exacta cæſaq́; paſſim Germanorũ ſunt præſidia. quod malum ne latius ſerperet, Federicus indignabũdus fruſtra in Inſubres tã ſeuere vendicatum, populum delere, eamq́; ob rem quintùm in Italiam
1171 tranſire cõſtituit. quod cõtigit anno a partu Virginis MCLXXI. Porro cũ exiſtimaret Alexandrię etſi permunitę multo faciliorem expugnationem fore, ſatius viſum eo primo copias admouere, vti poſtea minore negocio Mediolanenſes aggrederetur. oppidum quo cum tota fere citerior Gallia ſentiebat, diutius irrito conatu circũſeſſum, præſertim quod Alexander Cæſarem cõmunione piorum ſic arcuerat, vt primores exercitus niſi ab eo diſcederẽt, eodẽ interdicto deuoueret. totius exercitus longe firmiſſimæ legiones erant Noricæ &

 Saxoni-

Saxonicæ Duce Henrico Ateſtino, cui cum exploratum erat præfe-ctorum auaritia ac crudelitate eam prouinciam a Cęſare alienatam, vſq; adeo prouocatis Cremēſibus, vt tota deinde Longobardia deficeret; tum meminerat fluxam Victoris poteſtatem, Paſchalis perincommodam malique exempli Chriſtianæ religioni extitiſſe, ac magis magisq; confirmari auctoritatem Alexandri cernebat; quem ſenatus rite inauguraſſet, quem omnes vbique pro vero Pontifice haberēt. quapropter vt iuſtum ac religioſum Principem decebat, his Federicum aggreditur auctor, vti germanum Eccleſiæ paſtorem agnoſcat; cuius extra ſinum agitans, præterquam quod in magno diſcrimine verſetur, tot mortalium animos illaqueet. vbi nequidquam pietatem oculis offudit, nihilominus idem ſpectans monet nullo fructu adſideri oppidum, quod magna militum manu emiſſa prope libere frumentetur, atq; omnis generis cōmeatu abundet. cum nihilo magis obſirmatus Auguſti animus flecteretur Henricus, qui cenſebat fieri poſſe, vt quod ipſe conſulendo nequibat, dies aliquando patefaceret, ſtatuit ſuperſedere, nec tamen ex occaſione nō proponere Henrici IIII. aduerſus Eccleſiam contumacis calamitates, identidem ſubmonens longe ſatius ac ſalutarius eſſe Reipub. Chriſtianæ cum Pontifice in gratiam redire. nec deſtitit ſubijcere oculis eandem ſecedendi neceſſitatem Velfoni proauo ab conſcientia animi impoſitam; tū grauiora, quæ per ſuos quaſi gradus conſequi ſolerent, mouendi. poſtremo oſtēdit non minus maiores ſuos omnes Germanos, quàm in vniuerſum proceres Ateſtinos conſtantiſſime Chriſtianum cultum profeſſos, atque vni ei rei ſummopere deditos fuiſſe. Iam octauus obſidionis menſis tranſierat, quo tempore leuia vtrinq; ſolum pręlia facta obiter memorantur, quod obſeſſi, ſimulq; Mediolanenſes Cęſarianos crebris eruptionibus fatigarent, qui plurimum inferiores diſceſſere. Itaq; ineūte iam centeſimo ſeptuageſimo ſecundo anno ſupra milleſimum cum exacto 1172
vere meſſis appeteret, Alexandrini etſi ſementem non feciſſent, copijs tamē finitimorum ſociorum inopiam ſubleuare ſperabāt; nec Federicus vllo modo prohibere poterat, quin commeatus ſupportarentur. Henrico non eſt viſum diutius cōmorandum, quando nullum hactenus moræ pretium cōſtabat; nec fieri poterat, vt quibus conſilijs nec ratione nec vſu via patebat, ea Federicus auribus admitteret. Hæc iactans cum popularibus ſuis in Rhętiam verſus itineri ſe dedit haud ignarus affinitatem, qua Cæſari deuinciebatur, nec nō familiaris amicitiæ iura, Imperij ſui rationes, tum ſacramētum apud illum dictum aliud poſtulare, nec iam metuens profanas Ponti-

Pontificis vires, ſed humana poſt diuina habens. Federicus Henrici diſceſſu valde mœſtus nō modo quia Bauaros & Saxones Germanorum robora ſubtractos ſibi cernebat, ſed etiam nobiliſſimū totius prouinciæ regulum, qua quidem ex re propter ingēs ipſius nomen ac ſingularem rei militaris ſcientiam egregiam ſe iacturam facere intelligebat, abeuntis ſequi veſtigia decreuit. ad lacum Larium eum adeptus nec precibus nec iram minime diſſimulando impetrare potuit, vt conſilium atq; inſtitutum iter intermitteret: ſtatuerat enim omiſſis Chriſtianis bellis poſthac Syriacis vacare. Po-
1173 ſtero itaq; anno cum valido exercitu illò traiecit: in itinere Bulgaros quattuor agminibus in ſe irruentes repulit. exceptus eſt Byzantij ab Iſaco Angelo Auguſto cultusq; liberaliter, & ſolenni maximeque celebri die publico in conſeſſu omnibus Grçciæ proceribus prælatus, ſicuti accurate narrat Crantius. multa atq; pręclara ſine dubio in Syria geſſiſſet, præſertim contra Milonem eorum Saracenorum, qui ſunt Antiochenſibus finitimi, prętorem, niſi Almericus ſanctæ vrbis Rex & templarij prohibuiſſent, vt teſtatur incertus auctor æqualis temporum illorum, qui Sigiberti annales ad ætatem vſq; ſuam ſuppleuit, ſubijciens eum magnū auri pondus domo aduectum incolis pauperibus & ſacris ædibus pie largitum fuiſſe. In reditu Iconij ſatrapes Turca illac iter facientem donauit pretioſiſſima tunica, ſex camelis, phaleratis triginta equis, quibus ipſe veheretur, mille octingentos inter familiares diſtribuit. Poſt magnę difficultates Cęſarem exercuere, donec vel feſſus, vel vt quidam produnt, ab Inſubribus ac circumiectis populis, qui communi fœdere tenebantur, male acceptus pacem cum Ciſalpinis fecit totus in Venetos verſus & Alexandri vindices, & palam hoſtes ſuos. nec felicius ab ea parte res proceſſerunt, vt vel inuitus ad cōcordiam ſeſe da-
1177 ret. Igitur anno eius ætatis LXXVII. Venetijs Alexandrum conuenit, ac iuſſo Pontificatus inſignia deponere Innōcentio II. qui ſubrogatus fuerat in Caliſti Paſchalis ſucceſſoris locū, iuſtoq; Pontifice publice adorato ſtatim humaniter in integrum reſtitutum, alij re & verbis grauiter increpitum tradunt. ſumma fuit, vt factis in annos ſex inducijs Pōtifex Henricum VI. Auguſti filium Germaniæ Regem dixerit, qui mox eo recurrit. Biennio ante vitam cum morte commutarat Rainaldus Ateſtinus, præter ſolidam pręclaris factis quæſitam laudem, inter quæ maxime eminuit ſummus militaris honos auſpicijs fœderatorum geſtus, iucunda etiam memoria celebris; quòd Italis, tametſi eodem tempore pari ſtudio Federicus vacaſſet, accipitres aquilasq; quarū e genere Falcones & Aſturcones

cones

cones noſtris ſunt, ad aucupium impartierit, magnumque earum auium numerum aluerit. reliquit duos filios Azonem, cuius ſupra mentionẽ fecimus, & Hagnen: hæc nupſit Etthelino ſiue Ezelino Onariẽſi, cui deinde Monacho cognomen fuit: ille patre moriẽte a Cæſare in cuſtodia habebatur. at Hẽricus Ateſtinus e Syria reuerſus pacatiſſimo regno fruebatur: Germania ſeditionibus vacua, vt erat ingenio minime otij amante, & gloriæ appetens (hæc vna magnis animis largius parciusve pręclara audendi ſegetem continenter ſuggerit) patenti campo ad flumen Iſaram in primis Vindelicorum finibus propter cœnobium Scaffelarenſe & nõnulla ædificia ab Henrico Rixoſo extructa nouum oppidum condere aggreditur, ac Monachum appellat, quæ deinceps regia Ducum Noricorũ fuit. haud longe hinc aberat Rincallium caſtrum Curuanca antiquis dictum, vbi ſal admodum laudatum fit: forte accidit, vt Henricus ſuper ea merce cum Friſingæ Epiſcopo Alberto altercaretur, quippe qui id ſui iuris eſſe contenderet, negaret ipſe Bauarus. noctu Virungam oppidulum ditionis Friſingenſis ſalis mercatura non incelebre improuiſo adortus, crematis ſalinarum operibus, atque inſtrumento artifices ac miniſtros omnes Monachum abduxit, atque ibi ſalem venire iuſſit. Cæſar, qui cum Albertus de illata iniuria grauiter expoſtulauerat, Henrico interminatus, ni opus reſtitueret, ſententia regnũ adimit vel acri ira percitus, quia tardius opinione ipſius imperata faceret, vel certe per eam cauſam tantarum opum metum depulſurus; aut quod eſt probabilius, iam tum infenſus, ex quo bello Italico domum repetens Pontificiam amicitiam prætuliſſet, quod tamen vna animi ſalus dictauerat. adde huc conſenſum totius prope togatæ Galliæ, Venetorum motum, expreſſam neceſſitatem ſanciendæ cũ Alexandro pacis iniquis conditionibus; quæ omnia connexa inter ſe & ex Henrici diſceſſu nata dictitabat. Itaq; ergo Goſlariæ Saxoniæ oppido eius ipſius prouinciæ ac Norici imperio decreto illum ſuo exuit: dein poſt aliquot annos Ratiſbonæ idem ratum habuit. Saxonia Bernardo Analthenſi Alberti filio, Bauaria Othoni Vuitelſpachio tribuitur. porro quia ad Henricum de maximis rebus tota Italia, quæ quidem in Auguſti poteſtate fideve eſſet, referebatur, Hetruriæ & Vmbriæ prętura Ridelufo, Picenum & Exarchia conceſſa eſt Conrado Lunzelinhartio, cui poſt Itali Muſcam cognomen indidere. verumenimuero nondũ penitus oblitus quos labores hæc ipſa familia pro Romani Imperij maieſtate deſudauiſſet, quam illuſtri facinorum pompa conſpicua eſſet, Azonem non captiui loco, ſed vt ferebatur, liberaliter habitum ad capeſſendum

Ateſti-

Ateſtinum principatum domum dimittit, inſuperq́ue Inſubriæ ac Liguriæ præfecturas eius fidei credit: ipſiq́; & Fulconi ac Bonifacio Marchionibus quæ vocant regalia Ateſtinæ tetrarchiæ alioqui Auguſti iuris largitur. Henrico Brunſuicenſis & Luneburgenſis ditio relinquitur. quæ cum ille multum infra priſtinam fortunam, atque animi magnitudinem duceret, deſertus ab his, quibus maxime fidebat, cum vxore & liberis ex continente in Britanniam ad Henricum ſocerum traiecit, non plane deſperans quandoq; fore,
1183 vti eius auxilio ſubleuaretur. Anno huius ſeculi LXXXIII. Cęſar Cōſtantiæ cum citerioris Galliæ populis pacem firmauit; Azo qui in eius clientela interim fuerat, cōcordiæ ac beneficij particeps poſte-
1184 ro anno naturæ ceſſit. Cœlibi atq; orbo ſucceſſit Opizo V. per Fulcones III. ac II. patrem auumq́; ab VI. Azone oriundus. ita Azonis VII. locum eſt ingreſſus non tantum quod attinet ad Ateſtinam ditionem, ſed etiam ad Ligurum atque Inſubrum præfecturas, quas hoc ipſo anno Auguſtus ei codicillis ſuis affirmauit, ſimulq́; cetera deceſſorum liberalitate in Azonem collata cum bonis proauitis ante poſſeſſis ab Duce Henrico in Ateſtina prouincia. Quarto inde
1188 anno Veronenſium ope Fractam Caſtellum ad ripam Atheſis conditum a Gulielmo Adelardi filio manu cepit: qua in re quidā Annales perperam pro Opizone Azonem habent, haudquaquam ſeriε temporum obſeruata. Ferrarienſes impulſore Salinguerra Taurello per eos dies cum Ateſtino cōtendebant, & manarant odia ad vtriuſque factionis populares. propterea non licuit comitari Federicum in Aſiam aduerſus impios vadentem cū Philippo II. qui Ludouico eius nominis Septimo in Francorum regnum ſucceſſerat. nam cum ante annos XVIII. Syraconus Turcarum Rex Ægyptum occupaſſet, filius Saladinus magnis in Aſia maiore rebus geſtis eam ſui iuris fecerat eo minore negotio, quòd Imperium orientis ignauia Emanuelis alioqui ſeptem & triginta annorū regis, potius quàm vlla alia de cauſa conſenuerat, nec non Andronici, qui alterum Alexin pupillum, cuius ipſe tutor erat, regno ſpoliauerat. proinde Saladinus poſt capta complura oppida ac Latinorum multa millia trucidata Hieroſolyma expugnauit. Vrbanus & ipſe ſecundum Alexandrum & Lucium, qui omnes Tertij nomine notati ſunt, Pōtifex creatus dum Venetum ſacræ militiæ communi fœdere obligatum adit, in itinere Ferrariæ moritur, cōditurq́; in nobiliſſima vrbis æde. Gregorius VIII. ijſdem veſtigijs ingreſſus, & intra ſeptimum & quinquageſimum diem extinctus huiuſmodi prouinciam Clementi reliquit: a quo ſacrum bellum, cuius nunc fit mentio,

publicè decretum. Arma duce Auguſto ſumpta: facta illuſtriora ac prælia omnino Latinis aduerſa extant copioſe perſcripta in hiſtoria Tagenonis, qui expeditioni interfuit. quamuis enim Cæſar Thraciam, Bithyniam, Cappadociam, Armeniam minorem, & Ciliciam domuiſſet, Iconium Turcarum regum ſedem cepiſſet, eo tamen Seleuciæ in Syria veneno, vel vt plures tradunt, dum Selephium fluuium tranſmitteret ſublato, continuo procerum diſſenſionibus ac multo magis fame atq; peſtilentia apud Antiochiam Cæſarianus exercitus interijt. Britannus Franco ex Syria diſcedente, cum Vidoni Luſiniano perſuaſiſſet, cederet ſibi iure regni Hieroſolymitani, & Cyprum inſulam habẽdam a ſe acciperet, vario euentu pugnauit cum Saladino homine quãquam a vera religione alieno, egregijs tamen moribus & commemorabili virtute. Tali tamque afflicta piorum fortuna nouos tumultus conciuit Clemens, qui quaſi extincta cũ Gulielmo IIII. iuſta Normãnorum ſobole, quando Tancredus ex pellice a Rogerio IIII. procreatus putabatur, regnum Siculum cis fretum ad ſacroſanctam ſedem recidiſſe cõtendebat. ex contrario Neapolitani & Siculi ipſum filiumq; Rogerium adhuc puerum reges ſalutauerunt: copiæq; Pontificiæ ob eam cauſam aduenientes nauiter repulſæ. Clementi Celeſtinus III. anno illius ſeculi XCI. ſubſtituitur: ab eo ſtatim Henricus VI. Cæſar declaratur: idem & Fedetici patris cognomẽto Ænobarbi nomine Germaniæ rex Pontificis auſpicijs Conſtantiam Guilielmi III. ſororem in Parthenone Panormi educatam vxorem duxit, a quo ſolenni ritu vtriuſque Siciliæ imperium obtinuit, vt hereditario ac dotali iure ſimul ſubnixus bellum Neapolitanum inſtrueret, capeſſeretq;. 1191

Ateſtinum Velſonem huius nominis Octauum idem annus abſtulit ſepultum Stutgardiæ; manſit tamen celebre ad poſteros nomen & linguis & Annalibus Germanorũ, qui eius animi præſtantiam certis atq; ampliſſimis teſtimonijs proſequuntur. quinimo Raudericus ſacerdos Friſingenſis ſequutus alioqui Othonis commentarios de vita Federici Ænobarbi fratris filij, quorum vterq; Ateſtinis parum æquus fuerat, cũ Velſonis virtutem probe nouiſſet, aperte profitetur explorata omnibus ſilentio ſe prẹterire non poſſe, ac ſubinde Velſonem ipſum cũ nepote Henrico IX. comparans inquit, hunc beneficijs dandis, munificẽtia ac clementia magnum habitum; illi ſeueritate & malorum pernicie dignitatem additam: hunc facilitate, illum conſtantia ingentem gloriam quæſiuiſſe: Velſonem amicorum negotijs intentum ſua negligere, nihil quod dono dignum eſſet denegare ſolitum; magnum exercitum, nouum bellum ſibi ex-

ſibi exoptare, vbi virtus eniteſcere poſſet. Henricum, qui dotem animi pręcipuam in modeſtia poneret, non diuitijs cum diuite, nec factione cum factioſo certare voluiſſe; præſentem abſentemq́; reconciliandis in gratiam principum animis continenter vacaſſe; ac propterea longe diuerſa vtriuſq́, ſtudia extitiſſe. ad extremum addit Raudericus eam tempeſtatem ſuum in altero Catonem, in altero Cæſarem fuiſſe nactam. Auguſtus vbi de obitu Velfonis cognouit, cum iam Neapolitanam expeditionem decreuiſſet, Ateſtinum Henricum Nonum, qui apud Britānum diuerſabatur, euocandum ſibi exiſtimauit; ne cum patrui nulla ſtirps ſuperaret, per eam occaſionem fretus ſoceri opibus, dum ipſe in Italia bellū gereret, Germaniam perturbaret. aduenięti & bono animo eſſe iuſſo Brunſuicenſis & Luneburgenſis principatus poſſeſſionem cōfirmauit. Henrico X. alteri filio Comitatum Palatinum contulit, deditq́; in matrimonium Clementiam Conrado Palatino Comite natam, atque ipſum obſidem apud ſe habuit. Marchioni Rhodiginum Comitatum interceptum fraude Ezelini affinis reſtitui imperauit, & tabulis in eam rem confectis addixit. cumq́; Adelaſia & Oremplaſia genitæ ex Alberto IIII. & Mathilde Theodorici Comitis Raſſemburgenſis filia, quæ per Fulconem II. auum ad Azonem VI. originem referebant, de regni portione litem ei intēderent, quieſcere vtranque iuſſit. ad hæc pro ſua in hos proceres beneuolentia, proq́; magnis eorum erga ſe officijs aliquot nobilium ciuiū ab Auratica fundos in pago Roſario dono dedit Azoni VIII. tūc Ferrariæ commoranti, vbi aduocationis Epiſcopij munus ſuſtinens peramplas ædes ac poſſeſſiones habebat, quas Marcheſellus & Adelardus quorundā monachorum beneficio prius obtinuerant: quinimo petente Opizone Cæſar ciuitatem ipſam ante a parēte Auguſto proſcriptam in integrum reſtituit inq́ue fidem accepit cum omni territorio a mari ad Tartarum, a Tartaro ad medium Laureti portum; cumq́ue agro Comaclenſi & reliquis appendicibus, quarum extat mentio in di-
1192 plomate Kal. Mart. dato anno ſalutis MCXCII. ſtipendio LXXX vnciarum argenti impoſito. His adductus Celeſtinus, qui per Vgutionem præſulem oppidum in ſuas partes traducturum ſe confideret, magnis beneficijs hominem obligat: ſacerdotia ac cœnobia ſuperiorum Pontificum indulgentia collata admodum liberaliter rata habet. Ezelinus ex profeſſo Marchionis hoſtis coniectans ex teſtificatione mirificæ aduerſus illum Cęſaris voluntatis, etſi Ateſtini in Italia & Germania valde imminutis opibus imbecilliores viderentur, haud tamen multum abeſſe a priſtina fortuna recuperanda, vt

nondum confirmatis facilius obſiſteret, Gibellinæ factionis Ducem ſe profitetur. illa autem Azonem oderat, quod fama erat Guelphos ab Ateſtinis pendere. Secundum nudatum partium ſtudium Ezelinus cum Patauinis contra Vicetinos & Veronenſes anno xcv. fœdus percuſſit, hoſtiumque fines deprædatus ædificia quàm latiſſime exuſſit, editis exemplis inhumanę crudelitatis, quorum deinceps nimis pertinax memoria in vtriuſque factionis popularium mentibus hæſit nihil penſi habentium, dum animo obſequantur, cum principes, qui eiuſmodi inuidia conflagrauerunt, cõtentionum modum ratione, clementia, & regnorum tutela ſtatuerint. Veronenſes ad Azonem confugere aliquanto alacrius ob Sophiam ipſius matrem apud ſe natam; eumq; ſibi patronum adoptarunt. in eandem clientelam Bonifacienſes Comites vexati ſe dicarunt; quos aliqui autumant Ateſtina ſtirpe genitos; ſed ea cognatio incomperta eſt. Azo collatis cum Ezelino ad Bachilionem ſignis cum magna Patauinorum ſtrage victoriam retulit, circiter quingentos captiuos fecit. Exinde ad Maroſticam & alia hoſtiũ caſtella arma circumtulit. narrat Taurellus Saraina Veronenſes victorię monumentũ ſupra caſtrũ Lendenariam in ripa Atheſis poſuiſſe caſtrum Gaibum cõſenſu Ferrarienſium, quorum ditionis locus erat, quod ipſorum fines a Patauinis diſcluderet. interim cum Ezelinus impenſam belli a ſocijs nequicquam repeteret, idq; ſimultatem exſuſcitaſſet, deprecãtibus Monticulis ad Vicetinos & Veronenſes tranſijt, deditque quinquennem filium paterno nomine obſidem. Patauini territi cũ Veronenſibus pacem fecere captiuis oppidisq; vtrinq; redditis. Dum hæc in Italia geruntur, Henricũ Ateſtinum vna cũ patruo apud Germanos mors oppreſſit; cuius etſi ſupra mentionem fecimus, dum vtrunq; inter ſe conferremus, nefas tamen ſit pręclaris domeſticorũ ſcriptorum eius ætatis teſtimonijs illius vitã quaſi nõ obſignare. ſcribunt illi, quòd propemodum in cunis vagiens parentes amiſiſſet, nihil obfuiſſe, quo minus cum ſingulari animi magnitudine mentem acrem erectamq; & in maximarũ rerum tractatione conſtantiam viribus corporis, ingenij felicitati, atq; oris dignitati adiũgeret. itaq; ab prima adoleſcentia nõ ſe inertiæ neq; luxu corrumpẽdum dedit, ſed vti Saxonum mos eſt curſu, equitãdo, iaculando, ac eiuſmodi exercitationibus, quę corporis vires alũt tuenturque, ſuperare æquales cõtendit. vbi ętas adoleuit iam auida ſolidę glorię, quo minus eã petebat, tanto magis re ipſa aſſequebatur; nec munia publica aſſidue obita, nõ beata rerum omniũ copia, quã ſuggerit altiſſima fortuna, ſic infregit vnq̃, vt non omnia priuatæ vitę officia honeſtiſſime im-
pleret

pleret æquaretq; ſummam abſtinētiam incorruptæ iuſtitiæ: quamobrem ſine calumnia & celeriter popularibus ius dici iubebat tanta ſeueritate, vt illo in regno metus ſolus pro pœna eſſet. Henrico ex Mathilde regis Angli filia ſuperfuere Otho, Henr. & Gulielmus iam .n. Luitgerum eodem matrimonio natum pater extulerat: tres item
1196 fœminæ Eleonora, Riſſa, & Mathildis. Inſequens annus Opizonem Marchionem Ateſtinis pariter abſtulit. regnum ſuſcepit Azo filius, quem Ferrariæ habitaſſe antea memorauimus. Is prole ſatis felix; nā ex præmortua Eleonora Thomæ III. Allobrogum & Beatricis Geneuæ Comitis filia Aldrouandinum, Azonem, Beatricem & Conſtantiam ſuſtulerat, oblatam a Petro Trauerſario Rauennatiū principe conditionem de ducenda Marcheſella haud abnuit, quāquam ætate iam prouecta, nec liberis gignūdis foret: per eam enim Guelphorum factionem conciliare poſſe credidit, & nanciſci facultatem inſinuandi ſeſe Picentibus ac Ferrarienſibus, apud quos maiores ipſius iterum principatum obtinuerant: & eodem ipſi inclinabant animis, quod magna ex parte eius conſilijs vterentur, & ante non ſemel ad Ateſtinos confugiſſent. erat ea filia Adelardi fratris Gulielmi cognomēto Marcheſelli, forte quòd Piceni præfecturam, quam Marchiam vulgo dicebant, Pontificum permiſſu adminiſtrauerat. Ferrarienſes quoq; potius inſtar Principis, quàm magiſtratus rexerat, quemadmodum inuenimus in vetuſtis Bononienſium annalibus, quòd ciues aduerſus Rauennatium vim defendiſſet tum cum Pontifex nec iſtiuſmodi tumultus admodum reſpiceret, & propter imbecillitatem etiam negligere cogeretur. Gulielmo ſine liberis defuncto vna hęc mulier ex Adelardo fratre reliqua patris patruique facultates teſtamento adepta eſt; cuius extat mentio apud Ioannem Minoritam in libris de vitis Principum Ateſtinorum. ſuper familiæ origine ſcriptores inter ſe diſcrepāt: aliqui eam recēſent inter clariſſimas iam inde a Ferraria condita adducti opinor, quòd multo ante audierint idem gentis nomen Taurellis inimicæ: alij tradunt patrem Gulielmum & ipſum ex Germania huc profectum, vt ſacroſanctum Domini ſepulchrum inuiſeret, quod & præſtitit, dum Ferraria & per Picenū iter facit, rogatum ab his populis, vt ſeſe in fidem acciperet, ea de cauſa reſtitiſſe, ac deinde id muneris ad filium tranſmiſiſſe. Sed Philippus Archiepiſcopus Rauennæ cum aliquot poſt annos Pontificis mandato ſolēnibus tabulis ac ritu Azoni Nono Marchioni addiceret, quæ ille ipſe Gulielmus eiuſdem Eccleſiæ beneficio poſſediſſet, præter Gulielmi patrē meminit Bulgari & Adelardi aui ac proaui ipſius, itemque Varini patrui magni.

Gulielmus, de quo nobis eſt ſermo, pręterquã quod Principem potius quàm magiſtratum egerat; nimirũ fretus ceſſione Vgonis Comitis, qua ille in ipſum Gulielmum ante tranſtuliſſet, quidquid ei iuris eſſet in oppido ac territorio Ferrarienſi; magniſq; commodis populum affecerat arctiſſima cum Venetis amicitia inſtituta, & agro, qua vergit in Septentrionem, præſidijs Fracta, Gulielmi caſtro, atque alijs firmato, maximum in vrbe templum ædificauit ſolida atque eleganti ſtructura, parietibus intrinſecus cocto latere polito munitis, medio ſpatio latiore, & duplici vtrinque ambulatione, quæ ſenos columnarum ordines conſtituunt; extrinſecus vero ab imo ad ſummum marmore exornatis grato planè & aſpectu iucundo opere tum ob varietatem atque diſtributionem, tum ob artificium. ædem Azo Cardinalis ab Innocentio II. ipſo Gulielmo petente Ferrariam miſſus Diuo Georgio dedicauit, cum ad eam diem, nempe annum ſalutis MCXXXV. auguſtiſſimum templum trans Padum fuiſſet, quo loco nunc Georgij fanum viſitur, quem vrbis pręſidem ciues olim quoque ad Vicouentiam coluiſſent. Azo ex ſtudio populi Ferrarienſis proſpiciens tanto ſe ardentius expeti, quanto illi grauior incubabat Salinguerra Taurellus auaritia, ac ſuperbia iuxta nobilis, vt deditionem voluntariam alijs etiam firmaret adminiculis, Petrum Trauerſarium nuptias Marcheſellæ ſuadẽtem audiit, qui propter partium diſſidia Salinguerram capitali odio proſequebatur. ſecundum matrimonium cum noua nupta Ferrariam ingrediẽti primores patrum vti Principi, ipſaq; plebs obuiam proceſſit; qua ex re cum Salinguerra coactum ſe in ordinem cerneret, idque ferre non poſſet, anno illius ſeculi duodecenteſimo ad Cæſarem in Siciliam cucurrit; cui & recentis magnitudinis poſita ab Ateſtinis fundamenta, & impendentem Cęſarianis procellam expoſuit, ſi eorum potentia amplificaretur. at vero plurima diſſeruit de odio, quod erat credibile in eorum animis adhuc reſidere ob ſententiam, qua Noricum & Saxoniam Henricus IX. amiſiſſet; monuit acciſas non funditus euulſas pennas: quinimo reliquam ditionem ex Auguſti auctoritate poſſideri, ſcilicet vt ad priſtinũ ſplendorem & contumeliæ vindictam aſpirare poſſent. patrem non prius vita exceſſiſſe, quàm magna filijs pręſidia in Germania relinqueret, ſuffragatorem Cęſari creando, tum animos minime pręſentibus contentos ac vetera requirentes; eo magis quòd ipſe longinqua in inſula, & ab Germanicis rebus diſiuncta moram trahat. hac oratione incenſum commemoratione etiam paternæ cladis pupugit, quam ei Rainaldus Ateſtinus relata aquila intuliſſet. quamquam

autem

autem Salinguerræ oratio apertam præ ſe calumniam ferret; quippe cuius nullum in Imperium Romanum meritum, nullum neceſſitudinis præſertim cum Henrico extaret pignus, excepto quòd Gibellinæ factionis principem agebat, intermortuam tamen Cæſaris memoriam ad ea excitauit, quæ, ſi diutius vixiſſet, quantum licet conijcere ex familiariſſimo congreſſu, non parum moleſtiæ Marchioni exhibuiſſent. ſed eodem anno prid. Cal. Oct. qui fuit duodecimus dies ab colloquio Salinguerræ, Meſſanæ fato functus, Panormumq; delatus maxima in æde ſepelitur. Poſt Henrici occaſum filio Federico infanti Neapolitanum & Siciliæ regnũ defertur: Philippus frater Sueuiæ & Hetruriæ Dux non ſine controuerſia Cæſar creatur: nam quorum id ius erat partim ipſi, partim Othoni Ateſtino fauerunt, quem vel illud vnum proceribus cõmendarat, quòd pericula audacter ſubiturum & imperium prolaturum apparebat. ac prior quidem Philippus Aquiſgrani diadema ſumpſit; mox Otho ab Adulpho Archiepiſcopo Agrippinẽſi coronatur. huiuſmodi diſſidium magni conflictus totiusq; Germaniæ conuerſio ac perturbatio conſequuta eſt; in quam ſe Francus Rex Sueui ſtudioſus, & Anglus Othonis maternus auus demiſſuri videbantur; eodemq; tempore in Neapolitano regno incendium gliſcebat ex indignatione Innocentij III. quem idem annus primus ab Henrici VI. obitu Pontificem vidit, vti III. Alexin Græcorum Auguſtum. ægre ferebat Pontifex Philippum regnare, nimirũ exiſtimabat Italiæ ac ſuis rationibus maxime aduerſum fratris filium Siculis, Germanis patruum iura dare. ſuccurrebat Federici parentis auiq; inquies ingenium: quod niſi imperatoria inſignia abijceret, iam tum propalam infortunium minabatur. ille vero imminentes turbas opportune auertit: filiam Beatricem Othoni collocauit, cuius vxor Maria prognata Henrico Duce Brabãtino iam deceſſerat, regnumq; Germaniæ & Auguſtum ſe mortuo nomen reliquit: alteram filiam nuptum dedit Ricardi Pontificis fratris filio. dos fuit Vmbria, Hetruria & Picenum; cuius vtriuſq; regionis tametſi Ricardus non potiretur, Comitis tamen vſurpaſſe titulum indicat Cuſpinianus. Pontifices neſcio quo iure Picenum ſibi vindicabant; ſed priuſquam Rodulphus conſentiret, ſæpe de poſſeſſione eſt altercatum. Marquardus Anninuuilirius ab Henrico Rauennatibus Dux, Picentibus Marchio datus, nuncio de eius morte accepto futurus pupilli tutor in Apuliam perrexerat; cuius nõ modo compos non fuerat a Pontifice præuentus, ſed principatu etiam exciderat: eoque Philippo longe expeditior concordiæ ratio extitit. Dum in Germania Ate-

ſtini

ſtini laborant, haud quietiores in Italia res fuere: quādoquidem Salinguerra, vbi nullam ſibi auxilij ſpem Henrici obitum reliquiſſe animaduertit, nō iam fortunam morari, aut externas opes, ſed finitimas vires & bella domeſtica meditari. hæc animo agitantem ſimilitudo facile cum Ezelino contrahit, affirmatq́ue amicitiam Sophia eius filia in matrimonium ducta. inde Monticuli atq; vniuerſa Gibellina factio ſollicitati, & Vicetini ſtimulati in Patauinos: quibus acie fuſis magna pars captiui Carminianum abducti. eò poſcentibus Guelphis Marchio duxit, & caſtrum corona oppugnatū cepit, Patauinos libertati reſtituit. Cum Ateſte poſt Marcheſellæ obitum conceſſiſſet, inde fermè Salinguerræ ſpes oblata eſt priſtinarum opum inter Ferrarienſes. quapropter pace Patauinos inter & Vicetinos conciliata Salinguerra magna apud Gibellinos gratia anno ſalutis MCC. Veronæ, vbi Ezelinus plurimum poterat, prętor 1200
creatur. huius magiſtratus populari libidini admodum obnoxij penè ſumma, ſed certo tempore finita poteſtas erat: per hunc modum Ferrariæ potens, quia forte fortuna diſciuerant Argentenſes olim Ferrarienſium ditionis, quibus poſt multa certamina tandem ceſſerant, Salinguerra auctor fuit, vt conſociatis cum Vicetinis viribus hoſtes ad officium reuocarent; oppidumq́; vi captum prope ſolo æquauit, editis in miſeros ciues ne dignis quidem barbara feritate exemplis. Biennio poſt vt ſibi Ægidius Cortiſnouæ Comes 1202
ſubrogaretur, curauit, ac Mutinæ animum adiecit. res facilem exitum habuit, quòd ciues cū Regienſibus pertinaciter de finibus contenderent; quibus cum aduerſum inimicos opem tuliſſet, eo nomine præturam adipiſcitur quinto illius ſeculi anno. ſed excitatis 1205
Veronæ factionibus Ludouicus Bonifacienſis Comes adiutoribus Sampetrianis Patauinorum primarijs aduerſæ factioni, cuius erant Principes Salinguerra & Ezelinus, ſeſe oppoſuit. initio tumultus caſtellum Ludouici incenſum eſt: qui cum ſuccedere res Gibellinis animaduerteret, docuit Veronenſes ſi ſuccumberent ab Capitum aduerſariorum ſuperbia indigniſſima quæq́; expectanda, præſtare, dum morbus curationem admitteret, Marchionem, qui tum vnus auxilij potens eſſet, Principem acceſſere. haud grauate auditus: ducta in matrimonium Eliſa ipſius filia Ateſtinus in oppidum recipitur ſexto anno ſupra ducenteſimum. Accidit tum vt Veronæ ne 1206
eſſet Marchio; quod ſpeculati Salinguerra & Ezelinus de improuiſo irrumpunt conclamantes Odorici Vicecomitis nomen, cui tradere vrbem volebant. Azo coactis quàm maximis potuit copijs Veronam eſt adortus, & obuijs proſtratis prælium in foro, vbi mercatus ha-

tus haberi ſolebat, quem locum aduerſarij communiuerant, conſeruit: cumque acerrime pugnatum eſſet, tandem victoria potitur Ezelino capto, Salinguerra mature Ferrariam fuga elapſo. Monticulos capita ſeditionis magnis incōmodis afflixit, ædesq; ipſorum diruit; quos mars non abſumpſerat, ſolum paſſim vertere coegit. admonitus deinde complures Piſcheriam & Gardam confugiſſe, ſequenti anno ea oppida expugnauit, nobilioresque comprehenſos Ateſte miſit; vbi cum ijs, qui Veronę in poteſtatem venerant, diligenter ſunt aſſeruati: Ezelinus autem dimiſſus ea lege, ne Veronenſes neue Marchionis ſocios vexaret. qua re adducti ciues ſciuerunt, vt ſi quando apud ipſos morari nollet, ad eum prouocatio eſſet. id teſtimonium Philippus Cæſar comprobauit tota illa præfectura, ac nominatim Veronæ, Vicetiæ, Patauij, Taruiſi, Tridenti, Feltriæ, Belluni, omnibusq; eorum finibus; & filio Azoni multos in agro Vicetino vicos beneficij iure contulit. Ceterum poſt Philippi necem, quem Otho Palatinus Vuitelſpachius interfecit, quòd minus gratioſus apud eum ſibi videretur, longe ampliore dignitate Ateſtinus ornatur: quandoquidē Otho ex Ducibus Brunſuicēſibus eius nominis Primus, alter ex Ateſtinis, Quartus inter Germanicos
1208 reges, Quintus inter Cæſares anno octauo ſupra CC. Aquiſgrani
1209 menſe Martio ſacratus inſequenti venit in Italiam, comitantibus totius Germaniæ terræ longe nobiliſſimis proceribus. Azo honoris cauſa cum liberis in Veronenſium finibus occurrit; ibiq; eo deprecatore ſimultatem poſuit cum Ezelino & Salinguerra, ac præterea eos, qui Ateſte in cuſtodia habebātur, dimiſit. inde ad vrbem vſq; proſequutus eſt, vbi III Id. Oct. ab Innocentio coronatur. Ac ne nouæ dignitatis in domum Ateſtinam inuectæ Azo expers foret, Cæſar præter plurima caſtella in agro Vicetino ei dono data Veronæ principatum atque prouocationem totius Prçfecturæ confirmauit: inſuper Pontificis conſenſu Picenum addidit: in quam prouinciam Mathildis & Marcheſellæ nomine haud ambiguo iure ſeſe inferebat; nimirum adductus cognatione, cuius expreſſe mentionem facit, atq; alijs horum Principum officijs tum in Auguſtos tum in Pontifices Romanos. In regio diplomate, quod de ea re Cluſij ob-
1210 ſignatum eſt decimo illius ſeculi anno XIII. Kal. Febr. inter cetera oppida diſerte exprimuntur Aſculum, Firmum, Numana, Ancon, Auximum, Aeſis, Senogallia, Fanum Fortunæ, Piſaurum, Forum Sempronij, Callium, Iuſicum & Apennini arx eo iure, quo eſſent optimo: quorum omnium poſſeſſionem Azo cepit. eo amplitudinis proceſſerat Ateſtina domus, cuius Italici proceres ingentes veteribus

ribus

ribus fines adiecerant, maioraque in dies incrementa Marchionis virtus & fortuna ſpondebant: Germanici autem ſummum faſtigium conſcenderant ſingulari totius prouinciæ caritate & obſeruantia (quod raro ſolet contingere) tum Anglo Rege coniunctiſſimo omnes ſuas opes liberaliſſime communicante, Franco etiam vetere hoſte recōciliatum officioſe colente, vt æquis conditionibus pacem acciperet. ac fortaſſe eiuſmodi dignitas ad poſteros tranſiſſet, eosq; longa ſerie nobilitaſſet, ſi ſuperiorum temporum, atq; adeo conſequentium exempla conferamus, magna cum opum acceſſione vel propter rei militaris ſtudium, vel voluntaria gentium deditione, maxime vero connubijs. at de illa magnitudine nimium eſt detractum, quoniam Otho plus æquo eos audijt, qui ſuadebant vt tutelam ac procurationem regni Siculi ſuſciperet, quam ad ſe affinitate & cognatione pertinere arbitrabatur. quippe Federicus II. Henrico Cæſare prognatus erat Philippi fratre, cuius ipſe gener erat, & ab Iuditha Henrici VII. ipſius proaui filia oriundus. ſed fuerit ſane illa probabilis cauſa; at nō ferendum cupiditate opum ardere, & compendio ad ſummum imperium niti: nec attendere, quantam rem moueret, ſi Neapolitani pupilli tutelam importune affectaret nondum præparato ac mitigato Pontificis animo, cuius in regni illius parrem ſupremum ius foret. proinde Innocentius, qui ſuas partes eas eſſe diceret, quiq; rem non iam integram reliquiſſet, Cęſari palam aduerſari cœpit, minisq; eū ab incœpto abſterrere conatus, vbi ſe nihil proficere intelligit, diras intorquet, atque imperium abrogat. fulmen Pontificium cum ab alijs, tum a Gregorio VII. audacter vibratum magnum hominum mentibus terrorem incutiebat, eo magis quòd nōdum exoleuerat memoria diſceſſus Henrici Saxonum ac Noricorum Ducis, multoq; maxime humilitatis, in quam Ænobarbus publice Alexandro ſe ſubmiſerat. ea cauſa fuit, cur qui Cæſari magna animo uolenti hortatores fuerant, extemplo ſe ab eo ſegregarent, quemadmodū ſolet accidere, vt qui rebus alicuius ſecundis dum nihil ſibi aduerſi proponit, ſtudium audaciamq; pręſe ferat, vbi ſpes reſedit, cum fortuna & ipſe immutata elāgueſcat. ita triennio tantum in imperio Otho fuit; quod non modo ad propinquum regis Siculi deferri paſſus eſt Innocētius, ſed cum Othoni quemuis præferret, tribuit hoc cupientibus Germanis proceribus, Galloque, vt Federicum ipſum deligerent. exinde in Italiam legati ab ijs, qui illum prouexerant, Henricus Neifenſis & Anſelmus Luſtingius, vti Federicum in Germaniam deducerent, ne qua eum ſuſpicio de Othonis cauſa moraretur. tum Pontifex nihil non ſibi de

Marchio-

Marchionis principis religioſiſſimi virtute pollicitus, quem aſſidue Romæ apud ſe in cariſſimorum numero habebat: hincq; colligitur quàm eodē tempore & ipſi & Cęſari acceptus foret: Federicum eius fidei credidit, vti cū validis eum copijs Aquas perduceret. ibi ſeculi
1212 illius anno duodecimo ab Theodorico Archiepiſcopo Colonienſi Auguſto diademate inſignitur; & quæ Othonis beneficio ad Ateſtinum peruenerant, liberaliter confirmat, inprimisq; ius in Picentes, quod ſuis deinde codicillis vtriq; & eorū heredibus pariter indulſit Innocentius. Azo reuerſus in Italiam, quod multos iam annos Ferrarienſes cū Archiepiſcopo Rauennæ certabant de caſtro Argentæ, cōtrouerſiā ſuſtulit, locumq; Vbaldus vrbis prȩſul cuſtodiæ Ateſtini & Aldrouandini filij cōmiſit, quo ipſum reficerent, ea conditione, ne pax fieret cum Salinguerra niſi Archiepiſcopo & Rauennati Eccleſię cōmunis. In diebus paucis Marchio annos natus ſexaginta Veronæ moritur, & in cœnobio Vangadiciano cōditur. ſepulchro carmen eſt inciſum Lōgobardicis litteris, index quanto decori Imperio nominiq; Italico extiterit; quantam ei gloriam forma, facundia, vigor militaris, atque prudentia pepererint; quātum virtus abſolutis belli paciſq; artibus enituerit; vt non immerito dirus cometes ipſius mortem portenderit. teſtātur ijdem verſus prȩter vtramque prȩfecturam, quarum meminimus, non ſolum Ferrariæ & Veronæ, ſed etiam Mantuæ præfuiſſe. qui quoniam Ateſtinis veteribus dominis Ferrariam reſtituit, etſi deinde multa aduerſa incidiſſent, hi Principes pro felici omine accepere, abundaſſe illum bonis prȩcellentibus & regno dignis: in omni fortuna pari exiſtimatione fuiſſe, ante & poſt imperium geſtum amiſſumque. nempe fertur ſolitus dicere, intrepidi animi conſtantiam non poſſe externis fortunæ motibus de ſuo ſtatu dimoueri. Otho imperio deiectus nihilo magis animum demiſerat, quod immerito eam cōtumeliam ſibi impoſitam defenderet: & tum ægerrime pateretur Ateſtinum cum ſuis & Pontificijs copijs Federicum in regnum reduxiſſe, iccirco illum IX. Kal. Febr. proſcripſerat. verum abiecta rerum Italicarum ſpe ira in Lantgrauium Turingiæ verterat; cuius opera deſciuiſſe ab ſeſe ſuffragatores Germanos arbitrabatur. irritus & hic labor fuit hoſte haud dubio rege Franco, a quo ſub idē tempus victum prælio Othonem ſunt qui tradant. hinc conſilia in Federici perniciem fruſtra inita prȩualido aduerſario, & deſerto ab omnibus Othone. Azonem defunctum frater Bonifacius V. otij appetens nequaquam æmulatus eſt virtute bellica, quippe qui pro aduocationis munere patri primum, deinde ipſi delato Eccleſiæ Ferrarienſis bona omnia

procuraret: propterea cōcurſus eſt ad Aldrouandinum eius nominis Secundum factus, tributiq; conceſſu populorum paterni honores omnes; pręcipue Ferrarienſis ac Veronēſis præfecturæ, & Piceni. dedit & hoc Cæſar memoriæ paterni officij in ſe ac Romanum imperium, vt non modo Othonis ſuaque beneficia tabulis Ratiſbonæ xv. Kal. Mar. confectis affirmaret, in primis de prouocatione ad ipſum tota prouincia Veronenſi, & de Monſilicis beneficio; ſed conceſſit etiam Mutinam & Regium Lepidi cum vniuerſo agro, quæ quidem oppida maioribus ipſius olim paruerant. eadem liberalitas porrecta eſt ad Azonem fratrem, cui adhuc puero diutius Azolino nomen fuit. Ceterum quoniam Aldrouandinus, vtpote nouo principatu imperandi rudis, quæ res pluſquam par ſit nemini committendum monet, cum per eius indulgentiam miniſtri Patauinos acerbius vexarent, iniurias vltum non ibat; Salinguerra & vterque Ezelinus pater ac filius adſcito in ſocietatem Marino Zeno Patauij prætore repente Ateſte excurrerunt, ibiq; Marchionem cōcluſerunt. interim poſt continentia oppido ædificia euerſa late ex agro prędæ abactę haudquaquam omiſſa obſidione. Valterus Gliterni Comes, cuius dum Picentibus incolumis libertas manſit, magna in illis locis auctoritas fuit, per eiuſmodi occaſionem tentauit prouinciam ab Ateſtini obſequio auertere. quo ille audito, ne ſi obſtinatius in ſententia perſiſteret, potiſſima perderet, coactus cum Patauinis pacem fecit, & munitiſſimas arces Calaonum & Cerrum diruit. igitur comparato exercitu anno illius ſeculi xv. pergit 1215
in Picentes: Valteriani Pontificis ac Cæſaris hoſtes, quibus Anconitani Othonis ſtudioſi fauebant (& erat Othonis nomen in illis gentibus carum, nec quāquam abrogato imperio non tamen reliquias dignitatis retinebat) progreſſi ſunt obuiam. poſt aliquot prælia cū in aciem deſcendiſſent, ſuperior Aldrouandinus multis vtrinq; cadentibus, & Valtero cæſo, ſicuti referunt Petrus Gherardus & Benuenutus Forocornelienſis, edomitam prouinciam armis obtinuit, ac Pontificiæ ditionis fecit. memor benificij Innocentius, quando ille tantam molem partim domeſticis opibus ſuſtinuiſſet, partim, vt ſcriptum reliquit Cælius Calcagninus, ſumpta Florentiæ fœnore pecunia, ſequenti anno ipſi poſteriſque Piceni procurationem tribuit ab Aeſi flumine ad Leaſtrum ſtadia DCCC. in longitudinem ſecundum mare Adriaticum, eumque Marchionem appellauit. Firmatis Aldrouādini rebus Gliterni Comites orbati Valtero familiæ principe cum palam nihil moliri auderent, animū ad inſidias adiecerunt. ita Ateſtini familiarem neceſſitudine irretitum & muneribus cor-

bus corruptum perpulerunt, dominum veneno vt tolleret. Defuncto eodem anno Ancone, vbi ſedem ceperat, ſuperſtites fuere liberi Bonifacius, Beatrix, & Alexina ætate immatura, ita vt populi Ducem ſibi legerent ipſius fratrem Azonem IX. tunc Ferrariæ commorãtem. Picentes, quibus potior erat immoderata libertas, quàm aut imperium Ateſtinorum, aut Põtificis maieſtas, ad arma ſpectabant. et faciebat feroces, ſi paululum reluctarentur, ſpes Othoniani auxilij, qui alioqui intra Saxoniam quietus nõ tamen multis popularium protſus exciderat. his motus Innocentius dedit ad eos litteras V. Kal. Iun. hortatusq; eſt, acciperent æquis animis iuſtum principem, Othonem ſacroſanctæ ſedis hoſtem omitterent. itidem alteris, quæ ſunt ſcriptæ poſtridie Kal. Aug. mandauit ſine mora imperata facerẽt. mandato fretus Azo ſtatim eo miſit Tiſum Sampetrianum magna hominem auctoritate, qui poſſeſſionem appre-
1217 hẽderet. Paulo poſt, qui fuit annus CCXVII. ſupra milleſimum Honorius III. ampliſſimo decreto corroborauit, quæcunque maiores ipſius Pontificum ac Cæſarum liberalitate conſequuti erant, Pice-
1218 num reliquaq; omnia oppida. Inſequens annus ad Damiatam, quę cum ab Chriſtianis obſidebatur, Othonem viuis exemit, non prius tamen quàm a Põtifice in gratiam receptus criminum expiationem impetraret, & Imperij inſignia Federico redderet. ea mors conſilia Anconitanorum diſiecit, quorum animi ab Marchione alieni ad Othonem inclinabant, & Azoni moleſtiæ aliunde obiectæ: ſiquidem Perticonus quidam Bononienſis inter Gibellinos præpotens auctore atque adiutore Salinguerra Veronenſes aduerſæ factionis inceſſebat. eò cum magna manu Ateſtinus profectus ipſumque & ſectatores oppido exegit: quo in tumultu Petrus Madulanus Bonifacienſium cliens vſque eò ſæuijt, vt aduerſariorum ædibus iniectus ignis prætorium comprehenderit, ac prope totum abſumpſerit. Dum iſtiuſmodi turbines Venetiam agitant eo vehemẽtius, quo Salinguerra magis creuerat ex præfectura Mantuana nõ plane rei Ferrarienſis expers, quia cum eo aliquot Gibellini ſentiebant, altero
1220 anno Cæſar a Pontifice coronatus dum Tauriſani proprijs diſtricti malis ab iuuandis ſocijs auerterentur, purgauit Picenum: iccirco Gliterni Comitum caſtella ſolo æquata ſunt, & Thomas familiæ princeps exul factus. hinc tranquilliore deinceps prouincia Ateſtinus eſt vſus: quin Auguſtus litteras ad Patauinos dedit, ne quod fœdus cum ipſius hoſtibus inirent, neue finitimum agrum attingerẽt.
1221 Sequenti anno menſe Martio cõceptis verbis ſuperiorum Cæſarum beneficia in hanc familiam Ateſtis & circũiectorum locorum, Rho-

digijq́; confirmauit, auxitq́; Adria, Ariano, finibusq́; eorum additis, quæ poſteros etiam ſequerentur. Deceſſit ſub idē tempus Henricus Ateſtinus huius nominis x. Comes Palatinus Rheni: reliquit filias Getrudam & Irmingardam: hæc Hermanno Marchioni Badenſi, illa quam Auentinus Hagnen. vocat, cuiusq́; hereditarium munus fuit Palatina dignitas, Othoni Vuitelſpachio Ludouici Noricorum Ducis filio nupſit. ab hac ſtirpe propagati Palatini Comites ij, quibus ſuffragij ius eſt in declarādo Cæſare, & Norici Duces, qui hodieque in illis locis regnant: quòd ſi liberos virilis ſexus Henricus ſuſtuliſſet, hoc etiam Ateſtinorum decus fuiſſet. Interim Salinguerra. Ferrariæ magnas opes comparauerat: cum Veronenſes, Patauini, Mantuani communi conſilio & in eum odio Azonem accerſiuerunt, quem ſequebantur Ricardus Bonifacienſis, & Iacobi Carrarienſis ac Sampetrianus: nec ſine ſpe tyranni opprimēdi Ferrariam exercitum admouerunt. ille ſub hoſtium aduentum ſimulatione pacis Ricardum ad colloquium euocat, & fide data ad ſe ingreſſum cuſtodiæ tradit. vna omnium ſententia erat diſcedere ab oppido ſitu inexpugnabili: nec ſuppetebat obſidionis apparatus. dedit manum Azo victus præfectorum conſenſu: atque anni exitu, qui fuit eius ſeculi XXIII. ad Fractam oppidulum in confinio Ferra- 1223
rienſis agri, qua Rhodiginum municipium ſpectat, bellum tranſtulit. inerat validum veteranorum militum præſidium, quod ſe complures dies egregie defendit: nec niſi pugnando inſequenti anno XI. Kal. Maij in poteſtatem venit. locus, ne aliquando hoſtium 1224
receptaculum eſſet, excidio datur. teſtantur vni atque alteri Bononienſium annales proximo ſuperiore anno colloquutos in Ferrarienſi Pontificem, Cæſarem, Hieroſolymitanum Regem & Marchionem de ſacra in barbaros expeditione. quod ſatis erit obiter admonuiſſe: vix enim eſt, vt in re grauiſſima & digna, cuius ſingulæ particulæ accurate proderētur, nudum teſtimonium non eleuemus. Salinguerra, ne Fractenſium clades inulta eſſet, Ricardo vltimum ſupplicium minitabatur: & qua perfidia atque inhumanitate erat, forte ſcelus peregiſſet, ni ſe togatæ Galliæ proceres ſtatim interpoſuiſſent. ſenior Ezelinus per ſpeciem religionis & cœleſtis vitæ, tametſi eum Honorius III. piorum grege ſummouerat, in caſtello Meda cœnobio ſe dicauerat, qua ex re Monachi cognomen meruit. Ezelino filio res Veneta incumbebat paternæ curæ ęque ac Gibellinorum potentiæ heredi. hunc Salinguerra litteris & internūcio Fabritio Saxolano in partes ſollicitatum impulit, vt quàm maxime poſſet Ateſtini auctoritatem carperet. itaq́; incitata Veronæ plebe ad conſtitutam

horam

horam ab Monticulis accitus per confragoſa loca atq; altiſſimas niues delectum rapiens agmen, cum de improuiſo intro ſe iniecisset, Guelphosq; pepuliſſet, Leo neſcio quis cognomento Carcer in ſex menſes prætor creatur. poſt Ezelinus ipſe magiſtratum accepit, qui præturam in perpetuam dictaturam vertere tentauit, fratremq; Albericum in dominationis partem vocauit. quamquam autem Ateſtino illic res parum ex ſententia fluerent, tamen in Picētibus haud leue incremētum capiebant. etenim Honorius litteris Reate v. Kal.
1226 Decemb. datis anno illius ſeculi XXVI. omnibus illis populis imperauit Marchioni obtemperarent, hoc quaſi fræno moderatus, ne ab ſolita licentia eum desererent. inuigilabat Honorius pietati & religioni amplificandæ; proinde quos Dominicus, & Franciſcus duo germani diuini verbi agricolę cœtus hominum ſtudia ęmulantium habuerant, probauit confirmauitque, ipſosq; auctores templis publice poſitis coli ſiuit. quemadmodum autem principibus minus ſui reuerentibus acerrime aduerſabatur, maxime Latino Auguſto, ita paterno amore cōplectebatur, quos cernebat Eccleſiæ dicto audientes. ea cauſa fuit cur Græcum, poſtquam ei ſuis manibus diadema impoſuiſſet, validus exercitus ſequeretur aduerſus Ægyptium, etſi Nili illuuies irritam expeditionem fecit. hinc etiam ex omnibus Italis proceribus vni Ateſtino plurimum tribuit propter ſingularem ipſius & virtutem & pietatem. et accidit iucundiſſimum Pontifici (quippe ita natura comparatum eſt, vt quibus ſtudijs quiſque capitur, eadem in alijs amet) conſtans animi propoſitum, quo Beatrix Ateſtina Azonis ſoror repudiatis ampliſſimis conditionibus a fratre quęſitis ab terrenis ad celeſtes curas animum appulit. Monaſterium Salarolanum, quo ſe abdiderat, militari inſolentiæ videbatur expoſitum. inde quietioris ſeceſſus ergo in collem Gemulam tranſijt; quo loco ſiue pater ſiue frater cœnobium extruxerit, parce ac durirer vitam tolerauit: quam ſolebat dicere probari magis atq; corroborari, quo ab humanis delitijs magis inops eſſet. non defuere lectiſſimæ fœminæ, quæ idem viuendi inſtitutum imitarentur. vna Diua Iuliana Mantuę nata antiqua Comitum Ripēſium familia exemplo incitata Venetias ſe contulit: vbi vacuum Diui Blaſij Catoldi ſeptū dilapſis cultricibus coacto nobilium virginū cœtu reſtituit, frequentauitq;. hoc vitæ ſanctiſſimæ ſpecimine famaq; innumeras accendens quinquennio in monte Gemula exacto eodem anno VI. Id. Maij ad ſuperos euolauit poſt viceſimum ætatis annum; eo fortaſſe celerius, quo ieiunio & religioſis vigilijs, ſecretiſque meditationibus ſeſe magis attenuarat. eius memoriæ diuini honores habiti, &

biti, & Beatæ cognomen inditum. dicta factaq; ipſius copioſe litteris mandauit Albertus primarius ſacerdos in cœnobio montis, quem Vinearum appellant;& tumulo in Ioannis Baptiſtæ loco, quo 1195
ſupremum diem obierat, prolixum epitaphium eſt inſcriptum. multa de ea prorſus mira narrantur: inter quæ illud, quandocunq; ex ſepulchro ſtrepitus audiatur, infortunium cognatis portendi, & cadauer moueri loco. Conſtantiæ Beatricis ſororis immaturo fato ereptæ nomen obſcurius. Tanta tamq; illuſtri pietate, quæ ex Ateſtina domo longe lateque, ſicuti dicebamus, fundebatur, incitatus Pontifex ſuſceptum in fidem Azonem protexit, vti non auderent Salinguerra & Ezelinus iam ante ab Innocētio IIII. inferorum pœnis deuotus cum eo concurrere. ſed quas prædas ab eo non licebat, ab amicis petebant, vt aliquo modo exulceratos animos lenirent. inde caſtellum Fontem ditionis Iacobi Sampetriani nulla laceſſiti iniuria, nullo iure ſubnixi occuparunt. Ezelinus, qui expugnationi interfuit, promiſcua omnium capitum edita cæde cuncta diripuit; Gulielmumque Iacobi filium trimulum Baſſanum abduxit. pater cum Tiſo Patauinos incendit ad communem iniuriam communi conſilio & viribus vindicandam. cum autem ea res magnos motus excitatura videretur, Veneti, quibus omnium, tum maxime finitimorũ quies cordi erat, negotium ſuſceperunt iungēdi vtrinq; animos. iam enim claſſicum cecinerat Stephanus Baduarus prætor Patauij producto curru, quo tum bellum publice decretum ſignificabatur, haud dubie Baſſanenſibus imminens. legauit Senatus Matthæum Bonum & Marcum Quirinum iuſſos eo magis feſtinare, quòd nunciabatur mouiſſe Patauinos, & ex itinere Onaram & Fontaninam caſtella expugnata in prędam vertiſſe cum inſigni oppidanorum ſtrage: inde vlterius progredi. Satis iam cladem acceptam Sampetriani rependerant, & Ezelinus non multum a pernicie aberat deſertus ab Salinguerra turbarum auctore, qui hoſte in dies firmiore rebus ſuis metuens, & priuatæ vtilitatis duntaxat memor periculo ſe ſubduxerat. propterea Veneti id ſedulo captantes, ne Guelphorum opes nimio plus augeſcerent, ſperantesque Patauinos vltos contumeliam a concordia non abhorrere, in eam rem legatos miſerunt. at Ezelinus tametſi ad mitigandum Iacobi animum filium ei reddidiſſet, eo tamen munere ac legatione nihil profecit; demum Fonte reſtituto XVI. Kal. Nouemb. anno illius ſeculi duode- 1228
triceſimo pacem impetrauit ea cōditione, vt in populi Patauini poteſtate eſſet. dein homo quietis impatiens manibus conſtrictis exſoluit linguam hortatus Tauriſanos, Bellunum & Feltriam, quæ olim

olim Patauini ipſis ademerant, repeterent armis & pro certo haberent, ſi ſigna protuliſſent, Cæſarem eorum cauſam ſuſcepturum. his adducti Tauriſani improuiſo impetu vtrunq; oppidum cepere. aduerſarij tum iactura incenſi, tum vt eiuſmodi audaciam reprimerent, miſerunt ad Azonem orantes opem. ille annuit, eoq; profectus Bonifacium VI. propinquum ſuum Aldrouandini filium ad Treſuillas, id loco nomen eſt, præmiſit, vti coniunctus cum Barrolomæo Aquileienſi Patriarcha ſe ſubſequeretur. ibi iuuenem coactũ ſubſiſtere in diebus paucis acuta febris confecit. interim Marchio iunctis cum Baduaro copijs, qui cum ſuo illo curru ab Patauio aderat, caſtella in finibus Tauriſanis Azolum, Maſeradum, Neruerſum, & Lanzanicum manu cepit diruitque. inde ad Tauriſi muros acceſſit, quos cum circumuallare decreuiſſet, ſuaſit prætor rem in aliud tempus differre, iam enim appetente hyeme aquas vndique ſcaturire ſuper repentina incrementa Silis nimio imbre intumeſcentis. probauit conſilium Azo, & exercitum reduxit prius ſubmoto hoſte ad caſtrum Francum. Accidit per eos dies vt, quod Cæſar procul Italia Hieroſolymis ageret, & Ioannes eius vrbis rex ex Gallia reuertens Pontificiæ militiæ ſeſe addixiſſet, Gregorius IX. ſuperiore anno Pontifex creatus eam opportunitatem nactus ad regnum Neapolitanum animum appelleret; ſcilicet iactabat Federicum, quod piorum grege ſecretus eſſet, & pacem cum Medo e re ſua indignam nomine Chriſtiano feciſſet, eo excidiſſe, nullumq; ſibi veniæ locum reliquiſſe. Ezelinus contemplatus magis magiſq; florere Guelphorum opes, & Pontificijs, quam Chriſti militiam nuncupabant, læta proſperaq; multa obtigiſſe, ſequutus auctoritatem Gulielmi Cardinalis Mediolanenſis legati in citeriore Gallia, cuius auxilia bello Neapolitano militabant, arbitratu Marchionis pacis leges accepit, Feltria & Belluno veteri domino reſtitutis. Poſt anno il-
1230 lius ſeculi xxx. poſtr. Non. Apr. oblata ex tuto audendi occaſione, & ſe ſuaque in diſcrimen offerendi, minime torpuit. nempe Federicus ſuperiore anno ex Syria redierat redditis nomini Latino ſancta vrbe, Nazareto, & Iope, Zafo poſtmodum dicta; ibiq; tanquam dotali regno ducta in matrimonium Iole Ioannis filia regem ſe ſalutari coronariq; curauerat. nec contentus ſua defendiſſe ſocero ab oppugnatione Gaiazi repulſo, alienam ditionem inuaſit, cepitque Vmbriam & Picenum, quibus locis præeſſe iuſſit Ricardum Caſertæ Comitem & Iacobum Morram: Picentes etiam eo cupidius, quo cumulatior vindicta erat; nam beneficium ſanctæ ſedi, procuratio ac fructus Marchioni adimebantur, qui Pontificias profeſſus partes

Gibelli-

Gibellinos tantopere afflixiſſet. Ezelinus ad nouam hanc auram immutatus, cum forte fortuna eo, quo memorauimus die, Veronæ in campo Martio cruenta ſeditio exarſiſſet, continuo vrbem irrumpit, atque ita Rainerij Zeni, ſiue vt alij produnt, Matthæi Iuſtiniani, qui primores ciuitatis quietis ergo ablegauerat, auctoritatem frangit, vt rerum omnium arbiter fiat. coacta quàm potuit ampliſſima clientium manu III. Non. Iul. oppidum paſſim percurrit, vim parantes interficit, molitur aduerſariorum fores, domi repertos ſine ſexus aut ætatis diſcrimine iugulat, Ricardum Bonifacienſem, & alios complures Azonis ſtudioſos captos in compedibus habet, tecta eorum incendit. prætor conſulus attonitusq; cum in tanta rerum perturbatione conſilium nō ſuppeteret, Venetias ſe proripuit. Salinguerra Ezelino procurante prætor renunciatur: ſed decretum haud ratum habuerunt, qui Guelphorum Bonifacium profugerant: prætoremque & ipſi Guiciardum Rangonem hominem belli paciſq; artibus, tum litteris aulico dignis præſtantem renuntiauere. ille hortatu ac conſilio Marchionis excitatus, vt eo modo vires colligeret, & re ipſa inito magiſtratu amicorum iudicium comprobaret, Patauium pergit. vbi Ezelini improbitatem atque effrænatam libidinem opprimendi atq; excindendi ciuitatem illam vſque adeo extollit, vt ciues, quanquam anni tempus præcipiti iam autumno, difficillimis itineribus, ac cœlo pluuio bello gerendo incōmodum foret, tanto tamen in Ezelinum odio flagrent, tantam Guiciardo fidem habeant, vt e veſtigio ab Azone petant, velit ipſe eorum armis tyrannum perſequi. Areſtinus coactis celeriter peditum quattuor millibus, equitibus quingentis cum prætore Baduaro ſe coniungit, & ceteris ſequi iuſſis Portum ac Lemniacum, quæ præſidio Salinguerræ tenebantur, adoritur. ille & ſimul Ezelinus aliquot cohortes Verona eduxerant, vt præſidium vtrobique augerent. eos Azo fudit: dein potitus oppidis propius Veronam mouit Bouanico, Riualto, & Tumba captis, atque opere firmatis. Mantuani, qui Marchionis auctoritati plurimum tribuebant, eadem auſpicia ſequuti occupant Treuezolum, Motam, & quam Comitū prius, nunc Scaligerorum inſulam vocant. Dum hæc geruntur Ciſalpina omnis Gallia has multo validiores, aut Ezelini partes amplecti, nulla profecto alia de cauſa, niſi quod populi contrarijs inter ſe ſtudijs agitati, cum hi Pontifici, illi Cæſari fauerent, decertare etiam armis cogebantur. Iam proceres Germani, qui ad Cæſarem ſe conferebant, Venetias peruenerant Bertoldus Patriarcha Aquileienſis, & eius frater Otho Dalmatiæ & Iſtriæ princeps, Eberardus præſul Saltzbur-

Saltzburgenſis, Segifredus Ratiſbonenſis, Bernardus Charintiæ, & Lupoldus Auſtriæ & Stiriæ Duces: eo recentibus allatis nuntijs de Venetiæ tumultu nec non ciſalpinæ Galliæ, viderunt homines prudentes perfacile eſſe, vt tota Italia in has factiones, quæ tum maxime feruebant, ſcinderetur; magnumq; ex ea re incommodum ac labem duobus potentiſſimis Chriſtiani nominis principibus priuatim, atq; adeo omnibus in vniuerſum pijs imminere. gnari autem pullulare omnia ex radicibus diſcordiarum, quæ inter Pontificem ac Cæſarem vigebant, conſtituerunt primum eos in gratiam reducere, vt ſimultatum ſeminibus extinctis ſuccreſcentia quoq; populorum odia interirent; quod & perfecerunt. Poſt eam pacem cognoſcit Federicus Henricum natu maiorem filium, quem Cæſarem appellauerat, importune imperium affectare, cumque eo nobiliſſimos Germanorum proceres & principes aliquot ſentire: iamq; pro ſuo iure conuentum vel potius conſpirationē apud Landtzuthenſes peregiſſe. id vero grauiter ferens & præuertendum ratus antequam coniurati conualeſcerent, in Noricum tranſmiſit anno XXXI.

1231

1232 Inſequenti, quòd non modo tranquillæ res in Italia non erant, ſed multo quam antea turbulentiores, & Azo cū magno exercitu Tauriſum circūſederat, poſtulante Ezelino tranſgreſſus alpes Veronam deſcendit. Is aduentus tantum animorum ac virium Gibellinis attulit, vt qui bellum ægre ſuſtinebant, iam inferrent, & prope ęquo marte res gereretur, coacto interim Ateſtino frequentibus prælijs obſidionem ſoluere. Cæſarem, ne diutius in Italia eſſet, Germanicum incendium vetuit, quod per eius abſentiam ab exiguis reliquijs latius manarat. proinde traditis Ezelino aliquot cohortibus domum properauit. Azone iam longe ſuperiore timuit Gregorius ne ob eam cauſam Federicus cupide in Italiam reuerteretur cum magno rei Romanæ malo. igitur priuſquam hoc contingeret, & morbus omnem omnino curationem reſpueret, ſtatuit per internuntios rem tranſigere. fuere Iacobus Præneſtinus, & Otho Portuenſis ætate ac dignatione purpuratorum patrum longe clariſſimi. ij auctoritate & induſtria ſua, adiuti inſuper ſtudio Rectorum citerioris Galliæ effecerunt, vt Bonifacienſi dimiſſo, datiſq; vtrinque obſidibus pax conſtitueretur. erant Rectores Galliæ & Venetiæ earum ciuitatum prætores, quas ope Veneti Senatus aduerſus Primum Federicum conſpiraſſe ſupra commemorauimus: & manebat adhuc fœdus. fuerunt autem hæ Mediolanum, Cremona, (quāquam poſtea deſciuerat) Brixia, Bergomum, Placentia, Mantua, Ferraria, Patauium, Vicetia, Verona, & Tauriſum. ſed quando ab armis diſceſ-

ſerant Ateſtinus quidem ob Pontificis reuerentiam, Ezelinus ob metum potius, quàm quod factioſi ſincere ſimultates poſuiſſent: poſt dies paucos Mantuani ductu Balduini Caſalalti Comitis, cui pręturã mandauerant, ingreſſi fines Veronenſium eos peruaſtarunt, captis ac direptis Nugarola, Bruculo, Onte, Treuezolo, Tricaſio, Scaligerorum Inſula, Brondolona, & alijs caſtellis. is motus finitimos veteribus controuerſijs ac bellis implicuit. etenim Ezelinus anno triceſimo tertio ſupra CC. vbi ſe annus in ver aperuit, adiutore 1233
Salinguerra Caldenum oppidulum non contemnendum de Guelphis improuiſo cepit incenditque, interfectis non militibus ſolum, ſed etiam omnibus ad vnum oppidanis, ne exceptis quidem infantibus. arx incolumis ſeruata ac communita eſt. inde Veronam profectus Guelphorum factionem omneſq; Azonis clientes exegit; qui de tyranni ingenio perſcriptis quoquo verſum litteris, quamquam nullo a ſe maleficio prouocatus haud ſecius iniuriam faceret, armorum ſocios habuit Mediolanenſes, Brixianos, Mantuanos, ac Bononienſes auidiſſimos frænandæ Ezelini tyrannidis id modo ſtudioſe captantis, qua nam ratione propinquas ciuitates abliguriret, ac potiſſimum Rerumpub. libertatem extingueret. ita numero ac robore firmiſſimo coacto exercitu Villamfrancam, Guzolengum, Lebicinum, Palatiolum, Inſulam altam, & complura alia caſtella in poteſtatem redegit. eodem impetu Veronam delatus oppidum tam acri obſidione cinxit, vt Salinguerra, qui hactenus quieuerat, de pace agendum ſibi putarit interprete Ioanne Vicetino ex Dominici ſodalitio, quod per ea tempora ſeminarium fuit hominum magna & integritate & fama; præuidebat enim ſi Verona concidiſſet, eadem ruina Ferrariam oppreſſum iri: quæ quo impotentius proculcabatur, eo cupidius Ateſtinum aduenientem mœnibus recepiſſet. non perinde arduum fuit Ioanni perſuadere fœderatis vrbibus vt arma ponerent, quæ ſicuti pœnæ cupidine, aut ſuſpicione, aut qua ſimili perturbatione impulſæ facile in vnum conſentiebant, ita non minore negocio in diuerſa ſtudia diducebãtur. ea cõcordia vti ſanctior eſſet, Adeleida Alberico Ezelini fratre nata deſpõdetur vnico Azonis filio, quem ille genuerat ex Eliſa Antiochenſiũ Principis ſobole, deq; aui nomine Rainaldum appellauerat. conditionibus inſertum eſt, eodem vt iure vtriuſq; factionis oppida in Inſubribus ac Venetis vterentur. Ezelinus ſponte inquietus, promptuſq; in omnẽ occaſionem permiſcendi omnia Vdertium, Motam, & Portumbuſalcum caſtella Gerardi Caminij intercepta Tauriſanis attribuit, cauſatus arctiore, quam par eſſet, cum Patauinis amicitia contra ſe
coniu-

coniuraſſe. extemplo & illi gratiam relaturi Othonem Mondellum prætorem in hoſticum ducere imperant: qui late omnia perpopulatus eſt Baſſanum circa, Muſſolentam, Fanum Zenonianum, Cornutum, ac Romanum, vnde Ezelino cognomen natum. ſed cum Veneti vtrunque populum in gratiam reconciliaſſent incõſulto tyranno, ille peſtem Patauinis pariter ac Taurisanis interminatus copias Coloniam admouit: vbi comperit Ateſtinum ſubſidio venturum receſſit, ac paulo poſt in Vicetino caſtra aliquot ditionis Comitum Boniſacienſium ſubegit. Inter hæc Auguſtus tumultum Germanicum ſedauerat, & cauſa ab ſeptuaginta proceribus cognita filium parricidij Ratiſbonæ damnauerat, relegatum Coſentiam
1235 in Calabris, vbi in libera cuſtodia haberetur. Secundus illi annus, qui fuit triceſimus quintus in eadem fortuna vitę finem attulit, cum pater ſuperiore filium Conradum Hieroſolymorum Regem imperij ſucceſſorem declaraſſet XI. Kal. Sept. Cæſar non ſolum tam graui cura leuatus, ſed etiam auctus viribus bellum intulerat Vinceſlao Boemiæ Regi, quòd eum ſenſiſſe cum hoſtibus ſuis exiſtimabat. Pontifex veritus ne, ſi victoriam reportaret, animum atque arma in Italiam conuerteret, ſtimulante maxime Ezelino nouarum rerum ſtrenuo machinatore, miſit Tyronem Tauriſi & Nicolaum Regij Epiſcopos, qui factiones inter ſe conciliarent; ij lecto Veronæ prætore Rainerio Borgatello Peruſino diſcordias compoſuere. Per eos dies Azo ſatis ab moleſtijs vacuus Beatricem Aldrouandino fratre natam Andreæ huius nominis Secundo Vngariæ Regi, cuius ante vxor mortem obierat, in matrimonium dedit, ponunt Pannonici annales Andream reuertentem ex Syriaca peregrinatione, quam ſuſceperat, vt Belam Tertium parentem ſuum voti religione liberaret, Italia facientem iter apud Marchionem diuertiſſe, ibique a Beatrice ſalutatum captum non puellæ modo eximia forma, ſed patrui ſplendore plane regio, ac familiæ nobilitate vxorem eam popoſciſſe, deſponſamque ſecum duxiſſe. ceterum quod is aduentus in aliud tempus incidit, & Beatrix nupſit iſto anno, ſicuti teſtantur dotales tabulæ teſtimonium certiſſimum, potior eſt apud me fides Ferrarienſium ſcriptorum tradentium veniſſe ad virum deducẽtibus Guidotto Mantuæ Pontifice, Matthæo Corrigiate, Raimundo Caminio, & alijs clariſſimis viris cum equitibus ducentis præter regium mariti comitatum; & ſponſalia apud Albam regalem illorum regum domicilium eodem Mantuano Antiſtite peragente celebrata coram vtriuſq; ordinis primoribus: quorum extant nomina in ijſdem tabulis prid. Id. Maij exaratis. Hoc

V 2 ipſo

ipſo anno rex deceſſit: regina cum ventrem ferret, eiuſq; rei minime obſcuris argumentis apud honeſtiſſimos procerum ſacros profanoſq; fidem feciſſet, ne quod poſtumus periculum incurreret, & ipſa minore quàm par erat, apud Belam Quartum priuignum dignitate foret, ſtatuit in Italiam reuerti, vt reliquam ætatem apud patruum ageret. eo cum veniſſet, maturo partus tempore filium edidit Stephanum & ipſum renouato maiorum coniugis nomine vocatum; ex quo poſtea procreatus Andreas Tertius Pannonum inferiorum rex. Alexina altera Aldrouandini filia collocata eſt Alberto Brunſuicenſi patris propinquo intra ſeptimum cognationis gradũ. Interea Cæſar deuictis, qui cum Henrico filio conſenſerant, in primis Federico Auſtriæ regulo, cuius ademptam imperio Viennẽſem præfecturam inſtituerat, interq; Ecbertum Bambergenſem, Rudigerum Badechium Patauiẽſem, ac Conradum Toluſium Fruſſinenſem Pontifices partitus fuerat, plane pacata Germania in Italiam regreſſus Mantuanum & Brixianum agrum hoſtiliter uaſtauit. Ezelinus & ipſe domeſticis Veronæ cohortibus cõſcriptis ad Tumbam caſtra poſuit: deinde increbreſcente fama Ateſtinum auxilio aduentare, inde ad Federicum conceſſit. quo ab Cremona cum magno exercitu in Vicetinos mouente celeriter Azo milites commeatuſque in oppidum intulit: verum cum Gibellini præ impotentia rem ad Cæſarem traherent, irritus hic labor fuit. iccirco Ateſtinus Taurisi præſidium duplicauit, vti minus in ciuium manu eſſet, eiuſmodi exemplum imitari. tum Mergaria expugnata, impoſitum ab Federico præſidium exturbauit: præterq; Tauriſum iam quindecim obſeſſum dies agmẽ ducens docuit Federicum quàm difficilem exitum ea oppugnatio habitura eſſet. ille cernens multorum dierum opus fore, cum Germania inteſtino vexata malo longinquam moram ferre non poſſet, confeſtim redire domum conſtituit: quippe Federicus Auſtria ſpoliatus ad arma exciuerat Othonem Palatinum Cæſaris ex profeſſo hoſtem vulgato iam rumore, iuſſu ipſius Ludouicum parentem interfectum. præter Boemum Auſtriaci ſororis virum eodem nomina dederant Bela Pannoniæ Rex & Henricus Sleſiæ Dux. Tam graui motu perculſus Federicus poſthabita re Tauriſana cum Vicetiam Ezelino tradidiſſet Gamboardum Sueuum Venetiæ præpoſuit cum præſidio ter mille peditum Germanorum, equitum bis mille: mox prætore Ezelino commendato per Foroiulienſes & Carnos mediterraneos in Auſtriam venit. Ezelinus fretus Germanicis auxilijs totum eum tractum ſpe vſurpare, vnum illum explendæ cupiditati aditum ſibi deſtinare, ſi quieto Ateſtino Patauium in

uium in

uium in poteſtatem redegiſſet: quem dedit operam, vt Federicus humaniſſimis litteris, atque honeſtiſſimis conditionibus inuitaret, ne Patauinis opitularetur, ſed potius aduerſus eos ſtaret. Azo quanquam appareret rem ſuam magnopere agi propter finium propinquitatem, neq; prorſus Auguſti precibus repugnare in animum induxit, neq; contra veteres ſocios vllo modo ſumere arma ſuſtinuit. Ezelinus adhibitis Auezuro Aduocato, Marſilio Gualpetro, Nicolao Logio, Bontrauerſo Maltrauerſo, Alberto Pontio, Vitaliano Leuico, atque alijs ex prima nobilitate exulibus oſtendit quid conſilij ſui ſit, quid Cæſar ab Azone poſtulauerit, quàm nihil inde hoſtile metuat. continuo vna cum prætore Gamboardo IIII. Kalen.
1237 Mar. anno a Chriſto nato ducenteſimo triceſimo ſeptimo ſupra millеſimum caſtra ad oppidum metatur. ciues prima prælia audacter capeſſiuere, partim mœnia tutati ſunt. verum nullo externo, vrbano tantum atque agreſti milite inſtructi, poſtquam e ſummis tectis turribusque hauſere oculis incendia villarum, queis de induſtria late omnia ad terrorem lucebant, lamentari inuicem atque accuſare auctores propulſandi belli cœpere. nulli vero acerbius audiebant, quam quibus impulſoribus hominem potentiſſimum offendiſſent, cuius furorem lenitate facilius quàm peruicacia declinaturi erant. at promiſcue ſuam quiſq; vicem dolentes ac miſerantes communem fortunam, quæ malo conſilio labefactata mora caſura eſſet, & duriores allatura conditiones; intra paucos dies ſeq; & vrbem certis pactionibus Ezelino vltro dedidere. qui quamuis libertati ac præturæ diſerte cauerat, eamq; ob rē Simonem neſcio quem Samnitem hominem natura factum ad obſeruandos tyranni nutus ambitu in eum magiſtratum intruſerat, tamen ingreſſo in poſſeſſionem Reipub. quæcunque illa eſſet, vertere cuncta in apertam dominationem. Nobiles tam inſignem ſuperbiam peroſi Montagnanam locum ſitum inde octo paſſuum millia natura atq; opere munitum profugiebāt. eum vt expugnaret Azonē ſibi adiungere eſt conatus, ita vt capta ex æquo illi cederent. verum cū pro eo, quod inter principem tyrannumq; intercedit, diſcrimine nil Ateſtinum moueret, vero an falſo ſuſpicatus ciues in illo magnā ſpem collocare, ex omni numero octoginta patresfam. delegit futuros obſidum loco, vt ſi defeciſſet plebs, ipſi noxam acerbiſſimis ſupplicijs luerent. eos in arces ditionis ſuæ amandatos, quo tutius cuſtodirentur, in Carnis & togata Gallia, atque Apulia ſub Germanicis tribunis in vinculis habuit. Marchio immanem profligatiſſimi tyranni animum deteſtatus, nec ignarus ſtudia partium breui detegenda, fouere eos cœpit, qui

pit, qui Patauio profugi tutam exilij ſedem ſub ipſius imperio capiebant. quin Ezelini vim ab Leonico Ricardi filio palam repulit, quod Bonifacienſes in Ateſtinorum fide ac clientela eſſent. deinde timens, ne Cæſar, qui in Italiam aduentabat, Ezelini calumnijs irritatus ea omnia ſiniſtre accepiſſet, deſcendēti ex alpibus cum ornatiſſimo nobilium comitatu haud longe Tridento occurrit. Cæſar eam Azonis animi teſtificationem libenter amplexus, quem & comiter excepit, Veronam cum veniſſet abſiſtere Ezelinum Bonifacij obſidione, quod tamen Azo ante diſceſſum idoneo pręſidio firmauerat, atque vtrunq; Mantuæ apud ſe eſſe iuſſit. Forte ibi Iacobus Carrarienſis ſub Auguſti oculis colaphum Ezelino infregit, atque inter Ateſtini cohortem centurionum natalibus & militiæ vſu præſtantium ſe recepit. Carrarienſe fuga elapſo non cenſuit Azo verſari ſe in Aula poſſe ſine vitæ diſcrimine: itaq; celeriter Ateſte euaſit. Federicus Mantua diſcedens Mōtemclarum expugnat; Brixianos ac Mediolanenſes prelio vincit, ducto in triumphi modum curru, exq; eo Mediolanenſium pretore Venetorū principis filio brachio ſublime religato, & collo reſte circūdato; tum inuerſis fœderatorū ſignis militaribus, quæ ibi recta figi mos erat. poſt direpta Cortenoua Septemb. menſe Cremonā, inde Tauriſum petijt, quo in oppido hyeme duriſſima, quæ maxima quæq; flumina altiſſimo gelu aſtrinxit, coactus eſt ſubſiſtere. Ver ſoluta glacie tantā vim aquarum effudit, 1238
vt ędificia impetu ꝓſtrata, agri illuuie fœdati, res pro terribili oſtento ſit habita. Super hęc monſtra eodem nata tempore & inſoliti ſolis ac lunæ aſpectus portendere triſtiſſimos euentus, quos tota prope Europa deinde vidit. Federicus Tauriſo Ticinum profectus Ezelinum ab ſe Patauium dimiſit cum pretore Aldrouandino Caſalonte: vterq; vero ſic premebat ciues, vt Guido Logius, Philippus Peraga, & Iacobus Doctus Carrarienſem ſe per Turriculæ portam in oppidum recepturos promitterent. hanc dum prima luce reſerare tentant, & ille in prato vallis cum copijs exitum operitur, Ezelinus a vigilibus excitatus eius loci excubias cōmutat, cumq; equitum turma perluſtrata vrbe, vt exploraret num quæ conſpiratio, num quí ciuiū cœtus intus forent, oppido egreditur, & Carrarienſem reuertentem ad Agnam caſtrum ſuum aſſequutus capit: ſimul Ateſte repente adortus abſente Marchione in poteſtatem redigit. continuo cum Germanis ac Veronenſibus Montagnanam pergit; ſed locus multo quàm Ateſte communitior cū maxima oppugnantium cæde egregie defenditur. Ad eum nuntium Azo ſic inſtructus aduolat, vt Ezelino, qui Montagnanæ obſidionem reliquerat, haudquaquam

contraire

contraire auſo celeriter oppidum recuperet. dein ſatis prouidens, ſi res in Venetia gereretur, hoſtem ciſalpinis pollentem opibus, quæ non poterant non patere Cæſaris legato, longe ſuperiorem futurum, per legatos omnibus de rebus Federicum edocet, ſeſe indignis Ezelini contumelijs vexatum neceſſario ſumpſiſſe arma; ſi liceat, in vetere erga Auguſtam maieſtatem obſeruantia perſeueraturum, vti maiores ſui fecerint & beneuolentia & propinqua cognatione cum illa iuncti. additum in mandatis, vt legati in memoriam Federico redigerent, quo pacto ſuperiores Cæſares Ateſtinos protexiſſent, quantum Azo parens de ipſo meruiſſet, dum ad capiendum regni inſignia Aquas deduxit, dum circumferenti arma per Apuliam ac citeriorem Galliam aſſiduus comes fuit; ad hæc ſibi ab Iuditha Cęſaris cognata ſtirpem eſſe: quibus de cauſis poſtulare id totum ſic complectatur, vt non ſit opus aliunde auxilium petere, atque ea mouere, quæ olim ſine magno ac diuturno Italiæ incendio ſedari nequeant: quanta autem ea moles ſit priſca monumēta abunde declarare. Sic Marchio Germanum eſt aggreſſus, vt tyranni licentiam cohiberet, quando Pontifex amicus quidem ac liberalis, auctorq; vt Cæſarianis impigre reſiſteret, imbecillior erat, quàm vt in alienam tutelā virium partem abſcinderet, quæ integræ vix Neapolitanum hoſtem ſuſtinebant. Ezelinus & ipſe miſſa legatione, quantum mendaciorum contexere licuit, vti Cæſari ſeſe purgaret, ſedulo conquiſiuit: mox cernens Ateſtinum amicorum copijs iam ſatis fultum, plurimumq; apud Pontificem poſſe, a Cæſare impe-
1239 trauit, vt primo vere eius ſeculi anno vndequadrageſimo Patauium accederet. aduenienti nihil antiquius fuit, quàm quo Azonem ab fraudis ſuſpicione auerteret, eum cum Ezelino in gratiam reducere: cum vero animaduerteret propter Gregorianam execrationem pios omnes aduerſum ſe coortos, anxius ne Azo Guelphę factionis princeps cum Pontifice conſentiret, vti eum metum amoliretur (id Auguſto licuit quod opibus ſuperior eſſet) Rainaldum filium obſidem imperauit: adoleſcentem cum vxore Adeleida in Samnium ablegatum pro captiuo habuit: patrem in regia verſari, nec niſi permiſſu ſuo pedem efferre iuſſit. Is erat ſtatus (ſic ludit fortuna, quæ quo altius quem extulit, eo grauiore atque illuſtriore caſu affligit humi) non Azonis modo, ſed totius prope Ateſtinæ familiæ. quippe & vetere poſſeſſione ampliſſimæ ditionis apud Germanos atque Italos & Auguſto faſtigio ceciderat; tum ex ea ſtirpe, quæ Velfonem edidit, duodecim iam annis vnus Otho ſuperſtes erat huius nominis Secundus inter Brunſuicenſes Principes ſatus Gulielmo Henrici ix.

filio, cui

filio, cui Helena Valdemari Dani Regis filia iuncta fuit. Italici proceres mortuo iam Bonifacio duabus ex Sophia & Eliſa fœminis relictis, nulli erant præter Azonem & Rainaldum, qui necdum pater erat. Othonem Federicus ſibi percarum Ducem appellauit non propter Brunſuici & Luneburgi ſplendorem, quibus decus ad eam diem prouincijs Rom. Imperij tribui ſolitum minime conueniebat, ſed propter Aceſtinæ gentis principiſq; nobilitatem, quæ Comitatus illos vel latiſſimis prouincijs dignitate æquabat. Azo & Rainaldus in cuſtodia habebantur haud modico periculo, ne momento & ipſi interirent. at Marchionis neceſſarij apud Cæſarem & huiuſce familiæ obſeruantes tum Germani tum Itali comperto de libertate ipſius conſilia iniri eum ſubmonuerunt, & ad fugam adiutores extiterunt. Iam fraternus contemptus animum Alberico vehementiſſime mouerat, cui filiæ quoque atq; generi exilium acceptum ferebat: itaq; ſub obtentu religionis, quo pallio occulti tyranni ſcelera velare ſolent, rumore de induſtria ſparſo ſeceſſionis ab ſacroſancta ſede pœnitere, a Federico deſciſcit, ac Tauriſum cum Aceſtini clientibus improuiſo occupat. haud mora admoto exercitu propinqua vrbi in prædam abire irrito incœpto, tametſi Auguſtus Veronam, mox Patauium profectus grauiſſime in eos ciues vindicaſſet, quia contuliſſe cum Alberico conſilia dicebantur. ex altera parte Cardinales Iacobus Ciſtertienſis in Galliam, Gregorius Montelongus in Hiſpaniam ac Britanniam a Pontifice legantur, vti eos reges ad ſuſcipiendum religionis patrocinium, ac perſequendum bello Federicum hortentur. conſpirat & citerior Gallia, quantum Bononiam & Mediolanum interiacet, ni Princeps, cui Gregorius publice piorum communione interdixiſſet, ad obſequium officiumq; redeat, parata rebellare. Federicus ab Azone priuatim ſibi cauturus, qui ſe interea domum proripuerat, reconciliare eius animum ſtuduit: ſciebat enim neq; Pontifici neque Italis æqualis illi bello ducis copiam eſſe. legatione functus eſt Petrus Vinea ſcriba Regi in paucis carus, homo magna in obeūdis negotijs prudentia. is teſtari egregiam in eum Cæſaris voluntatem, atq; honeſtiſſimas cōditiones offerre non deſtitit: ſed cū Marchio identidem in filij captiuitate atq; alijs hæreret rebus, de quibus cōuenire inter eos non poterat, re infecta abijt. Federicus certus iam quo animo erga ſe eſſet, Patauinorum aliquot aduerſæ factionis primores Cremonam abduci, atque in carcerem condi, Ezelinum cū legionibus Aceſte, Baonem, Lodium, Calaonum, & Cerrum, quæ duo caſtella inſtaurata fuerant, expugnare mandat. inde Patauium regreſſus multo quàm antea te-

triusin

trius in ſuſpectos ſibi ciues graſſatus eſt. Azo, qui interim Rhodigium milites contrahebat, auxilijs vndique affluentibus ex togata Gallia nec non exulibus Venetiæ, cum multo Cæſarianorum cruore Ateſte recepit. Calaonum & Lodium cōditionibus ſibi proſpexere. nec deterritus eſt, quo minus Cerrum circũueniret, quamuis Ezelinus locatis ad Baonem caſtris Saracenos, qui in præſidio erant, admodum iuuaret. namque hoſtis ex aliquot minutis prælijs intelligens Ateſtinum ab murorũ oppugnatione in æquum campum atq; aciem deſcenſurum, ſatis eſſe duxit inde diſcedere; ita ne ſigno quidem tuba dato Patauium redijt. Saraceni, quos illa ſpes ſuſtentauerat, cognito diſceſſu Azonis arbitrio deditionem fecerunt: qui inermes abire ſingulos manibus virgam geſtantes ignominiæ cauſa permiſit. Ezelinus præ ira contumeliæ in os acceptæ impos ſui vertit rabiem in Patauinorum capita, & primarios ad duodeuiginti proditionis inſimulatos, nec tamē compertos reſte ſuſpendit, quod coniuraſſe non modo cum Iacobo Carrarienſi, cui portam tradituri fuerant, ſed etiam cum Azone arguebantur. eadem ſupplicij fœditas pleroſq; agricolas abſumpſit. viſa res eſt indigna atque inhumana tot indicta cauſa promiſcue ad immanis tyranni nutum latronũ inſtar pependiſſe, atrocioraque in dies timeri. quare Ateſtinus per eam occaſionem ſcriptis litteris docuit Gregorium a ſancta ſede flagitari, vt ne huiuſmodi labem, quantum quidem in ipſo eſſet, hærere in Repub. Chriſtiana pateretur: quando etiam Veneti natura eorum hoſtes, qui alienæ libertati inſidiarentur, Ezelini cauſa Federicum ferre amplius non poſſent. his accenſus Pontifex e veſtigio Rainerium ab Quintini Fano, Philippũ Aſiſium, Albertum Beanum præpoſitum ædis Patauienſis clarum hominem, magnaque & doctrina & auctoritate præditum in Germaniam miſit. In Norico primum promulgauere diras in Cæſarem, quæ Othonem eius prouinciæ Ducem & aliquot Antiſtites, præterea Vinceſlaum Boemiæ Regem, & Federicum Auſtriacum ab eo abalienauerunt. inde vita functo Ecberto Bambergenſi Epiſcopo, qui cum Alberto Bogenſi rem Viennenſem adminiſtrauerat, Federicus Noiſtotum inuaſit, vique intro peruadens præſidium trucidauit, & Rudigerum Patauienſem, Conradum Fruſſinenſem Præſulem in vincula cōiecit. ab hoc initio vertit animum ad Auſtriam & Tauriſcos recuperandos: ita ferentibus opem Vinceſlao & Othone facile vtranque regionem ſubegit. pariter Bauari Sueuis intulerunt arma: & hinc Boemi Sorabis illinc Morauis inſtitere: Saxones bellum Turingicum exercuit. Cum ad hunc modum fluctuaret Germania, ſumme opus erat Cæſaris præ-

ſentia: ille tamen Pontificio odio & patriam & regnum & maieſtatem poſthabens, ex Gallia in Hetruriam tranſijt. dum hic moram trahit, ſatis ſignificauit quid animo volueret, ſcilicet recta Romam, vt de Pontifice, a quo immerentem magnis ſeſe iniurijs affectum ſibi perſuadebat, pœnas aliquo modo ſumeret. Ateſtinus, qui cum paterno nomine, tum plurium ex maioribus ſuis ius ſibi eſſe in rem Ferrarienſem non ignoraret, idoneum tempus nactus operam ſuam Gregorio obtulit; a quo de ea voluntate mirifice laudatus ad diſturbanda Federici cōſilia fœdus ſanxit, vt Pontificis ſalutem ditionemque incolumem præſtaret. id ſe conſequi poſſe cenſuerunt, ſi vrbs obſidione cingeretur, quam impotenti dominatione opprimebat Salinguerra munitus aduerſus omnem vim firmo Cæſarianorum militum præſidio. additi ſunt fœderi Veneti, cum vnus Pontifex tantæ rei peragendæ non videretur. Imperium copiarum conſilij auctori datur, qui extemplo coactis peditum decem millibus, equitibus mille Brigantinum & Bondenum caſtella in finibus Ferrarienſibus, hoc ad dexteram, illud ad ſiniſtram Padi ripam inter ſe tamē diſſita occupat. poſt ſuperuenere Paulus Trauerſarius Rauennatium princeps, Albericus Romanus, Ricardus Bonifacienſis, & Philippus Fontana Archiepiſcopus Rauennæ ac Ferrariæ Antiſtes, qui Salinguerra religionem, diuina humanaque proculcante munere ſuo in ea ciuitate fungi non poterat. nec Mediolanenſes, Brixiani, Mantuani, Placentini & Bononienſes propter frequentes in illis oppidis priuatorum neceſſitudines nō valida auxilia ſubmiſere: quippe nobiles apud plebem multum pollebant ſua ſponte Ezelino ac Salinguerræ ob deteſtāda flagitia infenſiſſimam, eoq; probitatis ac virtutis Ateſtini amantiorem. quamquam autem complures aliæ vrbes nonnihil in bellum cōferrent, hæ tamen præfectos ac prætores ſuos nominatim miſerunt. Cum ad exercitum veniſſet Gregorius Montelongus, cui cum cetera Italica prouincia huius belli adminiſtratio Pontifice mandata fuerat: Iacobus quoque Teupolus Venetorum Princeps cum ornatiſſima claſſe paulo poſt affuit. Itaque anno a ſalute parta XL. ſupra M CC. principio Februarij circumſederi vrbs eſt 1240
cœpta: Veneti nauigijs ab ea parte, quam flumen ſubluit, terreſtres copiæ binis caſtris rem geſſere. porro quæ facies obſidionis fuerit, neq; ſcriptor vllus, neq; monumenti quippiam prodit. Erat in oppido cum Salinguerra Vgo Rhambertus cohortium præfectus, quas Cæſar ibi collocauerat: filij Thomas & Albertus maiores natu iam ſupremum diem obierant; ſuperſtes Iacobus adoleſcens imperitus imbecillior erat, quam vt patri octuageſimum agēti annum tantæ

moli

moli ſufferendæ in ſtationem ſuccederet. ille tamen, vt erat a prima pueritia labore duratus, ſummam adhibebat diligentiam, tum vt tueretur mœnia, tum vt noceret hoſti, ac ſubſidia intro acciperet. Ceterum quoniam qui ciuium Federico cupiebant, haud facile tributa vrbana ſuſtinentes eius ſigna ſequi maluerant, & domi reſides magna pars pro ſuo in illum animo Azoni victoriam precabantur, tumultuari eſt cœptum: præſertim quod obſidio iam aliquantum proceſſerat, & præterquam quod inopia tentabantur, dolebant etiam totis paſſim campis fruges obteri. quin eodem, quo ciues, tædio præſidiarij Germani minime famis ſitiſque patientes afficiebantur. itaq; Iunio ineunte viderunt obſeſſi ſpem domeſticæ meſſis vaſtatis excurſionibus agris ademptam, tum flumine ab Veneta claſſe inſeſſo externis commeatibus aditum præcluſum eſſe. inde intolerabilem penuriam, quæ haud procul aberat, cōijcientes egere cum Vgone, vti ſe Marchioni permitteret. Salinguerra populo ac mercenarijs impar ſtatuit ipſe deditionem vltro facere. Exinde Azo, ne quid miles raperet, ingreſſu exercitum prohibuit, præfecti tantūmodo introiuere. cum omnes ſimul in magnifico Ateſtinorū atrio epularētur, Trauerſarius in pręſentem Salinguerram vſq; adeo acerbe eſt inuectus expertē diuini humaniq; iuris & prorſus impiū identidem appellans, vt legatus ira percitus, quin inquit aſſeruari hominem iubemus, quoad innocentiā probet ſuam? ita miſer fruſtra mulcente animum Azone vinctus pręfecto claſſis traditur, atq; inde porro Venetias aſportatur: vbi non ætate magis quàm ægritudine confectus intra paucos dies obijt. Iacobus filius in libertatem reſtitutus ad Ezelinum ſe contulit. poſt ſoluto exercitu lectus, qui ius in vrbe diceret, Stephanus Baduarus vir magna opinione integritatis ac prudentiæ, qui ſicuti cōmemoratum a nobis eſt, eundem magiſtratum iam ante Patauij geſſerat. Federicus toto obſidionis tempore ſecurus eius rei, & pertinacem iracundiam ſtudioſe fouens obſeſſorum fortunas penitus neglexit; quin imo qui eo ducere, aut ſaltē copiarū partem ſubſidio mittere debuerat, Viterbium profectus Romanos fines vexauerat editis in ſacræ expeditionis milites atrocibus exemplis; queis capita vna atq; altera tranſuerſa plaga inſtar crucis cōuulnerari, ac quadrifariā diffindi iuſſerat. ab Viterbio in Samniū tranſgreſſus eos, qui defecerant, domuit: tum inſtituto oppido Aquila, quod Neapolitano regno munimenrum foret, in Picenum cum perrexiſſet Aſculum diripuit; hinc Rauennā fine Auguſti peruenit toti Flaminiæ inhians. Fauentiam ſeptem menſibus obſeſſam
1241 tandem exacta hyeme anno eius ſeculi primo & quadrageſimo pa-

ctione obtinuit. veteri autem aduerſus Pontificem incitatus odio v. Id. Maij Epiſcopum Præneſtinum & Odonem Cardinalem legatos Pontificios, aliosque ſacri ordinis viros in cuſtodiam tradi iuſſit ſuper centum oratores ex liberis citerioris Galliæ ciuitatibus ad concilium Romam indictum tranſmittentes: qui quidem omnes victis a Piſanis circa illa littora Genuenſibus, duabusq; & viginti triremibus captis in poteſtatem venerant. quocirca Federicus non modo non ſubuenit Salinguerræ, ſed ne oppidum quidem, quod volebat videri ad Imperium Rom. pertinere, ſuarum partium efficere tentauit, deterritus cum natura loci, tum ciuium bellicoſorum ingenio, maxime vero cuſtodis ſingulari virtute. miſit Pontifex e Dominici cœtu, qui peteret dimitti captiuos; ſed triſte reſponſum relatum: haud plus promouere, qui ad orandam a Britanno Francoq; opem iuerant. Quapropter ea fuit doloris vis, vt ſicuti in Pontificia dignitate aſſerenda, & maiorum reſcriptis in vnum codicem referendis magnum adeptus nomen fuerat, ita ſub vitæ finem, ſunt enim qui affirment mœrore contabuiſſe, multum de priſtina exiſtimatione amiſerit. Gregorium ſequutus Celeſtinus IIII. duodeuiginti dies ſedit: interregnum vnum & viginti menſes fuit. eo tempore Ateſtinus nulla in re Eccleſiæ hoſtibus opportunum ſe præbuit. Quintili ineunte anno illius ſeculi altero & quadrageſimo cum Baduari præturæ exitus inſtaret, ciues, qui magiſtratum, vti ius redderet, ei mandauerant, nō ſine teſtimonio innocentiæ ipſum miſſum fecerunt. dein reliquorum togatæ Galliæ, Venetiæ, ac Flamminiæ populorum exemplum minime æmulantes, qui plurimum externis parere magiſtratibus ſolebant, neminem ei ſuffecerunt, ſed imperium atque omnem omnino poteſtatem Azoni tradiderunt: cuius auſpicijs auorum vtriuſq; ſtirpis iam extinctæ auctoritas reuixit, & patris fratriſque ius in hanc vrbem eſt reſtitutum. Philippus Fontana ſacrorum princeps Reipub. nomine in Ateſtinorum atrio deditionē huiuſcemodi verbis eſt ſubſequutus. Vicit tandem fortunæ improbitatem excellens & nequicquam diu exercita virtus magnanime Princeps, quam quaſi per manus a clariſſimis acceptam auis ipſe poſſides, magniſq; & fortibus factis præſtas; & qui multis ad id locorum ærumnis conflictati ſunt, iam maiorum tuorum imperio aſſueti, quibus hæc ciuitas aliquando paruit, ſemper ſtuduit, in tua virtute ac ſapientia conquieſcent; ipſe ampliſſima gloria fruere. et quando temporum conditio Salinguerram ceruicibus noſtris impoſuerat, haud dubitem in præcipuæ felicitatis loco ponere, qui tam impotentem dominum experti fueramus, ijs deorum immortalium

1242

munere

munere eſſe tributum, vt tanto nũc auidius tuo iuſtiſſimo principatu fruamur, quanto acriore ſeruitio ante opprimebamur, doctiq; re ipſa ſtatuamus, quid inter vtrunque interſit. etenim alter neque ex huius vrbis amplificatoribus, neq; ingenti conſpicuaq; natus fortuna, cũ ceteris ſolo atq; natalibus par, virtute inferior eſſet, fraude ac vi leges, atque adeo patriam ipſam ſupergreſſus regnum inuaſit. alterum ea ortum progenie, cuius rami in iſtam regionem complures ſe diffuderunt, florentemq; texerunt, egregia inſuper nobilitate atque virtute pollentem nos ipſi ſponte acciuimus, ſponte Principem allegimus. quantum igitur ius commune ciuitatis vinculum, inſtituta, ciuium denique animi alterum repudiabant, tantum in alterum inclinauere. illum leges obterentem, ius fas negligentem, oppreſſiones, rapinas, ſacrilegia, noua quotidie ſcelera parturientem, illum nihil neque religioſi neque ſancti habere & vidimus & ingemuimus. ex te patriæ conſuetudinis, diuini humaniq; iuris tutela, ſubſidia benigna, & quæ honeſte ſperare licet, bona omnia affatim ſcaturiunt. nec te ſolum hæc nota omnibus tam diuerſa ac ſingularia ſtudia, ſed quædã etiam occultiora longe ſeparant a Salinguerra. quippe ille eo tendebat, vt ne ſubiectis fas eſſet abijcere catenas, & tyranno pulſo ſeſe in libertatem vindicare. vt quiſq; propinquitatibus, diuitijs, rei militaris, litterarum, publicæ priuatæve rei vſu maxime præſtabat, ita tanq̃ iniuriæ opportuniſſimus vrbe eijcebatur. alijs falſæ criminationes mortis aut exilij cauſam afferebant, alios occulti carnifices necabãt: hos per ſpeciem grauium legationum in longinquas terras, alios aliter idem ſemper ſpectans ab ſe ablegabat, ne ab cuius opibus aut ſolertia quem expectabat flagitiorum exitum nanciſceretur. quos furor non attingebat, haudquaquam ſuſpicioni obnoxios extollere ſeſe, & ex anguſtis cancellis egredi non ſinebat, vt ad iniuriam faciendam inutiles forent. quod quia vel ſinguli per ſe audere, vel plures ſimul poterant, vtriq; periculo occurrebat, tum pecunioſos mercatores exſugendo, ac prouidendo ne quis ex optimis artibus ſpiritus ſumeret, & ne quid opertum intra domeſticos parietes eſſet: tum ſimultates alendo addita paſſim, quæ eas excitaret materia, tum publice ac priuatim coitionibus interdictis, vt vix miſeri hiſcere, nedum conſilia conferre, aut conuenire ad excutiendum iugum auderent. illud inprimis curabat, vt exarmati ciues ædibus exinanitis inopes fractiq; animis cogitare de ſupplicio nequirent, & dum alter alterum ſuſpicerent, nec coeundi facultas eſſet, publicam ſeditionem non metueret. has partes tyrannus in ſcena, quæ noſtras infelices animas luſit, quo magis

ante ex-

ante exercitatus potiſſimum Mantuæ ac Mutinæ, eo peritior ſupremo in nos artis conatu. tua tota ratio quam diſpar eſt? tu longo vſu & domeſticis exemplis eruditus, tu fidelibus tuis populis mitiſſimus, vnius vtilitatis publicæ ac proprij decoris tenax: tu in eam curam intentus vt, quibus maxime rebus ciuitates ac prouinciæ florent, mutua inter ciues caritas, obſeruantia erga Principem conſtet, nihil aliud in placido principatu ſategiſti, quam vt populares honeſtis diuitijs tanquam præcipuis vitæ inſtrumentis abundarent, caſte, fortiter agerent, vnde omnis humana vita perficitur: qui operam dederis & alibi, & quoad hic fuiſti, non modo vt ſatis opulenti, ſed etiam inter ſe concordes ac beneuoli forent; quæ & diuinæ & humanæ mentis partes ſunt multo quàm minæ & vincula legum edictorumq; potentiores, vt ampliſſima graſſati via militiæ præſertim & ingenuarum artium, experientiaq; rerum certatim ad altiſſimos quoſque dignitatum gradus enitantur. quamobrem non tu ciuium nobiliſſimos ac fortiſſimos patria expuliſti, ſed pulſos & extorres reuocaſti, defendiſti, grauique in primis iudicio pro merito vnumquemq; ornaſti. tua Princeps glorioſiſſime dextera ſuſcipiat, tegat, ſoſpitet hanc vrbem, vrbem inquam tibi ac tuo ſanguini addictiſſimam. tua vindex ac iuſta dextera, cuius beneficio ex tyrannicis Salinguerræ vnguibus erepta, & tutiſſimo in nido collocata eſt, eam ſeruet diu, vt non modo ſalui per te, ſed etiam florentes pro tua ſalute deos precemur. Fontanæ ea humanitate Azo reſpondit, vt optima ſpe populum impleuit: qui ſtatim libentiſſime in eius verba iurauit. Per hunc modum iuſtum ille principatum libere eſt adeptus, atque ex omni parte abſolutum, ſiue priſca tempora contemplemur, cum primum Ateſtini hic regnarunt, ſiue eorum in hanc ciuitatem beneficia, ſiue Azonis factum teterrimo exacto tyranno & bonis, qui miſere iacebant, erectis; ſiue poſtremo præſtantiſſimas eius virtutes, ac voluntariam deditionem perpendamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ARGVMENTVM
Libri Tertij.

LIBRO tertio continentur priſcum Ferrariæ nomen atq; origo, Gallorum in Italiam aduentus, vtq; illos Pop. Rom. ſubegerit: veteres nouique Padi aluei, oſtia, paludes, conuentus, vici, fines, antiquitas ac dignitas Ducatus Ferrarienſis: bellum etiam, quod Ezelinus parum proſpere geßit cum Azone IX. aliquot oppidulorum excidium, capta & deleta Hoſtilia ab eodem Azone: imperium abrogatum Federico II. ſuffectis in eum locum Henrico primum, deinde Gulielmo Romanorum Regibus: Parma a Federico obſeſſa: Victoria condita, ac ſuperato Federico ab Azone diruta narratur. Ad hæc Mutinenſium ac Bononienſium contentiones, clades & captiuitas Laurentij Sardiniæ Regis, Rainaldi & Conradi obitus, Ezelini tyrannis multorum armis, quos quidem Azo fœdere inter ſe coniunxerat, oppugnata: eiuſdem Ezelini in Mantuanos expeditio, cuius poſt iugum excuſſere Patauini Azonis ope. Gulielmi Romanorum Regis mors, & regnum Alfonſo Caſtulonenſi delatum procerum Ateſtinorum opera, vnaque obiter attinguntur, quæ poſt patriam Maurorum armis oppreſſam Hiſpani geſſerint. Accedit his fugatus cum exercitu captusque ab Ezelino Pontificis legatus, ipſe paulo poſt ab Azone acie victus & interfectus, tum Alberici in Zenonis fanum fuga, quo ab Azone expugnato ac ſolo æquato Tauriſanorum rabie ſtirps Ezelini radicitus exciſa eſt. Subijcitur Veronæ principatus Scaligeris partus, Guelphorum conſpiratio Azone duce: regnũ Neapolitanum a Pontifice oblatum Carolo Andegauenſi, & inſidiæ Azoni a Manfredo comparatæ. Caroli ad vrbem profectio: fœdus cum eo Opizonis VI. Francorum in Italiam aduentus, ijſque patefactum prope iter Opizonis armis. Exponitur præterea quo modo Conradus ex Germania in Italiam tranſcēderit, eumque Opizo tranſitu prohibuerit. vt Rodulphus Cæſar declaratus Mutinenſium ac Regienſium votis, qui ſe in Opizonis fidem credituri erant, annuerit: Octacarus Rodulpho, Albertus Opizoni arma intulerint: mox omnes in gratiam redierint: Siciliam amiſerint Franci: Opizo Turrianos ac Pon-

tificios

tificios auxilio iuuerit. Commemoratur etiam in communi Italiæ quiete ſuper regnum Opizoni confirmatum voluntaria Mutinenſium ac Regienſium deditio; Germanorum diſcordiæ defuncto Rodulpho, prehenſatio Opizonis, quo Albertus Auſtriacus Cæſar ſublegitur: vtque Azo X. a Bononienſibus laceſſitus iniuriam armis repulerit, Argentam in deditionem redegerit, Cornelij forum ab ijſdem Bononienſibus auerterit, & fœdere icto contra Vicecomites Inſubres prælio fuderit. Excipiunt pax citerioris Galliæ, Beatricis nuptiæ, Caroli Valeſij aduentus, matrimonium Azoni cum Neapolitani Regis filia contractum, conſiliorum atque armorum ſocietas cum Carolo, ab alijs in Azonem inita; vtriuſque oppidi ſeditio ac defectio ab Ateſtinis: Veronenſium ac Mantuanorum excurſio in agrum Ferrarienſem non cohibita modo, ſed etiam ab Azone egregie vindicata capta Hoſtilia; quem interim multo maiora animo agitantem mors oppreſſit. Hæc a ſitus Ferrariæ & Padi de-
ſcriptione ad exitum Azonis abſoluuntur L X V I. anno-
rum ſpacio, nempe a M C C XL I I.
ad M C C C V I I I.

IO. BAPTISTAE PIGNAE

De Principibus Ateſtinis

AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM,

HISTORIARVM

LIBER TERTIVS.

FERRARIA, cuius in vario tot ſeculorum cur-
ſu ſingulare ſtudium extitit in Ateſtinos condi-
tores primum ſuos, deinde non ſemel conſetua-
tores fatis opinor eam animorum coniunctio-
nem vtrinque conciliantibus; tum vero maxime
clariſſima familia ab Azonis principatu feliciter
hic imperante cõmoranteque, optimo iure po-
ſtulat, vt origo ac veteres eius fines, itidem reliqua huc pertinentia
explicentut ſcitu non indigna ob eas, quas referebamus cauſas; ſi-
mul vt in viam redeant, qui plane hoſpites in regionum deſcriptio-
ne, oppidorumq́ue primordijs multo ſecus quam par ſit, de huius
initijs agriq́; ambitu exiſtimauerunt. quoniam autem prima ori-
go ex priſcis temporibus repetitur, cum Pop. Rom. ciſalpinam Gal-
liam perdomuit, operæ ptetium eſt, antequam vlterius procedo,
eam rem enarrare. Galli in Italiam tranſgreſſi cis Apenninum vni-
uerſum illum tractum, qui ab Alpibus ad Aeſim amnem porrigitur,
inhabitauerunt. alteram Padi ripam tenuere Inſubres & Cenomani:
alteram propter Aeſim Boij & Senones. horum qui primi aduerſus
Romanos erigere ſeſe auſi ſunt, omnium etiam principes concide-
re; quippe Senones victores & capta præter Capitolium vrbe formi-
doloſiſſimi ſedibus pulſi, dein Boij Inſubreſque. Cenomanos Ro-
manorum perpetuo ſocios ea procella non attigit. continens inde
bellum tenuit, Gallis nunquam prorſus quietam Romano poſſeſ-
ſionem dimittentibus, niſi poſt confectum bellum ductu M. Æmi-
lij Lep. Cos. anno ab vrbe condita DLXVI. is Æmiliam viam ab

ſe dictam non minus ac prouinciam ab Arimino Placentiam, inde Mediolano & Verona Aquileiam perduxit ſecus paludes, quas etiam alicubi aggere conſtrauit. Romani regionem per incolas pacate poſſeſſam tum ad arationem tum ad finitimorum, queis culti erant agri, ſalubritatem ne paluſtres aquæ officerent, ſtudioſe ſiccare cœperunt. hinc conuentus paſſim celebrati, qui deinceps in caſtella & ciuitates opulentas coaluere. Meminit inprimis Itinerarium Antonini Fori Alieni, quod & Cornelius Tacitus agnoſcit, quo loco narrat præſidium Altini relictum aduerſus claſſem Rauennatem, tum facta mentione Patauij ſubijcit; illic cognitum tres cohortes Vitellianas & alam, cui Scribonianæ nomen, ponte iuncto ad forum Alieni conſediſſe. ſcribit etiam Ioannes Boccatius in cõmentario de fluminibus Padum turbidas vehentem aquas in duo cornua diduci, vno quod in lęuam decurrit, Niuentum petere; altero caſtellum nobile adiri, quod olim Forum Alieni, nunc Ferrariam appellamus. Boccatij ſententiam adiuuat pictura, quam Iacobus Zenus Patauinus Antiſtes Baſileæ nactus eſt, non ignota Peregrino Priſciano vel eo argumento vetuſtatem cõijcienti, quòd nullum Venetæ vrbis veſtigium retineret. is tradit Forum Alieni a ſe notatum ad Padi ripam, vbi noſtra ætate Georgiana ædes viſitur. Porro ſicuti multis per Italiam ciuitatibus cõmune Fori vocabulum fuit Iulij puta, Liuij, atque aliorum, quòd, vt admonet Feſtus Pompeius, exercituum Romanorum duces forum iſtis locis habuerunt; in quibus pro imperio inter populares ius dicebant: ita probabile ſit Forum Alieni id nominis ſortitum: ac is fortaſſe fuerit Alienus, qui aliquandiu in Ciſpadanis propter bella ciuilia inter Vitellium & Veſpaſianum verſatus eſt, cuius in ipſorum vitis meminit Dio. nec a vero abhorret qui conſul orę Padanæ prȩeſſet militaris iuriſdictionis ergò illic forum ſtatuiſſe, cui ex ſe nomen fecerit. ceterum cum hic prȩter alias ſtatuas ac veteres inſcriptiones P. Pupij Sexuiri ſtatua oſtendatur, nõ immerito affirmemus, quod & aliàs ſępe per Italiam acciderat, forum hoc in præfecturã fuiſſe cõmutatum; in quas quidem prȩfecturas, cũ inſtar Rerumpub. eſſent, Pop. Rom. ſuffragio lectos aut prætor vrbanus mittebãt annuos magiſtratus, qui ius dicerẽt, pro numero Decẽuiros, Quattuoruiros, Sexuiros appellatos, quemadmodũ ſcriptum reliquit Sex. Pomp. dein barbaris nõ agros modo, ſed etiam indigenarum linguam omni fœditate inquinantibus fora Iulij, Liuij, Popilij, Sempronij in peregrinum detorta ſonum priſcam appellationem exuere. eodem modo credibile ſit forum Alieni Ferrariolam initio dictum; quam poſtmodum incolæ loci

læ loci opportunitatem ſequuti aduerſam in ripam transtulere anno a ſalute parta quinto & viceſimo ſupra quadringenteſimum. Vicus primo oblongus haud multorum annorum interuallo paulo a ripa longius frequentibus ędificijs auctus eſt ab ijs, qui Acarinum Ateſtinorum principem ſequuti ob Hũnorum excurſiones inter inuia paludum ſalutem quærebant: idque nos ſupra memoriæ prodidimus. oppidum a Smaragdo Exarcho muro cinctum quidam auctores ſunt: alij anno D L. multo ante Smaragdi tempora id contigiſſe autumant. Ferrariam cum ab lateribus ſtagna circumluerent, ea paulatim ſiccata terram tanto fertiliorem reddidere, quanto minore negotio colonos videbatur admiſſura propter & decliuitatem, ac riuorum copiam, & ſpem minime dubiam alluuionis. adde præfluentem amnem, qui pulchram, ſalubrem, opulentam, tutamque aduerſus oēm vim externam ſpōdebat: ad hæc mare propinquum mercibus ſubuehēdis opportuniſſimum, & ſubiectos patentes campos ad liberum ventorũ flatum. quibus de cauſis Vitalianus Pontifex Max. ratus ciuitatem eo decore maxime dignam conceſſu Conſtantis Auguſti Conſtantini IIII filij primariam religionis ſedem ex Vicoentia illò transtulit anno ſalutis DCLVI. primus ibi ſacris præfuit Marinus Romanus, vt teſtatur Petratcha in libello de Pontificibus conſcripto. is duodecim vicos, qui ex ſeparatis conſtabant pagis, partim caſtellorum inſtar, alios muris nudatos Ferrarienſi ditioni contribuit, quos Maſſas nominauit, ac ſi dicas hominum cōuentus; vel certe quòd loca eminerent, ſeu magis ab manſis: certos enim fundos vetere Italica lingua manienſes vocabant. eorum nomina fineſque diſtincti fuerunt. nullodum Maſſarum nomine aut partitione ſeptem Vici extabant, vt indicat lapis ex antiquiſſimis Ferrariolæ fundamentis erutus, qui eſt apud Ateſtinos. in eo legitur Vicanos ex vico, quem propter celebritatem magnum dixerunt, priſco ritu ſtatuam poſuiſſe C. Valio Policarpo certa pecunia in Decuriones ac ſacerdotum collegia, plebemque diſtributa. ad hos Vicanos, quantum coniectura licet aſſequi, Alienus forum ſibi inſtituit; hoc Ferrariæ primordium extitit. Sed vti facilius percipiatur, quo loco Maſſæ ſiue Emporia ſita fuerint, quorum diſpoſitio vicos illuſtrabit; quo ſpacium eorum oculis ſubijciamus, exponemus breuiter, quod ab ętatis noſtræ memoria nō plane receſſit, quæ loca tum Padus percurrebat. amnis labens ex Veſulo monte perpetuo ſed tamen obliquo curſu in mare Adriaticum, vti nunc quoq; euadebat, interſecto agro, quem Galli ciſalpini tenuere, quemque Eridani planitiem Polybius vocat: vnico tum alueo vſque ad Eridani caput,

ni caput, dein Rhedorum, poſt Coderedam, Codream, ad extremũ Quadream. Id caput infra vicum Varianũ alio loco, quàm quo nunc fluit, paſſuum millia quattuor in Auſtrum verſus magis ferebatur ad turrim Ocellini, quod ipſius amnis veſtigia indicant, & Polyhiſtorij auctor Nicolaus, ac Blondus; ad Coderedam in duas partes diffluens vna, cui nomen Sandalo, Vicoentiam oppidum alluebat effecto oſtio, quam Padoam de fluuio appellauit Polybius, Paduſam dixit paludem eas regiones Rauenna tenus complexam. idem os ſub Vatreni nomine agnoſcit Plinius de flumine, quod eò influebat, tum Spineticum, quod Dionyſius Halicarnaſſeus Spinetum, Hellanicus Leſbius Spinetem, Spinum Stephanus dixere ab oppido vetuſtiſſimo Spina, nos Primarum ab cognomine inſula proxima, cuius extat mentio in diplomate Leonis VIII. Pontificis Max. principi vrbis templo indulto. alter ad læuam verſus alueus Bodencus oſtio Olane ſeu Volane in mare erumpebat, ac nomen adhuc retinet. is quia amplior & minus obliquus ei parti, quæ deſcendenti ex alpibus ad dexteram occurrit, ciſpadanæ impoſuit nomen: aduerſæ vero tranſpadanæ ab Aneianis inſeſſæ; ea nunc eſt portio agri Ferrarienſis editior: illam alteram Trigaboli habebant: nunc eſt pars longe eminens inſulæ Georgianæ. vtriuſque regionis partem depreſſiorem incoluere Aſſagi ciſpadani inter Sandalum mareque, tranſpadani ad Pompoſam. At vero Padus duobus alueis initio contentus auctus eſt in immenſum hinc atque hinc Apennínis alpiniſque amnibus, præſertim quod illi ex montibus continenter exeſis magnam limi copiam deueherent. haud procul mari æſtu retro actus plenior erat, & ab Septentrione miſcebãt ſe Atheſis, Tartarus, Viſigolus, Medoacus, Bacchilio, & Foſſaclodia. hinc factum aliquando, vt in dexteram læuamque ingenti aquarum mole effuſus hinc ab Rauenna Altinum vſque, illinc a mari in Mantuanum ac Mutinenſem agrum operiret campos, perruptoque ſeptem locis littore & daret vndas & acciperet. ob eam rem paludes iſtæ ſeptem maria vocatæ teſtimonio Herodiani; quo loco fuere olim inſulæ græcis ſcriptoribus celebratæ Electrides de habitatorum nomine. reſedit autem flumen poſtquam Aſſagi, quos ſuperiora incoluiſſe memorauimus, aquas cõpluribus foſſis, maxime Philiſtina & Megarino in Adriaticas paludes emiſerunt: ac Philiſtinam & Megarinum nominatim exprimunt beneficij tabulæ, quod Turco nato Turcia familia tum quoque nobiliſſima Archiepiſcopus Rauennæ quadringentis & eo ampilus ab hinc annis dedit. itaque cum hoc acto, tum ſubſequutis pro vice temporum ſiccitatibus, atque incolarum

larum induſtria, qui per occaſiones paluſtre ſolum perpurgarunt, amnis ad veteres alueos redijt, eosque retinuit ad annum vſque ſeptingenteſimum nonum. tunc, vt eſt auctor Agnellus, qui eccleſiæ Rauennatis acta ritusque litteris tradidit, cum Felix eius ipſius vrbis Archiepiſcopus aggeres reſcidiſſet, dum ab Theodoro præfecto Iuſtiniani II obſidionem metuit, excepit amnem riuus Ferrariola dictus denomine propinqui municipij, quod olim Forum Alieni fuit. riuus in orientem verſus decurrens ſegregabat ab continente marginem ſtagni inſulæ Mareaticę, cuius habetur mentio in teſtamento Almerici Ateſtini Marchionis Ferrarienſis: aqua per eam foſſam immiſſa diffudit ſeſe, nouumq; aperuit alueum ſubinde Sandalo admiſtum e regione caſtelli, quod a flumine Conſandalum nominatum eſt. amnis ab eo quaſi roſtro ad Quadreæ lingulam, qua primum fluxit, intermiſſo curſu complanatus eſt coliq; cœptus, haud tamen ita quin manerent veſtigia priſtini aluei, qui Sandali appellationem ſeruauit: nuper vero in eam altitudinem eſt excauatus, vt pręter multa, quæ prębet cōmoda, iucunde ad vſq; Comaclenſia æſtuaria nauigetur, nec modicū ſit ornamentū Beriguardo regio ac merito gratiſſimo noſtris Principibus ſeceſſui. anno deinde centeſimo quinquageſimo ſecundo ſupra milleſimum ad vicum Ficariolum amotis obicibus pluribus in ſeptentrionem canalibus eſt diuagatus. ſucceſſit noua lues poſt annum quadrageſimum ſiue ipſius amnis impetu, ſiue Sicardi cuiuſdam opera, ab eo certe dicta eſt; iccirco flumen, quod ſiniſtrorſum, vbi nunc pagus Stenta eſt, labebatur, nonnihil detortum: alueum deſuetum accolæ Padum mortuum vocarunt. ex hoc decurſu aquarum paululum ad dextram caput extitit, mox iuxta Arianum bifariam diuiſum altero oſtio, quod Fornaces nuncupauere, Adriam verſus in mare euaſit; dextro haud procul littore duplicem ſibi exitum Abbatem Gorūq; pateſecit, vnde vtrunque oſtium cognominatum. ſedenim quem modo Abbatem memorauimus, res coegit obſtruere, dum Alfonſus II Princeps noſter regio plane animo atque impenſa, vti paludes ſiccentur, latiſſimam per Ferrarienſem inſulam foſſam ducendam curat; quod opus propediem ciuitati opulentiſſimæ fruges duplicabit. ita quæ pars Abbati miſcetur in mare ſe exonerat, & Padi reliqua ſunt quattuor oſtia. nec profecto minor debetur laus incolis eius tractus, quàm Ægypti terræ tam inclytæ cultoribus, qui foſſionibus atque aggeribus Nili incrementa coercuerunt, non modo vt tuto habitarent, ſed famem etiam atque eluuionem longe ab ſe propellerent. quippe iſti quanto effuſior Padus fluit, eo plures

moles

moles magno atque indomito virium experimento perfecerunt ac conſeruarunt, ſcilicet editiore alueo, quàm vt ſine immanibus munimentis perpetuos ac minaces amnis curſus ſuſtinerent: inſuperque regionem ſalubrem atque vberem reddidere. propterea ſicuti quę loca collibus, montiumve iugis aut amnibus, vel vtriſq; ſimul interiacent, vallium vocabulo Itali paſſim notant, longe alia a fundis paluſtribus ſignificatione, pariter hic tractus poſt ſeclusas aquas fertilitatem nactus Padi vallis nomen inuenit. His expoſitis pro multiplici fluminis curſu in agro Ferrarienſi, haud difficile ſit elicere, quo loco duodecim emporia ſiue conuentus inſtituti fuerint, vnde a principio oppidi fines deſcripti. Ac fuere quidem in Trigabolis Babylonica, poſtea fundus arboris: in Aneianis Trecenta, Seregnanum poſt Serianum, Petricolum quod Fanum Donati, Senetica, Corulum deinde Corlum, Polariolum, Occuparium nos Coparium vocamus: in Aſſagis ciſpadanis Donorum, Campora quæ Quartiſana: in tráſpadanis Aſſagis Fereminiana poſterioribus temporibus Formignana appellata, Caſtellio dein Rampiola, nunc Caſtellare. fuit & vicus magnus in Trigabolis eodem loco, quo Babylonica, itemque Egonum vicus poſteris Viguera; ad Aneianos vicus Arioli noſtra ætate Ficariolus, vicus Variani deinceps Vigaranus, vicus Varij Vigara: in Aſſagis ciſpadanis vicus nouus poſtmodum Vigonouus, & vicus Auentini Vigoentia nuncupati. Hanc vicorum diſtributioně colligimus ex Itinerario Antonini, & ditione ac finibus cœnobij Nonantulani, ſummorúq; Pontificum beneficijs aliquot a Priſciano collectis. memorantur & Emporia in diplomate, quo Ferrariam primaria ſacrorũ ſede ornant Vitalianus Pontifex Maximus, & Conſtans Cæſar cum magna loci commendatione. hi fines ab ortu ſolis ad Boſſonis Foſſam, quæ Comaclenſes diſcludebat, nec non ad Gori littus ſtatuunt: ab occaſu vlmo bella Flamminiæ & Longobardiæ limite. a meridie terminant Maleto, quod nunc Malalbergũ nominamus Paduſæ extremum, qua pertinet ad oppidum Bononiam: ab ſeptentrione flumine Tartaro & Gauelli Comitatu. multa ijs tabulis Pontifex ac Cæſar & quidem ſingularia Ferrariæ tribuerunt, quiq; ea detrectarent, communione piorum, necnon aqua & igni interdixerunt. et illi & Primus Adrianus decreto æque ſubſcribens, adiectis Trecenta, Seriano, & Maſſa populari, quam poſtmodo Vicum populi vocarunt, hanc regionem Ducatus nomine inſigniuere. proinde Mathildis, ſicuti aliàs admonuimus, Ducatricem ſe inſcripſit; nempe quia Ducatui Ferrarienſi præeſſet. Duces quoque agnoſcunt Bonifacium ac Thedaldum

daldum patrem auumque Mathildis cœnobij Proſperiani apud Regienſes annales. Vitaliani & Conſtantis munus ratum deinde fuit poſterioribus Pontificibus. Henricus VI. acceſſione Comaclenſis agri fines amplificauit; quod comprobauere duo Innocentij ſummam deinceps adepti ſedem. tot illuſtribus huic ciuitati conceſſis ornamentis, aliud multo amplius acceſſit poſt ius creandi Cæſaris Septemuiris Germanis collatum. Munſterus enim in ſua orbis terrarum deſcriptione hanc ipſam regionem tribus Romani Imperij militaribus Comitatibus Flandriæ, Teriolis, Aldemburgi quartum pari dignitate annectit. Atque hæc de Ferrariæ agriq; ſitu tantiſper dicta ſint: cuius incrementa partim Pontificum & Cæſarum, magnam vero partem Ateſtinorum Principum patrocinio accepta ferre oportet: qui ſicuti primordia in Acarinum referuntur, alius ſuper alium & ornarunt ipſam & defenderũt, licet per interualla temporum iam Domini iam Vindices extiterint, quoad IX Azoni, de quo loquebamur, nequaquam fluxo iure ceſſit. ille cum bona ciuium pace imperans tanta conſtantia clauum rexit, vt quamquam ab Celeſtino defuncto duodeuiginti & amplius menſes interregnum Romæ fuiſſet, tamen ſæuis vndique in Italia fluctibus excitatis vrbem omnis prorſus iactationis immunem præſtaret. Ligures ſociatis armis cum Montis Ferrati, Careti, & Ceuæ regulis Sauonem obſederant, quos Marinus Federici legatus tam grauiter perculerat, cæſis in acie aut captis multis nobilium, vt Pontificij partim nutarent, alij partium ſtudio in officio manerent, & quantum temporis anguſtia pateretur, diligenter præſidia ad vim arcendam compararent. quocirca Bononienſes aliquot arcibus reſtitutis ædificarunt, quam Ocellini turrim dixere in Paduſæ faucibus, qui antiquitus Padi alueus fuit, quemq; Henricus VI. veterem Padum vocauit. Bononienſium exemplum ſequuti ſunt Brixiani, Parmenſes, & alij togatæ Galliæ populi. ex horum metu Cæſarianis creſcit audacia. Auguſtus Fauentiam capit: paulo poſt Bononiæ cõpos ſtudiorum domicilium Patauium amouet, Parmẽſium fines magna clade vrit. Ezelinus harum opportunitate virium, quæ Marchionem ad Ferrariæ cuſtodiã retinent, de repente cum ſenis peditum millibus, equitibus mille & quingentis, nec nõ auxilijs Prætorum Veronenſis, Vicetini, atque Henrici Ignæ ſorore ſua geniti Ateſte iuxta amitti ac recuperari, ſicut deprehendi potuit, facile occupat. pari celeritate Montagnanam noctu diripit: mox ad Albeticum conuerſus fines Tauriſanos hoſtiliter populatur, ex omnibus maxime infeſtus prædijs villiſque eorum, quos Ateſtino fauere intelligebat. eadem rabies Ca-

bies Caminiorum fortunas trans Plauim egit tulitque. peroppor-
tune autem, quo licentius debaccharetur, Goritienſis Comes cum
magna equitum peditumque manu ſe ei adiungit. cum immunita
loca in prædam ceſſiſſent, magnum plauſtrorum numerum ſpolijs
onerarat, reprehenſusque cupidine lucri quamquam militibus vlte-
rius progredi paratis, Patauium regredi ſtatuit, vt auctioni intereſ-
ſet. pecuniæ quod inde effectum eſt, impendit in præcelſas ædes ad
D. Thomæ, vbi & prætorium in arcis modum, quo tutius habita-
ret, emuniuit: ſubter ad ciuium terrorem ac carnificinam horribi-
les illos carceres ſtatuit dirum inuentum Gilij Mediolanenſis archi-
tecti ea tempeſtate celeberrimi. at Ezelinus æmulatione nobilis il-
lius facti Phalaridis tyranni, qui inuentorem tauri ærei primum in
eo incluſum mugitu experiri opus coegit, quoque magis tyrannidē
nobilitaret ſuam, quemadmodum fecerat illo carcere, qualem &
Dionyſius Siculus Syracuſis olim condiderat, ſupplicij auctorem
eiuſmodi tenebris in perpetuum damnauit. inter hæc Cardinales,
quos Federicus in cuſtodiam datos precibus Balduini græci Auguſti
dimiſerat, vnde Pontificia comitia vſque eò dilata, cum primum
Anagniam veniſſent, Sinibaldum Fliſcum Innocentium Quartum
mox vocatum III. Kal. Iul. anno illius ſeculi XLIII. ſacrorum prin- 1243
cipem adorauerunt. Cæſar animo reputans homines, cum ab pri-
uata vita ad ſupremum illud auctoritatis faſtigium prouehuntur,
repente alios fieri: tum fortaſſe cladem Genuenſibus illatam non-
dum memoria excidiſſe, ſed multo magis ardere Eccleſiam odio in
Cæſarianos, de quibus peſſime ſentiret, tametſi fuiſſet vnus e fami-
liarium cohorte, haud tamen ſecus quàm indictis iam inimicitijs
ſe parauit. Ezelinus nihilo modeſtior veteres cogitationes vrgebat
conniuente Auguſto, etſi par erat Pontificem magna vbiq; opinio-
ne ſanctitatis atque animi, cultumque ab Rege Franco mortalibus
ſanctæ ſedis parum reuerentibus aliquantum venerationis timoris-
ue inijcere. propterea Antonio Panegij Comite, quem de prodi-
tione Veronæ conſilia inijſſe inſimulabat, ſecuri percuſſo legiones
miſit in Tauriſanorum fines, qui veluti habent annales quidam no-
ſtri, otioſi quieſcebāt, ac prę metu Ezelini Albericum fratrem apud
ſe tunc eſſe vetuerant; iſque ob eam cauſam apud Ateſtinum diuer-
ſabatur. Ezelinus vti vexaret oppidanos, atq; experiretur num per
ſuæ partis homines potiri vrbis poſſet, potius quàm quod in animo
haberet vim admouere, magnas eò copias cū tumultuarijs aliquot
cohortibus miſit. contra Azo, ne territi permitterent ſe Gibellinæ
factioni, iuſſit anteuertere Guicciardum Rangonum, qui poſt exi-

tum præ-

tum præturæ Veronenſis Ferrariam ſe receperat, hominem eiuſmodi negotio obeundo ſumme idoneum, ob prudentiam ac vim perſuadendi, tum propter arctam cum primoribus neceſſitudinem. ſuaſit id loci opportunitas: erat quippe illa tempeſtate frequẽs municipium ac prævalidum, vt merito toti illi prouinciæ de ſe nomen daret: ſimul verebatur ne non Albericum modo reijcerent, ſed ſi Ezelinum admiſiſſent, nulla amplius ſpes foret reſtituendi Guelfos. itaque firmo cum præſidio profectus Guicciardus aduocato Senatu ſic eſt locutus. Si capitalis huic vrbi hoſtis Ezelinus prauo animo quidquam conſilij addidiſſet more hominum flagitioſorum, quos affecta quidem ſemper, ſed non vſquequaque improuida mens comitatur, equidem credibile ſit ſubnixum ſtabili ſpe vel cum aliena iniuria noua incrementa meditari. porro quamquam ille ineunda abrumpendave pace Cæſarem præ oculis habuerit, pro eius abſentia aut præſentia cuncta moderatus, tanta tamen inconſtantia & leuitate eſt, vt obuia quæque auide arripiat, in tanta recti honeſtique ignoratione verſatur, vt prope amens opportuna temporum magis tuta non diſcernat. proinde ſunt auctori quidem atque ſocijs conſiliorum triſtes exitus, prius tamen ea importunitate ac vanitate læduntur perturbanturque, qui alium ſibi finem propoſuerunt. ſed quando ad quamlibet fortunæ auram nullo pudore, nulla ſacramẽti religione in omnem diſcordiam, vim, incendia, rapinas, ſacrilegia, & reliqua nefaria ſcelera præceps ruit atq; prouoluitur, ſi forte præmiſſi aliquot ſemiermium tyronum ignauiſſimi manipuli tantum terroris vobis incutiunt, vt non dicam illum, ſed præſidium miniſtrumve ipſius intra mœnia accipiendnm ſtatuatis, iam iam oculis cerno quibus ſupplicijs in Vicetinos & Patauinos immaniſſime graſſatur, ijſdem hanc vrbem (penè cum infauſtô omine infelicem dixi) tanta rabie proculcantem, vt vel ipſa memoria incitare vos debeat, quoad ſuſtinere arma dextræ valeant, ad teterrimã hanc belluam ab aris focisque, a liberis & coniugibus veſtris prohibendam atque exterminandam. quæ circũſpiciens Princeps Ateſtinus pro ſua in vos beneuolentia, me, qui hæc coram agerem, omnesq; ipſius opes vobis offerrem, legauit: vt hinc vrbanis legionibus ex compoſito a fronte, ipſo a tergo vrgente infelices Ezelini copiæ trucidentur. intuemini ciues Patauij vetuſti ac perilluſtris municipij fortunam, quod ſuopte commodo, maxime autem monente me Marchionis nomine bellum in eum decreuit tum procul abſentem, neque vim minantem: iamque arma ſumpſerat, nec iugum accepiſſet, ſi adhuc ſui ſpiritus potens bellum non depoſuiſſet. vobis

vero quæ reliqua ſpes eſt, niſi vt maioribus copijs fulto quam facultatem victoriæ infirmus hoſtis ſuppeditat, eam cōfirmatus eripiat? ſi longinquæ aut incertæ improuiſæve calamitates ea ſpecie nō ſe mortalium oculis offerunt, vt ſubitam propriæ fortunæ cogitationem ingerāt, cur ſecuri pene dicam ceruicibus noſtris admota non expedimus ſalutem ferro? cur (& erat mehercule præſtabilius vadentes ad Veronæ mœnia feram ſuis in latebris circumſiſtere, quàm ſatellitibus ire obuiam) non iuſtis ac ſalutaribus armis iniuſta atque exitioſa repellimus? præſertim cū mora peſtem ac perniciem certiſſimam minetur. capite capite arma ciues nō minore, quàm res poſtulat, ardore: a quibus & fœderati & fas ipſum ſtabit; quibus non deerit Ateſtinus prudens ac fortis Princeps, acerrimus ſacroſanctæ ſedis vindex, ac ſociorum huiusque in primis vrbis ſtudioſus. Mouit populum Guicciardi oratio & propinqui auxilij ſpes Azone non conſultore modo ſed periculi participe: adeo vt non ſit auſus quiſquam verbum facere de ineunda cum Ezelino pace: quinimo cum ad diem clam dictam auxilia affuiſſent, itum eſt in hoſtē tanta vi, vt etiam ſi rei geſtæ ſeries ignoretur, de ſumma cōſtet, ille tamē fuſus terga dederit, & præfectus expeditioni Albericus in patriam redierit. Ezelinus veritus ne aduerſa pugna Veronenſes ab ſe alienaret, coactis quos potuit ex illo oppido, & aliquot Patauinis eò aduolauit. inde ingreſſus in fines Mantuanos agrum effuſe ferro & igne peruaſtat: Bonifacium, quod certis conditionibus in poteſtatem venerat, interfectis ad vnum oppidanis omnibus, tectisq; incenſis ſolo æquauit. Dum eius anni exitu & principio inſequētis hæc gerūtur, Azo, 1244
qui vſq; eo ſeſe tenuerat, dum videret quo euaderent contentiones Pontificis ac Cæſaris, haud amplius cunctandū ratus cōtractis, quæ ad manum erant ex ſuis delectibus copijs, additisq; ex Venetia voluntarijs cum Ricardo Bonifacienſi Hoſtiliam Ezelini ditionis contendit. id illi oppidū adimere operæ pretium duxit Ateſtinus, quod locus in ſuperiore Padi ripa maxime opportunus eſſet ad Ferrarienſes improuiſo nauibus infeſtandos. præſidiarij ad mille locum natura ſatis munitum egregie videbantur defenſuri, & erant qui obſidione domandos cenſerent. Azo crebris expugnationibus, diurnis nocturnisq; laboribus & vigilijs exercitos cum ad paucitatem redegiſſet, feſſis qui ſuperfuerant, pactos tantūmodo ſalutem perpulit deditionem facere, priuſquam arctius preſſi victoris arbitrio omnia permitterent. oppidum Ricardus tum Mantuanorum prætor diruit vltus Bonifacij excidium, quod Ezelinus paulo ante euerterat. Iam Veronam e tyranni faucibus liberaturus ſigna mouerat; cum

naturæ

naturæ atque adeo mundi ipſius vis obſtitit. etenim fine Iunij veteribus iam abſumptis frugibus, cum meſſis perexigua ac deformis ſeſe oſtenderet, ea fuit annonæ caritas, vt ſponte & nulla cœli contagione peſtilentia vagari cœperit. Sub idem tempus Innocentius fluxam Federici fidem veritus, etſi ad vtrumque commeans eos reconciliare niteretur Græcus Cæſar, proſequentibus Genuenſium legatis Centumcellas clam venit, eorumque triremibus Maſſiliam defertur. inde Lugdunum profectus concilio coacto ſacrum bellum in Cæſarem publicis concionibus promulgari iuſſit, pari indulgentia erga pios mortales, qui hanc & Syriacam militiam profiterentur, ſicuti conſtat ex ipſius litteris ea de re ſcriptis. hæc fuga Pontificiorum alacritatem atq; audaciam vehementer imminuit: proinde Azo dimiſſo exercitu Ferrariam ſe recepit. Pontifex quidem an-
1245 no inſequenti ius nomenque Imperij ac vtriuſq; Siciliæ regnum Federico decreto ſuo abrogauit ob eas cauſas, quæ alicubi in libris iuris Pontificij leguntur, & copioſe ab illorum temporum ſcriptoribus exponuntur; maxime autem a Petro Vinea, qui Federico ipſi fuit ab epiſtolis. capita feruntur, pax iureiurando ſancita violata, ſacerdotes in vincula cōiecti, templorum bona correpta, Picenum occupatum, ſtipendium pro regno pendi ſolitum negatum, ac denique quod de religione non bene ſentire vulgo putaretur. fracto, ſed non plane abiecto Auguſto non potuit Marchio de recipiendo Ateſte cogitare; præſertim quod ille in Taurinos profectus, atque inde ex propinquo ſpeciem ſe daturi in patrum conſeſſum præbens, etſi paulo poſt ciſalpinis motibus auocatus eam ſimulationem exuerat, ſententiam iniuſtam contendebat, & ſtipatus mercenario Saraceno milite crudeliſſime tota Italia Guelfos perſequebatur. Ceterum ſatagente Pontifice per internuncium Philippum Fontanam Ferrarienſiū Antiſtitem Herbipoli Franconiæ oppido anno ſexto &
1246 quadrageſimo comitia tandem creando Cæſari ſunt habita. lectus eſt Henricus Raſpenburgius Turingus Ludouici filius ex Claritia Federici Primi Auguſti ſorore, coronatusq; Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Agrippinenſi. ea res nutantes in Italia Pontificias partes cōfirmauit: maxime autem iucunda accidit Azoni, qui ab eo non alienus foret; ſiquidem illi nupſerat Iſabella edita Alberto Brunſuici regulo Othonis II. filiorum natu maximo, cui Magno cognomen fuit ex Ateſtina familia. is ſucceſſoresq; ad Rodulphum vſque Romæ inſignia Imperij nō acceperunt, ita vt vndetriginta annos in occidēte interregnū fuerit: nihilo tamē ſecius eo gradu ad virtutem ingreſſus fuerat, vt ni illum immatura mors eripuiſſet, videretur

abſolutum Cæſaris decus paraturus, non modo præclara facinora facturus. nam Conradus Federici filius, quem decennio ante Archiepiſcopus Colonienſis inunxerat, cum eiuſmodi decretum irritum iactaret, comparato exercitu Francfortiam conceſſerat. nec moram prælio Henricus fecit: quin collatis ſignis fuſum hoſtem in Italiam ſubmouit. ſecūdum victoriam multæ ſe vrbes Henrico permiſerunt, maiore virtutis ſucceſſu, quo acriora inter Pontificios ac Cæſarianos diſſidia ardebant. ſed pulſus primo a Retlingenſibus, deinde apud Vlmam ſagitta vulneratus, intra paucos dies vita exceſſit. nec ea res adeo Federici partes ſubleuauit, quin opes Innocentij magis magiſq; indies creſcerent, quando Græcus Lugdunenſi concilio fauebat; quo cum de certis religionis capitibus, quæ Germanus prætermiſſorum auctor recenſet, inter vtriuſque gentis ſacerdotes parum conueniret, clariſſimos illius ætatis theologos, quorum magnus erat numerus, euocarat. Sublato Impetij æmulo etſi Germanicus tumultus ad vnum Conradum rem Romanam videbatur attrahere; tamen poſtero anno curante Petro Capucio Ponti- 1247
ficis legato, prehenſationibus Azonis & auctoritate Brunſuicenſis, Vuaringiæ ſublegitur Cæſar Gulielmus Hollandus Florentio IIII. Batauorum Comite & Mathilde Brabantini Ducis filia genitus. Cęſari autem deſignato denupſerat Iſabella Othone prognata & Brūſuicenſis ſoror. Superiore anno Federicus, cum ſeueriſſime in exules Neapolitanos animaduertiſſet, eas regiones pacauerat; magnoque ſui nominis terrore cum eos populos, tum Pontificiam ditionem atque vniuerſam Italiam impleuerat. attamen quod paſſim citeriore Gallia multa oppida imperata non faciebant, exiſtimauit ſi de Parmenſibus pœnas ſumpſiſſet, fore vt ceterorum audacia retunderetur; atque ita tota Italia potiretur. Auguſtus ſummo in vrbem odio indomiti aduerſus ſe ſpiritus, quia ciues Laurentium filium, cum ibi in præſidio eſſet, expulerant, & Pontificijs portas aperuerant, quo tempore ipſe cum Pontifice in gratiam rediturus Lugdunum proficiſci conſtituerat, eo obſtinatiore animo rem aggreſſus eſt. Itaque coactis militum ſexaginta millibus Ezelinum, cui plurimum tribuebat, acceſſiuit: ſed vix dum ſuis finibus digreſſus Mincium attigerat, cum Azonem, cui Pontifex ac Mediolanenſes, ceteriique ſocij ſupremum militare imperium detulerant, obuium habuit cum copijs, quæ Parmæ collocandæ erant. magno factionum ardore concurritur: multi vtrinque cadunt. ſcribit Petrus Gerardus victoriam ad Ateſtinum inclinaſſe: annales Veronenſes ex tenore rerum geſtarum viciſſe Ezelinum aſſerunt. nam cum adhuc

extaret

extaret pons, quo Federicus Padum aduerſus Vitallianam iunxerat ſub eos dies, quibus cum Græco Auguſto & proceribus Germanis Veronam ſe contulerat regiam ibi ſedem habiturus, Ezelinus ſine certamine eum ſuperauerat, Brixillumq́ue & Guardaſtallum in poteſtatem redegerat. quo facto commeatus, ſimulq́; militum ſubſidia intercluſerat, quæ quotidie Ateſtinus ac Mantuani Pado Parmã ſubmittebant, captis etiam omnis generis circiter nauigijs centum. Ferrarienſes annales nihil tale ponunt, ſed tantũ Azonem aliquandiu extra caſum vniuerſæ dimicationis cum hoſte ſuper Mincium pugnaſſe, & deleto poſtremo agmine, quod e Veronenſibus conſtabat, recta Parmam tetendiſſe, prudentiſſime exiſtimantem deuicto Ezelino nihilo fore tutiores Parmenſes a Federico, ſi fortunæ ſecus placuiſſet, oppidum hoſti in manum ſine dubio tradi; proinde propoſitum tenuiſſe: Ezelinum traiecto ponte, auctumq́ue ea manu, quæ iam in agrum Parmenſem peruenerat, tanq̃ hoſte æquo campo ſe cõmittere nõ auſo, facile ea loca occupaſſe. Federicus proſpiciens ciuitatem recenti Azonis præſidio firmatam vi expugnari niſi ſumma cum difficultate non poſſe, quod initio cum caſtrametaretur crediderat, priſtina ſpe depulſus cõſilia ad obſidionem vertit: eoq́ue tam acriter animum intendit, vt quo commodius ſtatiua ad excidium oppidanorum produceret, e regione, qua occidentem ſpectat, complura tecta e materia excitaret dimenſis regionibus areiſq́ue, & circumducta lata foſſa, quæ diductas Parmæ amnis oppidum interſecantis aquas exciperet, tum octo portis patefactis, quo inſtar vrbis eſſet. ea ex Diui Victoris nomine, cui templum dedicauit, cuiuſq́ue in tutela vt eſſet, voluit, Victoria nuncupata: & percuſſus ob illam cauſam Victoriatus nummus. ſed non abſurde ſuſpicetur quis, obiter illudentem Pontifici refricaſſe memoriam Victoris falſi Pontificis, qui olim pro ſuo vindice Federico Ænobarbo contra Alexandrum ſtetiſſet, vti quemadmodũ Alexandria eius nomen referret, ſic iſti parem ex Victoris vocabulo contumeliam rependeret. aut fortaſſe verius ſit inditum nomen, vt ſcirent hoſtes non niſi victorem diſceſſurum. hæc pertinaciſſime moliens copijs præfecit Laurentium ex pellice filium, cui, vt & Federico Antiochiæ Principi plurimum tribuebat. ceterum & hunc & Conradum iuſtam ſobolem alij motus, qui præſentiam ipſorum poſtulabant, ab iſta expeditione prohibuere. Conradum Germania retinebat dubiæ fidei: tum quod Octacarus Vinceſlai Boemi regis filius Auſtriã aduerſus Belam Pãnonium fortiter tuebatur, & quod Pontifex anathemate percuſſerat Othonem Norici Ducem, qui Staufenſibus fauebat,

uebat,

uebat, & Pataųia potitus cutem Antiſtiti Ratiſbonenſi adhuc ſpiranti detrahi imperarat. Antiochenſem, cui ſe vltro ſuperiore anno Florentini ad factiones compriműdas ſubiecerant, ea prouincia, Picenum inſuper & Flamminia demorabantur. filius itaque paterni dux exercitus, cum forte fortuna Azo ſpe eorum oppidorum per proditionem potiundi cum magna manu Brixillum & Guardaſtallum receſſiſſet, eius profectionis non ignarus Victoria militũ promptiſſimos eduxit. continuo Parmenſes ab graui in illum odio flagrantes cupiditate pugnæ longe in armis occurrerunt: ille non auſus fortunam tentare retro ceſſit. miſſi exemplo qui hæc Imperatori nuntiarent, ſimulque orarent vt quamprimum rediret, ſummam eſſe omninm alacritatem ac deſiderium confligendi cum hoſte, qui prælium abnuerat: quin tantum iam in eum animorum ſumpſerant, vt haudquaquam parem ſibi exiſtimarent, etſi numero longe præſtaret. vrgebant & Montelongum Pontificis legatum, qui erat Mediolani, vt veteranam quadringentorum equitum alam Gulielmo Soreſino & Othone Marcellino præfectis adduceret. properabat legatus, iamque Placentiam peruenerat, vnde aliquot cohortes abduxit, & Azo, qui interim duo illa oppidula ceperat, ac pontem a Cremonenſibus in Pado factum cæſis cuſtodibus reſciderat, vt ab ea parte difficilius commeatus Victoriam importarentur, profectus Colornum ſubſtitit copias cum legato coniuncturus. is cum veniſſet, Parmam vterque ingrediuntur, & paulo poſt Federico caſtra in aperto habente oppidani fiducia virium ſuarum elati petierunt, vt permiſſu Ducis in hoſtem erumpere liceret. ille haud grauate annuit; tantoque impetu in primos ordines incurrerunt, tam trepide eos in fugam auerterunt, vt ipſemet Federicus exclamaret, quàm turpe eſt milites huic flagitio mortem non anteferre? Hæc intonans & ipſe intra ſua mœnia redigitur: eo prælio cæſa ex hoſtibus captave fuerunt octo millia. ſupplemento deinde Florentinorum ac Cremonenſium confirmatus cautior fuit: nihilominus leuibus plerunque prælijs certatum eſt, cũ viciſſim Parmenſes Victorianiq; modo pellerent, modo pellerentur. interim pecuniæ inopia ſcorteum nũmum percuſſit, quem qui perfecto bello ad procuratorem fiſci attuliſſet, ſolidum Auguſtanũ ei bona fide perſolueret; quod & poſtea factum eſt. id vero tradunt quidam nõ Parmenſi, ſed Fauentiæ obſidione cõtigiſſe. Principio anni, qui fuit vndequinquageſimus ſupra MCC. paulo minus biennium obſidio trahebatur; 1249
cum, quamquam interim Robertus Caſtellioneus Comes Piceno a Cæſare præfectus Marcellinum Aretij Antiſtitem male habuerat,

fuſis

fuſis ad Auximum Pontificijs, & Anconitanis grauiter caſtigatis; & Gibellina factio aduerſam Florentia eiecerat cum magno profugorum malo, ita vt ea Reſpub. tota Federici eſſet; quæ magnam illi exiſtimationē pepererant: tamen nō exiguas Pontifici vires Francus Gibellinis infeſtus in dies ſuggerebat. is Lugdunū venerat ſummi ſacerdotis egregius cultor; iamq́ue in ſacram militiam, quam & poſt amplexus eſt, nomen dederat. nec parcius opitulabatur Anglus, cuius ingens pecuniæ vis Pontifici credita hac in re minus ſoroti Federici vxori quàm piæ cauſæ tribuentis, Parmam vſque manauerat. quæ tum his ſubſidijs, tum fœderatorum impenſa, præcipue autem virtute Azonis tolerare obſidionem tamdiu valuit. Iam Cæſarianos irriti laboris pigebat: & dux ipſe deferueſcente ardore, qui circumuallandi oppidi conſilium ſubiecerat, (eſt autem hoc peculiare præferuidis ingenijs, vt mora langueſcant) cum eſſet affecta valetudine, ſtudioſe Ateſtinus quietem non interpellare, augere negligentiam & contemptionem ſtatuit, vt inde aliqua ſibi rei benegerendæ occaſio tribueretur. quocirca paratas atque inſtructas ad manum copias habebat. voto reſpondit fortuna: quippe accidit vt Federicus ex morbo confirmatus prid. Kal. Mart. haud procul Buxeto aquilarum aucupio animum recrearet. continuo Ateſtinus Montelongum admonet, ſibi eſſe in animo Victoriam adoriri: res ad conſilium relata ab omnibus probatur. milites arma capiunt: Imperator primoribus ciuium ac ſociorum præfectis aduocatis ſic infit. Hodie, quod nuntij fide digni referunt, Federicus procul Victoria ſeſe oblectat: Germani ad quattuor millia pręfecto Othone Vuolſertauzenſi locum ſeruant: Cremonenſes cum ſuo vexillo, Tauriſani quos diſcedens Ezelinus hic reliquit, & Saraceni Brixillum verſus in veteribus caſtris ſedent. ſunt quidē illi propinqui; ceterum ni timidius ſpe mea oppidum (haud ſcio an ita liceat appellare) ſtrenue inuadimus, nō prius auxilio accurrāt, quàm nos intro penetremus. præfectorum, quibus ego & legatus conſilium aperuimus, eadem ſententia eſt. macti ergo virtute milites quando per Federici abſentiam dij pulcherrimam victoriæ facultatem annuunt, agite ex hac diuturna cuſtodia, ex hoc ſquallore in libertatem lucemq́ue prodeamus: agite a noſtris ac totius ciſalpinę Galliæ capitibus præſentem peſtem atque perniciem propulſemus. en vnquam fando audiſtis immania barbaræ crudelitatis in Capacianos non modo ciues, ſed domos exempla edita: ludus iocuſq; omnia ſint præ his, quæ hoſtis in nos ſtatuet tanto infeſtior, quanto maiore in Pontificem veneno turget, quem municipium obſeruat cul-

uat cul-

uat cultum pluribus & neceſſarijs ipſius & propinquis; vt Federicus notam abrogati Imperij ad hos ciues referat, hoc vnum ignominię ſuæ caput agnoſcat. quapropter cum incolarum tectorumq; ſtrage fortaſſe Victoriam lapideo cingat muro: tum loco ciuibusq; infame monumentum ad poſteros Germano ac Saraceno militi eam coloniam attribuat: vos vero ſocij paulo poſt clariſſimæ vrbis excidium eandem ſolitudinem domi veſtræ aſpicietis. non vos ſolum tam longa obſidio tangit: omnis veſtra poſteritas, omnium patriæ ad poſtremum interitum petuntur. non ſitit modo cruorem veſtrũ pertinax Federici animus; ſed ſupplicia & opprobria inauditæ feritatis in coniuges liberoſq; veſtros meditatur: haud hercle vt qui viui in poteſtatem venerint, celeri morte defungantur; ſed lento & fœdo cruciatu torqueãtur: quemadmodum nuper captiuis Mediolanenſium expreſſæ infelices ſunt animæ. Agite ergo pro ſalute veſtra, qua tum natale ſolum, & dulciſſima liberum pignora, tum citerior Gallia, Italia, ſacroſancta denique Pontificis maieſtas ſtãtura eſt, vnde æterna atque illuſtris omnium ſeculorum memoria nos ſequatur, vadamus alacriter in hoſtem; quem pro æquitate cauſæ triumpho deſtinant dij hominesq;, & priſtina virtus toties largita vitam in ipſo mortis diſcrimine. Ea oratio ad conſilium ducis exequendum militem accẽdit. ita exercitu bifariam diuiſo ſedecim cohortes cum equitibus quingentis traduntur Bernardo & Rolando, vel vt alij referunt Iacobo & Vgolino filijs Bernardi Roſcij, qui legati imperium obſeruarent: ipſe peditum ſena millia, equites mille & quingentos in Cremonenſes ducit, vti cum ab fronte obſtaret ſine prælio ferre opem non poſſent. verum quod eo tempore Saraceni prædatum excurriſſent, coactus manus cõſerere, ſimulq; gnarus hoſtes indidem in ſe effundi, miſit qui legatum monerent, pręſtare omiſſa Victoria, quam necdum tentaſſet, in dextrum hoſtium latus inuehi, ſe profligatis Saracenis ab læua impetum facturum. poſt eorum ſtragem inuadit Cremonenſes: vixque cœpto prælio legatus ſuperuenit. initio pugna anceps fuit: Marcellinus alter Mediolanenſium præfectus & complures equites cadunt. ad extremum hoſtes feſſi, ac magna pars conuulnerati, cum neque ſocij in tempore ſubuenirent, & incompoſiti referrent pedem, poſtremis incidentes atque in fugam verſi aditum ad plenam de ceteris victoriam conſequẽdam Azoni aperuerunt. is multis in fuga trucidatis, quæ Victoriam inclinauerat, extemplo quàm tumultuoſiſſime ad omnes portas inferri ſigna iubet, vti cum omnes eo conuolarent, ab reliquis partibus munimẽta nudarentur. haud ſecus res cecidit;

expletæ

expletæ non vno loco foſſæ virgultorum manipulis in eam rem allatis; propterea cum milites ſcalis appoſitis in propugnacula euaſiſſent, rectaq; ad forum, vbi Germanorum ſtatio excubabat, iretur, dum Itali, queis portarum cuſtodia cõmiſſa erat, eodem accurrunt, qui nondum irruperant, porta potiuntur, perque eam ſub ſignis omnis introducitur exercitus. domus regia, vbi cariſſima quæq; ſeruabantur, diadema, & quo regni vires obſignabantur, annulus aureus, in prędam abijt: ignis nullo negotio ædificia hauſit. tametſi enim biennij obſidione & templa & magnificas extruxiſſent ędes, Federico egregiam illam vrbem animo deſtinante, tamen pleraque diuerſoria lignea erant. Auguſtus ad primum cladis nuntium cum comitatu, quem venatum eduxerat, recta Cremonam in pacatum abijt. ac quamquam Pandulphus Collenucius auctor ſit, eum pugnæ interueniſſe, adnixumq; tueri oppidum irrito ſucceſſu repulſum fuiſſe; annales tamen noſtri ex eorum temporum monumentis excerpti habent, cum præuertiſſent oppugnantes, id conſilij cepiſſe. Marchio Victoriæ victor triumphans Parmam inijt. inde Ferrariam digteſſus adhuc fœderatorum imperator metu ne Federicus ignominiam deleturus Neapolitanas, Piceni, atque Hetruriæ opes, tum Germanos in Lõgobardiam accerſeret, quem rumorem de induſtria diſſipauerat, equitatum, quòd difficilius comparari poſſet duplicauit, peditũ minor cura habita, ne inani ſumptu alerentur. Attamen cum, ſi quando aliàs memorabilis fames Germaniam popularetur, Pannoniam quoq; & Sarmatiam peruagata cum innumeris ignobilium capitũ funeribus, vti Martino Sarmata ſcribente præ cibi inopia fœminæ ne proprijs quidem interdum liberis abſtinerent, parenti filius Conradus ferre opem non valuit. fœderati aduerſis Federici rebus audaciores facti, atq; in dies nouis eum tumultibus exagitantes in Neapolitanum regnum præcipitem egere Laurentio Cremonæ, Ezelino Patauio præeſſe iuſſis. Dum hæc geruntur, orta inter Mutinenſes ac Bononienſes controuerſia, quòd Mutinenſes Gulielmum, Lancelottum & Carolum Montecuccolos longe principes Friniani armis ad officium reuocarent minus ſibi obſequentes, tametſi Primus Federicus eam regionem Mutinenſi agro adiunxiſſet: ſimulq; cõtendente vtroq; populo de finibus Cæſariani Fani & Mõtis, cui ab Turture nomen eſt; Mutinenſes, quibus Rangonorũ opes nimiæ iam ac formidoloſæ videbantur, rem ad arma deduxere, Seuinianumq; impoſitum Scultennæ caſtellum eos compulere: dein diffiſi domeſticis viribus, & Federico ſtudentes Sardiniæ regem ipſius filium acciuerunt. ille continuo cum vr-

bana Cremonenſium iuuentute, Apulo & Hetruſco milite, quem euocauerat, ad Sanctum Ambroſium caſtra poſuit propter turrim ſocialis agri haud procul hoſtico; quippe altercatio de finibus & exilium ciuium haud dubie bellum cõmouerant. ſub aduentum hoſtium Bononienſes ſuas & ipſi copias adauxerunt, ſimulq; Ateſtini opem implorantes conſcriptis in eam rem epiſtolis ſignificauerunt, Mutinenſes ferro potius quàm ex æquo controuerſiam diſceptandam ſibi ſtatuiſſe: quemadmodũ ipſe libertati proſpiceret, ſic contra palam Laurentium eius euerſorem ſe profiteri. acceſſit litteris conſentanea legatorum oratio. Azo cum morbo impeditus pręſens iuuare ſocios non poſſet, & nihilominus ſubleuatos cuperet, terna equitum, bina peditum millia ſubmiſit: quod ſupplemẽtum Bononienſes viginti cohortibus, bis mille equitibus leuioris armaturæ, & cataphractis octingentis adiunxere; quibus deinde ab excellenti armatu ſingulare nomen factum. ſic inſtructi ad regem perrexerunt, nactique ad Sanctum Ambroſium IX. Kal. Apr. commiſſo prælio ſuperiores fugientem in agro Mutinenſi conſequuti prope oppidulum, quod S. Lazarum appellant, Bononiam perduxere, habuereq; deinceps per annos tres & viginti in liberali cuſtodia: atrium Laurentij priuatum in prætorio cœnaculum dixere, vbi & aſſeruatus fuerat, & ad vltimum exceſſit. paulo poſt vtrinque diſceſſum eſt ab armis, ac de Friniani controuerſia captus arbiter Parmenſis prætor ſecundum Mutinẽſes pronũtiauit. Ezelinus per occaſionem, quod Marchio partem copiarum Bononienſibus auxilio ſubmiſiſſet, Ateſte & aliquot loca eius tractus, quæ deſciuerant, minime idonea per ſe ſuſtinendæ impreſſioni diripit incenditque. Hæc quanquam læta parum Federico proderant: quinimo Idib. Decemb. anno ſalutis CCL. ſupra milleſimum fortunam incuſans ſuſpectis non regulis 1250
modo, ſed etiam intimis familiarium, ita vt Petrum Vineam ante oculis fœde multatum deſperatione ad mortem adigeret, in magnis regni fluctibus Florentiolæ, quod & Florentinum vocant, Apuliæ caſtello vitam cum morte commutauit. Nec præpotentibus adhuc Gibellinis Azo quidquã mouit: multo minus poſtero anno venien- 1251
te in Italiam Cõrado a Landzuta, vbi grauidam vxorem reliquerat: ex qua natus Conradus, quem noſtri ſcriptores Conradinum nominant. Cæſaris aduentus eos, qui defecerant, ad officium plane reuocauit. aderat tunc quidem Lugduno Innocentius, ſed non licuit Ateſtinam præfecturam & Picenum ſui iuris facere. illam præualidus Ezelinus obtinebat; hos, quod eſſent Cæſarianarum partium, Prætutini tutabuntur. at qui occaſionem oblatam ſtatim arriperet,

moran-

morantem æquo animo operiretur, ſolerter prouideret, ac ſtudio-
ſe denique prouocaret, vti firmior amiſſa recuperaret, Pontifici Me-
diolanum profecto auctor fuit, eam præturam mandaret Gerardo
Rangono, qui pulſus Mutina Ferrariam ſe receperat. quamquam
autem homini adepto eam poteſtatem, atq; intrepide gerenti pro-
cliue fuiſſet ad perpetuam procurationem atque adeo principatum
aſpirare multorũ exemplo, quos alioqui ingenio feroces illius æta-
tis ac prouinciæ immania facinora non deterruerunt, haud tamen
eo inclinauit; quinimo pertæſus exorientis iam inter ciues furoris,
deque vnius animi ſalute ſolicitus intra ſextum menſem magiſtratu
ſponte abijt, atq; in Minoritarũ ſodalitio comam poſuit. hæc Pon
tificis in Ateſtinum voluntatis ſignificatio, quo petente id muneris
Gerardus nactus erat, alijs prӕterea egregijs teſtimonijs cõfirmata,
prӕſertim vero cõdonatis vectigalibus Argentæ, quã aliquot annis
ante legatus Mõtelongus eius fidei cõmiſerat, haud mediocriter Cõ
radum perculit. quapropter ne quid ea gens moliri in ſe regnumq;
1252 ſuũ poſſet, anno illius ſeculi LII. Rainaldũ, quem in Samnio cuſto-
diæ traditũ ſupra memorauimus, veneno ſuſtulit. is aliquãto ante
filium nomine Opizonem genuerat abductum in tutum. Azo com-
perta filij morte etſi prouecta iam ætate, & vno hoc nepote ex Ita-
lica ſtirpe reliquo dolorem minuit, vbi puerum cuſtodia elapſum
audiuit: at multo maiore gaudio perfuſus eſt haud dubia numinis
vindicta. etenim in diebus paucis Conradus, qui ne Henrico qui-
dem fratri regi Siculo pepercerat, pariter veneno eſt necatus aucto-
re, vti tum vulgo creditum eſt, Manfredo fratre ex pellice. Grauis
etiam atq; incommodus eodem tempore Azoni accidit obitus Ve-
rardini Detioſi longe principis Venetiæ, cuius opibus Guelfa factio
plurimum nitebatur, cuique Beatrix ipſius filia matrimonio iuncta
erat. huic, cum ſe deinde vni deo deuouiſſet, Ferrariæ in Diui Anto-
nij cœnobio tonſæ propter eximiam vitæ ſanctitatem poſt mortem
diuini honores ſunt habiti. concupierat Ezelinus eas nuptias Ioan-
ni ſororis filio conciliare, hoc quaſi ſequeſtre cum Ateſtino in gra-
tiam rediturus: verum quæ ſe ab humanis curis tota mente alienaſ-
ſet, conditionem reſpuit, nec frater de ea re agi ſiuit; quippe qui
Ezelino nullam fidem habuiſſet vel ſexcentis affinitatis nodis obliga
to. nec conſilium ex re cepit, quòd viribus tyranno inferior Ateſti-
nos & Picentes cogeretur tum negligere. cognouerat quidem In-
nocentius de Conradi obitu, ſed nihil in Picentes mouit, qui ex pa-
cto Marchioni ceſſuri erant: cum Neapolitani ac finitimi in armis
eſſent, eò cum mole virium cõuerſus vacuam ampliſſimi regni poſ-

ſeſſionem eſt adeptus. poſt comparato ingenti exercitu, quòd ex tota citeriore Gallia atq; Hetruria magnæ manus paſſim confluerent, quod erat reliquum in Gibellinorum partibus, in ditionem redigere eſt aggreſſus. ſed cum Neapoli Idib. Decemb. anno eius ſeculi quarto & quinquageſimo deceſſiſſet die Luciæ virgini dicato, ac nō 1254
magis ſacrorum quàm totius reipub. chriſtianæ Principi fatali duobus inter ſe infeſtiſſimis aduerſarijs, ſacrati ordinis libertas acerrimo vindice orbata eſt; cuius potentia ac rerum vſus, tum nominis celebritas eos progreſſus fecit, qui non interciſi modo ſunt, ſed tanto magis repreſſi, quanto eorum, quæ ſeruata fuerant, maior facta eſt diminutio. nam principio inſequentis anni Alexandro IIII. ad 1255
Pontificatum euecto, qui nulla ex parte prudentiam atque auctoritatem Innocentij æquabat, Manfredus Conradini fratre geniti tutorem ſe iactans pontificias equitū loricatorum alas ad Fogiam oppreſſas armis exuit, atq; in vincula cōiecit: inde celeriter regno obito potitur. at vero ne ſine titulo eius poſſeſſionem, ſimulq; vt Siciliam pacate obtineret, Conradinum exceſſiſſe vita ſimulauit recitatis ea de re litteris, ſubmiſſisq; nuntijs, qui quaſi e Germania id referrent. cum iuſta regio more perſoluiſſet, regem ſe a popularibus deſignandum inungendumque curauit. itaque Alexander omnem omnino rei Neapolitanæ ac Picentium curā abiecit. Ezelinus Manfredi fortuna tamquam ſua vſus Patauij, Vicetiæ, Veronæ, Feltriæ, Belluni, ac Tridenti imperium inuaſerat: quibus locis partim excarnificatis earum vrbium cōpluribus omnis ordinis ciuibus, partim momento necatis, ne fratre quidem nato ex pellice, cui Griamondo nomen fuit, parricidij immune, quòd eius indolem ſuſpectam habebat, qualem vix vnquam veteres tragœdiæ tyrannidem in ſcena finxerunt, ſerio atque adeo ſupra omnem fidem exhibuit. Tridentini omnium primi attollere caput auſi; implorauereq; Ateſtini fidem longe ab Ezelini ingenio abhorrentis: cuius opera quingenti Mantua ſubmiſſi milites improuiſo ad oppidum cum perueniſſent capta porta, & ciuibus ad libertatem vocatis præſidium interfecerunt. Ezelinus re comperta in Mantuanos furens, quibus cladem illam ſe debere exiſtimabat, raptim ad agrum depopulandum ducit; iamq; obſidionem meditans cœpit exercitum conſcribere. Eum armorum apparatum excepit annus ſextus ſupra quin- 1256
quageſimum. tum Pontifex pro perſonæ dignitate, Veneti vt malum vicinum procul amouerēt, & Marchio ijs, qui ipſius cauſa hoſtilia patiebantur, ſubueniret, fœdus inter ſe percutere ſtatuerunt, ac Mantuanos periculo imminenti eximere. ſummus militiæ ho-

nos ad

nos ad Ateſtinum defertur, qui traxit in eandem cauſam cum Placentinis Bononienſes, Ludouicum Bonifacienſem, Tiſum Sampetrianum, & Ioannem atque Vbertinum Carrarienſes. Ezelinus ex vſu rerum callide coniectans fore, vt, quod plane facturus erat, hoſtis Patauio copias admoueret, oppido maxime opportuno in tanta Venetorum & Rhodigij propinquitate, iubet Prætorem Anſediſium, qui aliquot cohortes in ciuitate ad omnes caſus continebat, quæ ad defenſionem opus forent, ſedulo parare. his adiunxit ſua cum turma Gorgiam. Anſediſius ne Venetorum nauigia ad Bouolentam accederēt, obſtructo obicibus Bacchilione amne, inſuper Conſilua ac Brinta operibus firmatis, atque impoſitis vtrobiq; ducentis Italis ac totidem Saracenis peditibus, quàm fieri potuit diligētiſſime in tanta temporis anguſtia omnia ad propulſandum hoſtē comparauit. contra Azo haudquaquam ambigens Mantuæ longe melius conſuli, ſi Patauium oppugnaretur, quàm ſi Ezelinum, qui idoneo loco caſtra vallo atque aggere communiuerat, aggrederetur, ad Brintam & Corrigiolam cum exercitu contendit. his expugnatis Bouolentam & Conſiluam, (erat tū eo loco eiuſmodi caſtellum) ac Baſtiam in poteſtatem redigit. receperat ſe interim prętor cum non contemnenda virium parte ad Plebem ſacci; compertoq; per exploratores Ateſtinum ad ſe ire relicto ibi modico prężidio eodem die, quo illa cognouit, qui fuit ad XVII. Kal. Iul. cum reliquis Patauium aufugit. Progreſſus Azo cum peditum duodecim, equitū tribus millibus tāta celeritate oppidulo potitur, vt appareret potius defenſorum ignauia, quàm oppugnantiū virtute captum fuiſſe. non dubitabat Patauinus inde ad oppidum moturum hoſtem; propterea qui certius quid afferret ſua cum turma Gorgiam emiſit. hi cum antecurſoribus Ateſtini occurriſſent, contracto certamine in fugam dati ſunt, delatique ad Corui portam; fugientibus victores ſub ipſis mœnibus inſtitere: mox & Imperator cum cetero exercitu aderat, perpetuaque ſex horarum oppugnatione tentata porta aduerſus duas cohortes, quæ illam defendebant. dum eo modo res vtrinq; geritur, Tiſus tranſgreſſus flumē obuios cædit, atque in continentibus vrbis ædificijs libere caſtra facit. ciues Corui porta intro profugerant; quamobrem Azo cum ea irrumpere non poſſet, poſtridie alteram, cui ab Ponte altino nomen eſt, capit. ibi prætor maiore iam quàm vt ſuſtineri poſſet impetu, cum paucis Vicetiam celeri fuga elapſus Ateſtinum potentem vrbis reliquit. eadem victoria Monſilicenſes ad officium reduxit cū magna præſidij ſtrage. Imitata exemplum Ateſte & Montagnana, nec nō reliqua eius regionis

caſtella

caſtella deditionem fecere. Ezelinus hoc nuntio allato coactus obſidionem Mantuæ dimittere inſtructo agmine Veronam pergit, atque vt aliquam doloris intus ſæuientis alleuationem haberet; ac ſi fas eſſet, vel ſi noxa captæ vrbis tenerentur, cuius omnino expertes erant, bis mille Patauinos, qui eò relegati fuerant, aliosq́; toto exercitu iugulari iubet. mandat quoque Vicetinis, ne Venetorum naues ad Bouolentam ſuccedant, Bacchilionem ab agro Patauino auertere; vel quo oppido noceret, vel vt Vicetiæ certius conſuleret, aut certe vtraque de cauſa. iuſſa exequuti ex vrbe copias educunt. Azo eò profectus tam improuiſus ſuperuenit, vt nullo ad receptum ſpatio relicto fugæ ſe mandarent captis Antonio & Carolo Maraneſijs, Gerardo Peregio, Andrea Luſco, interempto Aregelo Germanorum tribuno, atque alijs primorum ordinum centurionibus. ſed non tanti fuit victoria, vt ea fretus Azo recta Vicetiam poſſet ducere. itaque quatriduum in ea regione moratus aduenientem Patriarcham Aquileienſem cum aliquot Carnorum cohortibus excepit, ſimulq́; equites ac pedites ſuos eodem adduxit Marchinus Caminius. verum quòd magna Bononienſium auxilia in caſtris eſſent & milites legati Pontificij præſentiam nihil reueriti, longioremque militiam palàm detrectantes domum reuertiſſent, & ex contrario Ezelinus exercitum coegerat ex Gibellinis, quos deſperatio & atrox in Guelfos odiũ omnia audere ſtimulabât ea mente, vt vel acie decerneret, vel Patauium expugnaret: Azo quod virtutis fortunæque beneficio quæſiſſet, temere in caſum pugnæ committendum non cenſuit, eo magis quòd hoſtium furor perturbare ſuos facile potuiſſet. ob hæc ſatius viſum caſtra cum oppido eadem munitione coniungere, vt Ezelini impetus eo modo reprimeretur, neque ſine certa pernicie oppugnationis prælijve copia eſſet. ille, quemadmodũ initio inſtituerat, bellum geſturus eò proficiſcitur, Vicetinos caſtellum Montegaldam nomine expugnare ſinit. dein contra hoſtile vallum caſtris poſitis oppugnatione bis nequicquam tentata maxima ſuorum cæde irrita ſpe, vtpote neceſſitate peruicaciam vincente reijcitur. Carturum tamen prius captum, & oppidani quamquam nihil commiſiſſent, cur in eos ſæuiret, omnes ad internecionem cæſi. Vicetiam cum rediſſet, accendere ciues inſtitit, hoſtibus timorem atque ignauiam identidem exprobrans, qui nõ modo prælium non flagitaſſent, ſed etiam oblatum detrectaſſent: proinde excurſionibus ſe exercerent, hoſtium ora contemplari aſſueſcerent. ſic illi in ſuburbijs locati ſunt; mœnibus trecenti Germani & veterani Veronenſes mille accepti, vt eo pacto facilius ciuitatem arbitrio ſuo

oppri-

opprimeret. meminerat copias Patauio fruſtra admotas, ſic vt in horas ea ignominia magis magiſq; exaſperatus circiter quadraginta ciues, & hos quidem ex omnibus ſuarum partium, atque eadem perpetuo ſequutos ſigna trucidari imperaret. Azo, ne deeſſet occaſioni alioqui difficillima appetente hyeme, cum aliquot caſtella in Vicetinorum finibus per vim cepiſſet, ad Monſilicenſem arcem, quam Gerardus & Prophetica cuſtodiebant, perrexit, eamque ſic preſſit, vt præfecti deditione facta Ferrariam commigrarent, ne in Ezelini poteſtatem venirent. inde in Veronenſem tranſgreſſus Villam nouam diruit; nec dubitauit Ezelino, qui cum peditibus mille, & ala ducentorum equitum eò accurrerat, obuiam procedere. at ille ſerum perditis rebus auxilium trahens, atque impar hoſti neceſſario terga dedit. ita ſine ſpe victoriæ ab vi aperta ad occultas artes tranſijt, ſi forte Ateſtinus ſeſe opportunũ dolis præberet. quamobrem duos centuriones clanculum ſubornauit, quibus e præſidio Monſilicenſi facilis ad Azonem aditus patebat. ſed inſidijs apertis meritas vterque pœnas luit. Primis inſequentis anni diebus, qui
1257 fuit ſeptimus & quinquageſimus ſupra MCC. propter hyemis aſperitatem ceſſatum eſt ab armis: atque interim Manfredus regno cõſtabiliendo intenderat: nec Octauianus Vbaldinus Cardinalis Pontificis legatus, qui ad eos fines exercitum habebat, quidquam aliud profecerat, quàm vt Piceni partem, quæ cũ eccleſia & Ateſtino ſentiebat, in fide ipſius cõtineret, ſic vt iam inciperet eorum populorum opibus vti poſſe. iiſdem diebus Boemi cum Pontifice parum conſentientis aduerſæ res, & ſecundæ Bauari, qui manebat in officio, Pontificis ac ſociorum exiſtimationi multum addiderant. tum ſacerdotium Alberto Ratiſbonenſium Epiſcopo ademptum, quòd Boemo fauere videretur, alteri Alberto cognomento Magno a Pontifice confertur. is apud Sueuos natus e Bolſtaldenſium Principum ſtirpe ſingulare ingenium cum incredibili diligentia ad ingenuas diſciplinas adiecerat, libriſque editis præclarum ſolertiæ ac laboris ſpecimen dederat; quarum artium ſtudijs, maxime vero mathematices, vt teſtantur commentarij diuulgati, Alfonſus Nonus Caſtulonenſium Rex non minus claruit, quem eadem tempeſtate ob domeſticas ſeditiones aliquot Germani proceres Cæſarem renuntiauerant, cum reliqui ad Ricardum Cornubiæ Comitem Britanni regis fratrem ſuffragia contuliſſent. quippe ſubmerſo Gulielmo, dum rebellantium Friſiorum impetum fugit, Septemuiri totum biennium in ſublegendo nouo Cæſare laborauerant; quodque par ambitio conſcendendæ ſummæ ſedis omnes priuatim ſtimulabat, eo fiebat

vt ne

vt, ne alter alteri concederet, externa imperia mallent, non tamen
(vſque adeo altas radices diſſidia egerant) conſentire in vnum eun-
demq́; regem potuerunt. itaque proximus annus tumultibus ex- 1258
actus cupientibus Hiſpano his, illis Britanno. Alfonſum in primis
Albertus ac Ioannes Ateſtini fratres Brunſuici ac Luneburgi Duces
in auguſto faſtigio ponere ſumma ope contenderunt, memoria ſo-
rotis Iſabellæ ipſius auiæ, quæ ſicuti aliàs memorauimus, ex Guliel-
mo Romanorum rege Beatricem Ferdinandi huiuſce Alfonſi parẽ-
tis matrem ſuſceperat. huius ipſius vinculo cognationis ad ſe traxe-
runt Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, nec non Henricum
Norici Ducem Henrici x. nepotes per Getrudam matrem. conſen-
ſit & Saxo Albertus Septemuir, & Catthorum princeps Henricus,
quibus Mathildem & Adeleidam ſorores in matrimonium colloca-
uerant. accedebant ad Ateſtinorum neceſſitudinem cum Caſtulo-
nenſi hominis dotes pares tantæ maieſtati: quippe natus ſummo
loco vnus inter omnes Hiſpaniæ Principes opibus præcellebat, ac
poterat rum domeſticis tum amicorum copijs Auguſti perſonam
egregie ſuſtinere; nec, quod fortaſſe a prępotenti aliquo Germaniæ
regulo, idem ab longe diſiuncto periculum libertati metuendum
videbatur. ſane Alfonſus ad conſilium Brunſuicenſis ac Lunebur-
genſis animum prudenter appulit, agnouitq́ue Romani regis no-
men, quando alio tum ſtatu res Hiſpaniæ forent, atque olim maio-
rum ipſius fuiſſent, ſicuti plane conſtabit, ſi eius regni vices recen-
ſeamus, vnde palam fiet cur in tot Italiæ conuerſionibus a nobis ex
plicatis, aliarumq́; Europæ prouinciarum motibus, quos perſtrin-
ximus, nuſquam Hiſpanos inſeruerimus; qui deinde inter exteras
nationes tot labores tanta cum gloria deſudauerunt. Gotthi cum
Honorij Auguſti ætate in Hiſpaniã penetraſſent, ſtabiles ibi ſedes,
quemadmodum demonſtrauimus, nacti quidquid intra ſaltum Py-
renæum oceano, freto Herculeo, ac mari Balearico cingitur, te-
nuerunt, cis montes Aquitaniam & Toloſates ſubegere. poſtmo-
dum, vt in annalibus Valentiæ ſcribit Antonius Beuterus, Iulianus
Ceptæ Comes, quod eſt oppidum Mauritauiæ, homo clarus dolo-
re violati ab Roderico rege xxx. thori accenſus, opportunitate loci
Mauros ex Africa in Hiſpaniam de repente traiecit, qui Roderico
regno & vita pulſo ſpatio viginti menſium totam prouinciam occu
pauere præter Aſturiam & Cantabriam; quo Gotthorum reliquiæ
ab tanta clade elapſæ propter regionem obiectis montibus & alluẽ-
te oceano munitam refugerant. inde Pelagius cæſi regis frater pau-
latim finitima a Mauris infeſſa loca recuperare cœpit. per hunc mo

dum vi-

dum victor ac potitus Legione; & eius oppidi & totius ſimul Hiſpaniæ rex appellatur. poſteri deinde continentibus prope victorijs atque vrbium expugnationibus, raris cladibus perfuncti ad annos ſalutis duodeuiginti ſupra mille imperauere iam reges Legionis, iam Hiſpaniæ dicti. hoc ipſo anno cum ad Legionenſe Caſtellæ quoque imperium acceſſiſſet, ob Ferdinandi nuptias cum Sanca vna Pelagij reliqua ſtirpe, poſteriores reges huiuſce partis, quæ latiſſime patebat, alioqui Hiſpaniæ regum titulo honeſtati Caſtulonenſes etiam vocati ſunt, vti ab Tarraconẽſi, & Cantabro diſtinguerentur; qui oriũdi a Garzia Suparborum Duce eodem anno decimo octauo diadema ſumpſerant. Sic Hiſpania diuiſa quondam in vlteriorem & citeriorem, complexaq; tres præcipuas prouincias Tarraconenſem, Luſitaniam, ac Bęticam, limites & nomina ab regijs traxit: quippe citeriorem obtinebant Caſtulonenſis, Tarraconenſis, ac Nauarrus; vlteriorem Mauri, quos hi principes dum cõtinenter bello vexant, ac plerunq; vincunt, Tarraconẽſis in Bætica captis quibuſdam oppidis imperium auxere: nec minore virtute Caſtulonenſes in Luſitania rem geſſerunt: hincq; illud regnum ad oceanum occidentalem inſtitutum. crebra igitur cum Afris domi geſta bella potentiam atque auctoritatem eorum regum ab exteris prouincijs auocauere. Verum enimuero quod illa tempeſtate Chriſtiani in Hiſpania fines longe protuliſſent, hoſtes anguſtius concluſi forent, potuere Germani Ateſtini Alfonſum imperio inſinuare eo maiore ſucceſſus ſpe, quòd regna Legionenſe & Caſtulonenſe ſeparatim per annos ſeptuaginta ab VII. Alfonſi poſteris poſſeſſa in vnum Ferdinandum quinquennio ante vita functum coiuerant. quocirca hic ipſe Alfonſus IX. eius filius ceteros Hiſpaniæ reges opum amplitudine præſtabat; eidemq; ex Tarraconenſis & Luſitani propinqua cognatione plurimũ accedebat. Ricardo Britannus quidem frater erat, ſed nullum in Germania adminiculum præterquam eorum, qui non animi propenſione, ſed coacti ſtudioque factionis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis oppugnandæ ei cupiebant: iccirco infirmior erat, quàm vt poſſet cum Alfonſo contendere. augebat imbecillitatem ſpes inanis fraterni auxilij, quando ille bello Francico occupatus amiſſa Normannia, nec ſatis æquis popularibus, quantum gratiæ opiſque negotium tam arduum poſtularet, fratri ſuppeditare non valebat. quamquam autem cum his præſidijs, tum propria virtute Alfonſus præferendus eſſet, tamen Septemuiri in ſuffragiorum inconſtantia ſumme conſtantes ſuam quiſque factionem pertinaciter fouebant. Dum capitum diſcordiæ eius imperij membra lacerant, nobilium

principatuum corrupta forma non poterat non excuſare tyrannidem, qua Ezelinus ſubiectos premebat, ſicuti magno ipſius cõmodo ſub eos dies Genuenſes ac Piſani Venetos in Syria deuicerãt; inde enim fiebat, vt minus reipub. opes formidaret. tametſi autẽ Laurentius Teupolus cũ claſſe Ptolemaida appulſus Ligurum & ipſe claſſem profligaſſet, qui quadraginta longis nauibus inſtructi iterum ſuperantur; quoniam tamen Veneti alibi vires ſuas implicarent atq; attererent, ſocij multo minus Ezelino nocebant: qui anno eius ſeculi vndeſexageſimo exercitum cum reparaſſent, cuius particulam Pontificis legatus Brixiæ continebat, moles apud Marchionem erat, 1259
Albericus conſentiendi cũ fratre & recipiendi Patauij adeſſe tempus ratus inter has cogitationes Tauriſanis, quoſcunque Guelfæ factionis ſuſpicabatur, comprehenſis laqueo gulam frangit. Azo ad eiuſmodi conſilia diſturbanda copias educit, Gibertumq́ue præfectum Germanorum, qui ob eam expeditionẽ præmiſſi fuerant, in fugam vertit: quo tempore cũ legatus cõiuncturus exercitum ad Oragum veniſſet, Vbertus Palauicinus, qui in fines Brixianos Ezelini iuſſu proficiſcebatur, ei ſe oppoſuit: Legatus retrocedens de ſuo periculo Ateſtinum certiorem facit, atque auxilium poſtulat. interim Ezelino appropinquante cum Veronenſibus ac Vicetinis, nec nõ Germanis bis mille, legatus incertus animi vitaret ne celeri receptu, an confereret prçlium, dum ad receptũ magis inclinat, animus prçfecti pugnam ſuadent, hoſtes ab vtroq; latere tanta celeritate ac vi ſeſe inferunt, vt maiorem partem facillime cõcidant, ipſum cum Brixiano antiſtite & Mãtuano prætore captiuũ faciant. Brixiani præſidio, quod vrbem tueatur, nudati ſe dedunt Ezelino & Vberto, qui ob illam cauſam Ezelino ſubiratus, ac pertæſus eius importunitatem ad Azonem tranſit. Dum hæc gerũtur, peruenerant in fines Ferrariẽſes Picentium, Ateſtinorum, aliæq́ue manus ex Ateſtini ditione cõſcriptæ; quibus acceſſerant multi e Flãminia, itemq́; Patauini ac Mantuani. proinde vt graue incõmodum legati temeritate acceptũ corrigeret, in Vicetinũ pergit. ibi captis Leonico, Caſtogia & Thenio ad Marcheriã ſuper Ollij ripa caſtra locat: Vbertus & Boſus Douarius, qui cũ ſuis & Martini Turriani copijs ad Soncinum ſtabãt, iuſſi Caſſanum ire: ipſe interim Marcheria expugnata ponte ac tranſitu fluminis, alteroq; item Abduæ potitur ponte. Iam tranſgreſſus amnem Ezelinus cum equitum octo millibus ſpe redigendi in poteſtatem oppidi, Mediolanum iter faciebat; ſed ne ab Ateſtino & Inſubribus circumueniretur, pontem ſibi recipiendum ſtatuit. igitur ad Abduam, vnde paulum aberat, regreſſus cum Marchione,

qui

qui tueri locum prorſus decreuerat, prælium atrociſſimum commiſit; ſaucioque ſagitta pede cum ſuos fugere animaduerteret, cum parte equitatus in Bergomatium agrum receſſit. Marchio fugientem iiſdem veſtigijs adeptus obuium in acie grauiſſime vulnerat; etſi enim ab corporis cuſtodibus protectus in Brixianum euadere potuit, captus tamen ac Soncinum retractus vndecimo die menſe octobri ex vulnere animam euomuit ſumma cum Azonis gloria, qui cæde longe violentiſſimi tyranni perpetuis prope ſtragibus ac calamitatibus miſerrimam prouinciam liberaſſet. Patauini nullo veteris iugi metu, quod Azonis beneficio excuſſerant, certis pactionibus Rhodigini Comitatus & Ateſtinæ Præfecturæ immunitates ſanxere ſingularibus vtriuſque priuilegijs & commodis. poſt hæc Vicetini Ateſtini ope præſidium Ezelini eiecerunt, fœdere cum Patauinis icto, quod manſit annos quinquaginta. rebellauere & Baſſanenſes, ceterique illius tractus incolæ, quem in agro Patauino Euganeis montibus ſubiectum Pedamontium tum dixere. Albericus clade ac morte fratris mœſtiſſimus mox quòd cerneret rotam eam prouinciam ſeſe in libertatem vindicare, veritus ne idem Tauriſi accideret, cum cariſſimis quibuſque rebus, cumque vxore & liberis noctu profugit in Zenonianum caſtrum, quod haud procul Baſſano eſt colli impoſitum longe munitiſſimum, conditum decennio ante ab Ezelino. id conſpicati ciues in præſidium conſurrexerunt, liberiq; Matthæum Baduarum prætorem delegere: qui cum vrbana iuuentute ac Venetorum auxilijs, inſuper Patauinis, Vicetinis, & Carnis proxima caſtello eſt depopulatus: deinde accito in caſtra Azone de eius ſententia obſidio decernitur, quando oppugnationi locus non erat. Iam octauum menſem circũſedebatur Albericus, cũ Germani hortatu centurionum caſtellum dedidere Ateſtino ad XI.
1260 Kal. Sept. anno ſexageſimo. ille voluntate militum perſpecta cum vxore liberiſque & intimis familiarium in præaltam ac firmam turrim ſe abdit: vbi triduum moratus, ac defenſione deſperata Ludouico ſcribæ ſuo mandat, vt pro aliorum ſalute ſe ſuoſq; hoſti in manum tradat, cum vno tamen Azone ea de re agat, atque in memoriam reuocet affinitatem ex Adeleidæ & Rainaldi nuptijs contractã. conſilium vti ſerum atq; intempeſtiuum perforata pluribus iam locis turri de conditionibus agi non ſiuit. ſic Albericum cum ſua ſtirpe corripuere Tauriſani ab ſolitæ in ſe ſæuitiæ memoria iraque truces, maxime vero tot ſuperiore anno ciuibus laqueo necatis. productos primo in conſpectum patris ſenos liberos ſparſis per caſtra membris diſcerpſerunt, duas virgines cum matre cremauerunt: ci-

neres paſſim iactati; ipſum, vt quidam auctores ſunt, ſtupore defixum ac prope lapideſcentem cum equinæ alligaſſent caudæ a mane in ſerum diei paſſim raptauere: dein minutatim conciſum in ſiluis eſcam lupis alijsq; feris expoſuere. his ſupplicijs lenta quidem ſed ſeuera numinis ira, ſcelera tas Ezelini ſeminis reliquias aliqua ex parte punita eſt ob tot ac tam immania facinora ab viuente in multa mortalium millia perpetrata. Ceterũ quoniam ea ſoboles prorſus interijt, non abhorreat ab inſtituto operis, vti certiora omnia ſint, initium finemque explicare: ſic enim apparebit conditam ab Alberico gentem in eodem nomine deſijſſe. Albericus Holãdrius primorum ordinum centurio cum in Italiam Othonis III. ductu anno ſalutis DCCCCXCVI. veniſſet Baſſanum ab eo dono accepit, & Ezelinum Germanum filium ſuſtulit; quem deinde Henricus, ſiue vt alij malunt, Conradus II. Onarienſi Comitatu ornauit; quæ res vetere depoſito nouum poſteris cognomentum dedit. is Ezelinum Balbum & duas creat filias, vnam Hieremias Limenius, alteram Iacobus Coruinus totius Venetiæ nobiliſſimi matrimonio ſibi iunxerunt. ex Ezelino Balbo nata Cuniſſa Tiſi Sampetriani vxor, & Ezelinus Monachus; qui cum redegiſſet ſub ius ſuum Romanum caſtrum, id cognominis Ezelino item filio reliquit: at ille nullis ſuſceptis liberis ſuperiore anno ferro occubuit. Monacho etiã ſtirps virilis edita Albericus, fœminæ Palma Alberto Baoni, Æmilia Alberto patricio Vicetino, Hagne Antonio Collalto, Sophia Salinguerræ Taurello, & Cuniſſa Ricardo Bonifacienſi collocatæ. Albericus genuit Adeleidam Rainaldo Ateſtino deſponſam, quæ in Apulia obijt, Amabiliam, Chryſeida, Ioannem, Albericum, Romanum, Vgolinum, Ezelinum, & Cormalſcum, omnes Tauriſanæ crudelitatis teſtes. Gibellinis Veneta in prouincia vehementer acciſæ res erant, ſuper Ezelini fratrẽ eiusq; filios miſerabiliter extinctos Zenonis Fano & Romano caſtro euerſis atque ſolo æquatis eo maiore cum factionis terrore, quo pluribus locis exacta fuerat. in citeriore Gallia diuerſa fortuna vtebantur, & ſuſtentabant eos in Liguribus Auriæ ac Spinulæ, etſi Grimoaldi & Fliſci aduerſarijs fauerẽt. in Hetruria ob Manfredi opes plurimum pollebant, præſertim cum Vido Nouellus ipſius vicarius Caſtellionem & Lucam cepiſſet dum Guelphos perſequitur, qui eò confugerant, & Franciſcum Bondelmontium in cuſtodiam dediſſet Farinata Vbertus. Ateſtinum male hoc habebat, eo magis quòd Alexander ſummus Pontifex poſtero anno VIII. Kal. Iun. deceſſit, quem alioqui fœderatum atque amicum ſperarat ſeſe habere adiutorem ad Anconem recuperandum, 1261

ſed ve-

ſed vehementius pungebat animum nõ modo quia Veronenſes palam in iiſdem eſſent partibus, verum etiam detuliſſent præturam Maſtino Scaligero maiore cum auctoritate, quàm capere ille magiſtratus ſoleret: & dabat ille ſpecimen ingredientis dominationem Ezelini. ad hæc profitebatur ſe exulare regno, quòd maiores ipſius in Germania tenuiſſent, Ateſtinorum procerum iniuria. quippe Henricus VIII. Ateſtinus Norici Dux Babonis poſteris ademerat egregium atque opulentum oppidum Bedacum, quod in ea prouincia poſſidebant. exilio Italiæ patria ſede mutato Veronæ natus eſt Sigibertus, quem Germani Schalemburgenſem Comitem, Itali Scaligerum; haud ſecus ac Bogenſes nulla æmulatione, ſed tantum ex vocabuli ſignificatu Arcus Comites appellarunt. extat familiæ origo haud plane cognita ſcriptoribus noſtris certiſſima apud Auentinum ſerie ab ipſo fonte deducta. Patauini, Tauriſani, Vicetini,
1262 ac Fertini veriti Maſtini opes, qui ſequenti anno ex prætura ad dominatum erepſerat, atque ad maiora videbatur aſpirare, fœdus inter ſe percuſſerunt: ac tametſi bello ducem Azonem delegiſſent, ſingulis tamen priſtina libertas incolumis manſit. idem fecere Bononienſes, Mutinenſes, ac Regienſes expulſis Gibellinis. Maſtinus tot finitimorum conſpiratione permotus Guelfos Verona eiecit, quos Patauium & Mutina recepere: ac ne ipſis quidem Bonifacienſibus pepercit: cum Martino Turriano, cuius tantum non ſuprema apud Inſubres poteſtas erat, itemq; Vberto Palauicino Manfredi in ſubalpina regione legato ſocietatem iunxit. ſed ſecundæ amicorum res in Germania longe plurimum hominis robori animoq; adiecerũt. etenim Philippus Arcus Comes Boemicis atq; Auſtriacis inſtructus armis Saltzburgum in ditionem redegerat, fuſo paulo poſt Vlrico Pontifice Patauienſi, quem Bela & Stephanus Pãnoniæ rex auxilijs iuuerant. Gibellini eo magis ſeſe erexerant, quòd Vrbanus superiore anno Pontifex renuntiatus fruſtra Manfredum laceſſiſſet, adiutoribus aliquot Francorum & Belgarum manipulis, quos Saraceni validis trans Lirim munitionibus obiectis repuliſſent. Pontifex ex Gallia oriundus, gnarusque quàm ea ſanctæ ſedi ac Guelfis ſtuderet, grauiora animo verſare cœpit: ſtatuitque euocare in Italiam Carolum Andegauenſium Comitem Ludouici Franci regis fratrem ad ineundum vtriusque Siciliæ regnum, dum ſua ſibi impenſa illud pararet. quamobrem Bartolomæus Pignatellus Epiſcopus Amalphitanus in Galliam, Octobonus e Cardinalium cœtu in Britanniam legantur, qui regem illum popularibus conciliaret: tum ne per abſentiam nobilitatis, ex qua equitatus & Galliæ vires cõſtabant, prouinciam

uinciam vexaret. rex & duo reliqui fratres Carolum hortati ſunt am plecteretur Pontificis cōſilium, ſed omniū vehemētiſſime vxor Beatrix filia Raimundi Berlingerij Prouinciæ Comitis, vnde marito titulus, quæ regno inhians accendente ambitum æmulatione trium ſororum regijs nuptijs tumentium, ne tam opima præda amitteretur, mundum ampliſſimum diſtraxit. itaque accepit ille conditionem tranſportandi exercitus in Italiam aduerſus Neapolitanum. Interim Pontifex omnia per internuntios Ateſtino cōmunicauerat, & Octobonus proficiſcens in Galliam dedita opera Ferrariam diuerterat: a quibus de ſocietate eſt appellatus. id adeo Manfredū offendit, vt dum Azo, cuius in Guelfæ factionis vrbibus multo maior auctoritas erat, eas obijt, hominem inſidijs excipi, atque eodem tempore tolli de medio Opizonem nepotem curauerit. fraus irrita multo implacabiliorem Manfredo hoſtem effecit; qui cum ſe regnumq; ſuum peti, & ſtrepere omnia armis ſentiret, poſtero anno 1263
amicitiam ante inſtitutam cum Martino, Philippo, & Nappo Turrianis Nouariæ, Comi, & Brixiæ dominis, qui longe principes Inſubrium habebantur, multis partibus auxit: Vberto Palauicino ſcripſit coacto exercitu Andegauenſem eo tranſitu prohiberet. hac terra comparata; ad demorandum etiam maritimum iter XXV. triremes Sauonem miſſæ. ex ſummorum principum diſcordijs licentia erupit, quæ nō profana modo peſſum dedit, ſed iam ſolutior apud ſanctæ ſedis contemptores diuina etiam contaminauit: ita vt Martinus & Vbertus quacunq; licuit ſacras decimas auſi ſint attrectare, nec diris deuoti vt reſipiſcerent, in animum vnquam induxerunt. Carolus de Manfredi apparatibus factus certior, cum aliquāto cunctantius belli conſilia explicaret, vſque eo ſe ſuſtinuit, dum prid. Kal. Octob. anno LXIIII. Vrbanum, qui tantum eius dignitatis ſtu- 1264
dium præ ſe tulerat, mors opprimeret. deceſſit & Azo eandem cauſam cum Pontifice paulo ante ſequutus, fato quātum moleſto Francis & Italis, qui veterem hanc ſtirpem obſeruabant iam prope extinctam vno Opizone immaturæ adhuc ætatis puero ſuperſtite, tantū Manfredo expetito. Azo ad Franciſci Ferrariæ conditur: titulus adhibitus victoriarum ipſius index eſt, idem oppidorum ac prouinciarum vindicem ac ſeruatorem teſtatur cū elogio veri principis; quod ei præclara facinora merito peperiſſent. filias, ſicuti teſtamētum indicat, præter Beatricem in cœnobio tonſam, de qua cōmemorauimus, reliquit Cobitoſam Iſnardo Marchioni Malaſpinæ, & Conſtantiam Vberto Comiti maritimæ oræ in matrimonium collocatas.

locatas. at hæc poſt parentis obitum vidua relicta nupſit Gulielmo Palauicino Marchioni, ac mox eo defuncto Matthæo Baduaro Veneto. Opizoni propinquis orbato puerilis ętas plurimum obfutura videbatur nullo præſertim magnæ auctoritatis conſultore, qui eius pueritiam moderaretur in ipſo regni limine, quamquam firmi ac ſupra hominum memoriam familiæ ipſius addicti, noui tamen & veterum adhuc certaminum veſtigia retinentis. ceterum pro mirifica in gentem factis ac ſanguine clariſſimam obſeruantia, propter recentem Azonis eiuſque virtutis memoriam, cuius beneficio ſe ſaluos profitebantur, non confirmatum modo regnum eſt quoad viueret, ſed etiam conſtanter defenſum conſeruatumque. Attamen Philippus Fontana claris natalibus & magna vir exiſtimatione, atq; ad plebem gratia, quippe qui Ferrarienſem & Rauēnatem eccleſiam regeret, & cum in captæ vrbis poſſeſſionem Azo induceretur, interfuiſſet pollens potenſque opibus, & popularis auræ percupidus in concionem prodijt, ac diſſeruit eam eſſe conditionem temporum, vt, cum magni reges præualidas vterq; copias ad ſigna cogant, ciuitas non puero rectore, ſed adulto eoque prudenti egeat. neminem mouit oratio; quinimo cum Turcij tunc longe potentiſſimi conſurrexiſſent, atque acriter Philippi ſententiam deteſtati eſſent, parum abſuit, quin Fontanæ alioqui factione firmi periclitarentur. Fliſcus quoque ſenatus princeps, dein Pontificatum adeptus, cuius fidei Azo ob maximam neceſſitudinē nepotem moriens commēdauerat, per litteras ſignificauit, ſi opus foret prȩſentem ſe tutelam geſturum. haud ſecus Patauini de eadem re rogati per Petrum Carrarienſem ſe ſuaque omnia Opizoni obtulerunt nullum pro eo diſcrimen recuſantes. idem præſtitere Mantuani, a quibus eadem poſtularat. ſedenim quando non detrectauere imperium ciues, & cum bona omnium gratia nulla aut æmulatione aut odio in concilio & regni procuratione primæ partes penes Turcios ērant, huiuſmo-
1265 di ſubſidia aduocare nihil neceſſe fuit. Aderat iam annus eius ætatis quintus & ſexageſimus cum Non. Febr. in locum demortui Pontificis Guelforum ſtudioſiſſimi, cuius occaſu magnam iacturam fecerant, ſublegitur Vido, qui Clementē nomen edidit, eo in factionem illam propenſior, quo Franco regi & patria & munere coniunctior erat. patria Narbo, militia conſilium regium fuerat præmiſſo iam eo ad componendam inter Anglum & Simonem a Monteforti pacem. quin tum, cum eſt ad ſummum gradum euectus, ibi quoq; agebat. vbi decretum accepit, mutata veſte, quo tutius iter foret, Viterbium ad patres acceſſit: prima cura fuit Manfredi iniuſti atq;

ſti atq; infeſtiſſimi Pontificiæ ſedi regis perdendi. pręter rei indignitatem ingens quoque ſtimulus accedebat inſita in Francum nomen caritas. quapropter Andegauenſis celeriter Maſſilia cum xx x. longis nauibus Oſtiam adnauigauit iuſſo equitatu per Ciniſij iugum in Italiam tranſcendere. congreſſus cum Pontefice docuit nihil magis præſidio futurum ijs, quos terreſtri itinere mitteret, quàm ſi ſocium armorum Opizonem ſibi adiungeret; qui ſuper ea re Panſaninum Turcium cum ampliſſimis feriendi fœderis mandatis ad Vrbem legauit. cum Carolo, qui ſuo, filiorum, ac nepotum, Eccleſiæ que nomine agebat, percuſſum eſt v. Id. Aug. his conditionibus, vt Ateſtinus quidem Frāco militi per fines ſuos in Galliam togatam euadenti iter præberet, ac pro virili etiam Manfredianis ſeſe opponens aperiret. contra recepit Carolus, ſeſe illum non modo aduerſus Vbertū Palauicinum & Boſum Douarium acerrimos Manfredi clientes illa in prouincia, ſed etiā aduerſus ipſum regem tutaturum; quæq; ipſe, liberi, ac nepotes oppida obtinerent, armis eſſe defenſurum. eodem fœdere diſerte cautum eſt, ne quis inuitis ſocijs cum hoſte pacem aut inducias iniret. Piceni nulla facta mentio conniuente Pontifice, forte vt eam prouinciam Eccleſiæ reſtitueret, quòd Opizo in ſuam tutelam nondum perueniſſet. Hoc rerum ſtatu Vido cum Francorū equitatu multiſq; ex Gallica nobilitate ex alpibus ſe demiſit, inter quos longe eminebat Robertus Flandriæ Comes ipſius Caroli gener. Palauicinus nouo ſupplemento Brixię confirmatus intercluſurus hoſtē inde mouit: At Monfortius iunctis Ferratenſis reguli copijs aliquanto tamen lentius, quippe quem hoſtis magnopere impediebat, eſt progreſſus. tandem cum Gottofredus Belmōtius Pontificis legatus Bononienſibus perſuaſiſſet, vti ſeſe adiungerent Mantuanis, Veronenſibus, & Bergomatibus, qui cum Pontifice ſentiebant, Opizo contractis ex Ateſtina præfectura, exque agro Rhodigino & Ferrarienſi copijs, præter eorum oppidorū milites, quorum modo meminimus, ad Montem clarum Brixiani agri oppidulum conſedit; operiens Vidonē Guerram, qui equites quadringentos grauioris armaturæ Hetruria exules in eadem adduxit caſtra. Douarius Ateſtinum maximis viribus inſtructum contemplatus Palauicinum deterruit, dictitans fore, vt a tergo & a fronte inſtante hoſte cum exercitu oppidum quoque amitteret. ceſſit ille loco paſſus ſub oculis tranſire Gallicum equitatum. quo cum Monfortius Ferrariam principio Decēbris peruenit: vbi ex labore viæ ſe refecit eo auidius, quo maioribus propter anni tempus incommodis conflictatus erat: inde ſine vlla moleſtia ad Carolum perrexit. Is poſtero anno ſolenni Epipha-

nię

niæ die a Pontifice vtriuſque Siciliæ rex eſt inſtitutus, ac Senator appellatus: quos tamen ille titulos ante eam dignitatis acceſſionem vſurpabat, quemadmodum videre eſt in tabulis apud hos Principes aſſeruatis, in queis Siciliæ regem ſe & Hieroſolymorum, Ducem Apuliæ, Capuæ Principẽ, & Senatorẽ almę Vrbis inſcribit. habebat Carolus equites cataphractos quater mille & quingentos, veras ſine dubio totius exercitus vires. ita ad Germani fanũ progreſſus caſu potius quàm arte potitur loco, & Manfredum ſub ipſa Beneuenti mœnia redigit. qui ſtatiua eo loco habuit intentus equitibus cogendis; nec ſane ſi ſagittarios connumerares, ea parte hoſti multitudine admodum cedebat. Francus antequam hoſtiles copiæ confluentibus vndique militibus augerentur, pro certo habens Gallos equites robore præſtare Germanis & Italis, cum cetera loca pręſidijs tenerentur, per iugum imminens Caſſinati ſaltui exercitum traduxit, adeptuſq; hoſtem copiam pugnandi fecit. ille haudquaquam abnuens prid. Kal. Mart. victoriam pariter ac vitam æmulo conceſſit. Dum Carolus reliquias belli perſequitur, magnique ad eum populorum vltro ſe dedentium cõcurſus fiunt, Maſtinus cernens Guelforum vires ibi diſtineri, Tridentum ſecure cuſtoditum noctu adortus cum præſidij cæde diripit. Vbertus quoque Spinula metuens ne Caroli ſucceſſibus ab inimicis in ordinem cogeretur, aſcitis Aurijs Genuenſem prætorem noctu comprehendit, ſeq; Reipub. principẽ conclamari iuſſit. Mantuã oppreſſit Pinamontes Bonacoſſa eo procliuius, quòd animaduertit ciues in magna virium imbecillitate ita affectos animis, vt ad Opizonem tamquam ad patronum de rebus arduis referrent, nec ſuperiorem ipſe aut parem vllo modo pati poſſet. itidem cum poſt Manfredi cædem, ſublatoſq; ab Guelfis animos in vrbe Florentia Vido Nouellus cum equitibus quingentis Pratum refugiſſet, aduerſarij magna ſpectare cœperunt. In tãta rerum perturbatione Opizoni alioqui adoleſcenti amicitia culta frequentibus litteris & legationibus ab Neapolitano rege magno apud omnes honori fuit. & ille memor veteris verbi ſublata cauſa effectum quoque tolli, exterminatis ex vrbe Fontanis ab reſidua contagionis labe eam expurgauit. etenim qui ferre inimicorum potentiam non poſſent, conſpirauere cum Rauennatibus, illatique in Iulij, & Aldrouandini Turciorum prædia, quæ ad Argentẽſium fines pertinebant, & illa & multorum preterea ciuium huiuſmodi certaminum expertium vaſtauere. Opizo agrum ab ea parte excurſionibus expoſitum foſſa, quæ ad ætatem noſtram durat, communiuit eum vtrique ditioni finem ſtatuens; neque enim tunc Argenta in Ateſtinorum poteſtate erat: exu-

lum bona in publicum redacta, ędes dirutæ: quorum ſtirpſ breui radicitus interijt. Interim dum Carolus tota Hetruria Gibellinos, qui Piſas Senaſq; confugerant, armis perſequitur, indicto etiam Piſanis bello; & Germania inteſtinis diſcordijs carpitur, Gallus cũ Britãno pugnat, Hiſpania in minora diſſecta regna Afrum ſentit hoſtem; Rex Ægyptius Armeniam vrit, ac contemptim, quod Latini nominis reliquum in Oriente eſt, cædit; Pontificem improuiſi caſus a ſacro bello auocant, quibus & illam curam, & vrbem relinquere coactus Viterbium conceſſit: Ateſtinus, qui ad Pontificiam fortunam ſuam, & ipſe accommodaſſet, in eoſdem fluctus haud ſane imbecillæ ætati valde congruentes adigitur. Huiuſmodi turbas conciuit Henricus Alfonſi Caſtulonenſis regis frater, qui Romę cum eſſet propter morum ſuauitatem populo cariſſimus, quòd Carolo Neapolitanã expeditionem molienti mirifica officia, magnãq; pecuniæ vim tribuiſſet, Francus non modo nõ referebat gratiam, ſed ne nomen quidem diſſoluebat. itaque magnopere incitabat hominem ignominia tum illi auro, tum cuiuis ampliſſimo theſauro, vt ipſe prædicabat, multum anteferenda. nam vir generoſus ſatis ſibi fieri poſcebat, eoque vehementius indignabatur, quia pro ære indignæ contumeliæ reddebantur. diſſimulata tamen iracundia ac conſilio vindicandæ indignitatis clam auctor fuit Conradino alterius Federici Auguſti nepoti, vt Sueuiæ vnaq; ſociorum Germaniæ Principum vires in Italiam ad paterna regna recuperanda traheret. Conradinus, quemadmodum Henricus ſuaſerat, principio duodeſeptuageſimi anni itineri ſe dedit. 1268 Veronam cum ad diem XIII. Kal. Febr. veniſſet, ſtatim Opizo per ſe nullis Caroli auxilijs in primo Bononienſis agri aditu ſuo cum milite, & Regienſium, Parmenſiumq; manu conſedit. Sueuus ſimulans ea ſe tranſire velle repente Sauonẽ contendit. inde nauibus Piſas aduehitur pręmiſſo per fines Pontis tremuli, id caſtello nomen eſt, equitatu. Sub eius aduentum in Hetruriam Campani ceteriq́ue accolæ miſcere omnia, Apuli & Marſi defeciſſe, Pontifex Henrici furore & infeſtę plebis odijs exagitatus ceſſiſſe vrbe nuntiabantur. Cõradinus felici ſane auſpicio auctiorq; profligatis in Piſano agro octingentis Caroli equitibus Calſiolum perijt: quo loco acie ſuperatus, atq; ex fuga retractus longe alium, quàm quem ab initio tam lætæ res portenderant, exitum nactus eſt: ſiquidem aliquot menſes in cuſtodia habitus plane miſerabili ſpectaculo medio in foro Neapoli ſecuri percuſſus eſt. quoniam autem Laurenrius & Anſiſius Federici nothi filij plane infelici fato occiderant, hic Veronæ, ille Bononiæ, perinde atque Federicus item nothus Antiochiæ Princeps Florentię

rentiæ deceſſerat, & Iordanes iuſta ſoboles in prima pueritia extinctus eſt; duos autem Henrici Germanorũ regis liberos patruus Conradus iam necauerat, & Anfiſius ex Manfredo natus captus oculis in carcere expirauit, ſuperſtite Conſtantia ſorore, tota Staufenſium virilis ſtirps intercidit. quod facile apparebit, ſi Federici, qui prius hoc nomen tulit, poſteros recenſeamus. & inquiſitio iſta mea quidem ſententia huius loci propria eſt, quo ſicuti fecimus hactenus, & deinceps faciemus in Principibus, qui cognatione factisue Ateſtinos attingunt, ea quæ de ipſis memoriæ prodimus, certius intelliganrur. nec fortaſſe gens alia ſit, qua cum hi proceres maiore beneuolentia odiouè certauerint: cuius tanta vis fuit, vt inde, queadmodum a nobis dictum eſt, non ortæ modo, ſed etiam propagatæ ſint Guelforũ & Gibellinorum factiones. Federicus Sueuorum Dux ex Hagne Henrici IIII. filia Conradum eius nominis Tertium inter Cęſares, Federicum Monoculum item Sueuiæ regulum, & Getrudam Ladiſlao II. Boemię regi nuptam ſuſcepit. ex Conrado nati Henricus, Federicus Sueuorum Dux, & vxor Ludouici Turingiæ Comitis. Federicus ex vno alteroq; matrimonio Iudithę quidem Henrici Ateſtini Noricorum Ducis, Hagnes vero Federici Comitis Sarburgẽſis filiæ procreauit Federicum Aenobarbum Cæſarem Conradumq; Palatinum, Iuditham primo Matthęo Lotharingiæ Duci, deinde Hermãno Marchioni Badenſi, necnõ Claritiã Ludouico Turingo collocatas. Aenobarbus ex Adella Thebaldo Vogburgenſi Marchione, & Beatrice Rainaldo Burgundiæ Comite editis genuit Henricũ VI. Auguſtum, qui Neapoli imperauit, Federicum Sueuiæ Ducem, Othonem Burgundiæ Comitem, Conradum Sueuiæ & ipſum Ducem, & Philippum Cæſarem. huic filiæ quattuor fuere, Cunigũda Vinciſlao Boemo, Ethiſa Henrico Caſtulonenſi regibus, tertia Tuſciæ Comiti, ac Beatrix Cæſari Othoni IIII. Ateſtino locatæ. Otho Burgundio Blãcam Othonis Magni Merauiæ Ducis coniugem ſuſtulit. Henricum parentem habuere Maria Conrado Boemiæ Duci nupta, & Cæſar Federicus II. cuius vxores numero ſex ſubinde recenſentur, Conſtantia Aragonia, ex qua ſati Henricus Germanorum Rex, & Iordanes; Iolanthis Hieroſolymitani regis, quæ Conradum Neapolitanis regem dedit; Hagne Othonis Meraui Ducis, Ruthina Othonis Comitis Vuolfertzhauſenſis, Eliſabetha Ludouici Norici Ducis, atque omnium poſtrema Mathildis Angli regis ſoboles; ex quibus duas tantum filias creaſſe legitur, Hagnen Conrado Turingiæ, & Conſtantiã Catthorum regulis in matrimonium datas. ex pellicibus ſuſcepti Manfredus iniuſtus Neapolitani regni poſſeſſor, Laurentius Sardi-

niæ rex, Anfiſius nulla apud patrem dignatione, & Federicus Antiochiæ Princeps. Margarita Lupoldi Auſtriæ Ducis filia Henrico peperit Federicum Auſtriæ Ducem, & alterum Henricum: Conradus ex Eliſabetha Othonis Bauariæ Ducis ſtirpe Conradinũ creauit. Mãfredus Anfiſium, & Conſtantiam genuit. Clemens Franco iam Neapolitanum & Siculum regnũ obtinente ea cura liberatus nihil aliud dies noctéſq; animo verſabat, quàm quo modo Sarraceni perdomarentur. apparebat rem in eo verti, ſi valida claſſis deduceretur: porro ſolis Venetis Genuenſibuſue eiuſmodi facultas ſuppetebat; propterea ſumma ope vtranque rempub. reconciliare inter ſe adnixus eſt: alioqui ſi odijs contenderent, non modo duarum claſſium nulla ſpes erat, ſed quę in ſanctam militiam nomen dediſſet, alterius vim atque impreſſionem poterat pertimeſcere. Inter hæc Clementis conſilia Veneti in Syriam nauigantes prælio a Genuenſibus funduntur. Super quam cladem cum aliàs deplorata omnis concordiæ ſpes eſſet, Pontifex præ ægritudine anno eius ſeculi LXIX. III. Kal. 1269
Ian. moritur. interregnum biennium tenuit. eo tempore Ludouicus Galliæ rex poſt factam pacem & reſtituta Henrico Anglo nonulla oppida certis legibus in Africam ad Tuneta tranſmiſit. vnus Carolus frater Neapolis rex expeditionis comes fuit; nulli præterea Chriſtiani proceres eam pietatem æmulati. ibi fato functus par ſanctitati vitæ cognomen tulit. Clementi Kal. Sept. anno altero & ſe- 1272
ptuageſimo ſufficitur Theobaldus Placentinus Vicecomes, qui Gregorij x. nomen ſumpſit. Opizo regno iam atque ætate plane adulta, inſuper vſu rerum pollens, ac magna apud Carolum gratia nullam per eos dies iactationem ſenſit. Inſequens annus Ricardum 1273
Germaniæ regem extulit. Alfonſus Caſtulonenſis, qui hactenus de illa dignitate contendiſſet, inteſtinis malis in Hiſpaniam reuocatus totam rem omiſit: proceres ipſius ſtudioſi cũ bona venia, tum ceteri Germani, quorum id ius foret, cõcordibus ſuffragijs Cæſarem renuntiauere Rodulphum Comitem Abſpurgenſem, probante iudicium Pontifice: eum Segifredus Archiepiſcopus Agrippinenſis diademate Aquiſgrani de more vinxit. Exularat Auguſtum nomẽ ſua terra, ex qua die imperium Federico abrogatum fuerat; id Rodulphus quaſi poſtliminio reſtituit vir ſacris exercitatus bellis, matura iam ætate atque altitudine conſilij inter Germanos longe præſtantiſſimus: ad quos eo cõmendatior erat, quod aditu facilis, liberalis vulgo habebatur, iamque ſibi omnes fingebant animis perpetua atque illuſtria humanitatis teſtimonia. Pontifex in Concilio Lugdunẽſi anno quarto & ſeptuageſimo cauſam religionis agebat, 1274
ſi forte

ſi forte Græcos cum Latinis poſſet componere, ſedentibus inter ceteros Patriarcha regiæ vrbis & Auguſto Græco: ad id accitus Thomas Aquinas theologus diuino ingenio, cuius memoriam poſt aliquot annos Ioannes XXII. conſecrauit. is cum in itinere obijſſet, illud ipſum munus iniungitur Bonauenturæ lecto in ſenatum, ac purpureo galero inſignito, cuius antea expertes minoritæ fuerant. agebat item Pontifex de ſacra in barbaros expeditione. In his rebus Pontifice occupato Cæſar reſtituẽdo imperio, quod ſine rectore ad eam diem prope collapſum erat, incubuit. etenim tenuiores quidã principes in aliena ſenſim ſeſe inſinuando fines propagarant; Octacarus vero Boemus, vt qui plurimum poſſet, totam prope Pannoniam ſuperiorem, Tauriſcos, Carnos mediterraneos, & Valeriam ſui iuris fecerat. principio aliquot arces & caſtella Cimbrorũ expugnauit, in Sueuia Marchionis Badenſis ditionem imminuit, Bernenſibus ſtipendium impoſuit: inde in proceres Regenſpergios, Crieſbergios, & Clingenſes cum duxiſſet, eorum fines magnis cladibus affecit: poſtremo eos, qui in ſuperiore Burgundia rebellauerant, eſt vltus. quapropter etſi ab Germanis vſque eo metueretur, vt Philippus III. Sancti regis filius Burgundionum, qui opem orabant, aſſiduas preces repudiaret, Pontifex dimiſſo conuentu ad eum coronandum Romam properaret, Longobardi inter ſe diſcordes eius fidem implorarent; attamen negotio, quod Auguſtam maieſtatem maxime reſpiciebat, imminens vnius Germanici regis titulum præoptauit, quàm præ ſuis aliena curare digerereue, ac duriſſimam prouinciam fortaſſe etiam fruſtra ſuſcipere. quippe ſolebat dicere maiorum quidem ſuorum verſa in Italiam veſtigia apparere, auerſa non item, ſicuti ferarum, quæ leonem inuiſebant; obiter hoc innuens, eos traduxiſſe magnas copias, tranſcendentium alpes raras fuiſſe legiones. propterea Cæſar accitus ab citerioris Galliæ populis, quos Ferratenſis regulus inſubribus grauis aſſiduo bello vexabat, reſpondit ſe quidem in Italia pedem non poſiturum, ſed miſſurum, qui apud eos vices ſuas obiret. Mutinenſes ac Regienſes diffiſi Cæſaris præſidio, gnariq; fœderibus, quibus tum ipſi, tum Bononienſes, Parmenſes, Cremonenſes, Placentini, Laudenſes, Comenſes, & Cremenſes aduerſus communes hoſtes cum Inſubribus coniungi ſolebant, ægre a mœnibus exulum ac ſicariorum, qui ſe ipſis aggregabant, manus ſubmoueri, omnium primi docuere ſocios quanto foret præſtabilius iuſto, potẽti, ac vicino Principi ſe ſuaque permittere, quàm ex infimæ plebis nutu, aut magiſtratuum arbitrio pendere, qui nec ſemper ijdem & cupiditatibus obnoxij ſint. icirco Rodulphus non

ſupe-

ſuperiorum modo Cęſarum beneficia in Ateſtinos confirmauit codicillis Norimbergæ IX. Kal. Sept. anno a ſalute parta M C C L X X V. 1275
datis: ſed qui cum Rodulpho ſcriba ſuo, ac tota Italia Vicario clientes fidelitatis ſacramento adigeret, Epiſcopum Ferrarienſem nominatim intereſſe iuſſit. His atq; alijs adducti beneuolentiæ teſtimonijs in Ateſtinum, cui ſe animis dicauerant, exiſtimarunt Mutinéſes ac Regienſes id quod tantopere cupiebant, ab Auguſto ſe impetraturos, nec ſunt opinione fruſtrati. etenim Rodulphus, qui Opizonem vnice diligebat, tum quòd minime vulgaris inter Albertum ipſius auum & Ateſtinos Velfones amicitia interceſſerat; tum ob pręclaram Azonis famam, & Ateſtinæ gentis vetuſtatem atque virtutẽ, cui multum tribuebat, haud grauate aſſenſit: potiſſimum quia admonebatur ab Federico II. eadem oppida Opizonis auo dono data, vti tot tamq; illuſtria in Romanum imperium merita aliqua ex parte remunerarentur. quamobrem Norimberga ad vtrũque populum ſcripſit, ſe non modo eorum votis ſubſcribere, ſed cõſilium etiam valde laudare. Iam deditio parabatur, cum Mutina Aigonum & Graſulforum mutuis cędibus turbata (hæc nomina erant Guelfis ac Gibellinis ab duabus inter ſe infeſtiſſimis familijs) & Regienſes pariter inteſtinis diſcordijs laborantes rem in tempus magis idoneum diſtulerunt. Tanta iam erat Ateſtini apud omnes exiſtimatio, vt, quamquam Vido Monteſeltrius Gibellinarum partium dux aduerſarios fudiſſet, qui coacto apud Forum Liuij exercitu Fauentiam circumſedebant, queis & Marchio auxilia ſubmiſerat, ille tamen exiguam iacturam fecerit. Nec anno item inſequenti Opizo ad arma adactus eſt, licet iactata magnis diſſenſionum turbinibus Italia. 1276
Turriani adiuti ab Raimundo Aquileienſi Patriarcha eius Martini filio, qui rem Mediolanenſem annos quindecim rexerat, Othonem oppidi Archiepiſcopum atque omnes Vicecomites expuliſſent: & hi cum ſe poſtea cum Ioanne Gulielmi Ferratenſis reguli filio coniunxiſſent, pręlio victi diſceſſerunt. quietæ etiam Opizonis res fuere, tametſi intra menſes XV. quattuor Pontifices prope continuatis funeribus obijſſent; hic ipſe Gregorius, qui XIII. Kal. Febr. fato ceſſit: Innocentius V. ex Dominicano ſodalitio, quo creãdo cœpit mos ad hanc ętatem in Pontificijs Comitijs obſeruatus, Adrianus præterea V. & Ioannes eius nominis XXI. quod ſi fata diutius incolumem Adrianum ſeruaſſent, qui tantum duodequadraginta dies ſedit, Opizo non inani ſpe Piceni imperium ſibi deſpondebat: quando enim auus Azo arctiſſima amicitia implicatum, dum in ſenatu priuatus eſſet Octoboni Fliſci nomine, eum pupillo tutorem teſtamento

mento dederat, ſuadebat ratio, vt ea officia expectaret, quæ imma tura ætas illi ſubtraxit. At Ioanne Caietano Vrſino Pontificatum
1277 ineunte eius ſeculi anno LXXVII. qui Nicolaum Tertium nomen edidit, magni ſunt motus cõſequuti. quippe ille, cum adhuc cum patribus in atrio, quod Senatoris iure Carolus cuſtodiebat, creando ſummo ſacerdoti comitia haberet, multo acerbiſſimum in regem odium concepit, haud ignarus etiam atque etiam contendiſſe, vt gentis ſuæ Pontifex renunciaretur. eo nomine Senatoria dignitas illi abrogatur. augent indignationem aſſiduæ querelæ vtriuſque regni popularium: præcipue Italiæ decus curam intendit, quam non modo firmata externorum dominatione, ſed metu etiam in poſterum impreſſionis futuræ leuatam cupiebat. Erat Ioannes a Procula, Boccatius a Prochyta vocat, auidus Siciliæ ab Gallis alienandæ, qui per præfectorum indulgentiam ne matronarum quidem pudorem penſi habebãt. is Pontificem adijt; cupide auditus mox ad Michaelem Auguſtum in Græciam traiecit, vt eorum opibus Petrus Tarraconenſis regno Siculo potiretur. conſilium non potuit callidius tegi. cauſa prætexabatur, quod Cõſtantia Manfredi filia, quã vnam ex Staufenſium genere reliquam ſupra diximus, Tarraconẽſi nupſerat. et ille tum hoc iure, tum ſub mortem a Conradino nuncupatus heres inſulam repetebat; quo pacto altera itidem Conſtantia vnica Rogerij Normãni ſtirps Henricum VI. eiuſdem regni com potem nuptijs ſuis effecit; vt bis fatale nomen Francis extiterit, quo ſemel ab Germanis, iterum ab Hiſpanis exuerentur ea inſula. Hæc Pontifex in Carolum coquebat non neſcius rem factu in primis arduam moueri: proinde excogitata, quibus veluti frænis intra ſuum gyrum coerceretur. duo reges reliquis duabus Italiæ celeberrimis partibus deſtinati, ijq́; e familia Vrſina, quo fideliores eſſent: alter Hetruriæ propinquum præſidium aduerſus Neapolitanos reges, Longobardiæ alter, qui procul auxilia ex Francia cognationis ergo, aut inſtituta cum Germanis amicitia inde aduenientia tranſitu arceret. Tuſcia, vt æqui imagine, non per ſummam iniuriam Franco adimi videretur, ei renũciat Rodulphum fremere prouinciam, quæ Auguſti iuris eſſet, iuſto imperio detrahi, ſeque propterea, qui Cæſari æqua petẽti nihil negare poſſet, legatum eò miſſurum Latinum Vrſinum. quod attinet ad Galliam togatam vnum Ateſtinum deprimendum cenſuit, qui præterquam quod duas illius regionis prę ualidas vrbes auguſto beneficio ad ſe pertinere dictitabat, alijs etiã vicinis locis imperabat, nunquam paſſurus in oculis ſuis olim fortaſſe magno cum ſuo malo nouum condi regnum, pręſertim quod

crebro

crebro dicere ſolebat, niſi grauibus principijs obſtes, interdum fieri vt tacitus feras, quod primo paruo negotio excindi potuiſſet. atq; eo magis Nicolaus conſilium probauit, quod eodem tempore Caroli, quo cum Opizo coniunctiſſimus erat, opes atq; auctoritatem imminutum iri non dubitauit. Etſi autem proximo ſuperiore anno Rodulphus ſcriba, de quo aliàs nobis dictum eſt, Cæſaris iuſſu in Italiam redijſſet, vt imperij beneficia recognoſceret: iſque Ateſtino denuntiaſſet, Auguſto dignitatem ipſius admodum cordi eſſe, quam in rem epiſtola prid. Kal. Apr. exarata fuerat, quæ diſerte loca omnia fineſque patrocinio incolumes futuros exprimit: tumultus tamen, quibus diſtinebatur, audaciorem ad vim inferendã Pontificem reddebãt. Quippe anno eius ſeculi duodeoctuageſimo 1278
ineunte Octacarus, qui ſocio Henrico Norici Duce primum contumax in Cæſarem extiterat, poſt amiſſam Ibeſſam, Tuluam, & Neoburgum, mox Viennam, quæ deditione in poteſtatem venit, non auſo Boemo, cũ in aduerſa ripa caſtra haberet, obſeſſis opem ferre, deſponſa Vinceſlao filio Vtha ex Rodulpho nata Auſtria, Tauriſcis, ac ceteris propinquis regionibus deceſſerat: iterum pertæſus pacem bellum reparabat, Boemoſque, Venedos, Saxones, Pomeranos, Morauos, & Sarmatas ſtipendio cogebat. nec parcius Cæſar vniuerſam Germaniam ciebat: cumq; eo Ladiſlaus Pannonum rex arma conſociauerat. Igitur Nicolaus opportunum hoc tempus cenſuit conſilij exequendi, ac Scaligeros vtpote finitimos Ateſtino idoneos eſſe ad bellum inferendum. Superiore anno Pigotij & Scarabelli coniuratione facta Maſtinum obtruncauerant: cui Veronenſes Albertum fratrem ſuffecerant, grata etiamtum in vulgus mortui memoria; quòd multos ex plebe coluiſſet diuerſa ad tyrannidem atque opes, quàm Ezelinus feciſſet, ingreſſus via, etſi ferme eadem fortaſſe mente. totam autem eam rem confecere domi præpotentes Nogaroli, Aleardi, Iſnardi, Amici, Sacramori, & Martiagalli. Albertum ſtabili iam inter ſuos regno principis quidem nomine abſtinentem, re ipſa aſcito ducis ciuitatis atque populi Veronenſis titulo imperantem Pontifex occulte in Opizonem concitauit. quem cum poſtero anno ſubitarijs cohortibus de improuiſo adortus fuiſſet, Melaramque cepiſſet, Ateſtinus Patauinorum ac Mantuanorum ſubſidio partim caſtrum recepit, partim impetum eſt remoratus, vt ne auſus quidem ſit Bertoldus Pontificis nepos Flaminiæ Comes moleſtus eſſe, qui cum neſcio quid ibi mouiſſet, putabatur ad conſtitutum cum Alberto tempus arma oſtenſurus. tũ Ateſtinus ingreſſus fines Veronenſes magnam vaſtitatem fecit, &

Colo-

Coloniam, aliaq́ue ad flumen nouum oppidula expugnauit. deinde domeſtico ſupplemento atq; aliquot mercenarijs cohortibus auctus, quo ſegniores apparebat eſſe hoſtes, eo plura credebatur geſturus. At Veneti ſtudio finitimorum quietis Leonardum Veneriũ & Marcum Dandulum legatos decreuerunt, qui cũ res magnas difficultates haberet, eo etiam maiores, poſtquam victor Cæſar Octacarum contemnebat, eaq́; cura vacuus Opizonem complectebatur, Pontifice non hiſcente, pacem tandem his maxime conditionibus confecere: ne quem locum cõmunirent Veronenſes in finibus ſuis ab Alpone Patauium ac Vicetiam verſus: vt retineret Opizo Coloniam, Simellam, Baldariam, Preſanam Vicetinorum ca-
1280 ſtella, iam olim Ateſtinorum ditionis. pax ineunte octogeſimo anno promulgata. eodem anno defuncto Nicolao, dum Cardinales in diuerſa ſtudia ſcinduntur, ſacrum interregnum diutius tenuit. Interim Marchio re ipſa admonitus quam facile Neapolitana cura Pontifices mordere poſſet, quantumq́ue ſi coirent Auguſtus & Carolus, id Italiæ ſalutare, ſibiq́; inprimis tutum futurum eſſet: quippe vt inter maximos principes cum magno aliorum fructu amicitia, ſic plerunque cum ingenti detrimento iungitur: ceptum iam inter eos negotium vrſit vehementius. iniecta mentio erat nuptiarum Conſtantiæ Rodulphi filiæ cum Carolo Martello Neapolitani regis nepote ex Carolo filiorum natu maximo. accedebat alius multo acrior ſtimulus, quòd intelligebat nõnullos crebro apud Germanos proceres iactare, haud vltra ferendum prouincijs Auguſti iuris tam temere manum admoueri. etenim Francus quaſi pro ſuo iure ſummam rei Hetruſcæ ad ſe reuocabat; cui alioqui dare prætorem legesq́ue more ſupremi domini Cæſaris erat. Opizo qui ſciret ea controuerſia cõſpirationi aduerſus Neapolitanum regnum locum facile præberi, qua & rex amiciſſimus concideret, & ipſe perturbata Italia ſpe potiũdi Mutina ac Regio Lepidi decideret, quorum oppidorum mirifica erga ſe voluntas foret, hoc modo exiſtimauit omnibus incommodis nullo negotio occurri poſſe. vtrique ex æquo amicus, eamq́ue ob cauſam peridoneus, re ſuſcepta nuptias confecit. Clementiam, cum ad virum ſe conferret, hoſpitio Ferrariæ acceptam regali apparatu & ſumptu aliquot dies coluit. quin etiam oblata occaſione vſus inuitatusq́ue Cæſaris benignitate impetrauit, vt quæ ſcriba Auguſti animi teſtimonia ſibi dediſſet, ea confirmaret nouo patrocinio: præterea vt ſibi poſteriſq́ue prouocationem Tauriſanæ ſeu Veronenſis præfecturæ beneficij iure concederet. in quam rem
1281 codicilli Norimbergæ IX. Kal. Sept. anno eius ſeculi LXXXI. exarati.

Dd quo

quo anno cum Martinus IIII. natione Gallus VIII. Kal. Maij ſacrũ regnum inijſſet, Ateſtinus maiorem ſpem animo concepit. Pontifex enim contracta cum Neapolitano rege ſocietate, quòd eam Gręcus Auguſtus auerſaretur læta impijs, Chriſtianis luctuoſa diſſenſione, hoſtem illum iudicarat. haud tamen ſegnius Ioannes a Prochyta exorſam telam pertexebat: & Petrus Tarraconenſis quaſi Africam populaturus claſſem adornauerat. accidit autem vt cum Martinus ab eo per legatos ſciſcitatus eſſet, quidnam ille apparatus ſibi vellet, reſponderet rex ſe tunicam, ſi conſilium ſuum ſcire exiſtimaret, confeſtim laceraturum eſſe, atque ab ſe abiecturum. in ea ſolicitudine dum Martinus hortatur Francum ſibi caueat, Ioannes matura proditione Siculis perſuaſit, vt ſigno ad veſpertinos hymnos campano ære dato Gallica præſidia trucidarēt, ne fœminis quidem, quæ Gallorum compreſſu grauidæ dicerentur, parcentes. Petrus vero in illos portus illatus inſulam obtinuit. Turriani Gallica origine, quam palam iactabant, maxime autem Vicecomitum ſimultate incitati ad Guelfos defecerant, non tamen vt Germanis neceſſitudines renuntiarent iam tum contractas, cum Martinus ſub Conrado Auguſto meruiſſet Syriacæ expeditionis comes: ac tantũ poterant Cæſaris ac Pontificis clientes & Ateſtini amici, vt æmulos paruipédérent. etenim Martinus Paganũ & Iacobum procrearat: ex Iacobo nati Ioannes, Paganus, Martinus, & Philippus. tres autem poſtremi alius poſt alium prætores Mediolani fuerant: Philippus etiam Bergomo, Brixiæ, Como, Laudi Pompeij & Nouariæ præfuerat. ex Martino Philippi fratre extabant Alamannus, Napus, Franciſcus, & Raimundus. e quibus Napus nomine Cæſaris Mediolani præturam gerebat: Raimundus Aquileienſium Patriarcha extitit. Siculorum defectio ac felicitas Tarraconenſis regis Gibellinos, qui ad eam diem quieuerant, tota Italia ſuſcitauit: Otho & Matthæus Vicecomites anno eius ſeculi altero & octogeſimo tanto impetu in 1282
Turrianos coorti ſunt, vt præcipites ex patria Cremaque, vbi ſe tuto fore credebant, exturbauerint. At enim quia Ferratenſis Hiſpanorum cohortem, quam ad finium præſidium tenebat, ac tumultuariam manum Vicecomitum copijs addidiſſet, Leonemque Cremonenſis agri oppidulum ab Turrianis emunitũm obſedíſſet, Ateſtinus haud lætus ea rerum inclinatione pręmiſſo Gerardo Boiardo cum aliquot manipulis, qua nondum obiectum vallum erat, dein Placētinorum ope vſus peditum ſex, equitum duo millia coegit: ſed vix agmen eò verterat, cum Ferratenſis obſidionem ſoluit. & Vido Feltrius arma cepit, Franciqúe aduerſis Aragonij ſecundis rebus fretus ali-

tus ali-

tus aliquot Flaminiæ oppidula occupauit. qua ab parte vt Ateſtinus ſibi proſpiceret, mille peditũ duce Ioculo Ioculio homine impigro eo contendere iuſſit. hi coniuncti copijs Malateſtæ Ariminenſis, Tribaldelli Manfredi ac Bononienſium, ſubſequutis deinde maioribus auxilijs Fauẽtiam ad obſequium ſanctæ ſedis redire coegerũt.
1283 Inſequẽti anno Forum Liuij ac reliqua fere prouincia exemplum eſt æmulata. Exinde Opizo belli moleſtijs aliquãdiu caruit, haud hercule quia Italia conquieſceret, ſed quòd Veneti cum ipſo finitimis in pace continendis vacarent, quando alia regione procul ſiti varijs cladibus atterebantur. Piſani ſumpto ex re nauali incremento virium, quæ toto illo mari plurimum poterant, Sardiniæ etiam & Corſicæ imperantes, tum clariſſimis quattuor ciuibus formidabiles Vgolino, Fatio, Merio, & Anſelmo cum Liguribus bellum intuliſſent, eam oram depopulati inuectique in portum ciuitatem terrore impleuerant, etſi poſt ab Genuenſibus reddita clades eſt cum multarum nauium iactura. nec minores Romæ turbas conciuerãt regum Neapolitani & Tarraconenſis legati; quorum verbis Pontifex ad cognoſcendã cauſam excitabatur, alioqui reges ſibi dicturos ius armis profitentium. Carolus, cum eſſet renuntiatum æmulum paulo ferociorem eſſe, Martinum coram adijt, ac frequenti Senatu profeſſus eſt paratum ſe ſui capitis periculo cædem vaſtitatemque a popularibus auertere; quæ ſi infeſtis vtrinque ſignis concurreretur, haud dubie impenderet. accepit conditionem Petrus: bono publico locus ſingulari certamini edicitur Burdegala in Aquitania ditionis Angli regis neutri ſuſpecti; qui Iudicis vice præſideret adeſſe iuſſus: ibi clauſo campo vter hoſtem ſuperet, eum victi regnum pariter ſequatur. Carolus qua die, quoque loco conuenerat, ferme ad noctem in armis ſtetit: vbi nemo contra prodibat, abijt: Petrus ſub occaſum ſolis ſui copiam fecit teſtatus nullam in ſe moram pugnæ eſſe. Pontifex eam ludificationem ſibi ac Franco communem dictitans, Tarraconenſem Siciliæ tyrannum atque eccleſiæ piorumque omnium hoſtem pronuntiat: paternum ipſius regnum Carolo Valeſij Comiti Franci regis filio attribuit; populares religione ſacramenti ſoluit. dum Carolus futuri certaminis cura abeſt, filius eodem nomine Salerni princeps adoleſcens non magni in re militari vſus contra patris imperium nauali prælio decertauit cum Rogerio Auria claſſis hoſtium præfecto, a quo victus, atque in Siciliam abductus cum nouem delectis comitibus in vincula conditur. ceterorum ſanguine, qui circiter ducenti fuerunt honeſto loco nati, Siculi Conradini manibus parentauere. rex Neapolim reuerſus vix ani-

mo imperauit, quin oppidum ſubiectis flammis funditus deleret, quòd aliquot ciuium conſilio factum diceret, vt filius prælij fortunam tentaret. certe iræ impotens anno eius ſeculi LXXXIIII. VII. Id. 1284
Februarij vitæ finem fecit. Sequenti anno menſe Maio Philippus 1285
Francorum rex fretus Pontificia ſanctione, qua regnum Petro abrogatum fuerat, ad ipſum caput rerum fontemq́ue Tarraconem bellum terra mariq́ue promouet: Perpenniano capto Gerundam cum equitum millibus viginti circumuenit: Valeſius claſſi præfectus cum triremibus centum & viginti ab Maſſilia Narbonem, dein in Rhodenſium portum nauigat. Petrus in ipſis Pyrenæi ſaltus faucibus loco maxime impedito atque anguſto occurrit: dum ſumma vtrinque pertinacia res geritur, leui, vt tum videbatur, accepto vulnere, paulo poſt ex eo moritur. mox Gerūdenſes expugnati ab Hiſpanis cum alijs, quæ amiſerant, recipiuntur. diſceſſu atque obitu Philippi, qui Perpenniani v. Non. Oct. deceſſit, prius tamen allato nuntio de profligatis ſuorum nauibus ab Auria, qui nactus nōnullas ab reliqua ſeiunctas claſſe, quæ ex Rhodēſium portu Narbonam cōceſſerat, paruo negotio victoriam retulit. quoniam autem Martinus ſexto menſe ante vita exceſſerat, ita vt idem prope annus Pontificis, ac trium regum fato inſignis extiterit, ſicuti Ateſtinus in his diſſenſionum ac bellorum incendijs, quæ ſupra attigimus, propter locorum interuallum neutiquam afflatus eſt; ſic ab iſtorum Principum morte nullo nouo exorto principatu & moleſtiæ omnis expers & timoris fuit. quanquam enim Iacobus, patre vita functo, regnum Siculum obtinuiſſet, Maria tamen Caroli, qui Meſſanæ aſſeruabatur, vxor cum Carolo Martello filio Neapolim ſe cōtulerat. ad eam Philippus Francorum rex cum peramplo equitatu miſit Robertum Atrebatem hominem ſumma virtute præditum, qui regnū tutaretur. miſerat etiam Honorius IIII. Kal. Apr. Pontifex renuntiatus Gerardum Cardinalem Parmenſem. itaque tametſi rex deceſſerat, & filius in eam fortunam genitus in hoſtium poteſtate erat, Romana tamen & Gallica præſidia obſtabant, ne Gibellini propinquas Ateſtino regiones vexarent, præſertim quòd Vido Feltrius, qui Flaminiam infeſtam habebat, Pontificis pedibus aduolutus a priſtinis ſeditionibus abhorrere videbatur. Opizo cum apud eos, qui ſe Guelfę factionis principes profitebantur, in honore erat; tum hoc ipſo anno Kal. Nouemb. conuentu Lucernæ habito ab Rodulpho iterum in fidem eſt receptus; renouatumq́; vt ex Venetia prouocatio ad eum eſſet, & quæ ipſe ac maiores, quoque iure poſſediſſent, iiſdē auctoritate Auguſta iura daret; additum nominatim de

oppido Lēdenaria, quod Ateſtinus Rhodiginę Tetrarchiæ magnopere opportunum partim de communi Patauino, partim de Saluaterris, alijſque ciuibus, deque Boniſacienſibus Comitibus emerat.
1286 Inſequenti anno quamquam nullodum tumultu, vt ad improuiſos belli caſus paratus eſſet, claros aliquot centuriones ſtipendio obligauit: Thadæum Frebaldum Veronenſem magni in re bellica nominis opulentis beneficijs affecit: Bernardum Polentanum Rauennatem, vt cū opus foret, ſuis auſpicijs militaret, pactione obſtrin-
1287 xit. Mortuo Honorio eius ſeculi anno LXXXVII. III. Non. Apr. Bononienſes publico conſilio vrbe eiecerunt Gibellinos res nouantes. factus certior Marchio, atq; auxilium rogatus ſic ſubuenit, vt
1288 deinceps quieuerint: maxime quòd poſtero anno VIII. Kal. Mart. Nicolaus IIII. Pontifex Maximus eſt declaratus, & Carolus II. cuſtodia eductus liberalitate Conſtantiæ Petri vxoris, quæ prohibuerat, ne Siculi inhumanā Conradini necem pari crudelitate vlciſcerētur, his cōditionibus trāſactum, vt Francus Sicilia in poſterum abſtineret, curaret ne quid iuris in Tarraconis regnum Valeſius ſibi vindicaret: ea vti fierent tribus regijs adoleſcentibus, atque equeſtris ordinis quinquaginta obſidibus cautum. Francus in Galliam contendit, vt quæ promiſerat, præſtare occiperet; ſed fruſtra: quippe cū multi multa pactioni regijq; iuris ceſſioni obijcerent. re infecta redeuntē Iacobus queſtus verba ſibi data bello excepit: quo ab Caietæ mœnibus pulſo cum magno detrimento, inſuper Auria, qui in Calabris exſcenſionem fecerat, ab Gallis fuſo, meliore deinde ſtatu res Neapolitana fuit. reges inducias pepigere: Atrebas Neapolitano maxime incommodas dictitans in Galliam venit. In ſecundiſſima Caroli fortuna Bonacoſſij & Scaligeri veriti Opizonis potentiam fœdus aduerſus eum percuſſerunt, in quod & alij ſperabantur deſcenſuri. ſed Timotheus Epiſcopus citerioris Galliæ quieti ſtudens cum occultis aperti exitij initijs ire obuiam vellet, auctor Ateſtino fuit, vt Iacobina Fliſca vxore orbatus filiam Alberti Veronenſium principis duceret, Mediolanumque profectus graues Vicecomites inter ac Turrianos controuerſias ſedaret, quæ multorum oppidorum conſternationem poſt ſe trahebant. rebus cum vtriuſque factionis bona gratia compoſitis, in quas multæ difficultates, eæq; illorum tem
1289 porum ſcriptoribus ignotæ incurrerunt; dum principio ſequentis anni prid. Non. Ian. de reditu cogitat, exſurgenti a menſa Bononienſis quidam obſcuro loco natus cultro faciem petit. continuo qui circumſteterant, in eius necem conſurgunt: ſed vetuit Opizo: quæſtione habita comperit mente captum, furore per interualla re-

mittente

mittente facinus patraſſe ante inſenſum, quòd verebatur, ne, quẽadmodum Mutinenſes ac Regienſes facturi dicebantur, Bononienſes etiam imperium ad ipſum deferrent: ab illa inſania principis capiti bellum indixerat. fide facta rem ſe aliter habere non poſſe, nihilo minus propter magnitudinem periculi quaternis alligatum aſinis, tractumque per vrbem latronis more e furca pendere ciues voluerunt. Marchionem domum reducem magna cũ totius citerioris Galliæ gratulatione, quia factiones recõciliauerat, Mutina principem ſibi legit. ea & ipſa Inſubres imitata partium ſtudijs inteſtiniſque odijs vndique extinctis aut ſopitis feſta pace fruebatur. igitur ciues publico conſenſu permiſſuri ſe in ditionem Ateſtinõ, quod vetus illis conſilium, vt alibi oſtendimus, fuerat, domeſticæ autem diſſenſiones in eam diem extraxerant; tum concordes præſertim fractis ibi Gibellinis, Vidonem Vidonium vrbis Pontificem & Lanfrãcum Rangonum cũ honeſto comitatu Ferrariam legauerunt. apud quem Vido IX. Kal. Febr. ſic mandata expoſuit. Populus nos Mutinenſis legatos ad te magnanime Princeps miſit deditum vrbem ſine vlla exceptione in arbitrium ditionemque tuam: nec nos putamus viliores apud te fore, quòd alij interim ſub maiorum tuorum auſpicijs gratiæ locum præripuerint. nemo ignorat quibus procellis agitata fuerit non citerior modo Gallia & Hetruria, ſed tota prope Italia Mathilde obeunte. eadem, quæ ceteros principe orbatos ſua calamitas maiores noſtros afflixit, cum hinc Italicæ ac Germanicæ ſtirpis cognati legitimam hereditatem ſibi vindicarent, illinc teſtamẽto Pontifex, beneficiario iure Cæſar eodem niterentur. inter hos fluctus, quod vnum licuit, quodq; aliàs per occaſionem, maxime autem contracta cũ Rainaldo ſocietate teſtati ſumus, egregiam ſemper Bonifacio ac filiæ memoriam patria noſtra præſtitit; quorum virtute atque innocentia minores ciſalpinorum tyrannos, Germaniæ opes, ſeditioſorum denique furores ciuium ſecura contempſiſſet. hos diutius perpeſſa, ex quo popularem ſtatum adamauit, ſua ſponte in Ateſtinos propenſa, ingentium beneficiorum, quibus affecta fuiſſet, memor, freta prӕterea id conſilium magno ſibi emolumento futurum, ſe ſuaq; omnia, vti diximus, in fidem tuam credere conſtituit. quæ quo propenſius atque conſultius egimus, eo cariores tibi eſſe debemus. nos de nobilitatis, plebis, omnium ordinum ſententia, ſummo omnium cõſenſu ac gaudio, nulla externa nulla domeſtica vi preſſi, vt vel communis calamitas, vel alterius factionis inſolentia id expreſſerit, ſcientes prudenteſque ad te confugimus: te armorum, te legum, te vitæ, poteſtatiſque omnis no-

nis noſtræ potentem dominumque facimus. quod conſilium cum diu multumq; ante volutauerimus, ne quid in poſterum de voluntate noſtra dubites, quæ ad regni ac nominis tui celebritatem inprimis tendit, dum facti cauſas explico, quæſo te cum noſtra, tum tuarum laudum gratia benigne audias. Vſu rerum, quem longinquitas temporis egregie inſtruit, tandem comperimus clementiſſime Princeps, niſi regis ſummum ius ſit eorum, qui reguntur, obſequium neceſſario imminui. eædem ſunt principis ac periti medici partes: partim pœna, quo remedio prauorum morbi ſanantur, ſontes curat; partim liberalium artium cultu, ac præſtantium ingeniorum fauore popularium quaſi ſanitatem tuetur. certe ſi ſic præſcribatur imperanti, vt non liceat pro conditione temporum regiam aut munificam manum exerere; proindeq; coercitus intra legum terminos honores, munerаue temporaria aut perpetua non diſpenſet, eum adhibebit modum, vt ſubditi obſequium ac poteſtatem æqua lance examinantes alterum altero ſic metiantur, atque hactenus obtemperent, quatenus metum ſpemue ad recte ſecuſue facta porrigi intelligant: præſertim quia ſupremo magiſtratui viciſſim ſuus finis immineat, qui metu ſucceſſoris cogit aliquid de ſuo iure remittere. itaque cum regius vnius principatus inter ceteros emineat, ante exquiſitis omnium ſententijs quem conſtitueremus fortunarum noſtrarum arbitrum delegimus; neque enim cuiuis de plebe homini obſcuro atq; imperito huiuſmodi poteſtas committi debet, ſed qui ea recte vtatur. importune etiam ad clauum ſedeat immodicus cupiditatis, ſuæ duntaxat vtilitati ſtudens: quandoquidem populares vel nulla ipſius reuerentia, vel odio impulſi dicto non audiant, ac iugo excuſſo, aut certe fruſtrati opinione totam rempub. euertant. hæc ſubtiliter æſtimantibus illud etiam occurrit, quod vrbs noſtra minima ampliſſimę ditionis portio ſit procul a domicilio ac ſede Imperij, haud perinde eam, vti res poſtulabat, Auguſtis curæ fuiſſe, totum a nobis regimen extra ſalutarem atque abſolutam reipub. formam pependiſſe. igitur volente atq; hortāte Cæſare ad te Princeps æquiſſime accedimus, te moderatorem optamus, confiſi nos eodem apud te loco futuros, quo ſunt alij, qui iuſto ac legitimo imperio tuo reguntur. nec deinceps noſtrum quiſpiam iuſſa tua detrectabit: ſic publicis commodis atque otio conſulens illa ipſa inuicta dextera tot maiorum tuorum æmula nos tutos inuiolatoſque præſtabis: qui dum tot oppida & prouincias protegunt, dum ſacroſanctam ſedem, Auguſtorum regumque potentiſſimorum maieſtatem beneficijs obligant, vnum pręclare geſtorum

præmium

præmium decus ſibi petiuerunt. quin id ipſum ſic ad iuſtitiam, po pulorum quietem, atque honeſta incrementa retulere, vt in tanto annorum interuallo, in longiſſima procerum ſerie nullas niſi legiti mas acceſſiones opum, nulla niſi iuſta patrocinia attoniti mortales admirentur. ceterum quod animis concepimus, multo magis nobis pollicemur ſeruati aliàs ab auis tuis, quorum ea mens fuit, vt cum nihil antiquius haberent commodis noſtris, ab omni iniuria prorſus abſtinerent: vnde eadem cũ poſteris noſtris humanitate in perpetuum actum iri ſperamus. ſpondet prætetea cumulatam felicitatem iſthæc tua quanquam in primo ætatis flore immatura, mirifica tamen ad virtutem indoles, quando ſeditioſorum ac perdirorũ pernitie, iuris ſine vllo affectu dictione, vigili ſolertique imperio dignum te maioribus tuis præbuiſti. nec ſolum modeſtiæ tuæ confidimus, cuius beneficio honeſte vitam traducemus, ſed etiam viribus, quæ quo propius abſunt, eo magis ſpes eſt, ſi quis laceſſat, prõptas paratáſque ad vim arcendam fore. quod ſi Velfones, Henrici, Othones, Berengarij, Alberti, Aldrouandini, Fulcones, Vgones, Azones, atq; alij eodem quo tu nomine potuere tueri ac regere Germaniam, Galliam, Britanniam, tum Italiam vniuerſam, nõ modo Ligurés, Inſubres, Venetiam, Picenum, Hetruriam; potuere inuictis armis orientem peragrate ignotis atq; ab ipſorum cauſa ſeiunctis auxilia portantes: quanto iuſtius nos, ſi vſus veniat, opem expectemus tuam? itidem ſi Mutina per ſe toties hoſtium impetum ſuſtinuit, nunc propinquis ditionis tuæ præſidijs fulta an non ſperet ac ſecura lætetur ſe libidini atque prædæ nullius ceſſuram, ſine formidine malorum, ac ſuperbiſſimi dominatus, quæ tot propinquæ vrbes ætate noſtra miſere pertulerunt? huius rei vt felicius omẽ capiamus, tu facis; qui ſuperioribus annis nullis noſtris precibus adductus amicam ac præcipuam operam dediſti, vt Carolus Neapo litanis bellum facturus per tuos ac vicinorũ fines pacate exercitum duceret; tu idem nuper, cũ in agro Bononienſi armatus conſtitiſſes, Conradinum ab inſtituto itinere Ticinum atq; ad mare compu liſti: inde equitatu alia montium iuga ſuperare coacto nullam belli iniuriam ſenſimus. proinde ſupplices oramus Mutinam fineſq; ipſius arbitrij tui eſſe velis: conciliet munus celebris fama ſub hanc aleam omnes populi Romani, id eſt, totius prope terrarum orbis opes veniſſe, quæ vtram in partem caderet, ſecum leges ac ſententiam incomparabilis victoriæ tractura fuit. concilient caſtella plus centum quinquaginta eidem contributa: nec non quod adeo ceteræ ditioni tuæ congruit, vt, cum vna Mutina alioqui continens ab

Adria-

Adriatico mari ad Apenninum imperium interſcinderet, nunc noſtris,vel potius tuis terminis alpium ſumma iuga attingas. poſtremo gratum vel maxime munus ſit ob deditionem optima fide factam, ob religionem, qua nos poſteroſque noſtros tibi poſteriſq; tuis in perpetuum obſtringimus; ob ſtudium ne minima quidem ex parte ardori animorum par, etſi fortunas ſalutemque noſtram, quandocunque innueris, in omne diſcrimen pro gloria tua cupidiſſime offeramus. accipe humaniſſime Princeps hilari vultu dedititios, vti quod in tuorum Mutinenſium frontibus oculiſq; gaudiũ elucet, id reditu noſtro ratum ſit: a quibus qua lætitia huc miſſi ſumus, eadem feliciter legatione functi expectamur. liceat per te guſtare eximios fructus ex nobilitate, iuſtitia, virtute Ateſtinæ ſtirpis, ſtudijſque noſtris in te accerſendo iure optimo ſperatos. Hæc præſul. Opizo vultu lætitiam præferens humaniſſimis verbis reſpõdit, Mutinenſes neque iuſtitiam in ſe, neque induſtriam aut paternam caritatem deſideraturos: eodem ſibi loco futuros, quo ſint populi vel recens fidem ſequuti ſuam, vel olim Ateſtinis addicti: quos omni ope gubernare, tueri, defendere ſit paratus. Sub deditionem nulla neque lege neque conditione artatam miſſus eò Iacobus Ioculus, qui decuriones ſacramento rogaret. accidit autem iucundiſſimum Opizoni non vi, ſed voluntate ſupremi Domini & ciuium imperio ſuo adieciſſe oppidum nobile, ſitum loco opportuniſſimo, ſi quis alius tota Italia; oppidum bellicoſum & ingeniorum fœcundum, ſiue ea ad militiæ litterarumùe ſtudia, ad ſacerdotia, aut ad negotia obeunda, mercaturamùe adiungas, non quidem temere, ſed prout vnumquodque vel natura, vel neceſſitas eo vocat. Regienſes quoq; aduocato frequentiſſimo concilio conſtitutum ante, nec ob eam, quam narrauimus cauſam effectum, ad exitum perduxere. decreta eſt ornatiſſima legatio principe Rolandino Canoſſa homine nobilitate & multarum rerum vſu ac grauitate inſigni, qui ad vrbem profectus ſic apud Principem loquutus fertur. Cum actio, Excelſe Princeps, a cognitione agendi pendere debeat, neceſſe eſt id ſua aut aliena opera homines intelligant: quippe rudes & ignari erroris ſui, nec quæ oportet agunt, nec quo modo agant aliunde conquirunt; propterea ſunt inutiles & vita indigni. ob hanc cauſam Regienſes edocti partim inſtitutis ſuis ſe, quo plures in repub. ſuffragij participes erant, eo difficilius ciuitatem adminiſtrare poſſe, partim vero memoria repetẽtes, quàm tranquille ſub maioribus tuis vixerint, non modo in ijs turbis, a quibus Mathildis eiuſque parens quietos illos præſtitit, ſed etiam inter Berengarij II. & Aldeberti impreſſiones, ad-

nes, aduerſus quos Azo II. eos conſtanter defendit, ſe ſuaq; omnia nihil priuati ſibi relinquentes in tuam ditionem tradunt: quæ quidem deditio multis caſibus tardata hæſit ſemper in animis noſtris, iſq; affectus iam tum patuit, cũ Aenobarbus armis eſt coercitus, licet exitus in hanc vſq; diem ſit dilatus. propterea conſulto redimus ſub imperium, quod olim hæc eadem gens apud nos tenuit, ac longe cõſideratius, quia multorum conſilia repudiauimus ſuadentium veterem vt reipub. formam retineremus. igitur voluntate libera, vtpote vniuerſo populo cõſentiente, ac magna deliberatione gnari ſcilicet quibus morbis multitudo laboret, iure optimo ad opes tuas confugimus, ſub feliciſſimi iſtius imperij vmbra quieturi nõ dubia ſpe moderationis ac patrocinij, quæ de te quidem facile ſit cõſequi, difficile vel potius nefas ab plebis noſtræ licentia impetrare. hac ratione impulſi cur ad te merito veniamus præcipuum & certiſſimum præſidiũ noſtrum, quæſo pro tua humanitate explicantem me benigne audi. Ex quo tempore Lepidus conditor noſtræ vrbis clementiſſime Princeps colonos & nomen illi dedit, varia ſubinde publicæ rei adminiſtratione multorũ paucorumùe imperio inuicem paruit, aliàs in poteſtate vnius, ſed plurimum colluuionis popularis, quæ quo fuit commotior reciprocante nobilitatis ac plebis æſtu, dein Guelforum factionibus, eo maioribus ærumnis conflictata eſt, receptis pulſiſùe promiſcue bonis & malis ciuibus. hinc ſerius quidẽ, ſed tamen adhuc in tempore cogitare cœpimus ſtatum reipub. non modo non perfectum, ſed ne tolerabilem quidem eſſe poſſe, niſi ad vnitatem tendat: etenim diſtincta atque inuicem pugnantia ſunt obſequia, vbi diſtincta ſunt imperia: tũ didicimus quando vix quiſquam eſt, qui ſecum ipſe non diſſentiat, longe difficilius plures inter ſe conſentire poſſe. nam cum ſceptro deſtinatum prudentem, cõpactum, & grauem virum exigamus, oportet ſine dubio non aliter ſibi conſtet atq; cohęreat, quàm beneuolentiæ ac beneficentiæ ſuæ ſubſidijs, vt non apparens, ſed ſolidum ſibique conducens bonum eligat cum tacita quadam recte factorum recordatione, atque interiori turpiũ deteſtatione. ſic cupiditates ſuas recte moderatus partem eam, quæ ratione caret, neceſſario adiunget ac ſubiunget rationis participi: indeq; tantũ trahet lucis, vt nec ira nec cupiditate mentis aciem præſtringi patiatur, atq; a ſe ipſo diſſideat. nec prudẽter modo diſcernendi ſunt innumeri exceſſus defectuſque, quibus a mediocritate abducimur iſtius vnitatis effectrice, ſed ipſa, quæ noſtras actiones expendit ac fingit ratio, ita temperata ſit oportet, vt neque nimia intentione mentis acies frangatur, nec remiſſione langueſcat;

gueſcat; ne huius mora, illius impetus ſibi inuicem obſtent. quæ cõiunctionis qualitates ſi deſiderentur in nobis ipſis, ægre cum alijs congruamus. nam qui ſe ipſum non diligit, multo minus ceteros diliget; nec propriæ quietis turbator feret alienam: pariter qui mo deſtiam immodeſtiæ, virtutem vitio, conſtantiam fortunæ non præponit, ne priuatim quidem iuſtitiæ locum eſſe ſinet, aut ſe, vti par eſt, omnibus cõmunicabit, non coniunget cum vtilibus honeſta, nec in magiſtratibus publicum priuato commodo anteferet: denique ſecum ipſe diſcors non poterit cum alijs concordare. Hæc igitur cum ſit argumenti ſumma, in tota vitæ ratione incõſtantem ab ceteris quoque facillime diſcrepaturum, cur non abſolutum ſit id maxime ab eo poſtulari, qui alijs eſt præfuturus, ſuoq; exemplo populares ad concordiam inuitaturus veram amoris cauſam, fontem omnium bonorum, ac perfectiſſimæ reipublicæ? quod ſi pau ciſſimi reperiuntur digni imperio, & par tantæ moli aſpernatus col legam priuatim principis ſplendorem æmulatur, quinam e multis capitibus vis illa & coniunctio oriatur vſq; adeo neceſſaria ad amorem & obſequiũ conciliandum? certe in ſingulis difficilis creſcente in dies multitudine longe difficilior fiet. hæc inter potiora æſtimãtibus nobis, proptijque boni ſtudioſis cum princeps deligendus eſſet, ſub quo concordia coaleſcere, & ad ſalutem quietemque inſtitui poſſemus, num licuit aliò, quàm ad te clariſſime Princeps conuertere oculos, qui, vt remotos omittamus, vicina regni ſpecie, ſpirantibus ampliſſimi maiorum tuorum agminis imaginibus conditionis noſtræ felicitatem nobis repræſentas? tu animo & mẽte optime inſtituta humiles ſubleuas, ac moderatus ſummam poteſtatem ex reuerentia timidos ſic amore tui deuincis, vt quàm fieri poſſit maximus in Principis ac ciuium diſcrimine concentus exiſtat. quapropter illos exemplo ad mores tuos prouocas atque formas, vti recte agendo, aduerſis obluctando, horis, quæ noſtra eſt vita, recte collocandis quàm proxime ad te accedant, ac naturali quodam inſtinctu ſtudia tua non minus ament, quàm ſuſpiciant. quæ tu quidem omnium oculis eo libentius exponis, quo cognita plus beneuolentiæ, honoris, admirationis ſibi pariunt. his artibus nõ vi, nõ clam ab ſocordia, nequitia, ſimultatibus, ceteriſq; huiuſmodi vitijs populariũ animos reuocas ad cognitionem, imitationem, ac caritatẽ tui, tibiq; quàm maxime adnectis. his artibus vt eos tibi atq; inter ſe concordes habeas, quemadmodũ in perditos ac deploratos ſeueriſſime animaduertis, ſic contra clementia vteris, vbi delictum ipſius ſit capax. his artibus diſtributis in nobilitatẽ honorib',

in plebem lucro, ſic vtrunq; diſpenſas, ſic toleras, vt nec ſuperbia, nec ſolutiores diuitiæ liberius, quàm par ſit, ſeſe efferant. tu generoſa quadam ęmulatione dum magnis paſſibus per auorum tuorum veſtigia incedis non concordiam modo inter ciues alis, eoſque iuſta atque accommodata norma temperas, ſed auges commodis ac virtutibus, ſecurus ne qua facultas ſit adoriendi tui. quippe generis amplitudo, principatus legitimus, bonum publicum, quò priuati negligens haud dubie omnes cogitationes dirigis, nullum aduerſus te rebellionis flatum exoriri patiuntur: quinimo finitimi ſic tranquillitatem populis tuis inuident, vt illius cupiditate incenſi cõiungi tibi tuoque frui imperio velint vnius eiuſdemque generis notis præditi, ſine quibus laudatiſſimum regimen eſſe nequit. quocirca ciuitas Regienſis ex omnibus oppidis, quæ ſingulis ætatibus Ateſtinis ſe tradiderunt, nulli aut innocentia aut fide ſecunda ad te glorioſe Princeps venit, tibi ſe dedit, deuouetque cum ciuibus agroque a Pado ad Apenninum inter Lentiam ac Situlam, quos ei fines conſtituere Longobardi, rum Carolus magnus Francorum & Longobardorum rex priuſquam Auguſtus ſacraretur, ſicuti antiquiſſimæ tabulæ indicant Ticini exaratæ, ac tot iam annos aduerſus tot temporum iniurias incolumes ſeruatæ; quarum gratia vrbs ipſa ſibi plurimum tribuit: quæ, iterum enim dico, dat ſe tibi ac dedicat reliquæ ditionis tuæ multo firmius propugnaculum intraque & contra prępotentem Longobardiam, & nunc exultat gaudio, quia deditione facta ſeſe voti compotem ſentiat, & nuntios tuæ in ſe mirificæ voluntatis auidiſſime expectet. nam qua lætitia perfuſos credis patricios ac plebeios, mulieres ac pueros nunc felicitatem ſuam inuicem laudare; qua gratulatione nos excepturos eſſe, qua frequentia omnium ordinum etiam ſuburbanas vias plenas non ſolum, vt a te miſſos excipiant, fauſtis vocibus proſequanrur, nomen tuum inclament, ſed etiam ipſis plaudant. quamobrem Regienſes per fidem tibi datam, per tuam ac maiorum benignitatem in clientibus recipiendis, qui ad veſtras opes ſeſe contulerunt, demiſſiſſime obteſtamur, eadem nos humanitare complectaris ac foueas, quam & ceteri populares ſpondent, & placidus inprimis vultus, quo excepti auditique ſumus. hinc certe firmum pręſidium & iuſtum imperium ſpe præcipimus, vt aliàs ſæpe experti ſumus, & conijcimus ex factorum rege dignorum rudimento, maxime vero ex periculo, cum haud ita pridem aduerſus Conradinum arma cepiſti. Poſtquam Rolandinus finem orationi fecit, quæ honeſta quadam inter vicinas vrbes æmulatione de induſtria paulò ornatior ac copioſior fuit; quippe

proba-

probabile eſt,cum non ignoraſſe Mutinenſem meditatam domo at tuliſſe; Opizo legato magnopere probanti idem, quod paulo ante Epiſcopo reſpondit, ac prætorem eò miſit Bernardinum Roſcium, qui populum in verba adigeret, atque abſolutum imperium agnoſceret. Ex Mutinæ deditione ſingularem voluptatem ceperat, Regienſis parem lætitiæ cumulum attulit, quòd municipium iiſdem prope faucibus in Italicis tumultibus opportuniſſimum poſitum eſt loco amœniſſimo, latiſſimis finibus, pollens potenſque clientium nobilitate, ciuium ſplendore ac diuitijs, vnde regnum facile illuſtretur. Diſſidia ſub hos dies inter Vicecomites & Turrianos renaſcentia haud turbauere Ateſtini imperium auctum duarum vrbium acceſſione eo commodiore, quòd illud a mari Adriatico atq; Ateſtina præfectura vſq; ad ſumma montium iuga continens haberet. iterum petitum eſt factiones reconciliaret ſaltem per interpretem eò miſſum, ſed non fuit deinde operæ pretium: Ferratenſis enim, cui
1290 illius ſeculi anno XC. Turrianorum partes ſequuto ſimultates cum Aſtenſibus intercedebant, ijs petentibus ab Alexandrinis captus
1291 poſt res cõpoſitas in cuſtodia expirauit. Inſequenti anno magnus rerum nouarum metus fuit Rodulpho morte abſumpto prid. Kal. Octobr. cuius vnius ope etſi quidam ſcribant Italiæ vulnera ſanari potuiſſe, is tamen, vti nos monuimus, conſulto in Germania ſe continuit intẽtus domeſtico imperio in veterem ſplendorem, quod quidem permagni fuit operis, reſtituendo, augendoque. Opizo qui, dum Cæſar in humanis ageret, cũ Alberto filio natu maximo amicitiam diligenter coluiſſet, eo defuncto nouis officijs familiarius confirmauit. ſed quoniam Adulphus Naſſauiæ Comes imperiũ armis vindicabat, eiuſq; æmulus Albertus eadem ratione idem decus petebat, Germania fluctibus inuolui cœpit. Tartari ex alia parte Pannoniam Germanicis ſpoliatam auxilijs incurſantes hoſtiliter diripuerunt: inter Philippum quoq; Franciæ & Eduardum Angliæ reges acerbiſſima odia ebulliebant; iamq; vtrinque bellum ſtrenue apparabatur. Italiæ multo maxima pars pro Neapolitano, in Hiſpania quod noſtri iuris erat, pro rege Siculo ſtabat. Dum pij in cruentas factiones diducti inteſtinis malis ſe cõficiunt, Aegyptius, qui ante triennium Iopen expugnatam diruerat, Ptolemaida, cui in biennium inducias dederat, ducit: fines ſexaginta equitum, peditum pari numero atque amplius centum millibus depopulatus XIIII. Kal. Maij oppido potitur; nec non Tyro, Sidone, & Beryto. ab infelici Templariorum magiſtri exitu res in Syria prope deploratæ. ad cladis nuntium Nicolaus, qui iampridem ſacrum bellum indixiſſet

dixiſſet tam parce conferentibus ſtipem Pontificiæ ditionis incolis, vt ea pecunia nequaquam ſufficeret in ſtipēdium viginti triremium, quas internuntijs Nicolao Quirino & Marco Bembo ab Venetis po ſtulabat, magno cum dolore reputare Chriſtianorum mala, qui prædæ impijs eſſent, & fatales eorum cruentaſque diſſenſiones cœpit, vnde hoſtes præpotentis tyranni auſpicijs in immenſum creſce rent, lateque toto iam oriente dominarentur. his atque alijs oppreſſus curis non paulo moleſtioribus, quòd Francum & Britānum fruſtra ad pacem prouocauerat Benedicto Gaietano & Gerardo Par menſi ſenatorij ordinis clariſſimis in eas prouincias legatis, ex animi ægritudine prid. Non. Apr. eius ſeculi anno altero & nonageſi- 1292
mo vitam deſeruit. Dum in vacuam vtriuſq; maieſtatis ſedem inter ſe diſcordes Cardinales non minus quàm proceres Germani neminem imponunt, Opizo, ad quem ea res magnopere pertinebat, cum patribus antequam in Comitium ſeſe abdant, dextere agit, vt Pontificem ei perſonæ parem difficillimis temporibus, atque inprimis Italicæ quietis amantem legant: pro Alberto propinquos ac neceſſarios Germanos palam prehenſat, vt ad imperium euehatur. ceterum quod Otho, Ludouicus, & Stephanus Norici inferioris Duces vnà cum Pontifice Saltzburgenſi Falchenſtaenſes de eo ceperant, auctor fuit Opizo, vt cum Andrea eius nominis Tertio Pannoniæ rege ſe coniungeret, eiq; mutuæ ſecuritatis ergo filiam Hagnen in matrimonium daret. erat Ateſtino non ſolum amicitia, ſed etiam arcta cognatio cum Andrea vtpote oriundo, ſicuti ſupra cōmemorauimus, a Beatrice Aldrouādini filia, qui Azoni IX. Opizonis auo frater extiterat; proinde potuit eas nuptias facillime cōficere. Quo vero planius fiat, quando hic rex ex Ateſtina muliere genus duxit, quo pacto ad illam dignitatem aſcenderit, ſciendum eſt, Beatricem poſt viri Andreæ II. obitum grauidam relictam apud Ateſtinos Stephanum peperiſſe: cuius frater conſanguineus Bela IIII. paternum regnum obtinuit: hic filio Stephano IIII. imperium tradidit: patri Stephano ſucceſſit Ladiſlaus III. interim Stephanus Rauennam profectus, indeque Venetias elapſus domicilium ibi ſtatuit. quamquam autem paterni materniq; propinqui propter ſtolidam quandam ferociam eum auerſarentur, Albertinus tamen Maurocenus totam rem fortunæ cōmittens & benigne coluit, & ſororem ei Thomaſinam in matrimonium locauit. inde natus filius auum Andreā nomine retulit; qui cum Ladiſlai orbitatem, vnum ſe ex regio ſanguine ſupereſſe animaduerteret, in Pannoniam venit ab rege conſequutus, vt tanquam iuſta regum ſoboles commendatione ipſius po

pula-

pularibus innoteſceret: apud regem frequens omnibus in bellis ei adfuit: quapropter biennio ante extincto ſine legitimo herede Ladiſlao regnũ acceperat. hinc Albertini poſteri, quo ab ceteris agnatis diſtinguerentur, gentilitijs inſignibus albam crucem cum circulo adiecerunt. fallitur ergo Collenutius, qui iſtius originis ignarus Andreatium neſcio quem Stephano ſuggerit, regnumque intercepiſſe ſcribit alienum ab regum ſtirpe. erratum eſt autem duplex, tũ quòd regiam nobilitatem ei non tribuit; tum quòd non Ladiſlao, ſed Stephano eum ſufficit: quam tamen regum ſeriem non debuit ignoraſſe. ea neceſſitudo in cauſa fuit, cur Ateſtinus iungendæ affinitati idoneus foret; quam in rem eo plus ſtudij ac laboris contulit, quòd potiſſimum ſpectaret, vt quando in ſuperiore Pontifice nihil præſidij fuiſſe didiciſſet, amicus ſibi Cæſar crearetur. At Septemuiri, qui meminiſſent graues ſibi ac formidoloſas Rodulphi opes extitiſſe, & Alberti paternis opibus prævalidi ſublimes ſpiritus compluribus indicijs perſpectos haberent, Adulphum prætulerunt: qui Aquiſgrani inauguratur ad diem VIII. Kal. Ian. auſpicatiorem natali Dei noſtri, quam Cæſaris fortuna. contra etſi par erat Pontificia quàm Auguſta comitia celerius peracta, tamen infrequenti ſenatu, ad duodeuiginti enim patres tantum cõuenerant, & in his eminentibus duobus Colũnenſibus, quorum princeps Iacobus, ac totidem Vrſinis Matthæo maximæ auctoritatis, ita vt neutra factio numero valde præſtaret, cùm Neapolitano vna, altera Tarraconenſi faueret, nec conſentirent inter ſe, cui tantum beneficium daretur, ea deliberatio diutius tenuit. Sub hoc tempus Opizo ſublatis controuerſijs Rangonos ac Graſſonos inter & patricios, queis tum ab Roſa cognomentum erat, aliud deinde Saxoli principatus fecit, vnde pacati Mutinenſes; itidem reconciliatis inter ſe Robertis, Folianijs, , & Canoſſis, quieteq; Regienſibus parta anno a ſalutari virginis partu
1293 XCIII. ſupra MCC. menſe Febr. ſupremum vitæ diem obijt cum magna gloria, quòd mature oblata eſt ſeges exercendæ virtutis, quòdque imperium a maioribus traditum multum amplificauit ac prope duplicauit, ſumma deniq; auctoritate floruit. ad D. Franciſci commune cum auo ſepulchrum habuit, ſicuti par prope & virtus & fortuna vtrumque fouit. Ex priore vxore Azonem eius nominis X. reliquit: ex altera Aldrouandinum III. Franciſcum, Beatricem, Ioannam, & Magdalenen, quæ Aldrouãdino Turcio collocata eſt, quòd Ateſtini ab parto Ferrariæ dominatu plurimum nobiliſſimæ familię tribuerent. Vix Azo regnum inierat, cum ab Neapolitano ſuperuenit ad renouandum fœdus Gerardus Caminius ciuis Tauriſanus

paulo

paulo ante in patria, itemq; Feltriæ ac Belluni titulo ſummi militum præfecti principem adeptus locum. dum in legati gratiam feſti dies tota vrbe agitarentur, Princeps equeſtria ornamenta Angelo Canoſſæ & Palmerio Seſſæ manu ſua contulit. at coaleſcente in dies magis magiſq; duorum Principum amicitia Patauini, quibus cum Scaligeris ac Bonacoſſis ſocietas erat, & Marchionis opes formidoloſæ, Aldrouādino perſuaſerunt fratrem ſtatuiſſe eum de medio tollere. credulus adoleſcens Patauium conceſſit: contraque atque ipſi inter ſe fratres pepigiſſent, ne quod oppidum, neue quid eorum, quæ ſolo continentur, ex paterna hereditate quoquo pacto alienarent; Patauini populi cuſtodiæ commiſit portionem ſibi delatam Ateſtinæ tetrarchiæ, atque agri Rhodigini. res tam occulte eſt confecta, vt Patauini de improuiſo Ateſte, vnaq; circumiectam omnem regionem cum cœnobio Vangaditiano, quaſi Ateſtini rem agentes occupauerint, tum in ripa Atheſis caſtrum Baldum ædificauerint. Azo educto exercitu minitabatur ſe recta Patauium peti- 1294
turum, ſed interpoſuit ſe Raimundus Turrianus Aquileienſis Patriarcha; Patauinoſque & ſocios cum Azone in gratiam reduxit reſtituto Ateſte eiuſque finibus, præterquam Aldrouandini portione, ac cœnobio, quod eiuſdem populi tutelæ permiſſum fuit. Vix ſe inde explicuerat, cum aliunde nouus tumultus eſt auditus: Parmenſes filio non minus quàm nuper Mutinenſes & Regienſes patri deditionem facturi erant; propterea veriti Bononienſes ne, quemadmodum ea regione, hac quoque extenderet lacertos, præſertim vigente controuerſia de finibus, quæ vt erat grauis atque impedita, ſic aliquando belli cauſa videbatur futura: irritauere in eum Gibellinos perſuaſos pellere vrbe Antiſtitem ortum nobili Vitalianorum familia, quæ ſemper in Ateſtinorum clientela fuiſſet. nec ea re plane confiſi iiſdem agrum Regienſem vrendum deſtinauere, Mutinæ vexationem ſibi deſumpſerunt. Erat ibi Tobias Rangonus reliquis ciuibus grauis, quòd eius filiam Aldam virginem formoſiſſimam indulgentia paterna Aldrouandinus matrimonio ſibi iunxerat; & credebatur clam cum hoſtibus ſentire. Azo Mutinam profectus homines & Boſchettos cum eo ſentientes eiecit. hæc erat turbulenta ſane conditio temporum toti Italiæ communis, tum imbecillitate Auguſti, tum purpuratorum patrum cunctatione, quorum principes veteribus ſtudijs inter ſe pugnabant. Tandem poſt ſex & viginti menſium interregnum cum nemo vnus ex ampliſſimo ordine ſatis placeret, Petrum neſcio quem Pontificem crearũt, qui in Brutijs ſeceſſu montis Muronis duriſſimam exigebat vitam. acciti ab

eo ſe-

eo ſenatores vix impetrauerunt, vt Pontificatum acciperet: Celeſtini V. nomen aſciuit. ceterum cogitantem in horas de repudianda dignitate Carolus Neapolim perduxit, vt vel ab eo propoſito hominem deterreret, vel certe vt ſuarum partium Pontifex ſublegeretur. quinto menſe depoſuit Pontificatum impulſore, quemadmodum obtinuit fama, Benedicto Caietano, quòd dictitaret in tãta hominũ luce ac ſplendore multo difficilius ad ſuperos parari iter, quàm in ſolitudine. cõſultor ipſe peruigilio natalis Domini ſuffectus Bonifacius Octauus appellatur. continuo quo ſecurius dignitate frueretur, Petrum cõprehendi atque in cuſtodiam, vbi & mortuus eſt, dari imperauit. quamquam Bonifacij conſilium nonnulli damna-
1295 rent, initio tamen Pontificatus, qui incidit in nonageſimum quintum annum, multa toti Italiæ pariter ſalutaria egit. eius opera Iacobus regno Siculo ceſſit, liberos obſideſque Neapolitano reddidit: Carolus Valeſius allectus Andegauenſis Comitatus pręmio ius, quo a Martino in Tarraconenſe regnum donatus fuerat, reſtituit. Sicilia ab Federico fratre occupata Iacobus perilluſtri incorruptę fidei teſtimonio ſe in eum ducturum profeſſus eſt: nihilo factis quàm dictis ſegnior in aciem prodijt, vicit exiguo fructu, quia victo regnum incolume manſit. res aliter quidem cecidit, quàm Bonifacius ſibi propoſuerat, magnum nihilominus nomen ex illa concordia eſt cõſequutus. Otium vbiq; erat: ſoli Bononiẽſes nouas res moliebantur. itaq; conſtituit Ateſtinus Forũ cornelij, quod ipſi Alidoſijs ademiſſent, iiſdem reſtituere cõiectans fore, vt acciſis viribus modeſtiores eſſent. Cornelij forum, quod vnum oppidum ex multis, quæ in Flaminia olim tenuiſſent, adhuc Bononiẽſibus parebat, monet vt, quo magis tota res illuſtretur, hoc potiſſimum loco breuiter perſtringamus, qui ſtatus varijs exagitatæ orbibus prouinciæ eſſet nõ vicinę modo, ſed etiam ex parte Ateſtinis poſſeſſæ; pręſertim quòd in rebus deinceps explicãdis & familiarum ipſius & inſigniorum principatuum mentio a nobis fiet. Romandiola togatæ Galliæ pars fuit ea, quam olim Aemiliam dixere de nomine viæ opera M. Aemilij, ſicuti aliàs prodidimus, ab Placentia Arimino tenus lapide ſtratæ, cõmiſſæque cum Flaminia; quam C. Flam. Romam perduxit. hæc prouincia, quantum intra Apenninum & mare Adriaticum ab Rubicone ad Vlmum bellam patet, Pontificiæ ditionis facta fuerat Pipini liberalitate, tota nunquam dicto audiens, populis nimirum Romano imperio aſſuetis priſtinum obſequium retinentibus; quoad Gregorius IX. vim adhibere cœpit. propterea incolæ ob inimicitias II. Federici cum ſancta ſede nihilo ſapientio-

res maxima Italiæ parte in funeſtas Gibellinorum ac Guelforum factiones diſceſſere. Forum liuij & Ariminum Auguſtum, Fauentia & Rauenna Pontificem ſequutæ ſunt: his reliquæ minus opulētæ vrbes ſe aggregauere. defuncto autem Petro Trauerſario, qui ſuper patriç dominationem longe princeps nominis Guelfi toto eo tractu extiterat, Federicus Rauennam ipſam ac Fauentiam ſubegit. poſt regnum eidem abrogatum Bononienſes Flaminiæ oppida ſubegerunt exceptis duobus prędictis, quæ ſe in libertatem vindicauerant: nec profuit Ariminenſibus, quòd Malateſtam Germanum prætorē ab Othone III. habuiſſent auctorem ſtirpis, quæ deinde apud ipſos imperauit. Bononienſes ſecundum tantarū opum acceſſiónem & partam de Venetis victoriam mox ab ijſdem victi, iterum a Vidone Feltrio ad Forum liuij profligati qua facilitate Romandiolam acquiſiuerant, eadem amiſerunt. etenim Rodulphus cum primum Cæſar eſt renunciatus prouinciam ad vetus obſequium redire iuſſit: dein comperto munere Pipini factam ditionis Pontificiæ, eam Nicolao III. reſtituit; a quo præſidibus titulo Comitum inſignitis eſt cōmiſſa. Poſt Nicolai exceſſum Vido Feltrius eam occupauit, Franciſcoſque a Martino IIII. in ſe immiſſos repulit, mox vltro Romanæ ſedi reddidit. non ea tamen fuit populorum conſtantia, vt memoriam veterum factionum deponerent, quæ nuſquam acrius ſæuiebant mutuis cladibus exaſperatę propter capitalia Pontificiorum ac Cæſarianorum inter ſe odia. itaque cum Forum liuij ad Gibellinos inclinaret, Bononia ad Guelfos, reliquarum vrbium principatus, quemadmodum conſternata plebe ſolet accidere, vt in multos fuſa auctoritas ad paucos recidat, ceſſere in eas ciuitates. Foroliuienſes Ceruiam, Bretinorium, Popilij forum, Bononienſes Rauennam, Ceſenam, Fauentiam, & Forum cornelij inuaſerunt. verum cum Mainardus Ordelaffius cognomento ab Suſinana triennio ante ab ſumma inter Gibellinos potentia ad patriam opprimendā gradum feciſſet adſcitis Lambertatijs Bononia profugis, vnaque Oſtaſio Polentano, cuius longe maxima auctoritas apud eandem factionem Rauennæ erat, Ceſenam & Fauentiam ſibi ſubiecit. Oſtaſius & ipſe pulſis Trauerſarijs Rauennæ eſt dominatus. defuncto Mainardo poſteri ipſius Foroliuienſibus præfuere: Manfredi Fauentiam interceperunt. proinde vnum ex omnibus oppidis, quæ in Flaminia Bononienſes poſſediſſent, Cornelij forum, vnde ipſi Petrum Paganum Alidoſium antea exturbarant, in officio manebat. cupiebat Marchio exules penatibus reſtituere, vti ea ratione, ſicut eſt a nobis dictum, Bononienſes contunderet. Quapropter Lilius Turcius legatus

gatus ad Argentam oppugnandam miſſus, cum aliquandiu oppidani reſtitiſſent, certis conditionibus mœnibus recipitur: ſimulq; capit Equorum caſtrum vulgo appellatum ditionis Argētenſis ſitū e regione illius oppidi in aduerſa Padi ripa, qua ſpectat agrum Bononienſium: qui, vt eſt in eorum annalibus, locum expugnatum incenderunt. Itaque Ateſtinus Kal. Apr. Argentam profectus eodem accerſiuit Mainardum Foroliuienſium principem, Alidoſios, & totius prouinciæ primores. conſultatum eſt de ratione oppugnā di Forocornelienſes. eo contendit Turcius, ac paulo poſt inſtituta obſidione auxilia e finitimis locis partium ſtudio, & Lambertatij Bononia extorres cū magna clientium manu ſuperuenere. arctiore in dies obſidione ſocij opem laturi ſtatuerunt diem, qua adorirētur hoſtem; quippe quem nec opinantem opprimere ſperabant. id Turcius præſentiens inſtructo agmine obuiam proceſſit, & clauſis liberum exitum permiſit. prælio victi Bononiēſes, & ij, quibus ſuppetias veniebant; ita vt vrbs vacua defenſoribus & ſpe externæ opis maturius deditionē faceret. alibi Azo Bazzanum captum opere ac præſidio firmat: atq; ita coercitis Bononienſibus in Parmenſes ducit, qui ab Pontifice eiecto ſemper cū hoſtibus ſenſerant. ibi Colornium capit, agris vaſtitatem infert. Mutinenſis hoſti prædæ erat: etſi autem ciues correptis armis audacter ſua tutarentur, ta-
1297 men eo ſtatu minime contentus Marchio pacem cum Parmenſibus fecit ea lege, vt cum ipſo coniuncti a Bononienſium amicitia in poſterum ſe abſtinerent: mox in hoſticum tranſit. interim illi reparato exercitu & fuſa prope in ipſo caſtelli aditu equitum turma Bazzanum ac turrim nomine Belfortem expugnauerant: in eo certamine vulneratus eſt Philippus frater Raimundi Ramponij, qui cum Malateſtino Malateſta, & Roberto Polentano dux expeditionis fuerat. Azo copijs auctus poſt ſuburbanum agrum circum circa euaſtatum oppidum obſidione cingit. Quoniam autem Bononienſes anno, qui proxime eſt ſequutus, a Pontifice & Florentinis petiuerunt vel ſe ipſi defenderent, vel Marchioni reconciliarent; Niger Nigrius & Brunetus Brunelleſchius Florentia, Roma Epiſcopus Firmanus affuere, breuique pax conuenit, reſtitutis vnà cum captiuis quæ alter de altero eo bello occupaſſet, vti pronuntiauerant Vexillifer, & magiſtri collegiorum populi Florentini, quem diſceptatorem controuerſiæ adhibuerant. Interim Veronæ regulus Vicetiam ſub ditionem redegit, ibique Franciſcum Canem trium liberorum natu minimum collocauit: eadem ratione Barciorum inter ſe diſſidētium caſtella corripuit; paulo poſt Feltriam & Bellunum. Duode-

centeſimo anno nouo ſublecto Cæſare non conſtabilitum modo eſt, ſed etiam magna gloria condecoratum Ateſtini regnum. hoc factum, quia Germani proceres ius Imperij Adulpho abrogauerãt: namque arguebatur pecuniam accepiſſe ab Eduardo Britannorum rege, vt cõmunibus armis Philippum Pulchrum Francorum regem oppugnarent. proinde Anglus, qui ſpe Germanici auxilij ex profeſſo ſe hoſtem declararat, fœde proditus anteuertente Franco para tiſſimo iniquas cõditiones accipere coactus eſt, ac multatus Brugis, Lilla, Cultraco, alijſque oppidis. hac occaſione fretus Albertus Auſtriæ Dux Adulphum minime detrectantem prælium, vt qui imperij idem vitæ finis eſſet, in acie interemit. victor poſtero anno ad 1299
VIII. Kal. Aug. Aquiſgrani coronatur. Ateſtinus parentis quidem obſeruantiam erga Rodulphum, ſuam cum Cæſare veterem amicitiam recoluit; non tamen quieuit, ſed laceſſitus a Matthęo Vicecomite Inſubrum principe, qui ſibi poſteriſq; id regnum condiderat, Regium venit intentus apparando bello. prolatauerat Vicecomes imperium Parmenſibus etiam prope ad obſequium traductis, nec modum cupiditatibus ponebat. Quamobrem Ioannes Montisferrati, item alter eodem nomine Salaſſorũ regulus, queis ſuſpicione regni ea minime iucunda erant, pepigere fœdus cum Ticinenſibus, Cremonenſibus, Nouarienſibus, Vercellenſibus, & Bergomatibus petentes vt copiarum prçfecturam aduerſus Vicecomitem acciperet; cuius in ipſum priuatim quoque iniuria extaret, quòd Sanuitalia nos vexabat.. Matthæus cum quattuor equitum, decem peditum millibus Mediolano mouens Ticinenſem agrum populationibus fœdat; dein traiecto Ticino Mortariam capit. pariter Azo cum ſeptingentis grauis armaturæ equitibus, peditibus quater mille Cremam verſus iter intendit, vt cum ſocijs copias coniungeret. eò cum veniſſet, Henricum Montiam ciuitatis principem quocunque modo conciliare ſibi ſtatuit miſcendo preces minis. neque enim putabat tuto progredi poſſe, priusq̃ rei frumentariæ proſpexiſſet, ab qua omnino laborandum erat, niſi oppidum ſuarum partium efficeret. Iam DC. equites, pedites III. M. Cremon. ad Abduam peruenerant haud procul Caſſano, ibiq; caſtris poſitis Marchionẽ operiebantur. Vicecomes celeriter cõfecto itinere nec opinantibus ſuperuenit; ac tanta vi priuſquam ſe ſocijs iungant, eos inuadit, vti deſertis caſtris fugam capeſſant; magna tamen pars in Cremonenſium fines elapſa eſt. eum nuntium Ateſtinus moleſte audijt, ac multo quàm antea citatiore agmine ad Caſſanum contendens hoſtem reperit diripientem Cremonenſium impedimenta; ibi milites edocet Inſubres incompo-

compoſitos prędæ dulcedine ſecuros aduentus ſui, etſi numero prę-ſtent, robore tamen inferiores eſſe: mox equitum turmam iubet ſuperato amne anguſtias quaſdam hoſti auerſas inſidere: ipſe ponte, qui ea regione flumen iungebat, occupato conſerit manus: atque ita hoſtes diſſipat, vt cæſi captiue complures ſint, multo maximam partem gurgites hauriant, dux ipſe vix euadat. Secundum victoriam reguli fœderatique Ateſtino ſignificarunt adeo acciſas Matthæi res eſſe, vt deinceps ſuis ſe finibus contentus videatur: itaq; ſe pacem cupere. probato conſilio intra paucos dies ex auctoritate ipſius pax inita. Regium deinde profectus moliri arcē occœpit, nō quia ciuium animis diffideret, ſed Parmenſium metu. Per id tempus Matthæus gnarus id rationibus ſuis ſummopere cōducere, tum inuitatus populi precibus cupientis non modo vt pacem cum Ateſtino haberet, ſed etiam arctiore inter ſe vinculo copularentur, Galeatio filio quāquam minore natu Beatricem Ateſtinam vxorem po-
1300 poſcit. nuptiæ poſtero anno, qui fuit CCC ſupra M. confectæ fratre conditionem accipiente: tametſi per Gradaſſium Bergontiū legatum fœdus ante confirmaſſet. Hoc ipſum tempus nobilirauit luſtralis anni celebritas (iubileum vocant) a Bonifacio inſtituta, & Dantis poema, quod iucunda altiſſimarum rerum contemplatione animos paſcit: ſed multo maxime inſigne ad poſteros futurum oriens tum primum Othomannorum imperium ab Andrea Gambino deſcriptum; aduerſus quod opportune Romani Auguſti auctoritas nuper ſeſe propagauerat, iterum vetuſtiſſimæ ſtirpi Merouingæ crēdita, quæ deinde transfuſa eſt in Abſpurgenſes Comites Auſtriæ Duces, mox Archiduces. Beatricem parens Opizo haud temere primū nuptum dederat Vgolino Vicecomiti tertiæ partis regni Caralitani principi, quem cōtracto nomine ſcriptores Ninum appellarunt, ac prætori Galluritano, ratus ſeſe eo vinculo factionem Guelfam in Hetruria firmius obligare, eorum vero, qui cis Apenninum eandem cauſam ſequebantur, animos certius confirmare poſſe. quippe annus prope ducenteſimus agebatur, cum Saraceni potiti Sardinia inde oram Liguriæ & Hetruriæ circumuecti prædas abigebant, infeſtamque illam nauigationem reddebant. quibus malis ſubacti Ligures ac Piſani icto fœdere prouinciam communibus claſſibus confecere exacto Africæ rege Muſacto. inſula Piſanis, quorum ante ſub poteſtate fuiſſet, præda omnis Genuenſibus ex pacto ceſſit. Piſani poſſeſſionem nacti vti inſulam adminiſtrarent ac defenderent, in quattuor diſtribuentes partes ſingulas ſingulis Iudicibus cōmiſere. Et hi procedente tempore ex magiſtratibus principes facti. partes

ab ſe-

ab ſeptentrione fuere Turritana & Arborenſis; a meridie Caralitana & Galluritana clariſſimis Piſanorum familijs regendæ datæ. Galluritana Scotis obtigit nihilo minor Arborenſi aut Turritana, quãuis alteram Federicus Aenobarbus regni titulo honeſtaſſet collatam Bariſſoni, alterius regem Laurẽtium filium appellaſſet Federicus II. qui etſi ſeparatim portioni ſuæ iura darent, Sardiniæ tamen reges appellabantur. Imiza multo ante vtriuſque Federici tempora, vt eſt auctor Vrſpergenſis, in Sardinia dominabatur; cuius hereditatem cum Velfones & Henrici Ateſtini creuiſſent, quod nos alio loco narrauimus, ſimul inſulæ cõpotes fuerunt iure fortaſſe atque imperio ab Cæſare donati, quod prętorum Piſanorum iuriſdictionem non imminueret. manſit ea poſſeſſio minime anceps, quoad Bonifacius VIII. inſulam addixit Iacobo eius nominis Secundo Tarraconenſi, quòd Piſani arguebantur aliquot Cardinales in mari merſiſſe. Galluritanus magiſtratus ab Scotis geſtus poſtremum habuit Ninum, qui contendentibus inter ſe de principatu Piſanis, Vgolino Gerardeſco auo materno, vt Villanus tradit, vt Beneuenutus Forocornelienſis, qui earum rerum arcana & occulta ex ipſius Boccatij ore cognouerat, auunculo adfuit. et hi quidem inter Guelfos longe excellebant; Gibellina factio Archiepiſcopo Rogerio Vbaldino primas deferebat, quem pręcipue ſequebantur Lanfranchi, Sigiſmundi, & Gualandi. Ninus quantum auctoritate, quæ prope ſumma erat, efficere poſſet, neminem ſe viuo paſſurus erat rempub. opprimere. Vgolinus eò aſpirans plus ab ſocio atque neceſſario metuens quàm ab aduerſarijs, in gratiam cũ Archiepiſcopo redijt non fraude modo, ſed aperta vi, quod ſuorum conſenſus denegabat, conſequuturus. Ninus amicorum admonitu præſentiens id agi, ac prope eſſe, vt vel cõprehenderetur, vel ſolum verteret, Calcem ditionis ſuæ caſtellum conceſſit, atque vt auctoritate plurimum valebat, Florentinos ac Lucenſes ſocietate aduerſus ciues ſibi deuinxit. vix ille deceſſerat, cum Gerardeſcus nemine repugnãte dominationem arripuit. non tulit diutius Rogerius tyranni ſuperbiam, concitata in illum plebe eo facilius, quòd ager ab hoſtibus vrebatur. Vgolinus cum duobus filijs ac tribus nepotibus in carcerẽ detruſus fame necatur. Ninus magna peditum atque equitum manu Aſcianum tertio ab vrbe lapide duxit. oppidani ſalutem ac fortunarum incolumitatem pacti deduntur. inde obuiam Ilcis Comiti progreſſus eum fundit. ardente bello, quod quinquennium tenuit, cum interim Florentini ac Lucenſes ſæpe hoſtium agrum vndique vaſtaſſent, aliquot caſtella expugnaſſent, Ninus omnibus illis expeditionibus præpoſitus apud

apud Miniatenſes mortem obijt. parenti vnica filia nomine Ioanna ſuperſtes ſimul cum matre Ferrariam commigrauit. igitur cum vidua domi ſoror deſideret, Ateſtinus eam collocauit Galeatio, de quo memorauimus, cui cum ornatiſſima cohorte Mutinam venienti exceptoq; Azo ac multis item comitum ipſius equeſtria ornamenta dedit: tum ſponſalia menſe Iunio ſacro Baptiſtæ die præbuit. vxor deinde ac priuigna domum deductæ, quemadmodum mater ſub vmbella, ſic & filia ſeparatim ſub altera vtraq; honeſtiſſimo comitatu Mediolanum iniere. nec Inſubrium modo ciuitates illi imperio contributæ, ſed finitimæ etiam ac multi proceres legatos miſerunt. nobiliſſimus quiſque tota Italia eodem ſe contulit, ipſeque Azo cum procerum ſuorum flore, quorum per ea tempora in ludicris ſerijſque armorum certaminibus ingens nomen erat, cum multifariam proluſum eſſet, & incerta prœliorum ad veri imaginem belliſſime expreſſa, qua conferendis ſignis aperto campo, & æqualibus turmis, qua caſtello expugnando, non fefellit opinionem peregrina virtus. nuptiarum, quæ aliquot dies celebratæ ſunt, incredibilem magnificentiam nouus Buræ ſocrus ſplendor cumulauit: ſiquidem poſt epulas lautiſſimas ternis triclinijs nobilium conuiuarum multitudinem vix capientibus, quæ res maximam frequentiam arguit, pretioſas veſtes ad mille totidem fœminis ferme externis præſenti liberalitate largita eſt; vaſa aurea atque argentea affabre cælata magni pretij legatis dono data. præter hunc apparatum & ſumptū plane regium ea erat magnitudo Vicecomitum, vt Paulus Iouius temere vnius Corij teſtimonio adductus exiſtimarit grauiter erraſſe Dantem, qui Nino huiuſmodi orationem affingat, ſe quàm Galeatium Beatrici nobilius monumentum extructurum; ac ſi cenſeret ſe Vicecomitibus anteponendum. proinde iniquam malignamque Poetæ ſententiam pronuntiat, qui illam huic familiæ prætulerit, prius poſteriore matrimonio potius habuerit. quòd ſi ea, quæ reprehendit, diligētius perpendiſſet, nunquam in verba tam abſurda prorupiſſet. Dantes enim, qui inferorum ſupplicia vitijs accōmodat, fingit Ninum mentem ſcilicet a corpore ſeiunctam præuidiſſe infelicem Galeatij exitum, qui, cum paulo poſt nuptiarum ſolēnia Matthæus pater Mediolano abijſſet, prætura cedens Alberto Placētinorum domino, cui ſe Ferratenſis ac clariſſimæ Gallorum ciſalpinorum vrbes pro Turrianis aduerſus Vicecomites iunxerant; inimicorum atque adeo vi publica pulſus, ab vxoris fratre Columbani accipitur. multis magniſq; conflictatus ęrumnis tandem cum ad Caſtrucium Caſtracanem acceſſiſſet, eandem aduerſam ad Piſtorium fortu-

fortunam expertus, ac delatus Piſciam ibi fato ceſſit. vxor iam tum inclinata viri fortuna ad fratrem ſe recepit, apud quem natus Azo, qui exinde Inſubres magna virtute rexit. hinc vaticinatur Ninus fore, vt breui eas nuptias oderit: præterea ſentit amore in ipſam Galeatium minime ſibi comparandum. Eadem tempeſtate Ferrariæ damnatur memoria Armanni cognomento Pungilupi, cuius hæreſis propter ſingularem impietatem ſcitu non indigna eſt, præſertim haud valde nota eorum temporum ſcriptoribus. Agebatur ab nebulonis morte vndetriceſimus annus facta apud credulos mortales memoria, quam erecta in clariſſimo vrbis tẽplo ara ſacrauere, vſque adeò captis ſuperſtitione animis, vt cum illa ipſa aliiſque ſacris ędibus eius imagines penderent, rari aſperis ſuis rebus alium ſibi patronum votis adoptarent. ſubodoratus Princeps occultum impietatis venenum in cauſa fuit, vt Pontifex Maximus Epiſcopo mandaret totam eam rem diligenter cognoſceret, ſe ſi opus foret adiutore acerrimo vteretur. tum vero impij vita execrabilis patuit nõ modo ſui ſimilium occulta conſuetudine, ſed etiam ſecta plane nefaria: Fraterculorum ea labes fuit Anabaptiſtarum omnia ad cõmunitatẽ reuocantium, non præeſſe imperio, nõ rem facere, aut ciuilia vlla munera ſuſcipere ſatis dignũ Chriſtiana pietate exiſtimans. hi, quãtum Ferrarienſium annales produnt, virgines, nuptas, viduaſq; lectiſſimas inſtar ſacerdotũ ſacris initiabãt, quibus cum Antiſtites ſine vllo diſcrimine coibant: partus primum in lucem editus (ſceleſtũ atq; inauditæ feritatis cõmentum) ſtatim coacto cœtu in ſublime iactabatur ſingulis ab ſeſe reijciẽtibus, quoad extremum ſpiritũ exhalaret; cuius in manus veniſſet in ipſo fugientis animulæ articulo, is Pontifex ſacrabatur. peracta quęſtione, quam vtiq; Marchio enixiſſime iuuit, decreto effoditur cadauer ac publice crematur; tabellæ omnes, & quicquid monumentorũ hominis memoriam refricabat, abolitum. Azo poſt purgatã tali ſuperſtitione ciuitatem, ſublatũq; Fraterculorũ contagium, quos nõ multo poſt Clemens ab ſtirpe excidit Dulcino & Margarita Antiſtitibus, vt exemplo ceteris forent, membratim diſſectis, ineunte eius luſtri anno primo Regium 1301
Lepidi venit, qua iter erat Carolo Valeſio fratri, ſicuti diximus, Philippi Pulchri Frãcorum regis: eſt enim falſum ex illius liberis primũ ſecundumùe extitiſſe. ſcriptores quidam eò hallucinãtur, quia reges ſic vocatos parum apte diſtinguunt: Valeſius enim Philippo III. cui Naſceto cognomen fuit, nõ Philippo Pulchro huius nominis Quarto, qui fratrem ætate pręſtabat, eſt prognatus: & ille hinc minor natu habitus, nõ quia ex Pulchro genitus. Francum ea cauſa in Italiam

exciue-

exciuerat, quod ducta in matrimonium Catharina Balduini Græci Auguſti filia Carolum Neapolitanum regem olim ſocerum conuentum volebat ad cõmunicanda conſilia cum ipſo, nec non Pontifice, qui Hieroſolymitanã expeditionem moliebatur. Azo præmiſſis ad eum duobus ex domeſtica cohorte nobiliſſimis viris, ipſe in primis regni finibus occurrit, ac Mutinam deduxit; vbi dies octo eſt cultus apparatiſſimis conuiuijs ludiſq; equeſtribus non minore in comites equitatumq; grauioris armaturæ, ac reliquam manum liberalitate, quos omnes ſuo ſumptu aluit. hoſpitem cum aliàs magnifice, tum munere in ſenos miſſus diſtributo donatum aiunt. aues primo canoræ noſtrates peregrinæq; omnis generis Italiæ notæ oblatæ: poſt ingens ferarum vis venatu parta, eæq; viuæ: ſubſequuti accipitres & aquilæ aucupio idoneæ. dein cingula innumera, quæ tũ in vſu erant, fabrefacta: quintum ferculum aureas atq; argenteas pateras complexum: munus clauſere quattuor, quibus in itinere veheretur, alteriq; totidem egregij militares equi ſumptuoſis tegumẽtis exornati, quæ lilia aurea & aquilas cãdidas ad Gallica & Ateſtina in-
1302 ſignia exprimenda præferebant. Poſt Caroli diſceſſum Azo ſequentem annum in tranſpadana regione exegit, vt populos in fide con-
1303 tineret. poſtero, cum nuntiatum eſſet Monzonem oppidum Friniani factioſorum opera defeciſſe, alia titubare, Mutinenſes ac montanos, qui arma ferre poſſent, eò miſit; ſtatimque machinis, quibus ætas illa muros verberabat, rebellibus expugnatis tantũ terrorem ceteris iniecit, vt deinceps nullum rerum nouarum veſtigium extiterit. poſtmodum, vt quem finitimorũ inquieta ingenia non laterent; in ipſis S. Ambroſij faucibus, qui locus eſt ad Scultennam amnem Mutinam inter ac Bononiam nobis aliàs memoratus, turrim communiuit præfecto prẹſidij Iuliano Conſtabili. Erat tum Azo in magna apud omnes opinione cũ maiorum imaginibus cõſpicuus, tum vetere ac perãplo dominatu: inſuper Bergomi, Cremæ, Cremonæ & Ticini, quæ quinquẽnio ante ſpecie neceſſitudinis in eius clientelam ſeſe cõmendauerant, nec non aliarum citerioris Galliæ ac Venetiæ vrbium amicitia fultus, quibus locis Ateſtini ſine controuerſia primas obtinebant. accedebant ad paternũ regnum Picẽtes ſine dubio eiuſdem iuris, quorum principatum titulo vſurpabat, & propinqua cũ Germanorum nobiliſſimis familijs cognatio, tum quòd animi & conſilij ingens habebatur. quapropter Carolus II. Neapolitanorum rex, qui paulo ante magnis ex anguſtijs emerſiſſet, ſocietatem cũ eo data in matrimonium Beatrice filia in-
1304 iuit. Anno illius ſeculi quarto de nuptijs agi cœptũ tranſactũq; eſt. grata coniunctio Neapolitano, nec minus Ateſtino fuit cum multis

de cauſis, tum maxime ob imperium, quod pater veteri proxime adieciſſet, licet volẽtibus popularibus, & ob licentiam plebis, & quorundã primorum impotentiam, qui ciues ſuos ſeruitio premebant: adde conſpirationem finitimorum inuidentium, quibus eiuſmodi neceſſitudo nimis periculoſas opes oſtẽtabat. ſuſceperat Carolus ex Maria Pãnoniæ regina quinque fœminas. Clementia natu maxima Carolo regis Franci fratri nupſit: Blanca Iacobo Aragonio: Eleonora Federico Siculo: Maria Iacobo Tarraconenſi, qui apud maiorem ex Balearib. inſulis regnabat: poſtrema Beatrix Azoni iuncta. cõditionum, quas vno eodẽq; tempore ſuper nuptijs ac fœdere pepigere, hæc ſumma fuit: eadem vtrique fortuna vt cõmunis foret, alter alteri neceſſitate preſſo pro portione virium opem ferret, quæ fide potius quàm ſolenni vlla atq; expreſſa formula ſtetere. Sub eos dies Benedictus XI. Bonifacio ſuffectus Azoni de noua dignitate humaniſſime perſcripſerat vehementer ab eo petens, vt rem romanam complecteretur, & Argentam traderet Albrico Firmanorum præſuli legato ſuo: quod ille Pontifici gratificatus paulo poſt effecit. In Germania etiam res ex ſententia Ateſtinis ſuccedebant, quòd Albertus Brunſuicẽſem principatum iam conſtabiliuerat: & Luneburgenſis Otho III. ſuperiore anno acie victor Lubeccenſiũ equitatum pro- 1305 fligauerat præfecto cæſo. Continens Marchionis felicitas, inprimis vero arduarum rerum occulta conſilia cum Neapolitano conſcio ac conſentiente, vti putabatur, Pontifice finitimos male habebant. augebat ſuſpicionem conſtans rumor Carolum & Azonem totius Italiæ imperium affectare: alterum Hetruriæ regnum, citerioris Galliæ alterum ſibi deſtinare. nec videbatur difficile, dum fœderi ſanctæ ſedis maieſtas, Italiæ quies, ac libertas prætenderetur, Pontificem honeſta oratione in fraudem inductum, tandem opinione fruſtrari. quamobrem Bononienſes ac Parmenſes vt proximi extremis Ateſtinæ ditionis finibus, ita eam potentiam maxime ſuſpicientes, quem metum aliàs ſicuti admonuimus, aperuerant, clam inter ſe conuenerunt, quocunque modo moleſtiam illam depellere, facilem ſibi exitum deſpondentes, ſi Mutinam Bononienſes, Parmenſes Regium eodem tempore dolo aggrederentur. traductis in ſententiam Mantua, Verona ac Brixia, quarum ciuitatum tumultuarijs copijs ad rem conficiendam vterentur, hinc Rainerium Sauinianum ciuem Mutinẽſem ſibi conciliauere ſperantes eius ſe opera vrbis compotes fore: præſertim quòd quingentis nũmis aureis cuſtodem turris Ambroſianæ corruperant, vnde liber acceſſus erat: illinc Thadæi Manfredi fidem labefactarant; qui, quanquam eum Azo ſuperiore anno equeſtri dignitate ornaſſet, atque ex omni illa nobili-

nobilitate præcipuis & beneficijs & honoribus auxiſſet, turpiſſimi tamen lucri magnitudine obcæcatus reliqua familia, quæ veterem ſplendorem adhuc retinet, proditionis experte Parmenſibus aures prębuit iuſſis cōſtituta hora ad murum ſubire. in quem ſcalis cum euaſiſſent, vigiles ad arma conclamarunt. præerat oppido Cotteſia Caſalis alti Comes homo impiger:is celerrime eò accurrit,adeoq; ciues accendit, vt cōglobati in vnum nemine Thadæum ſequuto iam ingreſſos diſijcerent ac trucidarent. inde ad ſubſequentes conuerſi, cum eodem temporis momento mulieres e feneſtris tectiſq́ue ſaxa, lateres, atque alia huiuſcemodi iactarent, populus omnis audaciſſimus clamoribus adiuuaret, eos in fugam auerterunt. in promiſcua omnium fuga Thadęus & ipſe terga dedit: ad turrim Epiſcopi, ſic locum non longe ab vrbe vocant, conſtitit auctor Parmenſibus, vt eo loco, quando nouæ copiæ mox affuturæ eſſent, nec ipſe omnino deſperaret aliquē tumultum intus exoriri poſſe, fortunā melioribus auſpicijs experirentur. pari euentu Bononienſes ab Rainerio Mutinam porta Albareta introducti cum paſſim ad libertatem populum, præſidium ad cædem vocarent, haud terruere prætorem Rainaldum Marcheriæ Comitem ſumma hominem ſolertia ac virtute. Is iam inde cum parare arma Bononienſes ſenſiſſet, nequaquā vacuus ſuſpicione ex agro Mutinenſi militum partem in oppidum accerſiuerat, præter mercenarios, qui in præſidio erant. ſuſtinentibus hoſtem ciues ſtatim correptis armis ſeſe coniunxerunt. itaque Rainerio in certamine, & aliquot vna coniuratis interfectis inclinare hoſtium vis cœpit; tum magna cęde caſtigati qui temere ab initio per vias diſcurrerant, ad portam, qua intrauerant, vno agmine ſe receperunt. Azo ad eum nuntium vti certius cognoſceret de ſtatu Mutinēſium, præmiſit equitum expeditiſſimos; ipſe cum ijs, quos anguſtia temporis obtulit, ijſdem veſtigijs inſtitit gnarus non ſe tātam molem virium trahere, vt perditas res reſtitueret: in ſua ipſius pręſentia, ſi in tempore adueniret, omnē ſubſidij ſpem collocabat. proinde nihil penſi habuit ſic incitare ac defatigare equos, vt nulli deinde vſui in re pręſenti forent. iam ad pontem, quo Situla tranſitur, peruenerat, ibi fit certior quo in ſtatu res ſit: paucis milites hortatus vrbem ingreditur: ciues aliquot locis vias munimentis interſepſerant, in foro præſidia diſpoſuerant: ipſe ad portā ab hoſtibus inſeſſam progreſſus nō inde modo & ex ſuburbanis ædificijs eos deturbat, ſed trepidos in effuſam fugam conijcit. fugientes in tranſitu fluminis Ambroſianum pontē incendere quietius poſtmodo iter nacti. Azo idoneo pręſidio Mutinæ relicto, ablegatiſq́; Ferrariam e Sauinianorum familia ſeptendecim,quos perduellionis reos cōpe-

 rerat,

ſerat, iuſſos in Thedaldi arce cuſtodiri, Regium ad confirmandos ciuium animos perrexit. is aduentus prętcr aduerſarios a Marchione pulſos Rolandino Lupo veteri Ateſtinorũ clienti animum addidit: adiunctis Roſcijs cũ gregalium manu Soragnam Parmenſium caſtellum adortus expugnat, ac prçſidiarijs captis cõmunire occipit. princeps oppidi Gibertus Corrigieſis motus loci opportunitate cũ exercitu accurrit; recuperatum, quia non videbatur poſſe defendi, quamprimũ ſolo adæquat. dum ille ibi vacat, Azo Parmenſem agrũ ferro atq; igne latę populatus in pacatum abſceſſit. Gibertus animo reputans, quo in periculo regnum verſaretur, quibuſcunq; poſſet finitimorum adminiculis incolumitati ſuæ cõſulere ſtatuit. igitur filias alteram Alberto Scaligero, alterã Ramberto Botticellæ Bonacoſſio deſpondit, vt quæcunq; fortuna ſe maneret, eadem vt communi Verona & Mantua vterentur. accepere vterq; conditionem eò cupidius, quòd valde ſibi ab mutua neceſſitudine Neapolitani regis atq; Azonis, nec non affinitate aliquando metuebant. pacatis Mutineſibus & Regienſibus Marchio Ferrariam reuertitur; hoſtes vt ſolebãt vndique dolos intenderunt. res tandem eò erupit, vt Manfredinus Saxolanus & Saxolus filius ſexto illius ſeculi anno VII. Kal. Febr. ad- 1306
iuuantibus aliquot Gibellinorũ familijs repente prætorem Mutinæ aggreſſi præſidium extruderẽt. haud mora, Friſcus Azonis nothus filius cum equitibus ſexcentis, peditibus mille affuit. aduentanti occurrit Manfredinus teſtatus ſeditionem ad præfectum, nihil ad Principem pertinere: adoleſcens temere fide habita ab Saxolano, a quo hoſpitio exceptus fuerat, vnaq; primores quidam cõprehenduntur. in eo tumultu militũ promptiſſimi in arcem euaſerũt: ſed cum illã reperiſsẽt telis ac cõmeatu vacuam, pacti vt ſine fraude abire liceret, exceſſerunt. Friſci deinde & comitum facta permutatio cũ XVII. Sauinianis in cuſtodiam datis. Bononienſes ſecuri de Mutina, quòd priſtinis opibus prope exuta modicæ reipub. duntaxat loco eſſet, pacem fecerunt, eiq; reſtituerunt Ambroſianam turrim. exemplo adducti quidam Gibellini Regienſes Parmẽſium ope, qui momẽto aduolarãt, patriam ab vetere domino alienauerunt. Mantuani Regiolum, quod eſt oppidum in illa ipſa regione, eodẽ tempore occupauerunt. ceterũ ex omnibus, qui in officio permãſere, Canoſſiorum ſingularis atq; incõcuſſa fides enituit. hi Geſſum auitum caſtellum, cuius adhuc manẽt veſtigia ſub nomine Dezzani pagi, diſceſſerunt. Permirum ſane fuit duo oppida prudẽtibus ac fortibus ciuibus abũdantia tam breui interuallo conſimili in cauſa diuerſiſſimum conſiliũ cepiſſe, vt qui paulo ante Marchionis ſtudioſiſſimi fuiſſent, mox partim ſumma leuitate fidem abrũperent, partim quaſi attoniti ſeditio-

ditioſorum conatibus non obſiſterent. ſed non tam crebris ęſtibus mare agitatur, quàm mobiles ſunt populorũ animi, qui ferme pau cis in plebe gratioſis ſe ſubijciũt, prout illi boni maliùe ſunt, ſic ad recta prauaùe facinora impelluntur. quãdo autem in populari ciuitate primores rectè ſecusùe ſentiẽtes alij aliò ſæpiſſime tendunt, & illi interdum pręferuntur, haud perinde mirum ſit ciues, qui magnã partem pro conditione temporum libertate abutebãtur, atq; haud ita pridem Ateſtinis ſe tradiderãt, ita vt vnius imperium ceteroquin iuſtum atq; optime inſtitutum propemodũ aſpernarentur, in eo cõſilio tãtum ab ſeipſis diſcrepaſſe. certe quidem paulo minus ſupremis defuncti malis poſt didicere quanto ſatius ſit alieno more affluẽtem cõmodis, quàm ſuomet modo inopem vitã traducere. docuit quoq; experientia, quàm plena periculi res ſit auſcultare ijs, qui animi perturbationibus regantur; quàm oporteat cauere quorſum tendat, qui arduũ quid in repub. molitur, quàm repentina omnis mu tatio inconſulta ſit. quòd ſi Mutinẽſes ac Regienſes Ateſtinorũ auſpicia ſequuti ſunt, volũtaria ea deditio a ſcientibus prudẽtibuſq; ſupremi domini permiſſu facta fuit: defectio quid ſimile habuit per vim extorta a paucis depeculatoribus, repẽtino furentiũ impetu ac finitimorũ impulſu, non alienæ quieti ſtudẽtium, ſed inuidentium? Eodem anno Franciſcus Ateſtinus malis familiariũ artibus deprauatus, qui poſtea alijs in ſpeciẽ criminibus quęſitis meritas pœnas dedere; et hinc par eſt viros principes initio attẽdere quid animis imbibant, præſertim cũ delationes proximos attingunt: ea ſe ratione maxime iniquũ fratri pręferebat, quòd cõſilij expers, dum Beatricis nuptias ambiret, vilior apud ipſum ac minime fratris loco fuiſſet. hæc cauſatus poſt intercepta Lendenariam & Gulielmi caſtrũ, quòd ei cuſtos Nicolaus Fracta prodiderat, Veronã, Mantuamq; ad ſollicitandos in fratrem Alboinũ & Botticellam eſt profectus. hi Lãberto Polentano, quem quoad viueret Rauennates ſibi principem aſciuerant, & Bernardino ipſius fratre adiuncto, ſimulque accito ex Parmenſium, Placentinorum, Brixianorum, & circumiecta Benaco regione, alijſq; ſocijs milite Ferrariẽſium fines vaſtauerunt, ſic rati fore, vt cũ primum Franciſcus ſe oſtendiſſet, ciues arma corriperent, vnaq; Azonẽ expellerent. erat in exercitu Salinguerra Iacobi Taurelli filius eodẽ quo auus nomine, & Rambertus Rãbertius, queis Franciſcus ante nihilo minus quàm frater infenſus totũ ſe tradiderat. Melaram, dein Maſſam, & Ficarioli turrim pugnãdo cepere; inde Pado nauibus cõſtrato arçem Stellatenſem in poteſtatem redegere. tandẽ loco, quem Caſaliam appellant, Alboinus & Botticella conſederunt: Franciſcus cũ parte copiarum in ſuburbijs ad alterũ oppidi latus caſtra po-

ſtra poſuit. interim ciues paratis,quæ ad defenſionē opus erant, ipſo inſpectante Azone periculi impauido, cū Salinguerra & Rambertus cum obęratis muro ſucceſſiſſent, pro eo vt intro accerſerent,quē admodum nōnulli haud dubie futurum receperāt, glandibus ex arcubus & baliſtis excuſſis eos ſubmouerunt.tanta fuit oppugnantium alacritas,vt aditū ſpemq́; omnem Botticellæ & Alboino pręciderēt; qui non auſi propius accedere Franciſco admonito proditionē nulla ſtabili ſpe ſubnixam vnà cum eo exercitū deduxerunt. ſub diſceſſum, qui tempeſtate illa bellandi mos fuit, tecta agroſq́; quacunq́; per Ateſtini fines irent, incendijs ruiniſq́; deformarunt, licentiam omnia vndiq; agendi ferendiq; permittētibus ducibus. quippe nullo certo ſtipendio rapto tātum victitantiū hæ artes erant: ſuper hæc factionibus in ſæua ac nefaria ſcelera pręcipites agebātur. Hæc tempora militaris diſciplinæ corruptela, ſed multo magis ſcriptorū culpa deplorāda ſunt, vt vix quod in hiſtoriā referamus, nobis ſuppetat. vtrunq́: plane inſigne incōmodnm cum magnam operi difficultatem afferat, tempora pene dixerim lāguentia annalium monumētorumq; vndecunque erutorum teſtimonijs excitāda nobis fuere. Baſtardinus Rhodiginus, Merlinus Turrianus, & Nicolaus Rerius Bregantini cuſtodes perinde atq; alij ab hoſtibus auro corrupti Frāciſcum perpulerunt, vt cū Vetonenſe ac Mantuano eo exercitum & machinas circiter triginta ad quatiendos muros adduceret. ventum ad caſtellum eſt: diem noctemq; integram cōtinenti labore fruſtra oppugnatum: cum irrito conatu propter egregiam præſidij virtutē ſigna iam iam conuellerētur, proditores captato tempore arcem dediderunt. Azo cum perditos neſcio quos parare ſibi inſidias pręſenſiſſet, in damnatos ab prętore die Nicolai feſto lege agi iuſſit,quēadmodum & Nicolaum Fractā equinę caudæ alligatum trahi per vrbē ac reſte ſuſpendi ante mādauerat. Veronenſis ac Mantuanus nihilo minus ſedulo curarunt inclinatā Azonis fortunam ſic impellere, vt ęgre ſeſe erigeret, non abſurde veriti ne grauibus incōmodis & contumelijs irritatus adhuc tamen pollens ipſis quādoq; perniciem conflaret. quando aperta vis non ſufficiebat, dolis, quibus Azo ſemper abſtinuerat, eum petiuerunt. & illi ad irritum cecidere tū ipſius ſolertia, tum mirifico popularium ſtudio ac fide. Ineunte iam eius ſeculi anno ſeptimo Ateſtinus animo verſans quātum vtriuſq́: factionis ciſalpini populi odijs armiſq́: inter ſe diſſiderent, ſiquidem Me- 1307
diolanenſes, Laudenſes, & Cremonēſes infeſtis ſignis in Brixianorū fines irruperant, quos Parma, Verona, & Mantua tecturæ erant, occaſionem minime dimittendā ratus a Bononienſibus,& hi tutius id fore cernentes in amicitiā venerant, ſeptingentos equites Cathalanos

nos duce Diego Dalmaſio Caſtulonẽſi homine magni in re militari nominis impetrarat. acceſſere auxilia ab ſocero Neapolitano, nec nõ ab Allobrogũ regulo propinquo. his domeſticæ copiæ additæ, captumq́ue iter per inſulam, quam ad Ficariolum molitur Padus: claſſis aliquot triremiũ in Põpoſianis ſyluis ædificata aduerſo amne ſubſequi iuſſa. cum moueret agmen, ſic militẽ eſt adhortatus, vt diceret ab finibus cladẽ in primis auerti poſſe, ſi in alieno ſolo geratur bellum: hoſtem ſi domi adoriaris, temeritatem retũdi ita, vt domeſticis cladibus affectus, otioq; & laſciuia domita parcior ſit in aliena iniuria: domi tuæ ſi belligeretur vt vincas, victoriam magno ſtare. cõſilium per ſe præſtantiſſimũ illud etiam iuuare, quòd hoſtes in eo temporis articulo aliæ atq; aliæ moleſtiæ agitent diſtrahãtq́ue. quã petant regionẽ fertiliſſimam, ędificijs viciſq; opulẽtis frequentẽ eſſe, pręter cõtumelias, quas vltum eant, in eo publicã oũm ſalutem, ac ſingulorũ cõmoda verti. ſic militũ animos pupugit incitauitq; ad bellum; cuius in limine quãquam copioſe profluente e naribus ſanguine & cõuulſis dolore inteſtinis ab incepto abſterreretur, neq; illi per valetudinẽ vltra progrediẽdũ cenſeret Diegus, tamẽ gnarus quãtũ in ſe vno momenti eſſet, exercitũ pręire iuſſum ex reliquijs morbi adhuc pinfirmus paulo poſt cõſequitur. Hoſtiliã cũ perueniſſet, ab terra & flumine eodẽ tempore aggreditur: Salinguerra & Rãbertus metu mortis locũ deſeruerunt quaſi renunciaturi Alboino & Cani, quæ qualeſq́; hoſtiũ vires eſſent. qui cõperto Azonis apparatu cum mille & quadringentis equitibus, peditũ millibus decem obuiã profecti mille ab eo paſſus caſtra locauerant. Azo pedes adoriri propinqua caſtello loca ab hoſte cõmunita cõſtituit, cuius exemplũ ęmulata familiariũ cohors & ipſa equos dimiſit. ſuburbijs primo, dein caſtello potitus Sarauallem ducit. præerãt Vitelianus & Nicolaus Pagani Ferrarięſes delecti a Paſſerino Bonacoſſa, quod ſperaret quãto infeſtiores Marchioni erant, tãto pertinacius repugnaturos ne caperẽtur. haud facile erat expugnare locum aquis cinctũ maxime ab ſeptẽtrione, qua in vallem deſcenſus eſt. Corteſia Caſalis alti Comes Mãtua exul Azoni addictiſſimus ſe ab ea parte, qua caſtrum minus firmum noſſet, cũ aliquot fidis clientibus traiecturũ profeſſus eſt: promiſſumq; momento effectũ dedit. Azo, qui nõ ignoraret, ni tum exitum res habeat, inanem deinde ſpem eſſe Alboino ſubſidio aduentãte, hominis fidem experiri ſtatuit, etſi monerent quidã caueret ne Botticellę gratiã peſte ipſius redimeret. cõiectæ ab ea parte in foſſam materiæ pons ſuperimponitur, & ipſe cũ flore exercitus tranſit. verũ Pagani, qui fortaſſe ſicuti neceſſitate coacti reſtitiſſent, ne in Azonis poteſtatẽ venirent, ſic deſperata in ſupremo diſcrimine ſalute nondum

dum clauſi illud horrebant, prçſidio relicto aufugerunt. eos Paſſerinus, qui paulo ante aduenerat, ſequutus eſt. is nũtius aliud Alboino ſuaſit, atq; in tutum reiecit operientem quid porro Ateſtinus facturus eſſet. ille irrũpens milites, qui vim ſuſtinuerant, ingenti ſtrage obtruncat; turres tectaq; a fundamentis euertit; claſſem Botticellæ ſex triremium cũ ampliſſimo nauigio, Lupũ vocabant, oppugnationi vrbium deſtinato, & alia turrita, cuiuſmodi occidente Rom. repub. in vſu fuerunt, item cõplures lintres capit. roſtra & captiua ſigna victoriæ monumẽtum in nobiliſſima ciuitatis ędẽ fixa. Marchio victoriæ extremã additurus manum inde Mãtuam cogitabat: omnibus ad profectionem cõparatis rebus importuniſſime accidit, vt Maluaſius ab Melara homo factioſus temeritate ſua Cathalanos equites offenderet. quod etſi auctoris ſanguine eluiſſet Azo, erupere tamen nõ dubia ſigna alienatæ voluntatis haud quidem Bononienſium culpa, qui vt ex regnorũ vſu eſt, cupiebãt quãtum vicini ſupereminere non poſſent, tantũ exſurgere Ateſtinum, vti ea ratione omniũ viribus inter ſe coæquatis ipſi domi otio, foris gloria fruerẽtur. Ferrariã reuerſus Diegum liberaliter donatũ dimittit: mox animo agitare cœpit, quonam pacto amiſſa recuperaret, hoſtes reprimeret; iamq́ue fœdus cũ Patauinis ſic pepigerat, vt fidos in omni fortuna ſocios eſſet habiturus. Robertus Calabriæ dux vxoris frater tũ Auenione erat, quo ante triẽnium Clemens v. Pontificiã ſedem ab vrbe tranſtulerat, vti eius ſuffragium demereretur ſuper ſucceſſione regni quã nepos rex Pannonię ancipitem facturus putabatur: Carolus ad quietem ſe dederat iam adeo affecta ętate ac valetudine, vt intra paucos menſes e vita decederet: Sicilia prætereа dimittere ab ſe prçſidia non patiebatur: Azo tamẽ propinqua cognatione mutuiſq; officijs illi regiæ cõiunctiſſim⁹ ingentem tumultũ excitaſſet, ac tametſi modica Neapoli auxilia adueniſſent, ſine dubio paulo poſt maioribus viribus certatum eſſet. ſed grauiſſimo oppreſſus morbo cũ de medicorũ ſententia Aponi balneas, mox Ateſte petijſſet, ſuperãte vi morbi remedia poſtremo Ian. die anno MCCCVIII. mors omnia conſilia 1308
abrupit eo acerbior, mitto quod abſtulit Principem ingenuũ, ſplendidum, generoſum, laboris patiẽtiſſimum, & quãquam parum fortunatum, pacis tamen belliq́ue artibus iuxta clarum, quia illius regnum maximis inuoluit turbis.

FINIS LIBRI TERTII.

ARGVMENTVM
Quarti Libri.

CONTINET ſucceſſionem Friſci in principatum Ferrariæ, parricidium ipſiq; & Azoni X. falſo obiectum: vt Friſcus armis a Franciſco, a populo ſeditione ſit petitus: exercitus Pontificis ad oppidum acceſſerit, & Friſcus elapſus in Thedaldi arcem Venetorum præſidio ſe defenderit, atque illi propterea execrationes pontificias & copias in ſe prouocauerint, quibus ſuſtinendis miſſum ſubſidium Franciſcus re infecta abire coegit. Refert præterea aduentum in Italiã Henrici VIII. & vicarios ab ipſo conſtitutos: Vicetiam a Cane Scaligero ſubactam: bellum cum eo a Patauinis geſtum Franciſco duce: Franciſci cædem: infelicem auctoris exitum: Ferrariam Roberto Neapolitano regi traditam: populi in præſidium Hiſpanorum impetum: eorum fugam: imperium Ateſtinis reſtitutum, quibuſque ob id incommodis conflictati fuerint: excuſationes, apparatuſque ad iniuriam propulſandam. Germanorum diſcordias: appellatos vno eodemque tempore ac ſacratos Cæſares Federicum & Ludouicum. quoque modo Rainaldus III. vtriuſq; amicitiam retinuerit: motum Pontificis aduerſus Vicecomites: Ludouicum a fœderatis in Italiam accerſitum: Bononienſium, quos profligauit Rainaldus, in Mutinenſes expeditionem: Ludouici aduentum: Ateſtinos Pontifici reconciliatos: diſceſſum Ludouici: res ab Joanne Boemiæ rege in Italia geſtas: fœdus Italorum contra communes hoſtes: cladem ſocialis exercitus ad Felicis fanum: Ferrariam ab Legato de improuiſo obſeſſam: ſociorum ope victos ab Rainaldo hoſtes: Argentam ab eodem circumſeſſam & captam, pulſumque Bononia Legatum. Narrat & Boemi ex Italia diſceſſum: oppida, quæ regij iuris fuerant, a fœderatis occupata: Mutinam ab Rainaldo obſidione cinctam ac poſt receptam ab Opizone VIII. fœdus aduerſus Scaligerũ initum: de concordia ab Opizone certis conditionibus actum: item & alterum fœdus: Veronæ obſidionem: Patauium & Brixiam amiſſa: pacem Tauriſo Veneto conceſſo a Maſtino redemptam, opeſque ipſius valde acciſas: Opizonis ditioni acceſſiſſe Frinianam prouinciam, paulo poſt etiam Parmam: auxilium

IO. BAPTISTAE PIGNAE
De Principibus Ateſtinis
AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM,
HISTORIARVM
LIBER QVARTVS.

AZONI huius nominis Decimo ſuperfuere, qui familiam Ateſtinam grauiter labefactarēt inſigni documento quàm pernicioſa diſcordia ſit; Friſcus nothus ipſius filius, Aldrouandinus & Franciſcus fratres: fratris Aldrouandini filij Rainaldus, Opizo, & Nicolaus; Franciſci Azo atque Bertoldus, omnes haud quidem inter ſe concordes, ſed aliquanto modeſtiores, quàm contentionum capita Franciſcus ac Friſcus; qui competta & vulgata parentis morte Kal. Febr. publico decreto regnum inijt. dederant hoc ciues Azoni ad imperium euecto, quemadmodum & Opizoni patri, vt quem vellet regni heredem nuncuparet: proinde gnari ſupremis tabulis Fulconem Friſci filium, qui tum impubes fo ret, ad regimen vocatum, nullā Aldrouandini nec Franciſci curam egere, cum vtique conſtaret Friſcum ipſum in magno honore & gra tia apud patrem fuiſſe: ita imperio inſuetus, atque æmulis procul amotis ſine certamine rerū potitur. Nec vero ferri poteſt, quod per ignorationem effutierunt Blondus, Sabellicus, Platina, & Iacobus Philippus Bergomas Azonem ab eo in carcerem detruſum ac necatum memorantes. nam neque hoc factum fuiſſe, neque fieri vllo modo potuiſſe manifeſto liquet. Eſt in veteribus annalibus, quos familiaris Azonis cōdidit, Principem Ateſte apud Nicolaum Lucium, cuius hoſpitio ipſe ac Beatrix fratrem comitata vtebantur, deceſſiſſe. idem refert Aldrouandino & Franciſco, fratrumque filijs omnibus in conſpectum admiſſis coram Iacobo Carrarienſi & Tiſo

Sampetriano poſt humaniſſimos complexus veteres iniurias condonaſſe. Aldrouandinum autem ſub id tempus Bononia, cuius in finibus diutius ſederat, Ateſte conceſſiſſe declarat dies emancipationis tabulis etiamnum extantibus adſcripta, qua Rainaldum & Opizonem manumittit. teſtatur ille idem auctor Azonem ad Teclæ apud Ateſtinos depoſitum, inde Ferrariam tranſlatum conditúq; in Dominici ęde. conſentiunt Marius Æquicola, nec non tres annalium cõditores Peregrinus Priſcianus, Ioannes Minorita, & Galſpar Sardus in Ferrarienſium atque horum Principum rebus indagandis vſque adeo curioſi, vt quantum ex publicis priuatiſque monumentis erui potuit, ad ſummam diligentiam nihil reliqui ſibi fecerint. his teſtimonijs accedunt codicilli poſt teſtamentum ſub mortem cõfecti apud illum ipſum hoſpitem Ateſtinum, qui etiamnunc in tabulario aſſeruantur. quòd ſi Friſcus parricidium perpetraſſet, Clemens quarto Pontificatus ſui anno cum per litteras a Venetis peteret, ne, quamquam pactione tenerentur, ei ſubuenirent, qui ſe nullo iure in Ferrarienſem principatum intruſiſſet, eumque vſurpaſſet; certe quod erat multo grauius ad patres ab incepto reuocandos, nefarium ſcelus minime reticuiſſet. eadem ratione de parricidio ne verbum quidem, cum multis nominibus Venetorum contumaciam decreto ſuo damnaret: vnde porro innuit quàm iniuſta arma Ferrarienſibus intuliſſent. extant & eiuſdem Clementis epiſtolæ, quibus iubetur imperium ciuitatis tradere Honofrio Trebbio & Abbati Albatarenſi pontificijs internunrijs vnam illam audacię ac temeritatis notam inurentes; alioqui diras interminatur: nec tanti ſceleris ad regnum amittendum potentiſſimi vel tenui ſuſpicione Friſcus violatur. at ſi ſe crimine obſtrinxiſſet nõ iam interdicti fulmen oſtentandum, ſed eiaculandum, & decretum omnibus refertum contumelijs interponendum fuit. non eſt etiam credibile, quem lex expertem regni vellet, a patre indulgentius quàm pro cõditione habitum, ac ſucceſſioni prope admotum ſuas omnes ſpes rationeſque deteſtabili conſilio corrupiſſe. ciues autem Azonis vſque adeo amantes violatorem non modo parricidam, principem repudiaſſent: quin, vti mox oſtendemus, ſimul atque cognouerunt, cuiuſmodi ſupremum morientis iudicium extitiſſet, illud exequi contenderunt. itidem ſi teſtamenti tabulis innixus poſſeſſionem capere voluiſſet, vti indignus repellendus fuerat. beneuolentiam vero ciuium aliquo fortaſſe merito collectam, ſi ſibi ob eam cauſam omnia procliuia ſpoponiſſet, magnitudo ſceleris prorſus obruiſſet. Ceterum, vt Azo receptis in gratiam fratribus & heredibus ſcriptis, Friſci animum grauiter of-

ter offendere potuerit: illud in confeſſo eſt, ipſum, cum hæc gererentur, Ferrariæ fuiſſe: Azonem inter fratrum, ſororis, ac propinquorum manus expirauiſſe placatum Franciſco, qui iam tum ab cōtracta ſimultate ad eam diem abfuerat. ita multis magniſq́ue virtutibus prędito nec clementiæ laus defuit. nec ſi facinus tam turpe admiſſum fuiſſet, non aliquam eius mentionem habuiſſent eorum temporum ſcriptores. ac Benuenutus quidem Forocornelienſis in gratiam Nicolai Marchionis cognomento Claudi, cui plurimum tribuit, hoc diſſimularit; certe non eadem religio fuiſſet Ioanni Villano huius familiæ decori parum æquo. is tamen ne minimam quidem habet ſuſpicionem criminis ab recentioribus Friſco obiecti: queis Ateſtinorum facta moreſq́ue ignotos fuiſſe vel inde manifeſte deprehendimus, quia ſi quid paulo ab ipſorum memoria remotius narrant, in eo ſæpe labuntur. Friſcum itaq; parricidij crimine abſoluunt veteres annales, grauiorum auctorū teſtimonia, ipſiuſmet Azonis codicilli, pontificiæ litteræ, ſtatus vrbis inſequutus, ac denique validæ cōiecturæ. Nec minus falſo proditur hunc, de quo loquimur, Azonem Opizoni patri manus attuliſſe: nam quod Dantes præter hiſtoriæ fidem ſcribit, eiuſdem generis eſt, cuius & pleraq; non ad verum exacta, ſed ad veri imaginem conficta, quæ cum ſępe ex fama trahatur, facit libenter poeta, vt in rerum humanarum fluxu potius opinionem vulgi ſciens ſequatur, modo in exemplum cōferat & palatum moueat, quàm exploratū rei geſtæ ordinem; quod eſt in huiuſcemodi carminum genere frequentiſſimum, & meretur laudem. hinc, vt complures alios ſileam, aduerſus receptam ſacrorum ſcriptorum opinionem Anaſtaſium inter impios retulit; Bonifacium VIII. ſuffragia largitione redemiſſe ſcriptum reliquit: Vidoni Feltrio vitio datum, quòd Pontificem male ſuadendo in Columnenſium perniciem inſtigaſſet: ſcilicet ille ad cōciliandam verſibus maieſtatem affectuſq; permouendos magnos viros pertenui veri ſimilitudine oblata cupide arripit. ab ſimili inſtituto nihilo magis quàm ſæpe aliàs veri tenax Florētiam Atilæ manibus exciſam retulit. promebantur ſpecioſa iſta atque illuſtria mendacia ex re vel ex perſona, aut aliquo rumore, ac talibus adminiculis. ſed quicquid ille cōfingeret, nullum hic fabulæ argumentum neq; res ipſa neq; perſona ſuppeditare potuit. eſt enim potius incredibile filium parenti vitam eripere: ſanctaq; cumprimis huius principis vita omnis extitit. Itaq; cum aperte mentiatur, nec dicto aliunde veritatis ſpecies imponatur, quàm ex rumore a Bononienſibus contra Azonem diſſipato, neceſſe eſt eum poeta ſequutus fuerit. nam indidem ex factione Gi-

bellina

bellina ciues quo tempore Mutinam ſolicitauere, vti eius nomini labem aſpergerent, ac maxime inuiſum facerent, Iacobum Caſſerum prætorem impulere, vt inter cetera parricidium inſonti obijceret: quæ ſane criminationes ex eius ſeculi factionibus profluxere. harũ rerum teſtem habemus Benuenutũ Forocornelicſem, ex quo etiam colligimus Riccobaldum, licet ipſe in pomœrio ſuo aliter ſcriptum reliquerit, perduellionis reum Ferraria Rauennam profugiſſe. ibi cum Bononienſibus faueret in intimam Dantis conſuetudinem inſinuatus ab eo contendit, vt ſic dolorem vlciſceretur ſuum. haud difficulter impetratum ab homine ex Guelfa Alborum factione, qui pulſi ab Nigris Gibellinis deinde hæſerant. hinc videmus in eo poemate duriores plerunque eſſe Guelforum partes. ſed eximia Ferrarienſium in Opizonem primo, deinde in Azonem beneuolentia ſatis indicat, nullam fuiſſe cauſam, cur obſequium detrectarent, filiumque indignum iudicarent obſeruantia parenti præſtita. quinimo Mutinenſium ac Regienſium annales, in quibus peculiari ſcribendi more appellatur Opezo, mortis diem diſerte notant ſine vlla violentiæ mentione: ijdem patri filium in imperio ſufficiunt populi permiſſu, ne minimo quidem tantæ impietatis, ac propterea non tam facile ſilentio obruẽdæ inditio. Friſcum per eum modum atq; cauſam principem creatum nõ cenſuit Franciſcus ſibi ſufferendum. itaque ad arma ſpectans Fractam venit, locumque quanta maxima potuit celeritate munimentis ſepſit. Friſcus interim contracto exercitu eam prouinciam Rainaldo Marcherio demãdauit. quo cum erant Baſtardinus Rhodiginus, Porcateſa Beccatellus, Bagarottus Bononienſis, atque alij centuriones. iam obſidio plures dies trahebatur, cum Franciſcus ſummo mane ad fallendum hoſtem cum paucis ſuperuenit: qui nullum circa armorum ſtrepitum exaudiebant, ac propterea vallum ſegnius cuſtodiebant, repentina impreſſione extemplo in fugam auertuntur. inde impetus datus erat, vnde non commodius quàm ad pontem Philiſtinæ conſternatio explicari poſſet: eo maior pars ruit. ſed ponte ſuperſtãtium multitudine fracto, illi in aquis perierunt. multi in victoris manus venere, inter ceteros Marcherius Arquatam abducitur. erat eo loci validiſſimum propugnaculum Gulielmi Adelardi opus tunc ditionis Ateſtinorum, qui eò ſe receperant. Marcherius ſi in libertatem reſtitueretur, recepit ſe Ferrarienſium animos ad Franciſcum inclinaturum, daturumque operam vt Balderius neſcio quis omnium Azonis conſiliorum olim arbiter plecteretur: cumque hac pollicitatione dimittitur. Friſcus ſumma vi obſideri Arquatam mandat: circũuenta eò redigitur, vt

Franci-

Franciſcus & Rainaldus fame ſubacti inde clam Ateſte aufugerint. Marchetius Ferrariam cum veniſſet, tametſi forte priuato potius odio quàm religione ſacramenti Balderio perniciem cõflauiſſet, cui loco noxiorum ſupplicijs trãs Padum infami ceruices abſciſſæ ſunt, cadauer diſcerptum atq; in profluentem miſſum; haud tamen Franciſco gratiam apud populares conciliauit: quin principum diſcordias ſecũ reputans inter tot turbas ac ſeditiones aditũ ſibi quandoq; ad principatum patere poſſe non deſperauit, pręſertim quòd Ateſtinos quamuis longinqua cognatione attingeret. Sub hæc Friſco & ciuibus cognitum Azonem cõſilio mutato poſterioribus tabulis heredes ſcripſiſſe fratres: momẽto qui caritate inuicem certatãt, odijs ac ſuſpicionibus ſcindi, plebe ratam teſtantis voluntatem cupiente, Friſco hæc vna cura ſumme ſolicito. vt tuta omnia circum ſe haberet, cum Veronenſibus, Mantuanis, Brixianis, Parmenſibus, nec non Mutinenſibus ac Regienſibus pacificauit: quorum nihilo ſecius recentiſſima defectio erat, & actus prope de captiuo triumphus. Nec tamen pace foris parta domeſticas ſeditiones effugit: Iacobus Buccimpanius, vnaq́ue aliquot primores cum in forum ad eum regno depellendum cõcurriſſent, ſublata voce conclamarunt, ſe, quia iniuſta Azonis ſtirps foret, dominum auerſari, quin de medio tollẽdum eſſe, inq́ue illum plebem concitauere. ille in equo ſtipatus ab Rainaldo Marcherio, Corteſia Caſalis alti Comite, Dogio Gruamõte, Ioanne Mantuano, nec non familiarium ac ſatellitum cohorte, in forum aduolat: aditus maioribus ac minoribus baliſtis firmari imperat. In eo certamine Corteſia, cum ſe ad Diui Romani plateam vertiſſet, in primo limine acriter repellitur labente equo; in quem ab ijs, qui vim fecerant, ſublatus eſt teſtantibus neq; ipſi neque cuiquam alij iniuriam factam velle, præſentem tantum dominum deprecari. reuerſum in forum Friſcus interrogat quid facto opus ſit; tu vero, inquit ille, furenti plebi cedes, atque hinc relicto regno in alias terras faceſſes. minime inquit, hic potius mori libet, quàm alibi viuere. ac ſimul cum dicto turbæ impauidus vtique iam maioris, quàm vt ſedari poſſe videretur, cum triginta fidiſſimis in primos incurrit, ijſq́ue proſtratis tantam animi præſentiam præ ſe tulit, vt ciues non ſolum ea re perculſi & ſine duce, ſed quod incerta vox e turba auribus accidit, & hic tamen Marchionis filius eſt, abiectis armis protinus quieuerint. Friſcus vnus Buccimpanij, ſupplicio expiata ſeditione a ceteris abſtinuit. Franciſcus inter hos fluctus ab Ateſte Rhodigium tranſijt, inuectuſq́ue in forum ſic inflammauit oppidanos, vt coorti ad arma Manfredinum Marcherium Friſci

præſe-

præfectum cum præſidio fugarint, ſeq; Franciſco tradiderint, non minus quàm Vicani Stellatenſes, qui eundem ſibi principem paulo poſt legerunt. Sub id tempus Clemens cognita Friſci audacia, qui vltro rem Ferrarienſem attrectaſſet, Arnaldo Pelagruæ Cardinali apud Bononienſes legato iniunxit, ex auctoritate ſua vrbis ſtatum ordinaret. is Diego Dalmaſio cum equitum turma aſſumpto Rauẽnam proficiſcitur: mox aſcitis in ſocietatem Lamberto & Bernardino Polentanis, quorum ſigna ſequebantur Pagani, Rhãberti, Taurelli, & Salinguerra; inſuper ex Flaminiæ delectibus auctus viribus Ferrariam duxit, conſeditq; in ſuburbijs, quæ ſunt ad infimam oppidi partem. ibi aliquot dies caſtra habita, dum de pace cum incluſis agitur. Friſcus harum rerum non neſcius, præſentienſq; haud procul eſſe, quin cõditiones ſibi duriores ſancirentur, noctu ex oppido in Thedaldianam arcem ſe proripuit cum Rainaldo Marcherio, Galuano Gaſſaro & amicorum cohorte, cumq; ſagittarijs cõpluribus, quos Veneti ſubmiſerant. hos ad vtramq; Padi ripam in turribus cuſtodiæ ergò extructis diſpoſuit: quæ cis Padum ſita eſt ſummum etiam vicum comprehendebat, vnde munitionis magnitudo facile conijci poteſt ad eam fluminis partem, quæ eſt paulo infra inſulam ab quodam ſaltu nominatam; quo noſtra ætate mœnia porriguntur, viſiturque turris nunc corrupte Tialti caſtrum dicta, vnde etiam pons nomen traxit illis temporibus non ignoratus. huc adduci claſſem ſuperiore anno de Botticella a patre captã iuſſit. Legatus & Franciſcus ſub ſignis oppidum ingrediuntur acclamãte populo, ac fauſta omnia Marchioni precante: tum eodem momento Aldrouandinus cum liberis ſuperuenit. Friſcus nequaquam fidens mediocri Venetorum præſidio, quod nihilo minus propter loci munitionem ſic eum protexiſſet, vti quandoque æquiſſimas conditiones relaturus fuerit, dum auidius ſaluti proſpicit, ſenatum vſque eo orando fatigauit, donec prægrauante auxilij pondere concideret. Veneti enim tantam triremium atq; aliarum nauium copiam Ioanne Superantio præfecto eò miſerunt, vt is breui cuncta arbitrij ſui fecerit. Franciſcus vero, qui ſe libenter populo permiſiſſet vel tenui pontificiarum opum vmbra contentus, quantacunque manu Pelagruæ videbatur, cogebatur rem gerere: & is per ſpeciem amicitiæ ac iungendæ pacis primum in ciuitate locum inuaſit. proinde cum hinc atque hinc arma externis in manu eſſent, res Franciſco & Friſco in anguſto verrebatur. et ciues aduerſus Friſcum obduruerant, iunctique Pontificijs Veneto ſe oppoſuerunt. hinc natum bellum propter ſtudia partium atrociſſimum, ex vicinitate propugnaculi

conti-

continens & nunquam intermiſſum. ad extremum ciues perpetuis duorum menſium malis feſſi oppreſſiq; ab ſocijs, quos multo ægri° quàm hoſtes ſuſtinebant, coacti prętorem Venetum accepere. pau lo poſt Ioannes Superantius & Vitalis Michaelius eundem magiſtra tum ſimul geſſerunt. Michaelius nullo prope imperio & crebris mi litum cædibus, qui in tenebris ciuibus obuij mactabantur, territus ex oppido in arcem migrauit. maturauit profectioné facta in oculis cædes aliquot peditum, qui iuſſu ipſius ad Ricciardum Caminiú Tauriſanorum principem proficiſcebantur. quare populus nó iam occulte, ſed propalam ac ſine vllo metu graſſari. renatum bellum
1309 leuibus vtrinque prælijs toto Aprili ac Maio anno eius ſeculi nono irritatum eſt, ineunte Iunio maiore conatu geſtum. quamobrem Veneti noctu Martiana egreſſi porta frequéti agmine foſſam ipſam ſuperioris vici ſubeuntes villam Gioioſam nómine haud procul Bla ſiana porta ſuburbanam occupauere. cum e ſpeculis ad arma conclamaretur, Franciſcus & Dalmaſius eo flexere comitante Galeatio Vicecomite, quem ſupra Mediolano pulſum Fertariam cum Beatri ce vxore ſe contuliſſe memorauimus. ceterum Venetus tantam inde ſagittarum vim effudit, vt noſtri longius progredi nequiuerint. Franciſcus conuerſis ſignis locum opportuniſſimum inter munitionem & ædificium ab hoſte inſeſſum animo deſtinauit, vt eos interccluſo reditu ad ſatietatem concideret. perrexit ad cœnobium Gabrielis in ſuburbano Blaſiano: ibi ponte tranſgreſſus foſſam in circumiectis hortis conſedit; inſtructuſq; idoneo peditum & equitum numero tanto impetu Venetos adortus eſt, vt auerſi nullo ad caſtellum effugio in foſſas ſe præcipitarent, ac partim aquis haurirentur, partim ferro crudeliter interirent. ſub occaſum ſolis Michaelius inducias per caduceatorem petijt tátiſper, dum mortui extracti ſepul turæ mandarentur: ad ſeptingentos eduxere. cum nihilo quàm antea ſegnius bellum procederet, Veneti turrim caſtelli inſtar exædificauerunt, cuius in faſtigio ardebat fornax, eaq; rati impoſita ſecun do flumine ad Georgianum pontem nauigauere, vt cum ignem illi inieciſſent, eodem impetu catenas reſcinderent. ſed machinam ciues tum ex ripa, tum omnis generis nauibus oppugnatam vſque adeo quaſſarunt, vt pręclarum Venetis fuerit ea relicta fuga ſalutem petere. eodem die cum ſe ipſo maior amnis intumuiſſet, ſupra oppidum aggerem amoliti inſulæ cum ſummo ciuium detrimento im miſere, ac paulo poſt Ceruienſem Epiſcopum, qui Pontificijs auxilio aduentabat, acriter vexatum regredi coegerunt. Pontifex ad nuntium ciuitatis oppugnatæ a Venetis ira incenſus, quando neq;

hortationibus neq; aſperioribus litteris quidquam profecerat, tam ſæuo interdicto eos defixit, vt exutos omnibus dignitatis ornamentis ac imperij ſubſidijs Principem ipſum, Senatum, ac priuatim nobilitatem omnem occupantibus in ſeruitutem addiceret. haud ſecus quorum in manus pecunia veniret, dominos eſſe declarauit, res ſoli, ſi quæ caperentur, fiſco pontificio committi. quinimo teſtatus eſt ſe ſacroſanctam crucem aduerſus ſacrilegos edicturum; tum quicunque principes populiùe, aut alij ijs tenerentur, omni nexu abſoluit; fœdera, pactiones, ſocietates, nomina, conuentiones omnes irritas eſſe iuſſit. inſuper prohibuit cum ijs contrahi, commeatus, merces, aut aliud quidquã ſuppeditari. ſtatim igitur multæ eorum copiæ ac facultates correptæ cum in Gallia apud publicos menſarios, tum in Apulia & Piceno. ſiue id vitio temporum accidit alienis bonis æmulantium, ſeu nobilitatis aliqua culpa, ſic mortalium pectora pietatem exuere erga illam rempub. vt non ſolum fines interdicti furor tranſilierit, ſed etiam ipſorum ciuium ſanguinem appetiuerit. quippe multi ſimulatione mandatorũ pontificiorum, vel quod interfectores minus ſe edicti ſententiam aſſecutos dicerent, paſſim miſere ſunt necati. patres non modo non tacti pœnitentia eorũ, quæ hactenus egiſſent, ſed caſtello ditionis ſuæ prorſus facto, Friſcum Venetias ablegarunt, vbi paulo poſt digno amentiæ exitu tenui in fortuna vitã finijt, ſepultuſq; eſt intra ędis Diuorũ Ioannis ac Pauli ſepta. Clemens ingentis homo ſpiritus, qui ſe pro cauſa ęquiſſima contra Venetorum pertinaciam cum labe dignitatis fruſtra laborare intelligeret, minas recõfirmauit. Bononiæ in concionibus ſacrum bellum promulgatum quaſi in oppidorum tyrannos, quorum ſupremum ius penes Põtificem foret. haud mora Florentini & ipſi execrationibus obſtricti, quod ſpreuiſſent Neapolionem Vrſinum ad ſe & ad Lucenſes miſſum, vt ſtatum vtriuſq; ciuitatis cõponeret, arrepta occaſione legato ſignificarunt, ſi deuotos reſecraret, quattuor equitũ turmas ſe præbituros. ille vero libens cõditionem accepit. Ex omni Italia miles cõfluxit: Hetruria, Picenũ, Flaminia, Venetia certatim peditatum equitatumùe ſuppeditauit. hinc cõflatus exercitus bifariam diuiditur. altera pars in pratis trans flumen cõſtitit, nunc fundos Martinianos appellant; ea conſtabat ex Picentibus, Bononienſibus, & ijs, qui Flaminiam incolunt: altera in oppido caſtra fecit, vt arx Thedaldiana vtrinque circumueniretur. qui nobilitate inſigniores proceres ei expeditioni interfuerunt, inprimis perhibentur Malateſtæ omnes Arimini reguli; Polentani & ipſi principem Rauennæ locum conſequuti, nec non

Caſſo-

Caſſonus Archiepiſcopus Mediolanenſis. Senatus quoque ſuorum periculo permotus ſciuit, vti longę complures atque aliæ naues Carbonaria oſtio ad arcem ſubueherétur. re cognita legatus præfectos in prætorium vocauit hortatus quid quiſq; agendum cenſeret, proferre in medium ne cunctaretur. vbi ſenſit multorum, qui rem exquirerent, diſceptationem eò vergere, vt primo quoq; tempore antequam auxilia ſuperuenirent, ſumma vi oppugnatio tentaretur, conuertit ſe ad Franciſcum. is, quando omnia externis armis tenebantur, priuatus erat ad exercitum, ne quid nobilitate ſua, qui e iuſtis oppidi dominis eſſet, indignum faceret. igitur ſententiam rogatus, ſecus mihi videtur inquit; breue iter eſt, & Venetus mox aderit: tum nimis arduum potiri arce, priuſquam claſſis ſuperueniat. præſtet ſane obuiam procedere, atque acceſſu prohibere. nec qua parte flumen inuecta eſt, eò verſum placet vim admouere, ne procul a tergo vrbem relinquamus. vitandus quoque alueus, qui mœnia præfluit, quod facillime ſecundo amne hoſtilis claſſis defluat. alter, inquit, eſt occupandus, quo aduerſa aqua, acpropterea impeditiore nauigatione ſubire naues, & in varias difficultates incidere neceſſe ſit. quin & illud mihi maxime probatur, haud longe a mœnibus abſcedi ea ratione, vt cum aditus illò non pateat, noſtri animoſiores ſint, & ipſa minore periculo. illic flumen tam firma deinde munitio comprehendet atq; impediet, vt vel hoſtes conſilio mutato propius non accedant, vel ſi vim faciant, nullo operæ pretio repellantur. aſſenſi omnes conſilium auctori exequendum deſtinauere: quod Franciſcus aliàs ſępe virtutis ſuæ ſpecimen dederat, non alium magis ducem Ferrarienſes, vbi quid fortiter ac ſtrenue agendum eſſet, poſcebant. itaq; progreſſus ad vicum Francolinum, qui abeſt Ferraria quinque millia paſſuum ad eam Padi ripam, qua Carbonaria aditur, pontem informibus nauibus imponit, atq; aduerſus omnem aduentantis hoſtis iniuriam egregijs munitionibus firmat inſtruitque. vix effecto opere Veneti iam ad Pauiolā appulerāt minus mille ab Frācolino paſſibus. ibi pugnæ accincti biremes primo ad explorādam munitionem pręmiſere: poſt cum parte virium propius acceſſerunt: cumq; e nauibus propugnatores baliſtis cōuulnerarent, ollas igne miſſili plenas in pontones, vti eos ſuccenderent iacularentur, nihil intentatum reliquere. contra Franciſcus ac Ferrarienſes omnibus ad defenſionem prouiſis rebus tanta audacia eos exceperunt, vt pulſos ac peſſime acceptos nulla bona ſpe, vnde diſceſſerant, redire coegerint. cōtinenter tamen aliquot dies ob eandem cauſam ex propinquo dimicatum. tandem Veneti deſperata

pontis expugnatione obſeſſis in Thedaldi arce per occultos nuntios ſignificauere, vti quàm primum ad roſtrum Ficarioli, quo loco Padus bifariam ſcinditur, cum nauigijs accederent, indeq; prono flumine delati pontem adorirentur: ſe eodem temporis puncto ex altera parte impreſſionem facturos. verum quòd nauigatio contra amnis curſum impedita ac perdifficilis erat, legatus hoſtium cõſilijs exploratis Franciſco auxilium ſubmiſit, & ciues iuſſit in omnem occaſionem intentos eſſe. inde ſupportatę Francolinum plurimæ carenæ ex vtraq; ripa tranſuerſæ religantur, ne ab ſuperiore parte pons oppugnaretur. prodeuntibus extra munimenta cum ingenti apparatu Venetis legatus de induſtria nullam moram inijcit; claſſem nõ modo ſoluere patitur, ſed etiam extra cõſpectum ire, ne auxilio iuuari, aut intra ſtationem recurrere poſſet: vbi viſum eſt idoneum tempus, miſit qui ex ripa eam vexarent. qui naues aduerſo flumine ſubigebant, nequicquam tuente militum pręſidio magnis ſunt incõmodis caſtigati. naualis turba & ipſa ſagittis configebatur; quippe qui trans amnem, quiq; in vrbe caſtra habebant, pariter rem geſſerunt. Porro quoniam Veneti magna manu in eam expeditionem exiuerant, & iam turbatæ res erant, viſa eſt occaſio arcis expugnandæ, pręſertim quòd erat veriſimile claſſes aliquo caſu impeditum iri, ne inter ſe coirent. qua parte infirmior trans Padum munitio erat, eò repente illatus in turrim euaſit miles; mox & alij ex Martianis caſtris rrangreſſi ad ſuburbia ſuperiora impetum fecerunt: & qui intra mœnia tendebant, partem foſſa communitam ſunt adorti. poſtero die, quo Sextili menſe Auguſtini memoria a pijs colitur, albeſcente cælo totis viribus eſt pugnatum. claſſiarij ex ripis a noſtris acriter preſſi, & qui arcem tutabãtur tum ab ijs, qui turrim pridie per vim ceperant, tum ab circũfuſa multitudine oppugnati vndiq; ſummo ardore funduntur atq; profligantur: Rainaldus Marcherius, Galuanus Gaſſarus, Marcheſinus Mainardus, ac ceteri Friſci obærati pereunt, atq; vnco tracti in profluentem mittuntur, qua amnis interſecto ab hoſtibus ſupra Blaſianum fanum aggere Sgauardi conſilio viam ſibi impetu patefecerat; quem & ipſum nouiſſimum eodem iecere, vti dux quoq; ipſorum ibi eſſet. huc præcipitati ad duo millia produntur, multo plures cõijcitur Padum hauſiſſe. Habent annales quidam ob cæſorum, & qui in flumine perijſſent, numerum, quanquam perẽnis aqua foret, tamẽ quia inferius muros ſublueret, ciues aliquot dies aquatione abſtinuiſſe. iacuere etiam paſſim vtraq; ripa plurima cadauera: qui cædi ſuperfuere capti ad vnum omnes: eos oculis priuatos legatus (hanc ſęuitiã excuſabat ſupplicio immanium faci-

facinorum, quæ ipſi quoque feciſſent) dimiſit, iuſſos Venetias renunciare exitum Thedaldianæ arcis. ingens ibi telorum machinarumq; apparatus fuit, & cõmeatus affatim, ſuculę ad quinque millia. Huiuſmodi cladem paruo interuallo anteceſſit lugubris lunæ aſpectus non minus hora obſcuratæ ac rubicundæ ſic, vt inter tenebras ignem ſanguinemque ſtillare videretur. ſocij, qui ſtabant ad vicum Pauiolam, totius rei certiores facti raptim ſe ſe inde explicuere: quibus Franciſcus nouo ſupplemento auctus in tergo hæſit vſq; ad oſtium fluminis, vbi eos mare excepit. ſed quia grauiores naues leuium ac militarium curſum æquare nõ potuerant, circiter ducentas quinquaginta cõmeatu onuſtas intercepit, Ferrariamq; abduxit. Legatus partim rei fœditate motus, partim ne cælum cõtagione inficeretur, cæſorum corpora tradi ſepulturæ mandauit, erratorum venia conceſſa ijs, qui terram cadaueribus inijcerent. dein eadem cũ omnibus indulgentia egit, qui eo bello militaſſent. legatum male habebat Franciſci mora in vrbe verentem populi ſeditionem, nec minus cauentem ſibi, quàm ſi armis iam iam peteretur. itaque ille tum ea offenſione, tum multorum periculo, qui ſtudia in Ateſtinos
1310 non poterant diſſimulare, anno eius ſeculi decimo ſtatuit Rhodigium ſecedere. nec propterea legatus metum abiecit, aut eſt auſus ibi diutius commorari: quinimo firmatis arce ac turribus oppidi pontificio milite Bononiam abijt. Cum Gibellini ſub Ateſtinis pacati ſacerdotũ imperium pati nequirent, Salinguerra hãc occaſionẽ arripuit reditus in patriam ac tentandæ dominationis. re comperta Franciſcus quòd is conatus ad ipſum maxime pertinebat, pro mutua cum Patauinis neceſſitudine, in eorum finibus exercitum coegit, vti populares ab iniuria defenderet. iam Salinguerra regnum a ciuibus efflagitabat, in præſidiarios & Pelagruæ amicitiam ſequutos immania auſus, ita vt Honofrius prolegatus ex ędibus, quæ ſũt maximo ciuitatis templo cõiunctæ, ægre in turrim quandam Thedaldianæ arcis euaderet: perditi cum eo qui venerant tota vrbe Salinguerræ nomen perſonare, nõ a direptione priuatorum, non infantium inter matrum complexus, ipſarumque matrum cædibus temperantes: ſunt etiam ſacræ virgines ad ſtuprum raptæ, ſacra polluta, nullum vel infandum ſcelus prętermiſſum. Inter hæc Franciſcus cũ Rainaldo & Opizone ſuperuenit: cõmittitur atrox prælium cũ clientibus Salinguerræ, qui inter primum tumultum cum Ramberto Rambertio fautore fuga elapſus ſuos ad cædem atque internecionem Franciſco reliquit. prolegatus de ſeruata ab eo vrbe ingentes Franciſco gratias egit, orauitque conſilio & ope adiuuaret, quo Salinguer-

linguerræ conatus impediret, qui non ſolum res nouas apud populum moliebatur, ſed cũ globo perditorum Maſſam Fiſcaliæ ingreſſus vallo ſe atque aggere cõmuniebat, vt inde tanquam ex arce Ferrarienſem agrum aſſidue incurſaret, ac ſi quando premeretur, illum receptum haberet. Franciſcus, priuſquam munitiones cõtinuarentur, auctor fuit, vt hominem inde exturbarẽt: quam ſententiam Diegus quoq; Dalmaſius pontificiarum copiarum præfectus probauit. at enim quia opus erat celeritate, ac propterea vtendum pręſenti copia, Franciſcus vocatum ad concionem populum tanta vehementia eſt alloquutus, tantumq; maiorum ſuorum cõmemoratione, ac viciſſim ciuium in eos caritate accẽdit, vt extemplo pro ſe quiſque alacriter arma ceperit. aduenientem Salinguerra minime expectauit: nec tamen ſic in tempore fugam arripuit, vt non maiorem ſuorum partem prædæ futuram deſeruerit: quippe illi inter Comaclienſes paludes ijſdem veſtigijs inſiſtentes exiſtimauere cõmunem ſibi fortunã fore: ſed dux alienæ ſalutis immemor lenũculos, quorum vſus erat in eiuſmodi ſtagnis, iam ante pręparatos conſcendit. Compererant Veneti Fani Alberti incolas in excidio Marcomanni, quod erat caſtellum ante annos centum cõditum ad foſſam, quæ fert Rauẽnam, ad cõmeantes illac prohibendos, & euerſum eodem tempore, quo & Thedaldi arx, in ſuos deſæuiſſe. propterea vlturi cõtumeliam paulo ante Salinguerræ fugam caſtellum crudeliſſime incendi iuſſerunt. ibi miles ferè Illyrici generis ſine vllo diſcrimine corrupit igne ac depreſſit aliquot Ferrarienſiũ nauigia, quæ neſcio quos Germanos Rauennam vehebant, inde porro religionis cauſa ad vrbem pedibus ituros. Franciſcus pulſo Salinguerra omnes latebras diligẽter præſepſit, ne quo modo in poſterum ad Ferrariam animum adijceret. verum quod copiarum imperium vltro ab Patauinis delatum accepit, ijſque opem tulit, nec id poteſt aliter intelligi, quàm ſi memoriæ prodantur, quæ pacem ciſalpinam pręceſſere, breuiter quidquid eſt in rem noſtram attingemus. Poſt Albertum interfectum, dum in Rheni tranſitu e naui deſcenderet, Germani, quorum id munus erat, comitijs Francfortiæ habitis Henricum VII. Henrici Lutzelburgenſium Comitis filium Cæſarem renuntiauerunt, qui Aquis prima corona ornatus per legatos a Pontifice auream popoſcit. reſpõdit ille, ad eam dignitatem capiendã intra biennium in vrbem iret. conſulto autem huiuſmodi reſponſum datum, & Auenioni prælata Roma, vti cum neceſſe haberet mediam Italiam pertranſire, multos principatus, qui omnia in diuerſa traherent perderentq́ue, conſtitueret. Henricus anteuertens priore anno, cuius nunc geſta lit-

teris mandamus, alpes tranſcendit, patriam atq; Allobroges emenſus AuguſtamTaurinorum venit. cum e Gallia togata legati certatim obuiam proceſſiſſent, non prætermiſere Ateſtini, quin per Lupoldum Auſtriacum Sueuiæ Ducem ſe excuſarent, ꝙ propter fortunæ inclementiam eum coram nõ adirent. in eo ambitu Vido Turrianus inter Mediolanenſes Guelfæ, & Matthæus Vicecomes Gibellinæ factionis longe principes alter alterum gratia apud Cæſarẽ anteire ſumma animi contentione ſtuduerunt. Vido metuens ſibi ab aduerſariorum clandeſtinis conatibus clientes armauit. Matthæus per Lupoldum Cæſari ſpem fecit fore, vt ciues ei ſe prorſus darent; æmulus hæc conſilia ſubodoratus in vrbem aduolat, vt eam ab Auguſti obſequio alienet; ſed celeritate Cæſaris cum omnibus copijs ſubſequuti oppreſſus nihil mouere potuit. Henricus gnarus ſimultatis Turrianum inter & Vicecomitem, quo eam tolleret, perſuaſit iure vterq; ſuo ſibi cederet; poſtmodum frequenti concione palam vrbis principatum accepit, ibiq; ferrea corona eſt inſignitus: Turrianum Vercellis dono datis eſt ſolatus, Vicecomitem equitatus pręfectura Galeatio filio collata, quem etiam ſecũm Romam duxit: Lupoldo oppidi cuſtodiam tradidit. Vix ea, quæ Mediolani acciderant, fama vulgauerat, cum reguli finitimi miſſis legatis Auguſto ſacramentum dixerunt. Henricus profeſſus ſe infirmarum rerũpub. licentiam cohibiturum, minorũ principum tyrannides euerſurum, maioribus imperijs compoſitis atq; amplificatis, nihil aliud effecit, quàm vt legatos paſſim conſtitueret. Ac Albertus quidẽ Scotus Placentia eiectus: tum certis populis rectores dati; reliqui tamẽ ex au-
1311 ctoritate Auguſti anno eius ſeculi vndecimo imperauere, Canis Scaliger Veronæ ac Vicetiæ, Ricciardus Caminius Tauriſi, Paſſerinus Bonacoſſa Mantuæ, Franciſcus Picus Mutinæ, quod in oppidum ſe inſinuauerat. hos Vicarios appellauere. itaque quamquam præ hoc titulo reliqui videbantur violenti atque iniuſti, domini tamen ijdem fuerunt, & imperia nomine tenus recta atq; legitima magna ex parte re ipſa obliqua atq; impotentia extiterunt. Cremona, Crema, Brixia eiuſmodi pręfectos vix dum magiſtratum auſpicatos eiecerunt: quippe ſacramẽto Cæſari dicto in ſpeciem potius obſequij, quàm quod vnius imperium affectarent, cuius nullo modo poterãt capaces eſſe, niſi inſigni aliquo exemplo coercitæ, aut magna temporis diuturnitate. Henricus rebellione vrbium permotus re Mediolanenſi Vicecomiti commiſſa, quando Turriani cum Germanis pugnantes multis ſuorum amiſſis Vercellas conceſſerant, ac Varnerio Longobardiæ præſide impoſito ad vindicandam contumaciam

ſe con-

ſe conuertit. inde proſequente Amadeo Allobrogum Cõmite, cui ſoror Auguſtæ nupſerat, Genuam venit & in Hetruriam, poſt ad vrbem profectus a tribus Cardinalibus diademate redimitur. Sub diſceſſum Cęſaris e Gallia Patauini facti certiores Canem non Veronæ modo, ſed & Vicetiæ Vicarium creatum, quam & iure ex Auguſti codicillis, & aliquot ciuium corruptis nullo negotio in poteſtatem redegerat, ſimulque eodem diplomate neſcio quid in ipſos ſibi vindicare, continuo tumultuauere. hæc minime vera, ſed ex ſubita Magni Canis amplitudine, quam nonnulli conſulto in maius extollebant, quidam nihilo minorem re vera putabant, credibilia longe lateq; vagabantur. quin cum magiſtratus ipſi & vultu & crebro in ſenatum ventitando non leuiter ſuſpicionem augerent, plebs concurſu ad muros facto, vnde Cæſarianæ aquilę pignus atque teſtimonium ſuſcepti patrocinij pendebãt, eas furore amens cõſcidit; tum pari rabie inſignia, quæ aut depicta aut affixa priuatorum ædibus atque oppidi portis erant, refixit ac lacerauit. ad extremum publico decreto lectus eſt Demetrius Comes, qui Motam oppidulum ad montem Varolam in confinio Vicetinorum ab ſe munitum cum præſidio obtineret. Canis, priuſquam bellum coaleſceret, Demetrium nondum plane confirmatum oppreſſit. Vinciguerra Bonifacienſis Montagnana, vbi in præſidio erat, ab Patauinis accitus Coloniam expugnauit; dum vicos paſſim vrit, Vicetinos ac Veronenſes ad Quartiſolum obuios cædit, capit, fugat, Scaligetorum ſignis atque aquilis Cæſaris potitus. Canis cum Mantuanorum auxilijs cumque exercitu, quem in citeriote Gallia conſcriptum Varnerius adduxerat, Montagnanam adortus haud obſcure ſignificabat iniuriam ſe grauiter vindicaturum. quamobrẽ Patauini inſequenti anno Franciſco ſe ſuaq; omnia, nõ modo exercitum crediderunt. 1312
is Tauriſo exciuit magnam manum duce Ricciardo Caminio, cui Ioanna ſororis Beatricis filia nupſerat: addidit præterea aliquot Ferrarienſium cohortes tum laude bellica præcellentium, in quibus vel infrequentibus plus ſpei, quòd aſſiduis prælijs noti inter ſe eſſent, habebat, quàm in magna externorum multitudine. recta Quartiſolum progreſſus caſtra ad põtẽ locat, additiſq; munitioni loci ſumma celeritate operibus, foſſa atque aggere egregie ſe muniuit. inde in hoſticũ effuſis prædatoribus cum ſemel atq; iterum ad manus vẽtum eſſet, vtroque prælio ſuperior magnum numerum cecidit. nocte e caſtris cũ equitibus quadringentis, peditum quinque millibus egreſſus, vt tertio fortunam prælij tentaret, Canem & Varnerium, qui ſe apud Montagnanam intra munimenta continebant, impro-

uiſo

uiſo adortus reliquias exercitus profligauit, præfectoſque ipſos Vicetiam compulit. Patauina re in tuto relicta cum diſcederet Coloniam incendendam atq; euertendam mandauit: Blanchino Caminio, Vinciguerræ, & Nicolao Lucio Motæ Vuardæ præſidium vt imponeretur, auctor fuit. Dalmaſius maiore iam apud ciues Franciſci auctoritate, quàm vt pati poſſet; quippe qui aliquando vicariam poſſeſſionem a Pontifice ſperaret, ſtatuit virtuti conſilijs ſuis vſque adeo infeſtæ ſcelere ire obuiam. itaque x. Kal. Septemb. a venatione redeuntem cum vnico famulo ei miniſterio præpoſito, quòd ciuium animos pro ſatellitibus haberet, in ipſo Leoninæ portę limine facto cum Hiſpanorum globo impetu crudeliſſime trucidat. rumor deinde ſparſus iniuriam illatam cęde vindicatam: & qui in oppido pro ſancta ſede Vicarij munere fungebatur, in præfecti gratiā iure cæſum ex ſcripto pronuntiauit. quæ ſententia quoniam, vt dicemus, retractata, ac vti falſa poſtmodū reſciſſa eſt, haud dubie magnitudinem ſceleris tum auctoris, tum comprobantis arguit. Pelagrua aliqua ex parte ſcelerati conſenſus ſui pœnas dedit magiſtratu a Pontifice priuatus eo nomine, quod aduentanti Auguſto minime occurriſſet. Diegus vero eo grauius ſupplicium luit, quo magis tam nefario ſcelere ſe ſe commaculauerat: etenim Veneti exercitus in Dalmatia imperator dum Iaderam oppugnat, poſt ſupremam ignominiæ labem vitam quoque miſere abrupit: ſiquidem ingreſſus oppidum clandeſtinis colloquijs cum prætore habitis, quem ab rege Pannonio præfectum Bānum Croatiæ vulgo appellabant, ſuorum audaciam prorſus fregit, a quibus non immerito proditor eſt habitus: mox illis deſertis dum in Apuliam effugit, tempeſtate ſcopulo impactus perijt. Quintum iam annum Veneti Clementis interdictum perpetiebantur, ac perincommodum tum illi vrbi, tum Ferrarienſibus id accidebat ſublato vtrinque commercio propter ſimultates nōdum poſitas. At decretum ſequenti anno abolitum cō-
1313 tentiones ſuſtulit, animos vtriuſque populi aliàs inter ſe beneuolos ad concordiam cōiunctionemq; reduxit. Veneti per hunc modum reſtituti ſunt in integrum: legati, quorum princeps extitit Franciſcus Dandulus, Romam venere, prouolutiq; ad pedes Pontificis diſcumbentis rempub. ſolui noxa impetrauerunt. tanta autē iracundia flagraſſe Clemens traditur partim quòd ſe contemptum arbitraretur, partim quod Venetis nō valde cuperet, vt nihilo minore humilitate expugnari potuerit. Ferrarienſes ac Veneti cōditiones iam tum ab Opizone initas cultaſque ab Azone ſtatim renouarunt, ac multis partibus ſunt moderati, quæ ferme ad iudicia pertinebant,

quam vtrique iuriſdictionem ſortirentur, res iudicatas exequerentur, in poſſeſſionemúe mitterent: tum ad rerum contractarum fidem cautionemq́ue, ac leuiora quędam nō ſatis memoratu digna. Ea omnia Pontifex rata habuit ea lege, vti Venetis vltro citroq; per Galliam ciſalpinam mercaturæ cauſa cōmeantibus alio flumine aut profluente, quàm vetere aut poſthac nouo Padi alueo nō liceret nauigare. omnibus capitibus diplomati inſertis poſtremum hoc tanquam ſignum eſt appoſitum. Exinde ſubmonitus incredibilem in Ateſtinos ciuium caritatem, cōtra publice ac priuatim prolegatum in ſummo eſſe odio, præſertim poſt nefarium præfecti ſcelus, veritus ne Henricus, quemadmodum & circumiecta, hoc quoque corriperet, ſtatuit oppidum Roberto tradere, vti hoc pignore eum ſocium ſibi adiungeret; qui poſt Caroli parentis mortem in regnum ſucceſſerat, ratus populū minime alienum: etſi ſecus cecidit, quod eius ſoror Beatrix Marchioni nupta omnibus in oculis fuiſſet. ita ille ſanctæ ſedis nomine imperium nactus legatum miſit Adenulphum Aquinatem, qui vi & armis populum imperata facere coegit. Azo XI. & Bertoldus II. Franciſco nati alioqui adhuc imbecilla ætate, petierunt a Neapolitano, vt iudices daret, qui de Dalmaſij iniuria ac iudicio Vicarij aduerſus ipſorum patrem cognoſcerent. ſuſcepta cognitione quæſtioni præponuntur ipſe præfectus, nec non quæſtor Gulielmus Catroſus: hi cauſam Vidoni Meuanienſi Iureconſulto delegauerunt: qui Ioannis Andreæ viri iuris pontificij cōſultiſſimi conſilium atque auctoritatem ſequutus rem ipſam iudicatam reſcidir. Nec videtur prætermittendum Franciſcum Menabouium hoſtem ab Ateſtinis ac Pontifice iudicatum ſub eos dies profectum Mutinam, quo loco militarem tribunatum eſt adeptus, perſuaſiſſe ciuibus obfirmarent animos, neu ſe Ateſtinis aut Pontifici vllo vnquam tempore ſubijcerent. tum ille idem conſultor eà tranſeuntem Raimundum Aſpellum Pontificis nepotem cum aureorum nummum ducentis millibus, quos ex mandata ſibi Piceni præfectura ceteraq; Romanæ ſedis ditione corraſerat, facto impetu vnà cum Mutinenſibus pecunia & vita exuit. Anno decimo quarto miſſus a 1314
rege Ferrariam venit cū ampliſſima poteſtate Diegus Ratta Hiſpan' Caſertæ Comes. is adiunctis regio præſidio ciuibus Caſtrocarum contendit, inde Forumliuij expugnaturus; ſed ab Scarpecta Ordelaffo, quem in eius oppidi arce in cuſtodia habebat, centū & quinquaginta auri libris delinitus & ipſum liberauit, & retro agmen vertit. deinde quod Henricus Cæſar cum Federico Siculo fœdus pepigiſſet, Diegus mandato regis Florentiā ſe contulit, quam ciuitatem

a con-

a conſpirantium regum vi Robertus tuendam ſuſceperat. verum ꝙ Dalmaſio & Rattæ Diego nomen fuit, & vterq; cum Catalanorum equitum turma Ferrariā venit, exiſtimauit Collenucius Neapolitanū Auenione redeuntē dum Bononia, vbi Dalmaſius erat, iter faceret, hunc ipſum Rattam huc miſiſſe. atqui Roberti tranſitus incidit in annū eius ſeculi nonum; quarto poſt cura oppidi ſuſcepta eſt; queād modū apparet ex litteris de ea re ad Patauinos amicos atq; ſocios ei⁹ ditionis, cuius ipſe procurationem accepturus eſſet, datis; poſtero anno Ratta in præſidiū mittitur. In his oībus rerum Ferrarienſiū conuerſionibus explicādis Blondus, ceteriq; eiuſdē aut inferioris ætatis ſcriptores labūtur, quorū tot tamq; manifeſta ſunt errata nō modo quod attinet ad tempora, ſed ad auctores factaq; & loca, vt ſuperuacaneum ſit ſingula notare, cū vtiq; conſtet ex rerum hactenus proditarum ſerie, quæ plane veritati cōſentiunt, nec non ex monumentis apud Ateſtinos aſſeruatis, tū ex multis inſigniorum Italiæ vrbium manuſcriptis annalibus, cuiuſmodi re vera hi motus extiterint. Rattæ ſucceſſit Pinus Toſius patricius Florētinus, cui diſcedēti illud pręcipue rex in mandatis dederat, amplificaret ciuitatē, & aperta muro cingeret: idq; altero anno eſt perfectū. Porro Menabouius, anteꝗ oppido munitiones adderētur, pecunia, quæ illi ex præda Mutinēſi obtigerat, tentatis aliquot ſuarum partium hominibus cōuenit improuiſo ſe ad ſummum vicum affuturum, vti illum in poteſtatem redigeret: centuriores aliquot mercede conduxit, qui cum ſubitarijs cohortibus & Mantuanorū nauigijs ſubſequerentur, ratus hoc modo oppidi ſe cōpotem fore. In tam nefario atq; audaci conatu exequendo incomperta adhuc fraude dum prætoria ceteris ſubſequentibus nauibus vectus haud procul Bondeno eſſet, tam atrox eū tempeſtas eſt adorta, vt fractis armamētis multiſq; nauibus amiſſis proſilire in terram ſit coactus. ea res cum primum Ferrariæ audita eſt, ciues, priuſquàm Menabouius ex eo tumultu ſe explicaret, ſuperuenere, & crebris campani æris ictibus exciti agreſtes e proximis pagis in ea trepidatione magnum hominum numerum occiderunt, prædamq; fecerunt. Pinus Albertinum Mainardum cōiurationis principem, vnaq; præpoſitum Fano Diui Lazari conſilij non ignarum, qui domum præbuerat, cum nonnullis alijs reſte ſuſpendit. quinetiam comperto Lancelottum, & quod erat reliquum coniuratorū, vnaq; exulum manum Feltriam profugiſſe, quo loco tutos inuiolatoſque fore Alexander Placentinus oppidi Antiſtes fidem dederat, auro miſerorum ſanguinem ab optimo Epiſcopo mercatus tam occulte vt nemo elaberetur, omnes ad vnum ſecuri percuſſit. Fer-

rarienſium interfectorum numerum, & Pontificis proditionem copioſe explicat Benuenutus Forocornelienſis. Pino ſumma vigilantia quinto & decimo eius ætatis anno rem Ferrarieſem adminiſtrante, 1315
inſequēti Carolus patrio ſermone Italis Senzaterra dictus, quia nul- 1316
lius oppidi aut dominatus potiretur, Roberti filius dum nouam nuptam ſororem Auſtriacorū Ducum Alberto Cæſare prognatam domum deducit, Septembri menſe Ferrariæ in Marchionum ædibus excipitur. ciues nequaquam ſeditionibus, aut exulum fœdo exitu, qui patriæ tyrannidem affectauerant, contaminati non ſumptibus, infortunijs, cædibus inter tot turbas atque incommoda tolerata fracti animo, ſpectaculis ludicriſq́ue decurrentium equitum certaminibus ſpōſis honorem habuere multo quàm pro præteriti temporis conditione magnificentius. quod plane proſperam ſequenti anno Ateſtinis fortunam portendit. Etenim anno eius ſeculi XVII. forte 1317
fortuna accidit, vt cum Pinus egregium quendam adoleſcentem ortum Buccimpania familia interficiendum curaſſet, territus repentina propinquorum conſternatione, quorum magnus erat numerus, vrbe excederet. plebs omnis & ſemper aliàs & præcipue poſt Franciſci cædem Catalanis infenſiſſima, qui vtroq; Diego diſcedente nihilominus in præſidio perſeuerauerant; haud ſegniter eum eiuſmodi occaſione ad arma iuit non quidem ex compoſito, aut certa auxilij ſpe, ſed pœnas ab inſolentibus barbaris expetens, proq́ue ea caritate, quam tunc eum maxime aduerſus Ateſtinos ſtabilem retinebant animis. publica illa ac vehemens impreſſio extitit: cumq; in certamine vtrique pellerent aduerſarios, atque inuicem pellerentur, tandem Catalani cum magna cæde in Thedaldi arcem rediguntur: eodemq; tempore ciuium manus nequidquam repugnantibus defenſoribus turres ac portas occupauit. Hęc vbi Rhodigium nunciata ſunt, Rainaldus III. & Opizo VII. Aldrouandini filij, qui hoc ipſo anno totum illum tractum ſuperioribus tumultibus amiſſum de Patauinis receperant, vnaq́ue Azo Franciſco natus Ferrariam accurrerunt. ſane mora & acceſſus cū exiguo ac prope inermi comitatu, non temere tamen, vt quibus populo iam ſui potente nihil timendum eſſet, ſatis indicant cōſternationem nulla eorum culpa repente exortam fuiſſe. hinc error deprehenditur exiſtimantium Ateſtinos ac Ferrarienſes regij præſidij expellendi occaſionem captaſſe ex memorabili illo prælio, quo Vgutio Fagiolanus ad Montemcatinum Hetruriæ oppidulum Robertū ſuperauit. etenim pręterquàm quod liquet populares Buccimpanij eędem indignatos cepiſſe arma, ratio temporum repugnat; ſiquidem Neapolitani clades biennio ſcilicet

ante

ante has turbas in annum decimum quintum incidit. Secundum victoriam eodem, quo Catalanos pepulerāt die, qui fuit ad XI. Kal. Aug. Diuæ Magdalenæ dicatus, pueris deinceps permiſſum, vt in factiones diuiſi manibus fundiſq; poma & hortenſia pleraque, quæ anni tempus ſuggerit, iacientes inſtando cedendoq́ue pro occaſione depugnarent inter ſe, quemadmodum maiores natu cum Hiſpanis feciſſent in foro, vbi certamen, de quo a nobis dictum eſt, aliquot horas dubio Marte certatum fuerat. ludricum infimæ plebi indultum, quod in intemperantem licentiam erupiſſet, haud ita dudum interdictum fuit, quando a pomis ad gladios res interdum deducebatur non ſine grauioris rixæ periculo: pro ludicro dignæ christiana pietate anniuerſariæ ſupplicationes illo ipſo die Deo decretæ. Catalani intra munitiones elapſi ſtatim Bononiam miſerunt oratum opem. conſilij nō ignarus Opizo eodem celeriter contendit, vt eiuſmodi præſidio illos prohiberet: quod & perfecit: etenim paulo ante Aldrouandinus, vt quàm maxime poſſet finitimas ciuitates ſibi conciliaret, & diutius in ea vrbe commoratus clariſſimas familias arcta neceſſitudine haberet implicatas, Iacobinam Romei Pepuli filiam vxorem ei dederat. Interim Marchiones a ciuibus, qui eos cuſtodiebant, recepti in ſuperiorem vicū & pontem arcis, Catalanos eo redegerunt, vt partim ſalute deſperata, partim ſpe fugæ allecti ruerent ad naues, quæ non longe ab arce ad ripam ſtabant. ceterum ea fuit trepidatio ac numerus certatim ſcandentium, vt prægrauante multitudine alij in flumine perierint, alios impeditos ac fruſtra molientes armamenta hoſtis oppreſſerit: qui enatare tentarunt, qua parte corporibus extabant, iaculis ſunt confixi. Ateſtini poſt arcem expugnatā magnis acclamationibus, atq; incredibili omnium lætitia Principes cōſalutantur. Nonæ Auguſti cuncta abſoluere anno a ſalute parta M.CCC.XVII. quo die quoniam Dominici memoria a Chriſtianis colitur, inſtitutum eſt, vt artificum collegia ſuis quæq; præcedentibus inſignibus in eius Diui templo quotannis eodem die ſtipem conferant: iſq́ue mos adhuc tenet. poſtmodum arx tanquam malorū omnium, quæ quidem hactenus ciuitas pertuliſſet cauſa, excidio data nō modo vectibus, ſed etiam flammis eo libentius, quòd oppidum amplificatum, atque vndique muro circūdatum turribus horreret, nec alio munimento videretur indigere. Nicolaus & ipſe Aldrouandini, ac Bertoldus Franciſci filij Ferrariam cōmigrantes cōmuni conſilio cum Rainaldo, Opizone, & Azone rempub. capeſſiuerunt tanta concordia, vt quanquā vnum atq; alterum, quibus inter ſe conueniat, vix reperias, omnes

tamen

tamen nulla vnquam vel minima æmulatione in eundem finem atque inſtrumenta eius adipiſcendi conſpirarent, ſic vt vna eademque imperij lex ac poteſtas eſſet. quippe auditum atq; vſurpatum multis verbum, haud tamen plane notum, Concordia res paruas creſcere, diſcordia maximas dilabi, vſu ac periculis, magniſque incōmodis eruditi optime callebant. minuit hunc numerum Aldrouandinus, qui cū filios adoleſcentes egregiæ indolis optaret eo maturius imbui imperij artibus, quo minus ipſi diuturnam vitam ſpondebat habitudo corporis humanis moleſtijs impar, conſulto Bononiam conceſſit: ibique octauo anno moriens Ferrariam tranſlatus ad Dominici conditur. eodem tempore obijt Azo Franciſci filius ex Thadęa Ioannis Barbiani Comitis ſobole. magnum ei nomen immatura mors inuidit, tantam expectationem ſui fecerat: qui quoniam nulla mentione filiorum Bertoldum fratrem teſtamento heredem reliquit, non eſt probabile Thadęum, ſeu mauis Bertoldum ex eo natū, quod ſentit Polyhiſtorius. Sed enim vt quinque eodem tempore regnarent, ſumma tamen Rainaldo III. incumbebat cum propter rerum experientiam, tum prærogatiua ætatis, cuius in primis ratio ſemper habita eſt, cum plures Marchiones imperij conſortes extiterunt. quocirca vni fere Rainaldo litteræ ac cetera inſcribebantur, vnuſque reſponſa dictabat. Tantam quietem interpellauit annus illius ſeculi duodeuiceſimus Ioanne XXII. Clementi Pontifice ſuffecto; 1318
is Almetico internuncio apud Bononięſes ſcripſit, ni intra dies XXX. Ateſtini principatu abirent, iuberet eos impiorum numero haberi; quin vetere atque vſitata formula interdicta in ciues repetijt, quòd regium præſidium oppugnaſſent: poſt illud tempus niſi pari interuallo obtemperarent, piorum omnium cōmercio eis interdiceret. Etſi pleroſque eorum temporum Pontifices multorum teſtimonio ſcriptorum comperimus varijs animi perturbationibus obnoxios fuiſſe, eaque res in mortalium animis vulgi præſertim, quod manifeſtis potius quàm occultis ducitur, exiſtimationem ac ſummam eorum venerationem poſſet conuellere; tantus tamen ſacerdotio ſanctiſſimo atque adeo Vicarij Chriſti auctoritati honor habeatur, vt ſæpenumero ab terrena ditione valde inopi Eccleſia, proindeq; exiguis profanis viribus, tamen interdicta, quantum hactenus colligi potuit valuerint, ac potētiſſimis interdum exercitibus præſtiterint. mouebantur maxime religionis cauſa principes, qui ſtudium pietatis profitebantur. Propterea Ateſtini, etſi ſocium ſibi adiunxiſſent Canem Scaligerū, quo de Rhodigino Comitatu ſecuri eſſent, Ateſteque & illi contributa oppida ab Patauinis ante occupata recuperarent,

1319 rarent, tamen toto inſequenti biennio ſumma diligentia cōtende-
1320 runt Pontificem ad lenitatem traducere, memorantes nullius ſe criminis compertos, quo ſanctiſs. humani generis parens tantoperè ipſis iraſceretur; in primis vero iuſtam Ferrariæ poſſeſſionem aſſerebant. quam miniſtri Pontificij cum nulla ſatis probabili cauſa poſſent labefactare, leuiora quædam colligentes exiſtimarunt eiuſmodi cumulo non inanem turbam concitum iri; vnde omnibus perſuaderent ſe nihil nō ex iuris norma & præſcripto legum agere. interdicto minime contentis alia adminicula ad confirmandam libidinem quæſita; eorumque inſtinctu Ioannes neq; ſatis Italicarum rerum, neque iſtius cauſæ peritus, vtpote cōmorans Auenione poſtero anno ſcripſit ad Epiſcopū Ferrarienſem, cuius tota citeriore Gal-
1321 lia in religionis contemptores quæſtio erat, vti aliquot capitibus impietatis reos faceret Rainaldū atq; Opizonem. inuenio apud quoſdam eos ipſos miniſtros in cauſa fuiſſe, cur Pontifex neglecta prorſus formula in eiuſmodi cognitionibus olim prȩſcripta a Bonifacio & Clemente tam acerbe cum Ateſtinis ageret. ijdem, licet criminis ſuſpicionem teſtibus non iuuarent, tantum abeſt vt crimen ipſum probarent, damnationem tamen ab Antiſtite expreſſerunt: ſuper qua re multa ab theologis & iuris pontificij doctoribus diſputata ſunt, & adhuc extat reſponſum Ioannis Andreæ tunc celebris iuris conſulti. Ioannem vſq; adeo praui conſultores deprauauerant, tanta is cupiditate poſſeſſionis flagrabat, quia penes ſuperiorem Pontificem fuiſſet, vt illam interuerſam moleſtius ferret, quanto minore fructu eorum criminationibus adductus ſacra arma intentaſſet, neç profana ſuperabant. quocirca, ſicut ſcriptores referunt, magnā ex ea re moleſtiam cepiſſe illū pluribus argumentis eſt deprehenſum. Rainaldus nulla iam reliqua ſpe Pontificis leniēdi, ad quem propterea, ſimulque vt ab Inquiſitoris ſententia prouocaret, legatos miſerat Gerardum Gualbertum & Patritium Gragnanēſem, ſtatuit maiorum exemplo ac more Principib. tradito de illis iniurijs, deq; innocentia ſua amicos cōmonefacere. propterea Albertinus Mainardus iureconſultus aulȩ aſſuetus in Galliam mittitur cum mandatis, vt ex itinere de actis omnibus edoceat ciſalpinos proceres largius patcius ùe pro cōditione, ac mutua ſibi cum ijs neceſſitudine, vno Sabaudo excepto, cui cuncta liberaliter cōmunicari voluit propter affinitatem, quando in Ateſtinam familiam Thomæ eius prouinciæ reguli filia nupſiſſet. Franciſcus Medices & ipſe iuriſconſultus Venetias, Nicolaus Aldigerius ex amicorum cohorte Florentiam iuere, huius cognationis puella ibi neſcio cui in matrimonium collocata,

familiam

familiam eodem nomine condiderat. Germanici tumultus perpulere, quemadmodũ mox dicemus, vt accuratius totam eam rem pertractandam ſuſciperet. poſtremò non ignarus quo tenderent Pontificij, eiuſmodi præſidia circumſpectare cœpit, quibus non ſe modo defenderet, ſed etiam omnem ſui offendendi ſpem inimicis præcideret. quæ priuſquàm moueret vulgatis iam per ciuitatẽ irati Põtificis minis placitum eſt populares de opportunis admonere, vti cõperta iniquitate eorum, qui ipſum obliquis artibus ſolio detrudere volebant, priſtinam animorum conſtantiam ac fidem retinerent: quo facilius in vniuerſum res noteſceret, decuriones; quibus cum ageret, delecti. conſtat is magiſtratus totius vrbis inſtar ex duodecim ciuibus, quibus ſeni accedunt partim ex primarijs miniſtris, partim ex nobilitate ſpectatæ virtutis inſignibuſque peritia legum viris, partim e media ciuium claſſe, horum ſupremo ab iudicandi conſtituendæq; reipub. munere Iudici nomen eſt. conueniebant tum decuriones certo loco via, qua Romani Fanum etiamnum viſitur, poſt alius eſt aſſignatus in area pro Ateſtinorum ædibus, vbi & ceteris in orbem aulicis magiſtratibus ſuæ cuiq; ſtationes ſunt deſcriptæ. Ibi princeps ordinis Iacobinus Contrarius expoſuit, ſe Ateſtinorum nomine renuntiare, Pontificem in fraudem inductum edicta eiuſmodi promulgauiſſe, vbi æquitatem cauſę cognoſcat, in quo pro virili eſſent adniſuri, non dubitare, quin de ſententia decedat: quod ſi ius faſq; inimicorum calumnijs cedat, principes nulla in re aut propriæ, aut cõmuni omnium ſaluti defuturos, qui pro certo habeant, perinde ac ipſi pro oppidi tutela neutiquam vitæ parcent, ſic nos, quicunque exitus ſequatur, pro eximia caritate, ac fide noſtra conſtantiſſime obſeruaturos natum in ipſorum domo principatum, cui tantum debemus, quo tantopere ſuperbimus. Peractis mandatis ſurrexit Odo Canalis gente patritius conſultus iuris ac decurio, ſuetus, cùm de imperij ſtatu ageretur, in conſilio Principibus adeſſe: is, vt qui dignatione præcelleret, reſpondit, notam ei ordini Principum religionem ac ſapientiam, decreta omnia ſe ſe amplexuros pro optimis ſummo ſtudio ac certiſſimis ſtabilis obſequij teſtimonijs. dein quæ capita Contrarius ſummatim perſtrinxerat, fuſius explicata cupiens in hunc modum eſt exorſus. Non ad hortationem ſupervacuam, ſed vt animis noſtris ſatisfiat, libet de tota hac re, quam munus mihi meum largiter patefacit, diſſerere: vti eadem cõperta vos quoq; non mediocriter oblectent. quæ in Franciſci Marchionis cæde atque Hiſpanorum fuga, quæ poſt Pontificis regnum auſpicantis indignationem acciderint; quantum in eo placando,

cando, ac ſeſe apud orbem terrarum purgandis noſtri principes laborarint, notius vobis eſt, quàm vt commemorare oporteat, vel quibus contumelijs noſtra ciuitas, atq; adeo moderatores ipſi ſint exagitati, vel qua patientia, quoad licuerit, omnia tolerauerint. In eo verſabitur oratio mea, quod vos quidem conijcere, non introſpicere valetis, quodq; pertinet ad conſilia tandem prodita, & obiecti criminis indignitatem. Erat ſuſpicio non leuis Pontifici initio ſacerdotij, vtpote miniſterij inſueto, & ſiniſtris amicorum ſermonibus onerato, qui magna illi emolumenta ſub honeſtis titulis proponebant, contraq. ſemel imbibiſſet, difficulter perſuaderi poſſe. haud tamen deerat ſpes fore, vt quandoque aliter ſentiret. hæc nequidquam credita: quippe docuit exitus, quantum auctoritati amicorum acceſſerit, quòd deinde apud eum gratia præualuerunt: vt omnes aditus ad errorem exterminandum præſepſerint: vt ad iuſta & neceſſaria arma Ateſtinos ſtimulent, & ipſi porro has turbas occaſionem ſuam ſint facturi. huiuſmodi fraudem, quæ certe aliquando Pontifici patebit, Rainaldus ſatagentibus clam amicis deprehendit tot præterea litteris teſtatam, vt dubitare de illa nefas ſit: ac illi vero ſane, cuius ſtimulis aguntur, mala mens reſpondet: nam vt in ſpeciem auxilium oſtendant, ſi nos complectantur, tyrannos pro vindicibus experiamur. haud minus falſo Principes noſtros criminantur, quia alienum imperium per vim occupent, eo indignos eſſe. cuius iniquitas calumniæ vt manifeſtius appareat, e re arbitror, nec dubito quin id nobis, vt prædixi, iucundiſſimum ſit futurum, exponere quot, quàmque iuſtis nominibus domus Ateſtina conſequuta fuerit hunc principatum. Anno ab hinc ceteſimo in magnis huius populi calamitatibus Salinguerra intus debacchante, Federico & Ezelino externis imminentibus hoſtibus Azo IX. & legitimo iure & vetere poſſeſſione fretus poſt illius exercitum profligatum, hunc interfectum, poſt purgatam Taurelli ſceleribus ciuitatem peſtiferum virus inteſtina exedens extraxit, eripuitque præſenti periculo atque ineuitabili iacturæ, ne momento ab auariſſimis & crudeliſſimis tyrannis iterum correpta deleretur. deinde non ſeruator modo, ſed fautor virorum genere ac factis illuſtrium, quos vti eminentiores alij ſuſtuliſſent, nobiles, bonos, virtute præſtantes extorres ac diſperſos domum reduxit, plebem magiſtratuum atque adeo optimatum reuerentem ſuis muneribus vacare, alienis abſtinere condocefecit. hinc prope dicamus neceſſatijs atque egregijs artibus inuectis, diſtinctis, temperatiſq; inter ſe concordia & otio potentibus & tenuioribus, adhæc pro cuiuſq; conditione commodis at-

dis atq; honoribus diſtributis non iam vrbem ab illo inſtauratam, ſed certam nobis viuendi formulam editam fuiſſe, ſicuti depoſitam ac deploratam aïa inſpirata ad vitam reuocauerat, multo mehercule præſtantius, quàm ſi eam exſtruxiſſet; cuius etiam ab origine conditore Principe Ateſtino nunc annum prope milleſimum inimus. indicant igitur præclarę Azonis actiones omnibus laudibus, quæ quidem iuſte parti regni ſunt, cumulatiſſimæ, verū maiores noſtri merito illi detulerint imperium. quippe ſuper nobilitatem inferiorum inuidia longe maiorē, quę in eo elucebat propter Ateſtini ſanguinis claritatem ac vetuſtatē ampliſſimis quibuſq; familijs cōnexa, ac tot ſeculis perpetua ſerie propagata, propter & finium latitudinē, quòd teſtantur regnum Germaniæ, ac Sardiniæ principatus; Hetturiæ, Piceni, Veronæ, Inſubrum, Ligurum præfecturæ: Saxones, Bauari, Brūſuicum, Luneburgum Ducum titulo poſſeſſa, atq; aliæ alibi opes: licuit arbitrio ſuo erigere afflictos, cuius rei ſic illum inſita virtus cōpotē fecit, vt nulla ſanctior excogitari queat principatus origo, vtiq; cū ſocialis exercitus imperator aliena arma tractaret, & iure ſuo prę ſideret oppidis ac prouincijs, ob quę multo magis iſtiuſmodi deditionis capax fuit. quin & huius Azonis pater fraterq; bello ac pace Ferrarienſibus præfuerunt: adde maiores, quorum veſtigijs hæc ipſa terra olim eſt impreſſa cum tanta totius populi caritate, vt nos ad eius modo nominis memoriam incredibile ſtudium præ nobis tulerimus, hanc vnam familiam, vnicum ex ea rectorem, quàm aliunde, aut diuerſam reipub. formam præoptare. nā vt præteream Almericum, qui Marchionem hic egit, Thedaldus, Bonifacius, Mathildis filia eiuſdem omnes ſtirpis eūdem locum obtinuere, nec deinde Azonis huius imperij auctoris poſteri quidq̄ admiſerunt, cur eos degeneraſſe merito arguamus; præſertim cū tranquillitate noſtra adducti Mutinenſes ac Regienſes vltro ſe Opizoni dederint. quantum vero eius filius Azo complexus nos fuerit atque extulerit, recentius eſt, quàm vt narrare oporteat. adhæc decretum noſtri ordinis, quo regnum vterque accepit, poteſtatem illis in omnes fortunas noſtras tribuit, conceditq́ue vnum pluresúe hæredes in perpetuum vt libet ſcribere. ſed qui me ex vniuerſo popularium cœtu maxime obſequentem ac veritatis amantem affectus in hanc diſputationem traxit, longius quàm initio ſtatueram prouexit, non quòd exiſtimem accepta beneficia commemoratione indigere; neque enim patitur voluntas in eos noſtra: ſed quoniam, quanto attentius naturam huius principatus contemplor, eo magis intelligo inuidos nullam indigniorem notā Principibus noſtris inurere potuiſſe, quàm violentiam.

tiam. enimuero quid hoc mendacium apertius refellat, quàm quod noſipſi dominantes corpotibus & ſanguine noſtro retinuimus, aliquo caſu abſentes omni poſthabito diſcrimine acciuimus, atque intra mœnia recepimus? iuſtum iniuſtumq́; Principem exilium inprimis diſcernit. dum regnant, odio quidem ac beneuolẽtia ciuiũ diſtinguuntur; ceterum plerunque ex nimia fiducia amor in rebus ſecundis tepeſcit, in aduerſis timoris magnitudo odium opprimit. quod ſi populus recte affectus eſt erga rectorem ſuum, eius abſentia mirabiliter accenditur, nec quieſcit donec ille redeat. contra vbi inuiſi iugum excuſſit, libertas appetita, atque alius quæſitus dominus; ac, ſi cetera deſint, vltro priore deterior aſcitus tyrannus ſatis indicant, quàm illum abhorreat, quàm libenter procul ab ſe arceat. Ac ſtudium, quo ſe Ferrarienſes tradidere Ateſtinis, eo etiam illuſtrius eſt propter libertatem tum vſurpatam, cum eſt deditio facta. ſiquidem poſt donationes collatas in ſanctam ſedem noſtri Principes diutius hic cum bona omnium pace regnauerunt, nullius nutum aut ſupremum ius reueriti. non deſunt quidem qui ſcriptum reliquerunt Mathildem Ferrariam Pontifici teſtamento legauiſſe: at præterquam quod non conſtat de ciuium conſenſu, hereditas cõtrouerſa fuit: oppidum populari reipub. forma vti permiſſum, & illa varie agitata, ita vt vel ea recepta opinione populus ſupra centum annos poſſeſſione tutus eiuſmodi deditiones non ad alterius domini, ſed tãtum ad ſuum arbitrium abſolute exegerit: nec Marchiones, qui deinceps in Romanæ eccleſiæ ſocietate ſemper manſere, ſtipendio, fidelitatis ſacramento, aut aliquo alio modo, cuius quidem veſtigium extet, precario ſeſe imperio vti declararunt. nec legato ius in nos tribuerit Franciſcus bello Veneto adiutus, quippe humanitatem æquat inhumanitas atque improbitas illius, qui quem, ne ſpoliaretur, protexit, mox ipſe ſpoliat. At ſint ſane ea in ciues hominis merita, vt quodam modo patriæ ſalutem Pontifici acceptam referre oporteat, cur Principes inſimulãtur, quos repentina conſternatio extra culpam ponit regij præſidij violati, atque ignaros facti euincit? age ſit hæc vis, & ſi dictat æquitas extortam latroni veſtem reſumere, qui ſit locus regulæ a legato adductæ, ſi inauditis excedendum vrbe eſt, quam tenuere primo Ferrarienſes, poſt Ateſtini, alius præterea nemo? ne liceat etiam rem vllam vllo temporis ſpatio aduerſus eccleſiam præſcribere, ac propterea ius præcipuum ſemper illius fuerit, vt cohæreat regula, ſi qui prius vim fecerat, cedere, & deiectus in poſſeſſionem debuit reſtitui? quinimo liberũ fuit Marchionibus re cum ciuibus compoſita ſic regnum repetere: etenim

dum pauliſper abfuerunt, nulla eiuſmodi occaſio obuenit: ea oblata ſubito Ferrariam ſeſe intulerunt: igitur perinde ac ſi alienæ vi cedentes ſtatim reuertiſſenr, hoc eis neutiquam obeſſe potuit. quæ nam ergo eſt iſta inaudita Legati acerbitas in hanc parriam? in hos Principes? quos ambiguo non modo certo iure beneuolentiam Pō tificis ac miniſtrorū meritos vel inde colligitur, quod Azones, Opizones, Velſones, Vgones, Aldrouandini, & atque alij huius ſtirpis proceres pontifices ab nationum furore, carcere, ſeditionibus, contumelijs falſorum Pontificum, atq; impetu maximorum exercituū ſæpiſſime texerunt. inprimis vero id vna teſtatur ætas, qua ſoli Ateſtini pro ſancta ſede conſtanter propugnarunt aduerſus Cæſarem Henricum IIII. iſtius, qua nunc conſpicua eſt, maieſtatis pene dixerim auctores. his fundamentis ſtetit conſtans inſtitutum Gregorij VII. vindicis Eccleſiaſticæ auctoritatis, quē ſucceſſores poſtea ſunt æmulati. ijdē perpetuo Eccleſiæ auctoritatē defenderunt, vnde principes atque aſſertores Guelfæ factionis ſunt habiti, vnde infinita pericula cum graui propriæ ditionis detrimēto, ac vel integris prouincijs exuti ſubiuerunt. Hæc, quæ Pontifici propoſita certi homines ad eius aīum non patiuntur penetrare, ſciunt Marchionū ac præpotentium Principum ſtudioſi; hæc illos culpa prorſus liberant, noſq; officij & conſtantiæ noſtrę admonent: itidem excuſant ſi adhuc vigent interdicta, quæ timere omnia magniq; facere debemus: nec quia arbitremur hæc nos indigne pati, ac Pontificem ſuppreſſa veritate falli, non parem tanto infortunio moleſtiam capiemus. qua in re decet nos ſequi veſtigia Principū noſtrorum, qui licet ſibi conſcij ſint iuſtiſſimam ſe cauſam fouere, decreta tamen ſanctiſſimi paſtoris reuerentur: ac quo firmiora præſidia contra vim armatam comparabunt, eo æquioribus animis erunt erga illius poteſtatem. Quæ cum ita ſe habeant, & pateat ex eorum explicatione, quàm æqua ſint Ateſtinorum poſtulata, quantum præter naturæ vinculum ius faſque nos obliget eò flectere, quò ipſi innuenr, conſtantiſſime exequemur, quòd aliàs toties tam impigre prætulimus: quod hæc ipſa ciuitas, hæc terra, præſens denique ac præterita ſecula fortiſſime gerentem hunc populum viderunt: quod Ateſtina gens ſe ſuaſq; omnes opes in diſcrimē libentiſſime pro nobis oblatura ſpondet ſibi ex innumerabilibus teſtimonijs, quæ tot tam certa dedimus voluntatis ab longo vſu ac natura informatæ in hos proceres, qui quàm habeāt conſtitutum hic manere, huius ciuitatis gubernaculum nunquam deſerere, re ipſa teſtabuntur, vbicunque per occaſionem liceat. hæc tanta vi pronunciauit Odo, vt orationem mirus decurionum aſſen-

ſus con-

ſus conſequutus ſit. & illi conuento Principe, quòd ea ſibi per collegam nota eſſe voluiſſet, demiſſe egere gratias, ſimulq; vehementer etiam atque etiam petiuerunt ipſe fratreſque ab ſtatione publica ne diſcederent, ſicuti ille ordo fixum animis haberet omnia pr Ateſtinis tam iuſta ac neceſſaria in cauſa cõtemnere. dedit fidem Rainaldus ita fururũ: mox conſilio aduocato diſſerere cœpit quàm multæ ab multis partibus ſuſpiciones circumſtarẽt. id vero facilius intelligatur, ſi explicemus quo in ſtatu forent principum res, qui metum ſpemùe Rainaldo facere poterant. Adduxerat quadriennio ante Matthæus Vicecomes Soncinum ditionis ſuæ oppidulum Canem Scaligerum, Paſſerinum Bonacoſſam, cumq; oratoribus Ateſtinorum legatos aliquot Principum Galliæ togatæ & Hetruriæ, ac monitos quo animo legatus eſſet cũ communibus hoſtibus cõiunctus, vt ad eum ſuſtinendum conſociari arma oporteret, omnibus libentiſſimis fœdus percuſſerat. ac primo quidem Scaligero aduerſus Patauinos opitulatus, dein præfecto copiarum Marco filio Genuã obſedit. cum terra mariq; premeretur, Carolus Fliſcus & Gabriel Grimoaldus in ſenatu verba fecerunt, eaq; ſententia obtinuit, quando nullus æque facilis ad ſalutẽ exitus pateret, Robertum accerſendum, eiq; rerum ſummam eſſe permittẽdam. is vt libere portum tenuit, cõplures incluſus menſes quadam die quaſi triremium partem ab ſe dimitteret, trierarchis, vbi extra conſpectum in altum euecti forẽt, circumagere naues, ac procul hoſtium caſtris ad littus appellere imperauit, ſic curſum moderãtes, vt nocturnus acceſſus eſſet, quo Marcum eo modo nec opinantem opprimerent. re effecta, nec non aliquot prlijs victor Robertus obſidionem ſoluit; ab Genua Auenionem contendit, vbi egit cum Pontifice de bello hoſtibus inferendo. fuit etiam ſuſpicio, cum ſenſiſſet Pontificem propter Hiſpanorum fugam Ferrarienſibus iratum conſilium iniuiſſe ciuitatis armis petendæ, ſed parum proſperis in Hetruria ſucceſſibus fractum intentumque rei Genuenſi vim, vnde illò dominatu exciderat, inultam reliquiſſe. augebat etiam ſuſpicionẽ Francus rex, à quo ſub eos dies Pontifex ac Neapolitanus impetrauerant, vt Carolum Valeſium fratrem ad vexandos Inſubres in Italiam mitteret. illud vero Rainaldum maxime ſolicitũ habebat, quòd omnium, quæ Auenione agitarentur, ſummum ac præcipuum eſſet, quo pacto Federicus conſilio atque ope aduerſus Ludouicum ſubleuatus ſuſcepta Italica expeditione Vicecomites ac ſocios cõtunderet. Succeſſerant hi duo proceres Germani ante biennium in locum Henrici, quem ſcribunt veneno ſacro calici infuſo in agro Senenſi de medio ſublatum. alterũ

tanquam dignum illo faſtigio ſicut parens Albertus Auguſtus commendauit, cuius memoria celebri Rodulphi imperio renouata eſt; ita plurimum adiuuit ad idem conſcendendum Lupoldi, Alberti, & Othonis fratrum magna auctoritas, quorum primus, vti admonuimus, Sueuis imperabat, reliqui, ille tum quidem priuatus regniq; expers, poſt fratrum obitum Dux Auſtriæ ſalutatus, hic Charintiæ. Ludouico præter Ioannem Boemiæ regem aderat Rodulphus Comes Palatinus, queis acceſſerant Petrus Maguntiæ, & Balduinus Treuirum Archiepiſcopi, qui cur a Federico ad competitorem tranſiuerint, variant inter ſe ſcriptores. res eum habuit exitũ, vt vnus Colonienſis Antiſtes & Saxo in officio manſerint, cum in Valdemari reguli Brandenburgẽſis chirographo, qui propter valetudinem comitijs prohibitus ſuffragium ſcripto commiſerat, Ludouici nomen lectum fuiſſet, quanquam ille Federicum ſe ſcripſiſſe aſſeueraret. hinc proditum memoriæ eſt tabellarium, quod abraſo Federici nomine alterum ſubieciſſet, ab eo traditum cuſtodiæ, necatumque fame, cum alij in conſpectu immanis helluonis aſſidue veſcerentur delicatis epulis, quarum ille contactu arceretur. Cum ſolenni ritu Cæſar ſacraretur, Ludouicus a Maguntino alienas partes præripiente Aquis loco ei rei deſtinato diadema accepit; ex diuerſo Federicus ab Agrippinenſi, cuius illud munus erat, exornatus Romæ alio, quàm quo oportebat, loco ſumpſit imperatoria inſignia. Cæſarum diſſidio Germania in factiones diſtracta, quicquid oppidorum ad inferiorem Rheni ripam pertinet Seltzo tenus cum Ludouico, Seltzenſes ac ſuperiores ciuitates duabus exceptis, quæ mox vi ſubactæ in partes venerunt, cum Federico ſentiebant. His diebus cum ſæpe acie dimicatum, & de eo ſtatuendum armis eſſet, quod Principes ac populares ſtudijs ſuis integrum non reliquiſſent, Pontifex ſuaſore Neapolitano rege, cuius filius ſororem Federici in matrimonio habebat, a Ludouico alienior erat eo cõſilio, vt alter deuicto æmulo, eaq; cura vacuus in citeriorem Galliam ad fœderatos in ordinem cogendos deſcenderet, qui tum Germanicarum rerum ſtatus eſſet multis expoſuit Rainaldus, inprimis conſtituens Pontificem ipſum imitari, qui alioqui in alterum Cæſarẽ propenſior nihilominus ambiguo etiamnum Imperij iure & eorum certaminum euentu eam voluntatem callide diſſimulabat: quippe refert Cuſpinianus Maximiliani Auguſti ſcriba, cui propterea procliue fuit abſtruſa totius Germaniæ monumẽta inſpicere, Pontificem cum perhumaniter ad eos ſcriberet, vtrumq; regem, ſibique carum appellauiſſe. quocirca Rainaldus ſimulandum ſibi ſtatuit, nunq̃ ſe

adduci

adducí poſſe, vt crederet Federicum fœdus aliquod facturum contra Italiæ quietem, & indigenarum procerum libertatem; ſed pro certo habere eius aduentum prouinciæ lætum, ac ſi opus foret ſalutarem etiam futurum pro ea auctoritate, qua polleret. ad hæc commemorare, quàm vetus neceſſitudo Habſpurgenſi cum Aceſtina familia interceſſiſſet. eadem arte Ludouici animum demereri placuit, ac plura de Pōtificis in ſe atque Apuli regis odio perſcribere; quàm confiderent Itali ſi tranſcendiſſet alpes, turbatores publicæ quietis ab eo cohibitum iri; nec non etiam admonere cognationis inter Vuitelſpachios & maiores ſuos. Hæc viſum Rainaldo ſocijs communicare atque oſtendere quid haberet commodi, ſi per ſuos ipſe neceſſarios, quorum aliqui non eundem Cæſarem colebant, ſic ſeparatim apud vtrumq; ageret, vt fœderatos ab ſe ſtatutos, acciriq; ad ferendam opem ſeſe crederent. multa ſibi pollicebatur de Gulielmo & Alberto vtroque eius nominis Secundo Brunſuicenſibus Germanicæ Aceſtinorum ſtirpis, & Gulielmo Tertio Luneburgenſi Duce apud Ludouicum, quem arcta propinquitate contingebant: de Lupoldo, quo cum non vulgari amicitia coniunctus erat iam inde ab ſuperioris Auguſti tempore, apud Federicum fratrem. probarunt omnes Aceſtini ſententiam: qui mox a Cęſaribus cum humaniſſimis verbis tam liberalia promiſſa retulit, vt ijs diebus defuncto Rainaldo Concorrigio Archiepiſcopo Rauennæ Argentam, quam ditionis ſuæ eſſe profitebatur; tentare armis decreuerit; idque eo deliberatius, vbi cognitum eſt Carolum Valeſium Vercellis, quod illi oppidum Turriani cōceſſerant vel æquo animo omnes fortunas ſuas profundentes, dum inimicis obeſſent, ab Galeatio Vicecomite obſeſſum fuiſſe. Gallus poſtea in ſumma inopia ab hoſte cibarijs large ſubleuatus, ac donatus aliquot militaribus equis egregię inſtructis attonitus ea animi magnitudine, ſed multo magis penuria, ac deſperatione auxilij, ſibi ſuiſque ſine fraude reditum in Galliam paciſcitur. Opizonem Argentam cum exercitu profectum oppidani, ne opprimerentur, ſpe deditionis in poſterum diem, interim Venetorum præſidio introducto ſunt fruſtrati. tandem Aceſtinis re ipſa compertum eſt, quo animo Pontifex in ipſos eſſet: nam altero &

1322 viceſimo anno Vicarium in Italiam ire iuſſit cum formidoloſo exercitu Raimundum Cardonam, qui Valentiam venit ad communicanda conſilia cum Bertrando Poggetto Cardinale Oſtienſi Legato; ibi trāſmiſſo Pado ad pagum Baſinianam obuium habuit Marcum Vicecomitem, a quo fuſus trans flumen reijcitur. interim Vergaſius Landus Legati iuſſu Placentiam ſe contulit, vt dolo iam ante

ſtructo

ſtructo oppidum reciperet. aduentu Landi cum populus cepiſſet arma, Azo Galeatij filius, qui alioqui adoleſcens cuſtodiæ præerat, cum duodecim ciuium nobiliſſimis clàm oppido profugit. pater deinde ſicuti ab Turrianis Mediolano pulſus, ita paulo poſt aduerſę factionis opibus reſtitutus maioribus pręſidijs res ſuas etiã in poſterum firmauit. At Ioannes tunc cum maxime indignatus iterum legato ſcribit coactis pontificijs copijs imperet Cardonæ ſigna cum hoſte vt conſerat. atrox prælium ad Montiam in prato, quod Diui Franciſci vocant, prope Mediolanum commiſſum in meridiem tenuit tanta pertinacia, vt haud procul mutuo exitio res abforet, niſi Marcus receptui cecinisset cognito Luchinum fratrem vulneratum fuiſſe. Sub id tempus Ludouicus, quem Federicus & Lupoldus Auſtriaci Spiram ac Bauariam ante adorti Alſatia exegerant, contracto in Sueuia ad Necarum flumẽ certamine victor cum Federico capto in gratiam redijt, multatumque Auguſti nomine deſignati Cęſaris titulo contentum eſſe iuſſit. ſecundum prælium nullo amplius imperij æmulo ſolus Auguſtus eam fortunam per litteras ſignificauit regulis fœderis participibus, iuſſitque bono animo eſſe; ſeparatim anno eius ſeculi viceſimo tertio certum hominem Ferrariam miſit, 1323
qui Marchionibus teſtaretur eos ab ſe in fidem recipi. Quanquam Rainaldus ad primum victoriæ nuntium familiarem ſuum ad Ludouicum miſiſſet de ea gratulatum, tamen fretus tam prolixo officio gratioſiſſimum miniſtrum eandem legationem obire voluit, qui de ijs, quæ legatus de eximia in ſe voluntate ipſius nomine renunciaſſet, ſingulares gratias ageret, incitaretq; ad Italicam expeditionem, quo præſens quàm opportuniſſime prouinciam ordinare, ac præſidijs confirmare poſſet. quippe cum cenſeret id non in vniuerſum modo, ſed priuatim etiam ſibi valde vtile propter varias ſuſpiciones, ad quas depellendas malebat bellum aperte ſumere, quàm diuturnis, licèt minime grauibus ſumptibus atteri; fortaſſe enim hoc pacto neceſſitatem capiẽdi arma ab ſe amoliretur. quapropter traductis in ſententiam ſocijs omnibus in Germaniam legauit Gaſparinum Stangam patritium Cremoneſem iuris inter aulicos præfectum, vnum ex intimis conſiliarijs. is ſuper excellentem rerum publicarum notitiam, quæcunq; miniſtri pontificij cum Ateſtinis egiſſent, optime callebat, vtpote toti illi negotio præpoſitus, ita vt ſi vſus veniſſet, poſſet de tota re accuratiſſime diſſerere. profectus Stanga & ad Cæſarem introductus ſic mandata peregit. Quo magis Auguſte Princeps mei ex humanitatis tuæ teſtimonijs intelligũt cum auctu virium ſtudium quoq; tuendæ Italiæ, ac priuatim imperij ip-

rij ipſorum creſcere, eo libentius explicent, quàm ſingulari abs te beneficio onerati ſint, atque aliqua ex parte animo maxime iſtius maieſtatis obſeruanti re ipſa reſpondeant. ſed enim cōfiſi ſi res Italiæ tanq̃ prouinciæ pendētis ex Romani Imperij maieſtate capeſſas, traditum ſibi a maioribus principatum conſtabilitum iri, ac facultatem fore teſtandi egregiam erga te voluntatem, hac vna ſpe non mediocriter recreantur. quinetiam cum ſit notiſſimum Auguſtam poteſtatem ac proprium decus quàm maxime tibi curæ eſſe, quæ cū felici (tantus numinis fauor eſt) victoriarum curſu ſic coniungis, vt vno eodemq; tempore ſublimium cogitationum tuarum metam attingant, habito cum ſocijs proceribus conſilio haud dubitant te quàmprimum in Italiam venturum, eamq́ue ſic compoſiturum, vt cum dignitate & commodo iſtius faſtigij, cum tua laude alienam perfidiam ac temeritatem ſecura poſſit contemnere. eiuſmodi neceſſitatem magis magiſq; auxit abſentia Pontificum Auenione deſidentium, qui quæ præſentes per ſe obire, aut certe ipſi alijs ſolebant demandare, nunc per miniſtros exequuntur neque ſemper vſu rerum ſatis expertos, neque fidos ſanctæ ſedi. quod cùm non ſemel cognouiſſent, aſſidue etiam operam dederunt, vti Cæſares eò tranſirent ad plebis ac tyrannorum violentiam cohibendam, vnde illa regio natura ſua florentiſſima tot locis tam impotenter eſt vaſtata. nec eſt cur infelix multorum Cæſarum exitus, qui deinde complures alios magnopere conterruit, reuocet te ab hoc tam neceſſario, ſalutari, honeſto conatu; quando etiàm liquido conſtare poteſt, quàm multis hoc idem feliciter ceciderit: quin ex rebus præteritis ratum atque firmum eſt, quemadmodum ſi ea mente Cæſares Italiam attigerunt, vt ſacroſancti Imperij iura nulla terræ iniuria defenderent atque reſtituerent, nihil non pro ſpe cum gloria ac fructu ampliſſimo atque ex ſententia effeciſſe; ſic contra fortunam aduerſam atq; infeſtam praua conſilia euertiſſe. teſtis eſt Carolus Magnus, non vt prouinciam proculcaret e Gallia profectus, ſed vt oppreſſionibus Longobardorum leuaret: quorum depulſo iugo ſumma nominis celebritate eam ſui iuris fecit. teſtatur Ludouicus Pius, a quo illatū Græcis bellum, quo Lucanos & Campanos reciperet; & hoſtes mira felicitate debellati. teſtatur Otho, cuius armis exciſa Secundi Berengarij tyrannide prouincia reddita eſt Romano imperio, ac poſt defenſa ab Sarracenorum excurſionibus; quibus cum Henrico Secundo continens bellum atque æqualis victoria cum fuiſſet, nec ille quidq̃ aliud quàm ipſius libertatem ſpectaret, idem exemplo ſuo cō probauit. confirmat denique Henricus VI. a quo Normanni pulſi

Mm nimio

nimio plus, quàm par eſſet, quotidie opibus creſcẽtes, & Neapolitanum regnum partum. En fortiſſimi reges ad apertam tibi viam digitum intendunt, quo ſi pergas recto animo in Italia expeditiones tuas feliciter regas, ac merito connumereris inter magnos illos Cæſares, a quibus eſt ſeruata. quod ſi in varias calamitates inciderunt Arnulphus, Henrici IIII. & V. Federicus Ænobarbus, Federicus Secundus: nimirũ id cauſæ fuit, quia ſicuti longe alia mente fuerunt q̃ ij, quos memoraui, ſic aduerſam fortunam ſunt experti. etenim nõ contenti Auguſtæ auctoritatis terminis altores ſimultatũ, iniuſti, ac violenti dũ aliena imperia ſubuertunt, a Pontifice deſciſcũt, in ſubiectos ſæuiunt, omnia quæ ſunt perpeſſi incõmoda ſibi ipſi confecerunt. quòd ſi etiam Hẽricus VII. qui proxime ante te hoc ſolio ſedit, vtriuſq; inſtituti tenorem præſtitit, vtriuſq; etiam fortunæ tenorem ſenſit: vt qui a Longobardis cũ plauſu ac omnium ordinum frequentia exceptus, quòd illius regionis pacandæ ingens ſtudium præ ſe ferret, in Hetruria, quia prouinciæ inſidiaretur, inuiſus, repulſus, ac tandẽ interfectus fuerit. iſtæ non pictę, ſed ad verũ ex ipſis factis expreſſæ imagines confirment id, quod iam plane habes cõſtitutum, vt Italicorum procerum curam ſuſcipias non in tuam vnius gratiã, ſed ob publicam vtilitatem, & Auguſtæ maieſtatis dignitatem atq; amplitudinem. eſt etiã quòd hoc procliuius efficias, quando ij, qui ſunt in foribus ac prope in limine Italiæ obſeruant te & ar ceſſunt, quãdo pari ſtudio te ſimul præſtolantur, in primis vero Rainaldus Marchio, cui haud dubie & ceteri Ateſtinę familiæ proceres, & ſocij omnes primas deferunt: ille multis atq; illuſtribus maiorũ ſuorum veſtigijs inſiſtens quàm poterit inſtructiſſimus aduenienti tibi occurret, progredientem proſequetur. quippe ex officijs, quæ Henricus tribuit Carolo Magno, Berengarius Ludouico Pio; Vgo & Azo vterque II. Othoni, Vgo III. Henrico Secundo, Opizo V. & Azo VI. Henrico VI. colligere eſt, quàm ſincera atque ſtabilis fuerit ſocietas Ateſtinorum principum cum ijs Cæſaribus, qui Auguſti decoris cupidi Italiam ſunt complexi. contra, quoniam Amizo in acie ſtetit aduerſus Arnulphum, Bertoldus, Azones V. & VI. aduerſus Federicum Ænobarbum, Azo IX. contra Federicum II. facile deprehenditur hos Principes non alia de cauſa cepiſſe arma, quàm vt vel ſe ipſos, vel ſocios ab eorum Cæſarum iniuria defenderent, qui non contenti ius Romani Imperij aſſeruiſſe, aliena etiam affectauerunt. At VII. Henricus inter diuerſas actiones non plane ſibi conſtans, & temporũ conditio tulerunt neutrã vt in partem Ateſtini ſtudiũ ſuum detegerent. attamẽ ſi ꝓficiſcaris in Italiã, quod te facturũ

ſpondet

ſpondet virtus tua, eo quidem animo vt te dignis artibus Auguſtū nomen proferas, iuſtos potentatus firmes; habes tu quidem Ateſtinos, quibus palam vtaris paratiſſimos, qui non opes modo ſuas tibi deferant, ſed etiam contendant amicos & propinquos ſuos in eandem ſententiā adducere. poſtulant hoc Ateſtina & Piceni præfecturæ, & nuper Mutina ac Regium Lepidi beneficiario iure a Cęſaribus conceſſa. adhæc orti familia mutuis vtrinque beneficijs Cęſaribus valde coniuncta, tum cognatione freti ſperant fore, vt nulla honeſta in re præſidium tuum deſiderent. extat præterea tuæ in illos voluntatis nō obſcura ſignificatio ac pollicitatio, nec non propinquitas, quæ eis tecum intercedit: ſiquidem Ludouicus proauus tuus natus fuit ex Getruda nupta Othoni Vuitelſpachio filia Henrici x. qui per tres Henricos IX. VIII. VII. Velſonis VI. filium ad Azonem IIII. Ateſtinum Marchionem genus ſuum refert. quidnam igitur tam vrgens tam aduerſum, Auguſte, ab hac te tam illuſtri cōditione vnquam abſtrahat? cuius facinoris gloriam petis, ſi pacata Germania laborioſam mentem tuam alijs curis, quibus perpetuo altiſſime diſtinetur, vacare ſinit? quænam prouincia Romanorum Cæſarum æque propria eſt: quæ magis indigens ſupremi Ducis, aut facilius admiſſura remedia, quàm Italia, quæ de tua præſentia tantum ſperat, tantū ſibi pollicetur? ſuſcipe Cæſar debitum ac potens patrocinium dignum Auguſta atque adeo manu tua inuictiſſima. huiuſmodi gaudium merito ſperatū ferat Principibus meis reliquiſque ſocijs, qui iam tum, cum marte iudice diſceptabatur, in clientelam ſe tibi dederunt. per illos animos apertos atque ſimplices, per fidem in dubia illa controuerſia cupide tibi exhibitam, per quā liberaliter appellatis auxilij ſpem minime fluxam feciſti, age Auguſte protege illos, complectere; hoc exemplo teſtare, vt potentiæ ac fortitudini iuſtitiam & benignitatem coniunxeris. Vbi Stanga finem dicendi fecit, ſubiecit Cæſar quæ fœderati nunciari ſibi curaviſſent, vtque recepiſſet ſe qua parte virium per occaſionem liceret, nunquam eis defuturum: nec viſus modo eſt omnia meminiſſe, ſed affirmauit & auxit vetera promiſſa, pręcipue quod pertinebat ad Ateſtinos. qua de re cū in genere tunc verba feciſſet, iterum congreſſus cum legato multa ſeparatim ſuper incolumitate eorum imperij diſſeruit partim monendo, partim pollicendo ſe egregiam in Ateſtinos voluntatem re præſtaturum. quod attinet ad Italicam profectionem dixit rem multis de cauſis animaduerſione dignam; eius ſe in tempore memorem futurum, ſperare autem ſe propediem ibi fore. reuerſo Stanga cum litteris & mandatis Ludouici legatus ipſius

tum Ferrariæ cõmorans Palatiolum venit, qui locus eſt in agro Cremonenſi; eò per litteras multi euocati, quibus cum Cæſar ſtatuerat ſocietatem iungere. Principio inſequentis anni conuenere Rainaldus, Canis, Paſſarinus, Galeatius, Caſtrucius, & exules Florentini. fœdus ſancitur, vt omnes eoſdem amicos inimicoſq; habeant. 1324
Iiſdem diebus Ateſtini quieti conſulentes, ſi qui forte in poſterum tumultus ac rerum perturbatio oriretur, exędificare, ac multo quàm antea accuratius emunire decreuerunt infimam oppidi partem adiacentem Pado. proinde vallo ac foſſa circumdederunt eam regionẽ, quam Antonianam nominamus, eo conſilio vt quandoque continenti ſecundum flumen muro oppido committeretur. inſuper deſcriptos, qui per ætatem arma ferre poſſent, regionatim diſtinxerunt, vt cum opus foret, momento armati ad ſigna conuenirent. Vix cohortes ordinatæ erant, cum Opizo ſumptis, qui nomina dedeſant ex regione Diui Romani & Mariæ, cui ab Vado cognomen eſt, & mercenarijs, quos paratos habebat, ad ferendam Cani opem Veronam properat, qui priuato fœdere totum ſe Ateſtinis dediderat: quippe cum ante annos ſeptem vaſtatis Patauinorum finibus coegiſſet Iacobum Carrarienſem, quem poſt obitum Petri Aldichini aura popularis ad eius vrbis principatum euexerat, in matrimonium collocare Thadæam ſororem Maſtino Scaligero Alboini filio; cõtempta deinde affinitate ſic ſe geſſit, vt Federicus Auſtriacus rogatu Carrarienſis ſubſidio miſerit Comitem Goritienſem, cui mox Vdericus Valſius ſucceſſit. Canis tamen Pataui) expugnationem iterum tentauit: ſed id erat robur Germanici præſidij, vt bis ad Baſcianellum victus tandem per Monſilicęſium fines Veronam fugere ſit coactus. poſt facta pace, & delato ad Charintiæ Ducem Pataui) dominatu Nicolaus & Martinus Carrarienſes minime obliti geminatæ iniurię ab Cane illatæ, ac ferociæ illius equitum millia quindecim exciuerunt ex Germania. ob id Canis, cui neque Cæſar, ſicuti receperat, opitulabatur, & fruſtra Vicecomites apellabantur, adeo Pontificij eos premebant, tradidit ſeſe Marchionibus. verum communi amicorum opera, qui neutiquam probabant tantam tranſalpinorum multitudinem domeſticis laribus recipi, ac docebant Carrarienſes hanc vnam eſſe expeditiſſimam rationem principatus amittendi, illata eſt mentio induciarum; quibus pactis Germani, qui iam erant in itinere, domum redierunt. Opizo & ipſe cum Ferrariam reuertiſſet memor contumeliæ ab Argentenſibus acceptæ affirmante Vidone Troncaduro populum prope vniuerſum Ateſtinorum eſſe, cũ iis, qui præſto erant militibus ad III. Kal. Nouembris eò duxit, ac

paruo negotio oppidulum obtinuit. biduo poſt arce ac toto illo tractu potitur. Ateſtinorum ſucceſſibus congruerunt codicilli benigne impetrati a Cæſare, qui ex omnibus Italicis proceribus in hos maxime liberalis beneficij iure ipſis largitus eſt Rhodigium, Arquatam, Fractam, Adriam, Arianum, Abbatiam, ac fluuium Atheſim, rataque habuit diplomata ab Rodulpho Opizoni eorum auo, & a Secundo Federico conceſſa Opizoni atauo; ipſos præterea in fidem
1325 ſuſcepit. Anno huius ſeculi quinto & viceſimo Comaclum iam ante, vt alibi admonuimus, Ferrarienſi ditioni contributum a Vidone Polentano, ad quem defecerat, ſponte ad Ateſtinum redijt. pariter Opizo; qui vnà cum ſuis copijs Canis ac Paſſarini exercitum ductabat, ad Domninianos vadit, qui poſt Placentiã amiſſam Azonem Vicecomitem mœnibus acceperant; ac depopulatus circumiectos Placentiæ campos auertit exercitum legati. in reditu Saxolum expugnatũ Paſſarino tradidit, cuius in poteſtate erat Mutina. mox diruto Montezibio Ferrariam venit, nec opus ſolum in Antoniana regione inchoatum maturauit, ſed de fratrum etiam ſententia magnificas in foro ędes extruxit prætoris ac ceterorum magiſtratuum domicilium; his ædibus ex re prętorij, quia ibi ius dicatur, nomen factum, vt ſuper munitionem ciuitas amplitudine ædificiorum in dies honeſtaretur. Iam ea erat Paſſarini cum Ateſtinis neceſſitudo, vt poſtridie Id. Septembris Eliſam ſororem ei matrimonio iungerent. ille ad traducendam ſponſam pulcherrima bucentauro naui magno cũ aliorum nauigiorum numero Ferrariam aduehitur. ſed inter ſolennia & ludicram nuptiarum pompam mors Aldæ ſocrus omnem hilaritatem diſcuſſit. interim Bononienſes, quibus cũ Saxolanis fœdus intercedebat, eorum caſu grauiter offenſi paulatim aucto exercitu ter in agrum Mutinenſem excurrerunt amoliti Scultennæ aggeres, & Quarantola atque alijs pagis direptis ne incendijs quidem abſtinentes. Igitur Paſſarinus cum hac de cauſa, tum cupiditate reſtituendi in patriam Romeum Pepulum, auctor fuit Rainaldo ſociorum duci, vt aduerſus Bononienſes copias educeret ſubmonens id cum primis Mutinæ conducere, quæ aliquando in eius poteſtatem iure ventura eſſet. ſic Monſuetus obſeſſus, & pugnando, vel vt eſt in quibuſdam annalibus Bononienſium, captus vltro dedente Vgolino Ioculo, vt inde ad cetera expugnanda aditus pateret. Dum hæc geruntur, Bononienſes præter cohortes ex Flaminia coactas Florentinorum quoq; auxilijs inſtructi non auſi modo ſunt caſtra caſtris conferre, ſed cum haberent peditum viginti, equitum duo millia; Rainaldus vero parem equitum numerũ, peditum quina mil-

na millia, connumeratis his, quos fœderati, & prætereа Caſtrucius Caſtracanes præbuerant; conſtituerunt adoriri Montemueterem. deliberantibus aduerſarijs prohibenda ne expugnatio an negligenda eſſet, Paſſarinus conſtantiſſime cenſuit tam exiguis copijs hoſte longe ſuperiore fortunam minime experiendam. Rainaldo dictitanti veterem ſibi exercitum eſſe, hoſtibus tumultuarium ac vel pugnandi arte exploratam ſe victoriam in manibus habere aſſenſit Azo Vicecomes impiger cùm ætate adoleſcens, tùm multo magis paterno ſanguine & Azone auo materno, cuius etiam nomen gerebat; contenditque non eſſe metuendam hoſtium multitudinem. Ateſtinus tripartito exercitu Paſſarinum & Gangam Landũ ab duobus lateribus curare iuſſit monitos, vt quo tempore ipſe tertiam aciẽ promoueret, & ipſi pariter inferrent gradum. itum eſt tanta vi in Bononienſes, vt e veſtigio turbati in fugam auerterentur. circiter tria millia cæſa: ex primoribus in poteſtatem venere dux Malateſtinus Malateſta, Iacobinus & Gerardus Rangonĩ, Albertinus Boſchettus, Lippus Pepulus & Saxolus Saxolanus. præda mille equitũ fuit, tentoriorum ingens copia, plurima impedimenta capta ac direpta. poſt victoriam Rainaldus incõmodiore anni tempore prohibitus, medio enim Nouembri conflixerant, ter mille ab vrbe paſſus omnem vndiq; agrũ effuſe vaſtauit; furor militaris cùm alia, tùm Ioannis Fanum & Caſtrumfrancum vehementer afflixit. inde cũ victor exercitus abduceretur perrupta incilium ſepta, & Rhenus inflatior campis ſuperfuſus; imo, quæ erant illorum temporum ſimultates, vt acerbior cõtumelia victis fieret, in gratiam Ferrariæ, Veronæ, Mantuæ ac Mutinæ ſingula ſeparatim præmia ſunt propoſita currentibus equis ab oppidi porta vſque ad flumen. Poſtero ineunte anno 1326
ægre tulit Bonacoſſam cũ Bononienſibus in gratiam rediјſſe; quippe ratus debilitari ac frangi a ſe poſſe, ſicuti initio veris facere ſtatuerat, pacis eos cupidiores fuiſſe iudicauit. rogantibus vero opem Fauentinis ob ſeditiones, quæ in Flaminia ardebant, Rainaldum Buccimpanem cum equitibus trecentis eò miſit, atque interponens ſe illis diſſenſionibus Fauentinos Foroliuienſibus conciliauit: atque ita omnis tumultus ſubito cõquieuit. Opizonem etiam Mantuam ire iuſſit, ne hoſtes maiora auderent, qui triennio ante captis Parma & Regio toto eo tractu plurimum pollebant. Opizo expeditioni præfectus cum Othone Vicecomite eò perrexit, factiſq; intra paucos dies aliquot excurſionibus Pontificios intra præſidia compulit. itaque confecta prouincia, ac nullo morę pretio conceſſit Vitellianam, vbi militem contraxerat. inde ſoluto exercitu domum redijt,

& fratribus adhibitis decretũ eſt Alberti Fanum opere firmare, proximeq; propugnaculum incredibili celeritate excitatum. Septimo
1327 & viceſimo anno Non. Febr. Bertrandus Cardinalis Oſtienſis Pontificis legatus Bononiam ingreſſus eam in deditionem accepit: vbi, quia primis ſtatim diebus grauiſſime fœderatis comminatus eſt, illi Cæſaris aduentum maturauerunt. Tridentum cum veniſſet fingens ſe de reliquo itinere non admodum ſolicitum, aut certe in Italiam ſerius deſcenſurum, vſque adeo Principes fœderis participes cõmouit, vt prope omnes vnà cum Caſtrucij legatis eum adiuerint orantes, ne diutius fruſtra cunctaretur, ſed promiſſa diſſolueret, ac tandem aditum ſibi patefaceret ad tam certas ac propinquas opes, ad quas ſe adiutores ei ſpondebant. Cæſar poſtquam ſibi viſus eſt eos ſui deſiderio ſatis inflammaſſe, ac propterea fore vt magis obſequẽtes atq; obnoxios haberet, ſimulans hoc ſe eorum precibus non cõmodo priuato dare, iter arripuit, ac paulum de via declinans Ferrariam venit, vbi Ateſtini magnificentiſſimis apparatibus exceptum ipſumq́ue & imperij proceres, Pontificem Aretinum, qui ad imponendum diadema acceſſerat, Galeatium Vicecomitem, ac ceteros fœderatos aliquot dies equeſtribus ludis detinuerunt. inde cum eo comitatu Mediolanum officij cauſa proſequuti ſunt, prius tamen ablato liberaliſſimo diplomate de oppido Argenta, deq́ue illius ter-
1328 ritorio. Principio inſequentis anni alterum itidẽ obtinuere, quod confirmaret ius in Fanum Alberti ac Fili oram, de quibus ſupra me morauimus. ſubſtiterat Cęſar Mediolani, & acribus verbis Galeatium pungebat, vt ex pacto magnam vim auri expediret aperte teſtatus ſe, quando ardua ac factu difficilia tentanda eſſent, pecunia indigere tanquam neruis, quorum ope commouere ſe poſſet, atque ſuſtinere ad ea efficienda, quæ animo propoſuiſſet. nec prius deſtitit incepto, quàm Vicecomitem veneficij inſimulatum in cuſtodiam daret, extortaq́ue Montia arce munitiſſima ipſum, fratres, filium, ac vxorem in carcerẽ conderet: poſt profectus Romam aliquot menſes procerum & Caſtrucij preces, qui pro Vicecomite orabant, pertinaciſſime reſpuit: ad vltimum neſcio quibus cautionibus libertatem eis non imperium reddidit. Rainaldo hæc viſa aſperiora, ac ſecum ipſe reputans eadem cupiditate facile impelli poſſe, vt idem ſtatueret in ceteros, qui ſe illi commiſiſſent: tum quia hominis verbis exiguum ineſſet pondus, credulorum conſilia peruerti, cœpit diligentius domeſtica reſpicere. dein ſuperuenit Azo Vicecomes Mediolanum a Cęſare dimiſſus ad pecuniam colligendam: is Rainaldum eſt hortatus, ſubduceret ſenſim ſe ex illa ſocietate, monuitq́ue re-

que reliquos ſocios feſſos ac ſpe fruſtratos, ipſumque in primis Caſtrucium iam magnopere pœnitere. Bertrandus captato tempore Marchiones curauit admonendos Pontificem, qui ſciret coactos ſuorum iniurijs cum Cæſare ſenſiſſe, eos in integrum reſtitutos velle. re explorata, ac minime iam ambigentes Auguſtum, qui Vicecomites in vinculis iam haberet, contra fœdus feciſſe, Gaſparinum Stangam conſiliarium, cui, quemadmodum oſtendimus, res Ferrarienſes erant notiſſimæ, vnaque Albertinum Bouium patritium magna virtute legatos Auenionem decernunt. Pontifex ijs comiter appellatis vbi comperit ab maleuolis confícta in Ateſtinos crimina fuiſſe, decretum, quo Ferrariam deuouerat, inducit. ideirco Marchiones non paulo meliore rerum ſuarum ſtatu proximis Saturnali- 1329
bus confluente ex finitimis ciuitatibus ad ſpectacula multitudine ludicra armorum certamina, ac publicas epulas exquiſite maximaq; impenſa celebrarunt. Eodem anno Eliſa, quæ poſt viri cædem apud fratres perpetuo fuit, XVII. Kal. Septemb. obijt. eam cædem fecit Aloiſius Gonzaga Giberti filius, cui ante annos XXVI. Azo X. certo impoſito ſtipendio aliquot caſtella in Regienſi tribuerat. propterea filius alioqui magno nomine ac clientelis auctus tam amplo patrimonio, ac talis iam qui poſſet ac auderet manu vindicare neſcio quas graues iniurias, quibus immerentem Bonacoſſij affecerãt, tùm ſolertia Canis, tùm ope ciuium aliquot Germanos ignoros introduxit, obtruncatoque Paſſarino Franciſcum ac S. Andreæ abbatem ipſius filios, Vidonem ac Butironem natos ex fratre Pinamonte comprehenſos Pichijs tradidit, qui in ima turre Caſtellari, quod eſt caſtellum prouinciæ Frinianæ, egeſtate cibi ad mortem adegerunt vlti crudelitatem Paſſarini, a quo eodem loco Franciſcus ipſorum frater vnà cum liberis pari ſupplicio excruciatus fuerat. ita cũ ſumma rerum ad Aloiſium recidiſſet, ex qua radice ſtirps Gonzaga enata eſt, Eliſa ad fratres redierat potiſſimum quòd cum imperio Bonacoſſia familia prorſus interierat. etenim Pinamontes Othonello fraude cæſo, quem anno a partu Virginis CCLXVI. ſupra milleſimũ populus ei collegam dederat in repub. adminiſtranda, quinto eius magiſtratus anno regnum inuaſit, & ſublatis, qui genere & opibus præſtantes cupiditati obſtabant Arlotis, Caſoldis, Groſſolanis atq; Agnellis tyrannidem quoad potuit firmatam liberis Taino, Ramberto Boticellæ, Rainaldo, Paſſarino & Butironi reliquit. Rambertus vix paſſus Tainum paucis menſibus in imperio eſſe anno nonageſimo eum expulit. huic poſt annos duodeuiginti ſucceſſit Paſſarinus, cui, ſicut eſt a nobis dictum, ſub eos dies interfecto duo ipſius &

ſius &

ſius,& totidem pręmortui fratris Butironis filij ſuperfuere. quibus Caſtellari extinctis & imperium & ſtirps eodē tempore deſijt. perbreue autem vtrumque extitit atq; intactum nepotibus: illudq́ue ex ſacris litteris re confirmatum male partis, cuiuſmodi ſunt tyrannides, pronepotes non frui. Eodem anno Ioannes codicillis ſuis Ferrarienſem pręfecturam Ateſtinis largitur iubens irritam eſſe Inquiſitoris ſententiam in eos: itidem quæ vigente interdicto egiſſent ſiue iure dicundo, ſiue contrahendo, aut teſtando, atq; his ſimilia om

1330 nia recipi ac valere voluit. Pariter anno xxx. litteris plenis humanitatis in fidem eos ſuam recepit: paulo poſt diplomate cauit, quos ipſi velut dignos ſacerdotijs diœceſis Ferrarienſis nominarent, ijs legatus e veſtigio ea ſacerdotia conferret. Legatus inter hæc dignitatis ornamenta a Pontifice in Rainaldum collata ab eo cōtendit exturbaret Finali, quod eſt oppidum pari ſpatio inter Mutinam, Bononiam, ac Ferrariam ſitum, exules ab ditione Pontificia; quo perditi receptaculo vtebantur, ita vt neque apparitores magiſtratuum, neq; poſitæ inſidiæ quidquam proficerent ad eum tractum purgandum frequentibus incurſionibus ac latrocinijs. Rainaldus tùm hac de cauſa, tùm regionis cōmodo, atque vt ab ea parte fines ſuos pacaret, negotium ſuſcepit. eò cum modicis copijs VI. Kal.Septemb. profectus locum cepit, ac latrones illos funditus ſuſtulit, ſic vt pręſidio amiſſo ne veſtigiū quidem eorum comparuerit. Ceterum vt quo legatus modo voluntatem cōmutauerit, ſimulq́; nouorum motuum cauſas explicemus, quibus ſunt percuſſi Marchiones, ita vt plagæ altius penetrauerint, ſciendum eſt malorū omnium initium & caput extitiſſe aduentum in Italiam Ioannis Boemiæ regis, quem quoniam profectio Cæſaris in Germaniam prouocauit, obiter eam attingemus, vt Boemus iſta ſerie facilius cis alpes traducatur. Cæſar regijs inſignibus de manu Stephani Columnę Romæ ſumptis quòd ſuper alias iniurias ab Ioanne interdicto petitus fuiſſet, Petrum Corbanenſem ſub Nicolai nomine adorauit, ac ſpe potiundi oppidi Florentiam cum exercitu progreſſus Caſtrucij morte, cuius potiſſimum virtute fretus rem ſuſcepiſſet, paulo poſt incepto deſtitit, Piſiſq́ue & Lucæ maximis turbis excitatis etiam Caſtrucij liberos expulit. tranſgreſſus itidem in Galliam togatam Parmæ, Regij, ac Mutinæ præfectos, quos viſum eſt, conſtituit; atque ea quidem regione omnium ſupremum Marſilium Roſcium, cui priuatim Parmam attribuit, Giberto Foliano & Azoni Manfredo Regium, Manfredo Pio Mutinam. legatus Bononiæ metuens ne mœnibus clauderetur, Malateſtam Malateſtium rectà Formiginem iubet ducere;

incolæ ipſi correptis armis in hoſtiũ fines excurrerunt. Iam iam legatum magnis viribus oppugnaturus erat Ludouicus, cum nũciata Federici Romanorum regis mors,& enata pluribus locis diſcordiarũ ſemina inter Germanos proceres, quorum ius eſt dicẽdi Cęſaris, cõtemnentem res Italiæ præ domeſticis in patriam reuocarunt. Nicolaus Pſeudopontifex, qui eum Piſas proſequutus fuerat, cõprehenſus a Bonifacio Comite principe aduerſæ factionis,& pertractus Auenionem Piſanorum nomine Pontifici dono datur. captiuus collo reſte vincto frequenti ſenatu ante ſellam Pontificiam procubuit: cum deinde Pontifex inferiore in cubiculo velut priuato carcere habitum, cum ipſe ſuperiore eique imminenti vteretur, miſſis ex quotidiana menſa partibus triennio aluit: tamdiu enim ſuperſtes fuit. Philippus Gallorum rex Pontificem Auguſti onere leuatum nõ deſtitit hortari ad Hieroſolyma ab Saracenis recuperanda: ſed ſuperuenit Boemus, qui fœdere implicato perſuaſit appellere animum ad certiora ac magis propinqua cõpendia. etenim defuncto Othone Charintiæ regulo, vt prouincia eius filijs impuberibus Federico & Lupoldo incolumis maneret, cui Albertus poſt fratris mortem Dux Auſtriæ appellatus imminebat, eò ſe contulit, ac breuiſſimo ab Italia interuallo cogitans per Auguſti abſentiam ſeſe in magno honore ibi futurum, tranſijt in Galliam togatam, rumore diſſipato venire ſe ſubſidio Cæſarianis; proximo enim Cæſare ipſe natus erat, & Ludouicum diræ pontificiæ cõmunione piorum arcebant. interim Brixiani, quibus ab Cane circũſeſſis res in arcto erant, Boemo ſe tradiderunt. id rex Scaligero denuntiauit, qui nulla mora interpoſita obſidionem ſoluit. Poſtremo anni die rex oppidum intrat: ſubſe 1331
quentibus Bergomum & Cremona vltro imperata fecerunt. auctus animo tam proſpero ſucceſſu, ac magna iam apud omnes opinione Regium ac Mutinam pergit, non ſpe ſolum ea paruo negotio ſubigendi, quòd erat vtrobique reſpublica perinfirma ac fluctuans, verum etiam nõnullorum admonitu, qui clauſtra dicerent, ſi quis arbitratu ſuo mediam Italiam vellet peruadere. poſt conſtitutas illas præturas, & Guidinellum Montecuccolum priuatis codicillis Mutinæ præeſſe iuſſum, Lucenſes & ipſi, quo bellum Florentinum depellerent, eiuſdem poteſtati ſe permittunt. inde circumdatus octo legatis, qui nomine Pontificis Bononiæ aderant, Caſtrumfrancum in congreſſum cũ Bertrando venit. colloquia tam occulta, tot mutuę beneuolentiæ indicia vtrinq; extitere, vt Longobardis Principibus necnon Roberto Neapolitanorum regi & Florentinis ea res immodicam ſuſpicionem inijceret. ſic cenſebant omnes, quãquam magnæ

gnæ

gnæ in Italia Ludouici opes, nec contemnendæ Pontificis Max. fuiſſent, tamen per mutuas diſſenſiones læſis licuiſſe ad alterutrius amicitiam ſeſe adiungere, atque ab ea diſcedere, & pro tempore atque vſu hunc illumùe ſocium præferre. nunc conſpiratio præpotentis regis cum Pontifice nullis excellētibus opibus, quo perfugium eſſet, reliquis, omnibus non mediocrem formidinem incutiebat. Ateſtini Argenta tradita nihil legato relinquebāt, cur eis negotium faceſſeret: VI. tamen Id. Aug. cum Roberto Apuliæ rege, cum Florentinis, Vicecomitibus, Scaligeris ac Gonzagis ſocietatem iniuerunt. qui totius prope Italiæ conſenſus, quòd ſingulorum nimium intererat, vſque adeo firmus extitit, vt excluſi eo fœdere nullo Guelforum aut Gibellinorū diſcrimine hoſtium numero haberentur: quippe neceſſitas, quoad viguit, ſua vi ex ipſorum animis ardens illud ſtudium factionum omnino expulit. verum quod multæ incidant difficultates, vbi plures eidem fœderi illigantur; ſunt enim pauci quorum animi conſentiant, & cauſæ complures quibus diſſentiant, præcipue vero cupiditas proferendi imperij, ac metus fluxæ ſociorū fidei: adde quod per impotentiam non licet interdum quæ conuenerint præſtare, nec facile, ſi quid inopinatum emergat, pro modo copiarum ſumptum metiri; Ateſtini ſaluo atq; incolumi priore fœdere alterum priuatim fecerunt cū Scaligeris ac Gonzagis, vt ſi qua probabili cauſa aut culpa reliqui cōuentis non ſtarent, hi manerent in fide. at vero quod maximi momenti eſſe ſolet, vbi mutuæ ſecuritati proſpicitur; auxilij parata copia, quoniam continentibus imperijs interiungere penè dicam manus poſſent, omnes facile coniunxit. Carrarienſes aliàs Patauinorū principes fœdere abſuerunt: Scaligeri ſuffecere, qui illis ad priuatam fortunā deiectis oppidum ſubegerant. Eiuſmodi vulnus familiæ ſuæ inflixit Nicolaus tum nobilitate offenſa, tum exaſperatis in vniuerſum ciuium animis ſupplicio Conradi Vigontij. hunc exulem quidem, ſed tamen propter magnas clientelas & ſtatum rerum Carrarienſium minimè ſecuri percuſſum oportuit; præſertim cùm aliter periculum depellere valerent, q̃ vt vis adhiberetur: a qua eo magis abſtinendum fuit, quòd recentia vulnera adhuc penè dixerim ſanguine ſtillabāt, & animi fluctuabant. nam paulo ante Vbertinus in gratiam meretricis magiſtratuū cędem fecerat, e quorum numero extiterat Gulielmus Dentius Paulo fratre fuga elapſo, ceterorūq;, quorū in manu leges erant, prætore deſignato Conrado Burchio ea conditione, vt ipſe omnibus criminibus abſolueretur: atq; ita caſu in familiam Carrarienſium principatum inuexerat. ciuibus ergo cæde Vigontij ad arma conſternatis Ni-

tis Nicolaus anno illius ſeculi viceſimo ſeptimo Venetias fugit. Canis acceſſitus potitur oppido, comprehenſoſq; Iacobum & Iacobinũ Nicolai filios cuſtodiendos in Germaniam relegat. Ac tametſi Nicolaus ope Venetorũ in Patauinos impreſſionem feciſſet, agrũq; armis captum obtinuiſſet, Marſilius tamen Carrarienſis III. Non. Sept. princeps ſalutatus tertio die Cani vrbẽ tradidit: poſt eo mortuo anno XXIX. XI. Kal. Auguſti Maſtino & Alberto pariter Scaligeris. propterea cum ipſi, non Carrarienſes imperarent, fœderi adſcribendi non fuerunt. Id primum ſocij conſtituunt, vt Robertus in Boemos incitet Pannonium nepotem ſuum ac Sarmatam Pannonij ſocerum: quibus ſuſpicabantur haud difficulter acceſſurum Cęſarem vtpote grauiter ab Ioanne læſum tot interceptis oppidis, quæ ille Romano Imperio ſubiecerat: ſic rati dũ Ioannes per hunc modum cogitur aliena dimittere ne ſua amittat, præſentibus ſeſe incõmodis atq; imminentium, & quidẽ multo grauiorum metu liberatum iri. verum Boemus etſi Italia excederet, fretus tamen regno firmiſſimo tùm robore virorum, tùm ſitu regionis vndique clauſæ, ac cogitans ſi forte Imperatoria comitia haberentur, quòd Pontifex ſacris Lucouico interdixiſſet, aliquot ab ſe proceres, quorum id ius foret, ſtaturos, maxime vero patruum Archiepiſcopum Treuirorum, adde quòd equitatu Ducis Charintiæ plurimum fidebat, Mutinæ cũ lectiſſima manu reliquit Carolum filium iam reuerſum Auenione; quo illum miſerat vt quæ cum legato conuenerant, Pontificis auctoritate ſancirentur. ita quæcunque anguſtiæ impenderent, minime cohibita animi magnitudine augere nõ modo conſeruare parta, & patrimonium tueri inſtitit. at Maſtinus poſt diſceſſum regis non eſt veritus quas ille vrbes ſub aduentum ſuum occupaſſet, ijs vim admouere. propterea Opizonis, quem Veronam acciuerat, equitibus ad ſuos adiunctis ad numerum ferme duum millium; improuiſo cum ſignis pontificijs Brixiam contendit, conclamatoque Eccleſiæ nomine Guelfi dolo capti, quaſi amici adeſſent, portas per vim patefaciunt, Maſtinumq; & Opizonem introducunt: ita ciuitati anno illius ſeculi XXXII. captæ Marſilius præficitur. ſocij quòd 1332
vaſto atq; effręno animo Boemus eſſe videretur, vtile admodum duxerunt exultantem anguſtius compeſcere, ac vires ſubducere inde auſpicantes, vnde ipſe ſpes ſuas primum incohauerat: quæ vt deditione Mutinæ ac Regij coaluerant, Rainaldus facile perſuaſit fœderatis vtrunque oppidum & ipſi inuaderent priuſquam Ioannis opes adauctę inſuperabiles efficerentur. fœderis cùm primis auctor atq; propugnator tùm ſcientia rei militaris & exiſtimatione facile princeps,

ceps, ſed multo magis quòd res erat de oppidis, quæ iuris ipſius forent, omnium conſenſu expeditioni præficitur. Bergomatibus fœderatorum ope ad deditionem cõpulſis ab Azone Vicecomite, tametſi Rainaldus proprijs ac maxime Scaligerorum copijs inſtructus, haud procul Mutina riuum inter ac Situlá caſtra locaſſet quaſi mœnia tentaturus, aliud tamen ſpectauit. erat illi conſilium prius San ctofelicianos in poteſtatem redigere, quod eſt oppidum inter Finale ac Mirandulam, vt hoc modo viam ſibi ad reliqua ſterneret: ac ſuperiore quidem loco conſederat, ne Mutina ſubmitti auxilium poſſet. ſummæ rerum præerant Albertus Scaliger & Ioannes Sampetrianus Patauinus vir ſtrenuus, quo legato ad exercitum Rainaldus vtebatur; & aliquot caſtellis ex materia ſic oppidum ſepſerat, vt ſpes eſſet paucis diebus in ditionem venturum. at Manfredus Pius, qui, ſi aperta vi ageretur, nondum obſidionem poſſet ſoluere, conſilium ab arte mutuatur, qua ſi non omnino hoſtem ſubmoueret, at ſaltem moraretur tantiſper, dum militem contraheret. proinde duces mutuis inter ſe odijs commiſit, eamque ob rem Albertus cum ſuis ab exercitu diſceſſit. ac tametſi Maſtinus poſtea, vt incõmodum corrigeret, ſatis magnam peditum atque equitum manum præfecto Gulielmo Cauatio in caſtra miſiſſet, interim tamen hoſtibus debilitatis obſeſſi cõmeatu ac milite ſunt ſubleuati. Pius nactus ſpatium ad comparãdum exercitum vnà cum Carolo Boemi filio & aliquot cohortibus eductis Parma & Regio ad obſeſſos profiſciſcitur. ibi acri cõmiſſo certamine octingenti equites ceciderunt, & Sampetrianus prælio inferior in hoſtium poteſtatem venit. Hic Hiſtorici quoque falluntur, qui prodiderunt Nicolaum Rainaldi fratrem hac pugna captiuum factum; nam præterq̃ quòd illi non interfuit, conſtat aliquot diebus poſt ad Conſandalum captum fuiſſe: ita vt rerum geſtarum ignoratio vtriuſq; loci notitiam abſtulerit. Rainaldus haud quaquam animo abiecto III. Kal. Oct. cum Maſtino & Aloiſio Gonzaga Mutinenſium ingreſſus fines Ciuidale & Quarantolam expugnat: tum metatus caſtra ad pontem longum Situlæ varijs excurſionibus Bagnum, Dinazzanũ, & quam vocant S. Lazari turrim in Saliceto intercipit. eo rerũ ſucceſſu legatus, qui appoſita oratione conſilium ad id tempus ſuum occulere ſtuduerat, re ipſa illud detexit, quemadmodum & cũ Florentinis fecerat, quibus ſcripſit nec voluntate Pontificis Ioannem in Italiam tranſiſſe, nec Lucam, aut reliqua citerioris Galliæ oppida apprehendiſſe; nec minus id pro vano habitum, quàm quo Rainaldum eſt aggreſſus, re vera abhorrere ſe ab regis amicitia, ſed ne eum offenderet hac vti

ſimula-

ſimulatione officij ac beneuolentiæ. verum, vt eſt a nobis demonſtratum, facta verbis repugnantia & ijs quæ moliebatur, plane congruentia conſilium ipſius retexerunt. Etenim, ſicuti teſtantur ſcriptores Bononienſes, cum propter acerbitatem tributorum & complura alia ſcelera quidam nobiles pellere eum vrbe decreuiſſent, ad bellum Ateſtinis faciendũ calumnijs eſt incitatus; vt militibus, quos circum ſe cuſtodiæ cauſa habebat, in expeditionem miſſis præſidio nudatum facilius opprimerent. itaq; in Ateſtinos accenſus ſena peditum millia, equites quingentos coactos Carolo obtulit; ſimulq; milites de improuiſo Argenta eductos, quod oppidum ipſi cõmiſſum fuerat, caſtellum ad Conſandalum a Marchionibus extructum iuſſit occupare. quo modica cum claſſe ſecundo Pado delatus Nicolaus dum foſſam ſuperat, præceps equo effuſus ab hoſtibus capitur. & hi agrum late depopulati multa, in his & pontem incẽderunt ſub lata catena, qua ex vtraque parte religabatur. hæc ita vt diximus acta ſunt anno eius ſeculi XXXIII. Principium inſequentis calamitoſum ac pene exitiale Marchionibus extitit: qui gnari nec communi tot amicorum, nec priuato fœdere ſibi licere hoſtilia aduerſus Pontificem eiuſùe imperium moliri: pręterea nihil denuntiante aut edicente legato, non erat quod probabiliter ſuſpicarentur ſeſe principatu ab eo ſpoliatum iri, quem & pluribus alijs, & Vicarij nomine ex ſolennibus Pontificis tabulis poſſiderent. ad hæc legati apparatus inauditus fuerat, nec erat dubium quas copias ſub ſignis haberet, eas vel cõmouendæ tantę rei ſuſpicioni non eſſe. ceterũm docuit exitus Pontificem perpetuis criminationibus ſtimuliſque miniſtrorum inſtigatum ad Ferrariam occupandam animum appuliſſe. Id quo foret procliuius, poſt ſacra reſtituta atq; præfecturam oppidi demandatam operam dederunt, vt Principes ab ſenſu fraudis auerſos, ac nihil tale metuentes aliquãdo opprimerent. quippe legatus clam inſidias ſtruebat tempus idoneum captans, quo vno eodẽque ictu perculſam ciuitatem proſternere poſſet. itaq; vacuam præſidio & commeatu nactus, nec ignarus Ateſtinorum vires nonnihil affectas capto Nicolao & aliquot centurionibus militiæ peritis; ſed multo magis aduerſo ad Fanum Felicis prælio, vſus eſt commoditate cuſtodis Georgiani pontis, ac certorum hominum ex Antoniana regione, quos ante pecunia corruperat. poſtr. Non. Febr. cohortibus promotis, quæ ad Conſandalum conſtiterant, nec non ala ex præſidio Bononienſi, vtroq; loco potitur eo minore negotio, quòd nondum ibi perfectæ munitiones erant. quanquam ab initio legatus nihil mouebat, ſic vt Marchiones inde animo ſecuro eſſent, tamen

1333

men

men Malateſta & Galeotus Malateſtæ Arimini, Franciſcus Ordelaffus Foriliuij, Ricardus Manfredus Fauentiæ, Oſtaſius Polentanus Rauennæ reguli iuſſi erant intenti paratiq́ue imperium expectare, vt cum opus foret in expeditionem exirent: cum magna enim manu ſubſequuti ſunt eos, qui primo Ferrariam tentauerunt. ea deinde multitudo in caſtris fuit, vt oppidum vndique obſidione cingeretur: quippe legatus Bononia acciuerat quotquot duabus vrbis regionibus arma ferre poſſent: ex alijs item partibus lectiſſimos, quòd nihil a vicinis metuebat. ſiquidem tum Lucæ erat Carolus Boemus; inde Florentinis egregie obſiſtebat: Manfredus vero Pius tam valido præſidio Mutinam obtinebat, vt hoſtes ab oppugnatione Bononiæ deterreret, cui alioqui ſine externo præſidio ob hanc cauſam nullum periculũ imminebat. hoſtes Glaream primo ingreſſi tum ſuburbanam inter murum Padumq́ue, nunc coniunctam oppido, ad portam quam Diui Petri appellant, ſucceſſerunt: vbi atroci certamine contracto oppugnatores cum magna cæde repelluntur ab Aduocato Tauriſano cuſtode: poſt irrita vi magno impetu conuerterunt ſe ad Diui Leonardi & alia mœnibus circumfuſa ſuburbia; ibi furor eſt debacchatus agendo ferendoq́; ferro, incendijs ferme omnibus abſumptis, infeſto etiam nauibus flumine, ne quid militum aut annonæ ad obſeſſos importaretur. inter hæc Rainaldus populum in fide cõtinuit; cuius aures etiamnũ perſonabant ea oratione, quę iuſſu ipſius ad principem Decurionũ habita fuiſſet, ac deinde ab ipſo repetita ſuper iuſta ac neceſſaria defenſione. in eádem ſententiam multa tum diſſeruit ciues etiam cohortatus mox diſpoſitos idoneis locis, & frumento ſic admenſo, vt incõmoda obſidionis tolerari poſſent. non vigilijs, non aſſiduis conſultationibus aut in exequendo diligentiæ pepercit; quemadmodum nec populus cuſtodias ac cetera, quæ imperarentur, detrectauit. contra fœderati propriam vicem ſoliciti, & pro ſe quiſq; ſpeculantes quid reliqui conſilij capiant, opẽ non ferunt, ac ſi forte eò inclinat animus, maiores obſeſſorum anguſtias operiuntur arbitrati ipſos per ſe Ateſtinos vi ſuſtinendæ eſſe. etenim Pontificis ac Boemi nota omnibus conſpiratio, ingens legati apparatus, maxime autem quòd breui futurus in citeriore Gallia rex diceretur, habebat eos ſuſpenſos animi, vt ęgre copias ab ſe dimitterent, ne, dum alijs conſultum volunt, ſe ipſos lædant. aliquot iam dies magno ciuium detrimento obſidio proceſſerat, cum Rainaldus vehementer commotus prope deſperauit tantum pondus ſe diutius ſuſtinere poſſe, præſertim quòd Ioannes ad diem III. Non. Apr. Bononiam profectus adiecerat ad exer-

citum

citum cataphractorum alam ex Gallia Narbonenſi præfecto Comite Armeniaco, itemq; equites ſexcentos leuis armaturæ. nimirum rex inquieto ingenio, & qui ſecundum cupiditatum, quas immoderatas animo conceperat, curſum paterno regno anteferret, relicta cum exiguo exercitu Boemia, cui deinde ob eam rem magnis incōmodis affectæ ſolito inclementior hyems tantum ſaluti fuit, Auenionem ſe contulit, ibique totos quindecim dies ſecretis cum Pontifice colloquijs conſumpſit de Italiæ rebus: quam imperio ſuo ſubijcere prorſus ſtatuerat, cum alioqui præ ſe ferret eam ſe cōmunicaturum cum Pontifice. poſtmodum celeriter diſcedens ex congreſſu Franci regis, cui & ipſi prolixe eſt pollicitus, ſicuti legato receperat, magnis itineribus Bononiam venit, vt Ferrariæ expugnationē præſens vrgeret adiuuaretque. Hic erat ſtatus conquaſſatæ atq; oppreſſæ ciuitatis, cum excitati ſocij, & rectius ſubducta ratione haud dubitauerunt ni labenti nobiliſſimorum Principum imperio adminicularentur, eam iacturam vnicuique cōmunem fore, hoſtemq; maioribus & opibus & nomine ſingulos facilius debellaturum. itaque placuit ſubſidio Ferrarienſibus quàmprimum mitti equites mille ſeptingentos, a Florentinis quidem & Roberto præfectis Franciſco Strozza & Vgone Scala quadringentos, ab Azone Vicecomite ſub Spinella Liprando quingentos, a Maſtino Scaligero ſexcentos incertum cuius ductu, & Aloiſio Gonzaga præfecto Philippino filio ducentos. eodem quo equitatus tempore, qui quàm fieri potuit ocultiſſime iter confecit, aliquot lectiſſimę cohortes ſuperuenere, quę pleno flumine Mantua x x v. actuarijs nauibus deuectæ incredibili celeritate ripam tenuerunt. e veſtigio Rainaldus relicto ad præſidium ciuitatis Opizone cum parte auxiliorum impetum ad Antonianam regionem fecit: ſecuri, minimeq; pugnæ parati hoſtes vim non ſuſtinuerunt, quanquam vallo & foſſa atque alijs operibus caſtra cōmuniuiſſent: ac ne coire in vnum poſſent, Rainaldus huc illuc equitum immiſſis turmis cōglobatis vti reſiſterent inſtat, vrget, nullum colligēdi ſui dat ſpacium: tum & ceteri milites auxiliarij alibi cum Pontificijs manus conſeruere. Draco etiam Conſtabilis Aeſtinæ claſſis præfectus adiūctis nauigijs, de quibus ſupra diximus, cum hoſtium nauibus conflixit, ita vt omnibus locis terra ac flumine acerrime dimicaretur. prælij per ſe atrociſſimi horrorem augebant, quo maioris auxilij ſpecies præberetur, neūe hoſtes auribus aut mente ſatis conſtarent tubæ, buccinæ, tympana perſtrepentia, creberrimi ictus campani æris, clamor e muris mulierum ac puerorum, ſtrepitus totius ciuitatis, voces diſſonæ inuadentium, fumus flam-

flammaque ex pilis igne fuſili plenis, quas naualis turba in hoſtium naues mittebat. qui tot locis tam grauiter percuſſi tandem dedere terga pars ad flumen, pars ad Georgianum pontem, qui nequaquam oneri par ſuperſtantes ruina extinxit. pariter ſi qui nando ſalutem quærerent, ijs etiam prohibitis ingens multitudo in aquis perijt, reliqui omnes ferro abſumpti pręter mille quingentos, item & equites bis mille captos. caſtris atque omnibus impedimentis, quæ in prędam ceſſerunt, victor potitus eſt. Armeniacus, Abbas Granſilicenſis cum quęſtore legati & Flaminiæ proceribus in victorum venere poteſtatem, ac deinde cum Nicolao Marchione cõmutati vno excepto Comite, qui magno coactus eſt ſe redimere. ſatis conſtat interfectorum numerum longe maximũ fuiſſe. ceterum vti propter nimiam ſcriptorum breuitatem ignoramus quantis copijs oppugnatum fuerit oppidum, aut quibus locis obſidio diſpoſita, ſic his rebus nullum præterea lumen affertur. Ex huiuſmodi clade proximo poſt Id. Apr. die illata colligimus Ferrariam amplius duobus menſibus circumſeſſam fuiſſe. Rainaldus ſecundum tam inſignem victoriam equeſtri baltheo ab Aduocato Tauriſano ornatus more illa tempeſtate vſitato, ac deinceps poſteris tradito, vti viri principes virtutis ergò eam dignitatẽ acciperent de manu prouecti ætate militis, & ipſi porro eandem alijs conferrent, ſimul fratrem Opizonem pari honore afficit, nec non Bertoldum fratrem patruelem, & Franciſcum eius filium, Dogium Gruamontem, Nicolaum Tabulam honeſtiſſimis tũ familijs natos, quorum ea die egregia virtus extiterat. ſceleſti, quorum opera legatus Georgianum pontem & vicum Antonianum occupauerat, quæſtoribus parricidij traditi: tota ciuitas publica hilaritate & apparatiſſimis ſupplicationibus lętitiam teſtata eſt, grateſque deo egit. Iam ſtrages memorabilis vtrinq; vires ſic æquauerat, vt ipſi ſponte nullius ſtimulis incitati hinc legatus & Boemus, illinc fœderati in menſes ſeptem inducias pepigerint, queis finem Nouẽb. menſe ipſe Martino ſacer dies afferret. inter hæc perinde vt pontificijs atque regijs propter mutuas diſſenſiones plurimum deceſſerat, ita contra fœderatis cõmuni conſenſu rebus compoſitis & ijs, quæ ante decreuiſſent, ſtrenue incumbentibus multo plus virium atque animorum acceſſit. Iam induciæ exierant, quarum tempore Ateſtini, quòd legati iniuriam inique ferrent, quòdq; virium abunde eſſet ad eam, vt dignum erat, vindicandam haud obſcuras animi ſui ſignificationes dederant, Rainaldus omnium primus educit copias, quamquam pluuia adhuc fœdiſſima hyeme, & ſocij vernum tempus expectandum ſuaderent. Argenta primis conatibus deſtinata op-

pidum tunc frequens & cuſtoditum valido præſidio: quippe viſa eſt expeditio magni momenti, nec differenda propter opportunitatem loci, quòd illac Ferrarienſis ager peruius eſſet irruptionibus pontificiorum. mittitur illò cum magna manu Nicolaus Macaruffus nobili ſtirpe Patauij ortus. res ſuſcepta eſt eo promptius, quòd Boemus circiter Id. Octob. diſcedens Luca, quo ſe antea contulerat, vt ciuitatem Roſcijs Parmæ Vicarijs triginta quinq; florenorum nummũ millibus oppignneraret, negotio confecto vnà cum filio in Germaniam redierat: quamobrem multum opinionis atq; roboris exercitui pontificio decreuerat. attamen legatus inſequenti anno, qui fuit quartus & triceſimus illius ſeculi XIII. Kal. Febr. ea ſubſidia Argentẽ ſibus ſubmiſit, vt Macaruffus, qui ſtructis propugnaculis otioſe oppidum premebat & nihil minus cogitabat, territus ſe reciperet. id vbi comperit Rainaldus Opizonem ad ſe vocat, qui tũ Veronæ erat in conſilio apud Scaligeros deliberantes, quid mox agendum eſſet: ipſe cum nouo ſupplemento eò maturat, atque iterum clauſos oppidanos pacto adigit deditionem facturos, ni intra octauum diem auxilium mittatur. accepta cõditione & obſidibus Rainaldus cautius quàm Opizo feciſſet tum, cum eſt deceptus ab ijſdem contra fidem datam, cum exercitu conſedit loco idoneo, Mergonem vulgo nuncupant, vbi pontificios excepit, & demoratus eſt nauibus, quas ad id paratas in flumine habebat. ita Argentẽſes venia impetrata, modo ne perduellionis rei ſalui eſſent, Rainaldo ſe dediderunt. eam iacturam cum ægre ferret legatus principio veris ad turrim Pontonatiam propugnaculum extruxit, vt hic quaſi gradus eſſet ad oppidum recuperandum. Ateſtinus vero quo hominẽ ab incepto abduceret, per Centenſium fines diuexari Bononienſes curauit. hinc occaſionem nactus Brandeliſius Gozadinus, quam fama eſt, ſicuti affirmãt Bononienſium ſcriptores, ab Rainaldo ei indicatam, operam dedit vt legatus ad tutelam finium magnam populi partem emitteret, cui vt accederent complures nobiles pontificiarum partium eadem arte eſt prouiſum; poſt clauſis repente portis cũ clientibus ad arcem, vbi erat legatus cõtendit, qui haud dubie imparem ſe cernens pactus vt cum rebus ſuis incolumi abire liceret, fine Martij Florentiam conceſſit. Ineunte Aprili ſocij vt, quemadmodum clam conuenerat, oppida vnicuiq; deſtinata tribuerentur, Mutina Ateſtinis, Parma Scaligeris, Bergomũ & Verona Vicecomiti, Regium Lepidi Gonzagæ, Luca Florentinis, primo Cremonenſes adoriri ſtatuerunt. eò venerunt Opizo ac ceteri fœderi adſcripti Azo, Maſtinus & Philippinus Gonzaga. triceſimo obſidionis die incluſi obſidibus cauerunt, ni

1334

intra

intra dies ſexaginta Boemus eorum fortunis conſuleret, oppidum in poteſtate Vicecomitis eſſet. ita poſtr. Kal. Iun. ſocialis exercitus Caſalemaius traducitur. ibi duces tranſgreſſi Padum ad ponte aquę longæ, quo Situla iungitur, caſtra poſuerunt, agrumque Regienſem late vſſerunt ſpe oppidi quàm primum potiundi. at Roſcij Parmæ metuentes Germanos, qui merebant apud fœderatos, pecunia ad defectionem ſolicitauere, ita vt pollicerentur ſe, cùm Parmenſes contra in aciem prodijſſent, arma contra ceteros conuerſuros. ſocij ſubodorati inſidias Brixillũ ſe recepere. ibi ſoluto exercitu Germani tranſitione ad Roſcios plane declarauerunt, quid animo agitaſſent. Ad diem XVII. Kal. Iul. cum nullus Boemus comparuiſſet, Cremona ex pacto Vicecomiti portas aperuit. poſt iter hac faciens de meſe Octobri Ferrariæ excipitur filius natu maior illius regis, qui apud maiorem Balearem imperabat. dum varietate ludorum iuuenis detinetur, in publicam lętitiam incurrit ignis, qui diffuſo incendio tabernas maximæ iunctas ędi in foro cõprehendit: poſtero meſe non minor in Antoniana regione excitatus. Proceres legato Florentiam, mox Piſis Aueniorem diſcedente omni prorſus metu liberantur: quò cum veniſſet Pontifex tam triſti rerum ſuarum nuntio perculſus prægrauante ſuper morbum animi ægritudine atq; ætate decrepita: expleuerat enim nonageſimum annum: prid. Non. Decemb. naturæ ceſſit. reliquit in theſauris magnã vim auri, ſi ad factum ſignatumq; adijcias gẽmas, congeſtam vndeuiginti annis, tot enim Pontificatum geſſit: quam deſcriptam ex cõmentario quęſtoris refert Ioannes Villanus fratrem ſuum ad Cardinales attuliſſe, vt in tabulas referrent. fama tantarũ opum, etiamſi plurimum nec rumori nec opinioni vulgi veritas reſpondeat, haud mediocriter fœderatos pupugit: gnari tamen nullum prope armorum eſſe vſum in manibus imbellium, libenter audiuerunt XVI. eius interregni die in defuncti locum ſuffectũ fuiſſe Iacobum ex ſodalitio Ciſtertienſi Cardinalem Toloſanum ſumpto Benedicti XII. nomine. hunc ſenatus vniuerſus; fuere tum patres circiter XXIIII. cum Cardinalis Cominγius repudiaſſet honorem oblatum ſub ea conditione, vt ne ſupremi ſacerdotij domicilium Roma eſſet, Pontificem renuntiauerat vtpote obſcurum modicoque ſpiritu hominem, veritus potentiam Pelagruæ ac Columnæ. erat nimirum monachus nobilitatis, diuitiarum, vſus rerum, animi denique inops, cetera vir probus & doctus. itaq; periculum non erat, ne aut magnitudine animi ardua affectaret, aut praua voluntate alijs moleſtus eſſet. interim Ateſtini ſtudioſe contrahebant quidquid opis aut emolumenti rebus ipſorũ vnde-

cunque occurreret. quocirca Nicolaus anno v. ſupra milleſimum 1335
triceſimum XII. Kal. Febr. ducta in matrimonium Beatrice Vidonis Gonzagæ filia arctiore vinculo eam familiam ſibi deuinxit: & ſaturnalia Ferrariæ iucundiſſime acta. proximis Ieiunij diebus Venturinus Bergomas ex ſodalitio Dominicano ad ſacrum bellum publicis concionibus pios accendit, ac fretus eloquentia admodum ſane ea tempeſtate celebri magnæ ſe Italiæ parti perſuaſurum putauit, eam expeditionem priuatis ſumptibus ſuſciperet. ceterum vt hæc monenti multi, dum Romam pergit, comites ſe adiunxiſſent, ſpe tamen ſine inſtinctu numinis irrita fruſtratus eſt: quippe tam arduum opus longe aliud, quàm linguæ miniſterium poſtulat. alij ſcribunt non de bello aduerſus impios Ferrariæ conciones habuiſſe, ſed quia pœnitentiæ ergò omnes hortabatur vt ſumeret cruces, huic rei nomen factum; cum ad ſtatas quadraginta horarum preces amplius decem millia hominum ex togata Gallia in vrbem adduxiſſet, qui ferme honeſto loco nati haud abſimili Dominicanis habitu columbam ex albo pãno cucullis aſſuerant roſtro gerentem terna oliuæ folia, & cateruatim viceni aut triceni preeunte cruce incedebant pacem ac delictorum veniã ſublata voce expoſcentes: tum omnibus in oppidis in Dominicanorum templum coeuntes ibi pube tenus nudi ſeſe flagellis cædebant. ferunt Pontificem ea frequentia permotum homini ad ſe in Galliam euocato atque abſoluto aliquot capitibus impietatis, quorum inſimulabatur, concione interdixiſſe. Socij vt ante rebus gerendis intenti ita conuenerunt, Rainaldus Mutinam inuaderet, Regium Albertus Scaliger principatum Parmæ adeptus publico conſilio & opera Spinetæ Malaſpinæ, nec non Rosciorum voluntate, qui auctore Marſilio Carrarienſi auunculo cum Pontremulum & alia caſtella ſibi reſeruaſſent, nulla iam ſpe reliqua auxilij ab Ioanne VI. Kal. Iul. oppido migrarant. Albertus cũ magna manu agrum vaſtauit ab ea parte, quæ ſpectat ad Quattuor caſtella: deinde prid. Non. Iul. oppidum receptum Gonzagis tradidit: quibus Foliani præſenti pecunia, pactiq; præterea certam annuam ſtipem ius omne ſuum addixerunt exceptis tamen aliquot caſtellis. quanquam Azo aliter quàm per conditiones fœderis liceret, Parmam vti ditionis Mediolanenſis concupiuiſſet, ſequeſtris tamen Florentinis cõpoſita eſt res inter ipſum & Maſtinum, quem fœdus ipſum ſubigebat adeſſe Vicecomiti repetenti armis Placentiam & Domninianos. itidem Florentini, quibus in diuiſione Luca obtigerat, eò duxerunt, licèt Boemus deploratis in Italia rebus, animoque inde prorſus alienato vrbem Franco paulo ante cõuento Lu-

teciæ

tertiæ Pariſiorum donaſſet. nam Robertus per litteras Gallos edocue rat de muneris iniquitate, ſuaſeratque regijs miniſtris ne acciperetur. Ex alia parte Rainaldus ingreſſus Mutinenſium fines Nicolaū Tabulam, quem exercitui præfecerat, præmiſſum populari omniq; clade belli afficere iubet. Mariæ nouæ cœnobium, Ramum, Campumgaianum, Gargallum, Martini Fanum, Sorbariam, Albaretum ac Spilimbertum; dumque oppidum munitionibus ſeptum acriter vrget potius ſuperioribus bellis attenuatus, q̃ vel ſenectute, vel minus firmo corporis habitu grauiſſimū concepit morbum, relatuſq; Formiginem eo ingraueſcente mox Ferrariam deportatur; vbi maiorum amplitudinem vt & nomen æmulatus extremo anni die vitā
1336 finijt. Biduo poſt anno XXXVI. proſequentibus pheretrum Opizone, & Nicolao fratribus, tum magno ab Verona & Mantua præter domeſticum equitatu, præcedentibus compluribus equis atque alia exquiſiti cultus pompa apud Minoritas conditur. Etſi occaſu Principis metuendi ſimul atque amabilis, audacis cautiq; ſicut eſt a nobis demonſtratum, Manfredus Pius caput aliquantum ſuſtuliſſet, Opizo tamen, cui vtpote maiori natu rerum ſumma ac faſtigium principis incumbebat, obſidionem Mutinæ non omiſit. tandem decimo menſe Scaligerorum opera, qui de concordia cum Pio egerant, ſoluitur paciſcente XV. Kal. Mai. ipſo Manfredo ſuo ac Vidonis fratris nomine omnibus, qui Mutinæ tunc eſſent parceretur; Gibellini nobiles exceptis paucis reſtituerentur, & hi quinquennio vrbe abeſſent præter Rangonos, Boſchettos ac Vidones; quam populus pecuniæ ſummam Pijs deberet, de ea illis ſatisfieret; Carpos eodem iure, quo ex beneficio Cæſarum haberent, nec non Felicis Fanum: Situla quo minus libere decurreret, ius ne eſſet; reliqua ſtipendiorum præſidiarijs Germanis perſoluerentur; Pij certis beneficijs affecti in Ateſtinorum fide eſſent. firmatis conditionibus prętor cum decurionibus, vnaq; ſenatus atque populus Mutinenſis aſſentientibus Manfredo & Vidone poſtr. Non. Maij Marchionibus ſe tradiderunt. Nicolaus Tabula, qui ſub Opizone eandem præfecturam gerebat, mœnia ingreſſus vt pro Ateſtinis poſſeſſionem acciperet, ſeductos decuriones ac familiarum principes, qui ciuitatem ſubuertiſſent, comiterque acceptos errati eos admonuit, atque in hanc ſententiam caſtigauit. Quemadmodum tyranni odio quęſita libertas primores ciuium magno animo præditos eſſe indicat, publicique & priuati boni cupidos; ſic appetita, vt iuſti Principis imperium detrectetur, diſſoluti prauique ingenij certiſſimum eſt argumentum. ac ſi liber ille ſtatus, cui finis eſt honeſtus propoſitus, ma

le in-

le inſtituitur & deterius cuſtoditur; quanto pluribus vitijs laboret, qui licentiæ intentus moderatoris frænos aſpernatur? ſi raræ cuiuſdam felicitatis eſt propter paucitatem talium virorum in vnum inci dere rectorem modeſtum amantemq; æquitatis, certe multo difficilius plures pari integritate in eandem reipub. curam contrahantur. quorum diſſimilis virtus & probitas diuerſis ac diſcrepantibus inter ſe factis plus affert detrimenti in publicum, quàm vnius non quidem excellentis, ſed tamen tolerabilis hominis poteſtas. valeat iſte parū propter imbecillitatem animi aut nequitiam, pluribus viciſſim plura deſint ad ciuilem diſciplinam, hic quàm illi aut experientia ſua, aut aliorum admonitu, vel tandem præſenti aliqua neceſſitate facilius corrigi poteſt: accedit quòd priuſquàm ab Principe fiat ſeceſſio proprias vires diligenter penſare oportet: nam pars regni ciuitas quoad corpori velut membrum cohæret, ab ceteris partibus valide ſuſtinetur; inde abſciſſæ longe alia conditio eſt ſic, vt multorum arbitrio ſubiecta ſi ad vnius, ſed præpotentis domini imperium com paretur, ægra atque imbecilla maxime diuerſam ſumat faciem: an ſi ratione petitam libertatem inexuperabiles prope difficultates circumueniunt, non infirmiorem cenſebimus inconſulte arreptam? vt excluderetur Azo par iſti muneri, belloque & pace clariſſimus, veſtræ & tranquillitati & ſaluti aptiſſimus, ſiue ſpectemus rerum ciuilium vſum, ſiue integritatem ac potentiam, auctoritatemq; ſummi inter cetera momenti? contra ſi paucorum optimatum adminiſtratio multa habet incõmoda, longe plura ſine dubio habebit ſtatus popularis, cuiuſmodi apud vos fuit; ſiquidem cum de repub. deliberatur, omnes ſuffragium ferant. documento eſt Verona, quæ quoniam Scaligeros non deſeruit, reliquis vrbibus tumultuantibus omnis iactationis expers fuit. nec ante Inſubres quieuere, quàm ſub Vicecomite, qui nunc regnat, conſiſterent. ac tametſi Carrarienſes paulo aſperius Patauij egerunt, tamen quouſque ciuitas eos pertulit, multo melius illi fuit, quàm cùm alios atq; alios dominos experta eſt. Florentinorum & proprijs in repub. vitijs, & eorum leuitate, quos ſocios adſciuere, ad ætatem noſtram inſignes maxime calamitates extiterunt; vt ſe Roberto applicuerunt, quanquam nec ſatis præſidij foret in Carolo filio ab rege miſſo, & illum exercitus clades fregiſſet, manſit tamen hodieque manet ſeruitium, & commodius auſpicio regis quàm ſuomet ductu infortunijs occurrerunt. neque enim iactatio affectis corporibus conducit, & quæ difficilis curationis effecta ſunt, plerunque medicorum aut remediorum copia vel ſanabilia in morté afficiuntur, vel peritura celerius extinguūtur.

tur. licet contemplari cuiuſmodi earum Galliæ togatæ ciuitatum conditio fuerit paucorum annorum interuallo, quę libertatem vſurpauerunt. ſed ne aliena negotiã ſcrutemur, quos propria abunde diſtinent, vtq; externa exempla, vbi domeſtica ſuppetunt, omittamus, ſicuti non fuit neceſſe inter tot recentia vetera colligere; diſpiciamus quantum malorum importauerit ſpretus a Mutinenſibus non magis Ateſtinorum principatus, quàm a ſeipſis recte conſtitututis defectus ad turbam atq; confuſionem: conſtabit profecto ex vulneribus, quorum adhuc deformes cicatrices manent, quàm graui plaga ipſi ſe transfixerint. inuecta a colluuione & imperitia populati incõmoda triſteſque euentus ob oculos proponit reſpub. toties immutata, cum modo veſtro marte illam rexiſtis, pluribus modo, modo paucis aut pauciſſimis, deniq; vni paruiſtis. nunc finitimos viciſſim acciuiſtis dominos, nunc longinquos, & hos quidem infeſtos inter ſe hoſtes eodem tempore. quod eſt perſpectum prima reipub. conuerſione: vixdum enim ciues ab Azone deſciuerant, cum quattuor prætoribus creatis non ſolum vrbana plebs, ſed etiam ruſtica vno agmine curiam irrupit, correptoſque & conciſos codices, in quibus rationes publicæ, ac reorum nomina deſcripta erant, in ignem omnes coniecit; vti ex iſto rudimento haud dubie conijceremus contemptionem ſacramenti Ateſtino dicti, legumq; maieſtatis non alio tetendiſſe, quàm vt erumpentes ex cancellis, quibus ſe continent cultores honeſtatis, animos manuſque ad impotentia facta intenderent. hinc perſpicuum eſt Mutinenſes, quo fato Opizoni primum Ateſtino vos ſubieciſtis, eodem ſub alterius Opizonis ius rediſſe. nec ſane alia ſalutis ſpes erat, quàm ſi liberos atq; fluentes Principis manus, vt ante, comprimeret ordinaretque: quod vos fugit, vel eos potius, qui ſuffragijs rem obtinuerũt vincente meliorem maiore parte. liquet tandem veram libertatem non in eo poſitam eſſe, quod deliberare, ſtatuere, atq; imperare omnibus promiſcue liceat, quæ res propter inſcitiam ac diſſenſiones excidium eſt, non opus, ruina, non ędificium; ſed quod iuſti honeſtique regula omnes æquat ita, vt vnuſquiſq; id, quod ſuum eſt, conſequatur ac retineat, eoque ſecure fruatur. conijcitis ciues multitudinem nullius imperio æque contineri regique, atque illius, qui nobilitate ſic priuatas ciuium imagines exuperet, vt non facile quis cum tam exaggerata ſtirpis amplitudine contendere audeat. deniq; intelligitis populum, quem rector mediocris gubernet, minore negotio aſſueſcere obſequio; ac prope fieri non poſſe, vt populus ipſe recte imperet ac pareat. Vos ergo tot malis, quorum ſemper meminetitis, eruditi

diti læti alacreſq; opperimini moderationem, qua Marchio ratio- nibus veſtris opportune eſt conſulturus: ſic vos animoſq; veſtros pa rate, vt quam fidem atque obſequentiam iuſto Principi iterum præ- ſtatis, eã in poſterum exhibeatis, teneatiſq; ſuſceptam viuendi ra- tionem, qua & veſtra quies & ſalus conſtat. date operam ne clemẽ- tiam, qua deuictis paterna indulgentia errata condonauit, vlla vn- quàm defectionis ſuſpicio obturbet; ſic in officio ac fide perſeuera- te, vt vos maiori indies liberalitate, maiore ſtudio comprehendat, prouehat, extollat, occaſionem ſedulo captet teſtificandi re ipſa pa ternam erga vos caritatem. at enim quia beneficijs Principum aut natalium ſplendore eminentes ab ceteris nimium ſolent diſſentire, ſic habete cõmunem Principem multo quàm vos æquioribus oculis contemplaturum, quænam hic diſtinctio ſit adhibenda, atque ita belli paciſque munia, & quæ alia teſtimonia ſunt honoris diſpenſa- turum, vt ſatis nobilibus fiat, nec tenuiores indignentur. de cete- ro ſingulorum fortunas, corpora, dignitatem illibatam pollicetur tanta æquabilitate, vt iam nunc qui contra faxint, ijs grauiſſimas denuntiet pœnas, atque eo acerbiores, quo indignius eſt experti, moniti, atq; eodem relabentis peccatum. illud vero affirmat, ſicu ti vni vos Principi dicaſtis, ita vnam eandemque legem atque iuſti- tiam omnibus deinde futuram. ego tùm pro meo munere ac man datis, tùm pro beneuolentia in hanc ciuitatem, quantum potero, ſemper enitar, vt obeũdo magiſtratu actiones vobis meas probem. Prætoris monita ac reprehenſiones quicunque aderant in animos demiſere: reſponderunt quidam ſeniores, ſe vero multas ei gratias agere; renunciaret Principi municipium ſponte ſua ſtudioſiſſimum Ateſtinæ familiæ in ipſius ac ſucceſſorum poteſtate perpetuo futu- rum. id reliqui non modo geſtu, ſed etiam verbis prorſus confir- marunt ea alacritate, vt appareret intolerabili onere leuatis nihil ad ſummum gaudium deeſſe. prętor pollicitus ſe eorum cauſam ami- ce ſuſcepturum, cœpit prædicare clementiã Opizonis in ipſos, gra- uia detrimenta, quæ ſuſtinuiſſent non publico conſilio, ſed culpa ſua, vel potius paucorum perditorum conſpiratione, qui nacti ha- benas ciuitatis quietem euertiſſent. hortatus eſt etiam diligentius in poſterum rebus ſuis proſpicerent, ac cauerent ne quis eos magno cum ipſorum malo vnquam ſeduceret. tum calamitates recenſuit potiſſimum ortas ex magiſtratuum varietate, & quæ capita orando perſtrinxerat explicauit fuſius. quæ quo planiora ſint, nec rationes modo pro Mutinenſibus adductæ a præſide intelligãtur, ſed etiam caſus varij, atroces, ac valde memorabiles omnes paucorum anno-

rum atq; vnius oppidi tam nobilis tam coniunĉti cũ hoc, quod tractamus argumẽto, par eſt paucis exponere, quæ illius fortuna fuerit per annos xxx.quibus ditione Ateſtinorũ abfuit. Primum prętores quattuor ſunt cõſtituti cum libera oĩum rerum poteſtate tam temere, tam nullo ciuiũ deleĉtu, vt plebs vrbana ac ruſtica nihil reuerita magiſtratus maieſtatem quidquid monimẽtorum apud Iudices notarioſùe aſſeruabatur, facto in curiam impetu lacerauerit atq; igne, ſicuti memorauimus,abſumpſerit. in prętorum locum ſuffecti ſunt tribuni ſiue vexilliferi plebis,quorũ ſemeſtre imperiũ foret:his abrogatis prætura & ipſa ſenum menſium reſtituta, atq; ad vnum tandẽ prætorẽ breui redacta, cum rectorum multitudinem cunĉti deteſtarentur. at cũ in acceſſione morbi, qui nõ niſi acri medicamẽto percurari poſſet, huiuſmodi remedia fruſtra eſſent, Archipreſbyter Guidonius poſt paucos menſes Finale occupat non ſine detrimento eorum ciuiũ, qui fundos ibi habebãt. vnde inter nobilitatẽ & plebem ſeditio excitata, & patricij multi in carcerem detruſi. nec hic certaminis finis, quippe alio ex alio diſſidio, & ex vno multis incõmodis pullulantibus Guelforum & Gibellinorũ repetita nomina: inde res ad ferrum cũ pernicie ac vaſtitate ciuitatis deducitur: pulſi Guelfi vt ex illo igne immortale incendiũ conflaretur, vnà cũ Bononienſibus aduerſariorum exercitum,qui Maranum ab Guelfis captũ armis vindicabant, in anguſtias coactum late ceciderunt. Gibellini domi relicti accepto cladis nuntio Guelfos, quos ante exilio nõ multauerãt, nullo ſexus, ætatis, ordinis, dignitatis diſcrimine furore amentes atrociſſimo exemplo ad vnum oẽs iugulauerũt. quòd, niſi fors tuliſſet, vt ea tempeſtate finitimi ſuis quiſq; rebus animum intenderent, vrbs inanis, miſerabilis, funeſta quantum quidẽ in ipſa fuit, ſe ſuaſq; reliquias ad poſtremum interitũ occupãti prodiderat. Vix a tot malis reſpirarant ciues, cũ iterum ad arma ſtimulati propter impotentiã NicolaiGraſſonæ gentis principis, qui Spilimbertũ ſui iuris fecerat,eius cliẽtes pellunt;tum quòd exules aucti numero ſub ipſas portas excurſiones faciebant,& iam Marzaiam interceperant,inteſtinis malis grauiſſime afflicti experiri voluerunt,cuiuſmodi externi & ipſi damna inferrent. itaq; Veronenſium & Mantuanorũ ope nec ſine priuata iactura de Marzaię occupatoribus pœnas ceperunt. eius cõtrouerſiæ cum arbitros ſumpſiſſent Gibertum Corrigienſem & Paſſarinum Bonacoſſam, excidit memoria libertatis affectatæ, qua tamen integro quinquennio non fuerant vſi. poſtremo pertæſi omnium, & ipſi per ſe ignari publicæ rei gerẽdę tranſeuntibus illac populi romani legatis, qui proficiſcebantur ad Henricum Cæſarem,

vti, antequàm propius accederet, vrbem ei Romam dederent; ſtatim exemplo inuitati legationem decreuerunt, quæ ciuitatẽ Auguſti arbitrio permitteret. Is erat adhuc acceptorum vulnerum tamq; acris ſenſus, vt pro ſummo leuamẽto haberent Vicarium ſibi ab Cęſare datũ fuiſſe Guidoloſum Vercelleſium Piſtorieſem hominem innocentem, ſed eiuſmodi prouinciæ minime idoneum. mox tædio conſultorũ & poteſtatis popularis Franciſcum Picum Mirandulanũ Vercelleſij ſucceſſorem haud paulo imperioſiorem non grauatim tulerunt. Ac quoniam licet iſtiuſmodi Vicario & iuſto Principi in eo conueniat, quod vtrobique vnus regit, longe tamen inter ſe differunt; Mutina incendijs cladibuſque, quibus exules Bononienſibus coniuncti præter ipſum legatum captum & equites cæſos continentia vrbis deformarant, eo calamitatis recidit, vt ab excidio minimum abeſſet: acciditque id quod ſolet ijs, qui ex nauigio ardenti in vndas exiliunt, poſt ad flãmas redeunt, ita vt inter anceps malum acerbiore morte defungantur. etenim ciues peſtem ſuam conſpicati Paſſarinum & Butitonem Bonacoſſios ceruicibus ſuis impoſuerunt, qui obnoxios pro libidine proculcaturi Rhambertum Rhãbertium eò miſerũt hominem ad eiuſmodi munia a natura factum. mox ipſe Paſſarinus vice patrocinij intrò ſe inſinuans dominationẽ arripuit. vbi eos durioribus fręnis aliquandiu circũegit, Germanis, quorum metu ciues in officio continebat, ſtipendia de publico perſolui curauit; qui nequaquam contenti mercede conſtituta tela in ciues cum magna eorum ſtrage vertetunt. talibus exagitati iniurijs coegerunt Franciſcum Picum ante in cuſtodiam datum mox eductum (hunc prætorem Paſſarinus dederat) cũ gregalium manu vrbe cedere. Inter has turbas Canis Scaliger & ipſe ciuitati manũ iniecit, ac Bonacoſſiorum voluntate Federicum propinquum ſuum prętorẽ deſignandũ curauit. ille imparẽ ſe ratus populo regdoen, quem ſuo pte ingenio ferocem tot mala prorſus efferauerãt, hortatus eſt remp. conſtitueret, ac modeſtius vitam agitaret. ciues orbati iuſto Principe, cuius ope & conſilio, quoties eſſet opus, vterentur, hæſerunt incerti quidnam agerent. ita dum in concilio nemo in mediũ conſulit, ſuam quiſque rem agit, factionibus inprimis digladiantur cupiditate obcæcante rationem, dum remedia anxie quærunt partibus tollendis, cõſulta longius trahunt, turba ſeipſam temere obturbat, nec conſilia explicantur, Bononienſes facta irruptione omnibus locis memorabilem vaſtitatem edunt. intellexere tandem nihil æque officere ac ſemper deliberabundos nihil ad exiũ perducere. ac quia de repub. ordinãda publico in conſilio agebatur, vti ea poteſtas omnibus

nibus in orbem bonis maliſque itemq; plurimis communicaretur, ad priores quattuor totidem prętores adijciũtur, vt eſſent octo, qui ad tempus ſummæ rerum præeſſent. Ad popularem impotentiam, quæ domeſticæ exteræque violentiæ in perniciem ciuitatis aditum præbuerat, vis atque aſtus acceſſit: hinc Picus ope Zachariæ Toſabecchij, qui ſub eos dies Carpos in ditionem redegerat, vnà cum ipſo inter prætores adlectus magna dignatione, vel potius imperio rempub. capeſſiuit, ſuſpectanſque quoſcunque propter potentiam æmulos videretur habiturus, aliquot clariſſimas familias fraude exegit. vt vero Carpos ab Manfredo Pio recuperatos cognouit, & circumſedentem oppidum Gibertus Corrigienſis repulit, inſuper deprehenſis, quibus petebatur, inſidijs Mutinam Bonacoſſijs tradidit. rurſus cruciatus ac ſuperbiſſimus dominatus ingeſti: populares grauiſſimis in ciuitate tributis vexati nihilo clementius ruſticorum prædiorum nomine ſunt habiti: propinqua nobilium caſtella receptis ſæpe pulſiſue hoſtibus miſerabili clade affecta. quin & Verſutius pontificij exercitus præfectus maiore quàm quiſquam barbarus crudelitate eadem loca, atque vniuerſum agrum fœdauit, ædificia vndique vel ſub ipſis muris ferro atq; igne corrupit. Supererant quos experirentur, pontificis miniſtri: proinde ſub fugam eius, qui auſpicio Paſſarini & Butironis præſidebat, tædioq; ac mole rerum defeſſus & continentibus ſuſpicionibus abijt, ciues pontificio legato ſe dediderunt: paulo poſt eundem peroſi ad maxime diuerſum atq; repugnantem dominum confugientes cum ſumma lætitia Ludouico ſe ſubiecerunt. lætitiam ſine vllo interuallo ſubſequuta eſt pœnitentia: ſiquidem Germani, qui ductu Turingi Comitis caſtrorum apud Auguſtum præfecti in oppidum venerunt, vt ipſum, ſicuti iactabant, conſeruarent, atrocia in fortunas atq; corpora incolentiũ exempla ediderunt. itidem ne cuius diſſidij peſtis expers eſſet, poteſtate in profanã & ſacram diſtincta alteram Cęſaris Vicarius inuaſit, Pſeudopontificis legatus alteram. mox altero ius alterius ad ſe trahente, in ea contentione ſtatus atq; adminiſtratio vrbis multis modis lacerata eſt. & legatus & Vicarius in armis erant: milites vtrinq; rixis prope quotidianis atque cędibus pugnantes ciuitatem nouis ac contrarijs factionibus implicabant. nec quieti aut leuamento fuit aduentus Boemi, cuius nouiſſime iugum vltro ſubijt experta præſidij inſolentiam regiſq; imperium. Tum idem ſtatus erat qui fuit, cum ab Azone defecit. & Opizo adueniens III. Id. Maij ſumma lętitia mirificæ cuiuſdam voluntatis indice excipitur. facientem iter per Nonantulanos fines Bononienſiũ nobiliſſimus quiſq; officij cau

ſa ad vrbem proſequuti ſunt. populus præcedentibus collegiorum omnium vexillis cum plauſuque Marchionis atq; Opizonis nomen viciſſim inclamans obuiã ex oppido proceſſit. poſtero die, qui fuit Pentecoſtes, poſt factam rem diuinam ſolenni ritu in gratiam recepti Pici Saxolani, Sauiniani ſuper Rangonos, Boſchettos & Guidones, quibus diſerte, ſicut diximus, in deditione cautum fuerat. Maſtinus, qui ſociorum præcipue opera quàm maximam potentiã paraſſet, & illa ſimulq; arrogantia & fide infami fœderatis ceteriſq; iuxta inuiſus; cum Venetos ac Florentinos offendiſſet, Ateſtinum etiam in ſe irritauit. id quomodo acciderit nos, vti nouæ coniunctionis caput inueniatur, conſulto enarrabimus. Parebant Maſtino vndecim oppida Verona, Vicetia, Patauium, Tauriſum, Feltria, Bellunum, Ceneda, Bergomum, Brixia, Parma ac Luca. vectigalia ſeptingenta florenorum nummum millia conficiebant. Germanorum equitum ad quinq; millia pace alebat vtique leuiore impendio, quia in priuata hoſpitia diſtribuebantur. in ſummâ quiete homo plane felix dum Italicas opes contemnit, longinquas vtpote domi occupatas parum metuit ſecurus inuidiæ, quam apud reliquos Italiæ Principes ſibi conflabat & ipſos pace florentes, ac nihilo minore ſpiritu, vſque adeo exultauit, vt rumorem diſſipari permiſerit inflaueritque, ſe, quanquam perbona prouinciæ pars alienæ ditionis eſſet, regis Longobardiæ inſignia ſumpturum: ferturque ob hanc cauſam pulcherrimum diadema præparauiſſe. citeriorem Galliam regni titulo olim honeſtauerãt Longobardi ab romano imperio ſeiunctam. hinc Vido, Berengarius ac ceteri, quorum ante meminimus, Italiæ reges ſe appellauerunt habito reſpectu potius ad iſtam regionem, quàm ad Italiam vniuerſam. Maſtinus itaque priſcum nomen affectabat cohibitum intra Longobardiæ terminos: in hac cura totus erat. faſtus ea quaſi aura prouectus, quòd aperte ſignificabat ſeſe ad maiora aſpirare, æmulatione quidem atque odio finitimorum animos accendebat, quorum nemo nõ eum deteſtabatur, haud tamen quiſquam adhuc arma intẽtabat. vbi vero ſecundo fortunæ curſu ſuperbiaque nimium elatus hinc in extremo imperij ſui margine, qua Clodiam inter ac Patauium mare exæſtuat, fines Venetos eſt auſus violare caſtello ibi in Salinarum opus exędificato, Lucam illinc de Rolando Roſcio mercatus eſt, promiſſæq; Florentinis Gibertum Alamannũ cum ala quingentorum equitũ præfecit, quos etiam adiacẽtes Arno campos iuſſit populari, Venetum coegit ſtructo e regione in iiſdem paludibus propugnaculo huiuſmodi conatibus ire obuiam, Hetruſcum contumeliam manu vindicare. Illud potiſſi-

potiſſimũ remp. vrebat, quòd Germani ſeptennio ante Lucam vena lem habuiſſent octoginta florenorum nũmum millibus, ſubſequen ti anno minori pretio Gherardinus Spinula; tamen illius rei cupidine cæcata de Maſtino eam licitabatur trecẽtis ſexaginta millibus, quorum partem præſenti pecunia diſſolueret: de reliquo argẽtario rũ Venetorum fide in certam diem caueret. ita Florẽtini, quibus ex fœdere ſine impenſa oppidum debebatur, ludibrio habiti, ac ſub ſpecie amicitiæ cõmmercijque graui iniuria affecti vſque adeo ira exarſerunt, vt cum eandem Veneti ſenatus voluntatem cognouiſſent, xi. Kal. Iul. ſocietatem iunxerint ijs conditionibus, vt ſtatim Vero nenſis & Tauriſanus ager duobus equitum ac totidem peditum mil libus euaſtaretur; interim verò maioribus coactis copijs ea oppida tentarent, quæ capta Venetis cederent, perinde ac Parma & Luca Florentinis, ſi potiri contingeret. Imperium copiarum communi conſilio mandatur Petro Roſcio homini cum per ſe egregio, tum huic rei maxime idoneo, quòd eſſet nepos Marſilij Carrarienſis, idemq; inimiciſſimus Scaligeris, quorum iniuria procul maiorum principatu viueret. Maſtinus alijs locis exiguo præſidio impoſito, Parauij ſe cum quartuor equitum millibus continuit, quòd odio ciuibus foret, & multi Carrarienſibus fauerent. atqui ſolitus inſidijs minimeque æqua manu potius, quàm vera virtute aut bellicis artibus vincere, tametſi Roſcius cum equitibus mille & quingentis, ter mille peditibus in agrum Tauriſanum æquo longius proceſſiſſet, iti neribuſque frequentibus riuis impeditis, inprimis vero inopia com meatus ac pabuli ſic vrgeretur, vt Maſtino facile fuerit eum profligare: tamen comperto hoſtem, qui per caduceatorem in vrbem miſſum pugnam popoſcerat, ſtatuiſſe acie certare, tamdiu animi pependit, dum Roſcius ſecundum Atheſim in fines Clodiæ abiret: vbi caſtellum Salinarum adortus expugnauit, miſſiſque Monſilice militibus hoſtium turmam cecidit. alibi quoque Florentini haud cunctati, ſed eo maiore animo, quo acriore deſiderio tenebantur obtinendæ Lucæ, ad expugnationem neceſſaria diligenter compa-
1337 rabant. Hinc Opizo ſeptimo & triceſimo ineunte anno prouidens Maſtinum viribus adhuc integris adeo trepidum, ſi, quemadmodum ſpes erat, hoſti res proſpere ſucceſſiſſent, in ſummo futurum metu: ac ſecum ipſe reputans vtriuſque reipub. incrementa periculoſa eſſe, Scaligerorum imperium ſibi atque finitimis minus timendum, quàm ſi partum Venetis ceteris eorum opibus confirmaretur, his omnibus de rebus certiores fecit ciſalpinos proceres, qui ad con ſultandum oratores Ferrariam miſerant; quin etiam eſt hortatus ali

quam

quam concordiæ rationem inirent, vnde Maſtino nõnihil decederet; ac maturarent priuſquàm incendium latius ſerperet; potiſſimũ vero ſedulo morarentur ſociorum victoriam, quæ ipſis quandoque moleſta atque incommoda futura eſſet. placuit ob eam cauſam ipſe Venetias ſe conferret, quo ſi minus id quod cupiebant, conſequeretur, ſaltem mentem ſenatus aliqua ex parte deprehenderet. igitur iiſdem legatis comitantibus, ſimulque Ioanne Pepulo & Manfredo Pio ampliſſimam cõſcendit nauem, quæ ignota ad illam diem eiuſmodi Bucentauri forma admodum celebratur propter aulam, maioraque ac minora pulcherrima cubicula, tubulos & fumi recepta-cula, foros ad vtrunque latus, patenteſque ad intercolumnia feneſtras baſilicæ inſtar. ſic ad vrbem aduectus apparatiſſime accipitur: colloquutuſq; eſt ſecreto cum Franciſco Dandulo, de quo mentionem fecimus, cum eum legationem obijſſe ad Pontificem Auenione oſtẽdimus. is tum erat Princeps maiore auctoritate ob virtutem, quàm ille locus afferat, qui vt ſæpe tribuit, ſic interdum ab ipſo magiſtratu decus accipit. Opizo profeſſus ſe quàm maxime ſtudioſum Italicæ quietis præcipue finitimorum, proque ſua in ſenatum & Scaligeros beneuolentia cupere mutua odia finiri, optimum inquit factu ſit ſi per cõmunem aliquem amicum tollantur; ſeq; ipſe obiter non indiligentem pacis interpretem obtulit. exinde multa diſſeruit de Maſtini potentia, quanto maturius inſtruatur ac minore periculo geratur bellum, cum vnius quàm cum multorum in manu ſunt arma. propoſuit conditionem eorum, qui iniuria laceſſiti nõ modo calent, ſed flagrant cupiditate vindictæ, domi vexati nihil non inueſtigant, quo reijciant hoſtem ad tuendas res ſuas, quæ interim plagam aliquam facile accipiant. item vim timoris, quo ſtimulante & propinqui & procul ſiti accerſuntur: nec iam regni portio, ſed totum in caſum datur, ſubijciturque potentioribus ſocijs vel manifeſto ipſius periculo. Quæſo inquit animum aduertite, quàm fuerint pernicioſa tot annorum inteſtina bella, ex quo ciſalpinorũ nobiliſſimi ob mutuas ſimultates tranſalpinos ſedibus ſuis exciuerunt, ac maluerunt ſub barbarorum iugo corruere, quàm ſub æmulo imperio ſalui atq; incolumes eſſe. viuũt adhuc Ludouicus & Boemus, nec non vterque Carolus ſueti regiones noſtras victricibus aquilis peragrare. Maſtini imperium late patet, particula abſciſſa nõ deerit, vnde & pecuniam & auxilia longinqua, fortaſſe etiam vicina pa ret. oppidorum, quæ ei parent, is eſt ſitus, vt connexa ambituque & ſerie recta inter ſe præſidio ſint. abundat optimo equitatu, ita vt momento omnibus locis adeſſe poſſit. ſolet vincere; nihil nõ ef-

ficit quod animo deſtinet: principio lenis, idem irritatus ferociſſimus eſt. accedunt complures aliæ cauſæ non leues. contra quomodo Florentini intercluſi Apennino in interiores eius fines penetrare prohibentur; ſic vos eodem fruſtra aſpiratis, quippe qui opportunis ad id præſidijs in continenti careatis. quod ſi fiat, magnum ſine dubio diſcrimē ſubitis, vt & priore Imperatoris veſtri expeditione. nec quia externæ vires domeſticis curis implicentur, non propterea alpes quoq; ſuperent: quando Ioannes haud ita pridem aliena acquirere, quàm ſua tueri maluit. prætera non adeo proprijs malis diſtinentur, vt non aliquid, atq; haud ſcio an nimium vacet in miſeræ Italiæ perniciem. His alijſq; argumentis Opizo contendit patres de ſententia dimouere: ac ſubiecit ipſiſque & Florentinis ſiue iniurias ſiue graue belli impenſam ægre ferrent, poſſe de vtroq; vt res poſtulet ſatisfieri. Dandulus, qui Carolum Boemiæ regem ad ſocietatem ſolicitabat, iamque eius rei pignus locuples manu tenebat, gnarus magno Brabantiæ motu Cęſarem & Francum diſtrahi, Vicecomitem, cuius de fide minime oporteret dubitari, omnia pollicitum; ex ſententia ſenatus, quo cum rem contulerat, poſtquam de ea humanitate atque animo mirifico Opizoni gratias egit, aſſentientibus aliquot ſenioribus, qui colloquio intererant, reſpōdit ſenatum eo, quod ſemel placuiſſet, non deceſſurum: tum diſſimulans ſpem noui fœderis Ateſtinum hortari cœpit eaſdem partes ſuſciperet: cōmemorauit quàm multæ Ateſtinis cum Venetis amicitiæ cauſæ intercederent, quæ teſtimonia egregiæ in ſe voluntatis hæc familia haberet. nec omiſſum quid pro Ferrarienſibus aduerſus Salinguerram præſtitiſſent, excuſata oppreſſio Thedaldianæ arcis culpa in vnum Friſcum reiecta: quòd ſi quis Scaligerorum merita aliqua in ipſum recenſeret, & hoc diluit docens cumulate, multoq; maioribus officijs repenſa fuiſſe. ad vltimum quo magis eam orationem animo infigeret, adiecit fore aliquando vt & ipſe eodem fœdere obligaretur; non diutius rem eo loco eſſe poſſe; miſcente ſe ac diffundente bello, quemadmodum neceſſe eſſet accidere, alterutrum amicum palàm habendum, ni ſe fœderatis daret, ijs pro hoſte futurum. quapropter Opizo cōijciens Venetos & Florentinos aliud quodpiam moliri fœdus, ratumque ac fixum decretum eſſe, haud vltra inſtitit, ſed diſſimulanter quod propoſuerat cauteque omiſit. poſt reuerſus domum cum profectionem ſuam non prorſus inutilem fuiſſe iudicaret ob ea, quæ ex Principis verbis elicuerat, omnia finitimis proceribus renuntiauit, ſeque ipſum maxime reſpicere cœpit, vbi comperit quo in diſcrimine Patauium eſſet, & quo apparatu Carolus in

Italiam

Italiam cogitaret. ciues Marſilij Carrarienſis opera cum Petro Roſçio ſentiebant, qui non deſtitit incepto, etſi dolus non ſucceſſiſſet, cum nocte quadam ſuburbia cum paucis ineunti mille & ducenti equites ſubſequuti præſto non fuere, nimirum tardius confecto itinere, quod plerunque in huiuſmodi caſibus ſolet contingere, propter obſcuritatem noctis atque intolerandum frigus; & ipſe ſubiecto ædificijs igne, quaſique portas moliens dum Maſtinus addubitat, ea ludificatione incolumis euaſit. Interim Aduocatus Tauriſanus haud quaquam pro merito a Maſtino cultus, gnarus eum vſq; adeo metu trepidare, vt ſecunda omnia iam tum ſocijs fœderis augurraretur, firmum Venetorum præſidium, quorum partes ex profeſſo eſt amplexus, in caſtellum munitiſſimum recepit opportunum eorum exercitui ſubleuando & vexando hoſtili agro. Ateſtinus ne aliàs cogeretur deteriore conditione conſilium capere, conſtituto cum finitimis proceribus, quemadmodum Cremonæ ad Cœnobiũ Minoritarum capita conferrent, fine Aprilis cum lectiſſimo comitatu eò ſe contulit. venere & Azo Vicecomes, Maſtinus Scaliger, Vido Gonzaga; quorum primus Maſtinus verba fecit implorans opem contra Venetorum ac Florentinorum conſpirationem. Azo quem quaſi ſupplici tuendo ex omnibus maxime officio obſtrictum illa oratio videbatur attingere, acribus verbis, quæ Opizo deinde conſiliarijs ſuis retulit, in hunc modum illum corripuit. Maſtine ſi in altiſſima felicitate de rerum humanarum inconſtantia cogitauiſſes, nec tunc nec in præſentia obrui te ſiuiſſes. quippe ſicuti læta fortuna dum omnes tibi viles ſunt, dũ nimium inſurgis, tua te magnitudo depreſſit; ſic vereor eadem triſti ne nimis animum demittas, cuius rei ſuſpicionem ab initio amicis dediſti. equidem ego expertus loquor; quanti me faceres multa docuerunt: nullum ne exiguũ quidem in me meritum, epiſtolæ a me tibi redditæ nec reſignatæ nec inſpectæ ſtratis ſubſellijſq; paſſim iacentes, nulla aut poſt quartum ſextumùe diem ad eas litteræ: aliud præterea nõ paulo grauius opinionem meam confirmauit, ſcilicet me tantam eius ipſius prouinciæ partem obtinẽte regium faſtigium nomenq; apud Longobardos affectaſti. an iſti proceres regem hic ſint toleraturi neſcio: quod ad me attinet, ab hac re longiſſime abſum: & vt ingenue dicam, tam leues habeo benefaciendi tibi cauſas, vt ſi reſpectum Ateſtini demas, quo cum ſanguine & amore adeo coniunctus ſum, in hoc conſilium nunquam pedem illaturus fuerim: proinde tu tibi vel minimam præſidij ſpem in me fruſtra collocaueris. Maſtinus perſpecta Azonis voluntate ac ceterorum aſſenſu, qui quamquam

initio

initio haud plane abhorrerent a ferenda ope, tamen illa oratione ſententiam mutauerant, tactus veri conſcientia conticuit, prꝛterquàm quod hominis audacia non erat talium cõgreſſuum: mox vitatis altercationibus ex cœtu ſe proripuit teſtatus calamitates ſuas in ipſorum capita quandoq; redundaturas. Poſt Maſtini diſceſſum cum rem inter ſe verſarent, ſedit ſententia ſiquidem ſuſcipiendum bellum eſſet, Veneti ac ſociorum amicitiam præferre, dum ex acciſis Maſtini opibus aliquid ipſi carperent, nec tamen vtraq; reſpub. valde proficeret. Sub aduentum ex Charintia Caroli Boemi regis cum magna militum manu omnes palàm iunxerunt arma. Luchinus Azonis patruus exercitui præfectus ad XII. Kal. Iul. Mantuam venit: eodem & Opizo Nicolaum fratrem miſit cũ copijs, quas ex fœdere debebat: Marſilius Roſcius Petro ad Bouolentam reſiſtente cũ parte exercitus, vt proditionem Patauij inchoatam vrgeret, ad reliquas ſociorum copias bis mille & quadringẽtos equites addidit. ita millia quattuor expleta. Pontifici ab turbis & armorũ ſtrepitu alieniſſimo in tanto motu locus non fuit, nec item Neapolitano, quem bellum Siculum detinebat: Genuenſes Venetorum arma exercebãt: tranſalpini præpotentes reges & ipſi alibi vacabant orta ſcilicet de regno controuerſia inter Philippum Valeſium Franciæ, & Eduardum III. Angliæ reges, quòd Anglus defunctis ſine virili ſtirpe Philippi Pulchri filijs Iſabellæ matris iure eo ipſo rege procreatæ Franciam ſibi vindicaret; repugnaret Valeſius nixus vetere lege Salica; quæ fœminas ab regni gubernaculis arceret. actum de cõcordia eſt, vt Philippi filius vxorem haberet ſororem Eduardi. adoleſcens conditionem aſpernatus Boemi filiam prætulit: ea de cauſa non modo prior indignatio manſit, ſed etiam duplicata in maiorem modum exarſit: præſertim vt idem Francus (quod ante occulte fecerat) Dauidem Scotorum regem Anglo infeſtum milite auroque iuuare cœpit. quamobrem Eduardus profugiente in Britanniam Roberto Atrebate, quem Philippus hoſtem iudicauerat, vti auctor eſt Ioannes Frioſſares eorum temporum æqualis, ad Galliam perturbandam animum adiecit. cum terra marique Francus in tanta rerum mole ſupremum virium ſuarum conatum editurus pręſidia contraheret, Eduardus, quo facilius vim propulſaret, Cæſaris animum demeruit. is Franco infenſus quòd vetuiſſet, ne Pontifex aquæ & ignis interdictione pulſum gregi piorum reſtitueret, amicitiam cum Anglo iunxit, traxitq; in cauſam Brabantium conſobrinnum ſuum, Analthẽſem Comitem, ac Menapium affinem ſuum, nec non alios multos Germaniæ proceres. quocirca, dũ Auguſtus regeſq; procul inter ſe

acerbiſſimis odijs bellum gerunt ciſalpini fœderis expertes fuerunt. Luchinus cum equitatu, quem coactum memorauimus, Veronam progreſſus, vt oppidum circumueniret pro re deinde conſilium capturus oppugnationis obſidioniſue tentandæ, quòd perſuaſum haberet nunquam fore vt Maſtinus, qui non admodum ſtrenuus habebatur, in aciem ſe cõmitteret, niſi forte ampliſſimis ſuorum auxilijs inſtructus noua atque improuiſa audacia perculſus hæſit. etenim ille a fœderatis oĩbus exagitatus cum, ſi ſe mœnibus tenuiſſet, haud dubiam perniciem oculis cerneret, vt ne ſocij quidem & amici ſubuenire perituro poſſent, deſperatione factus audax continuo equitum ad tria millia, cumq; his populum armatum, cuius fidem inprimis perſpectam habebat, portis effundit, ac Luchino copiam pugnæ facit. ille, vti tum percrebuit, ignauia an metu inſidiarum; vel quòd ita cum Scaligeris conueniſſet, vel quòd exiſtimaret in rem Inſubrium eſſe Maſtinum labefactari non peruerti, certamen detrectauit, nec magnopere ſuadẽtibus Nicolao Marchione & Gonzaga, vt tam præclaram occaſionẽ arriperet, de ſententia depelli vnquam potuit. quin etiam proxima, quæ ſubſequuta eſt, nocte exercitum celeriter reductum dimiſit. Maſtinus præſidio, quod ſatis eſſet, Veronæ relicto cum equitum duobus millibus & quingentis Mantuanos fines nemine prohibente ingreditur. deinde ne Marſilius cum Petro ſe coniungeret Kal. Iul. conſedit ad eum riuum, qui Bouolentam & Clodiam interfluit: tum etiam vt prohiberet ne Venetijs aut Clodia cõmeatus ſupportari poſſet in caſtra, quæ erant ad Bouolentam. at Roſcius, qui ſciret Maſtinum neceſſario ex riuo aquaturũ, cum ſuperiore loco ſtatiua haberet, omnes caſtrorum ſordes, præterea cicutæ, cuius regio ferax eſt, ſucciſæ noxium expreſſum ſuccũ in riuum cõiecit, ne cui vſui infecta ac corrupta aqua militibus aut iumentis foret. Marſilius eo cõmento ſubmoto hoſte ad Bouolentam tranſijt: Maſtinoq; ad XI. Kal. Aug. Veronã reuerſo Roſcius cum toto exercitu ad Patauij mœnia caſtra poſuit. III. Non. eius ipſius menſis Carrarienſes populo ad arma vocato cum Albertum Scaligerum, cuius fidei oppidum cõmiſſum fuerat, vnaq; magiſtratus ac centuriones in vincula dediſſent, portam hoſtibus aduerſam aperuerunt, equiteſq; introduxerunt, qui ab omnibus prætereq̃ a præſidio vim abſtinentes ciuitatem percurrerunt. Alberto Venetias in cuſtodiam amandato Albertus Carrarienſis Princeps legitur, fœderiq; cum equitibus quadringentis adſcribitur. in ſumma huius expeditionis lætitia Venetis ac Florentinis peracerba accidit mors Roſcij, qui ad Monſilice dũ pedes inter promptiſſimos oppugnãtium verſatur

verſatur adacta in latus breuiore lancea nihilominus euulſo ſpiculo ingreſſus foſſam ex dolore vulneris corruit, Patauiumque inter manus ablatus expirauit. Marſilius, qui paulo infirmior eodem in loco erat, augēte vim morbi mœroris magnitudine & ipſe paulo poſt deceſſit. ita Roſciorum Parmenſium ſtirps prope radicitus interijt. Ceterum cum ea ſit conditio magnorum imperiorum, vt ſemel inclinata ægre fulciantur, ſummumque in prima plaga ſit momentum; accidit vt principio Septembris Bonettus, qui Brixiæ Maſtini auſpicio præerat cum equitibus quingentis, ad primum hoſtium conſpectum, erant hi fœderatorum equites mille quingenti, quos populus vocabat, fuga ſibi conſuleret. & hæc itaq; prævalida ciuitas Scaligeris adempta. poſt cū Longobardi proceres eam ſibi quiſque petentes diſcordarent, Venetorum ac Florentinorum decreto Vicecomiti traditur. Fœdiſſimum extremi anni tempus, atque initium inſequentis, qui fuit XXXVIII. nihilo clementius fœderatorum

1338 impetum ſuppreſſit. v.Non.Maij Monticulum, quod ſitū eſt inter Veronam ac Vicetiam, ab ſociali exercitu circumſeſſum deditionem fecit. exitu Septembris Spineta Malaſpina, dum Montagnanam trahere ad Maſtinum dolo tentat, profectus eò cum equitibus quingentis, totidem, & eo amplius mille peditibus, fraude proditorū graue incommodum accepit. at Maſtinus æque popularium animis diffiſus ac metuens hoſtium, cum nec Vicetiæ grauiter preſſæ, ac tantum non oppreſſæ ſubuenire eſſet, Tauriſo dam Venetis oblato, vnde propagatę deinceps reipub. opes in continenti, vt eo modo cetera redimeret, IX. Kal. Febr. pacem impetrauit. ſenatus factum purgans Florentinos de ea re certiores fecit, ac ſignificauit etſi minus probarent, ſibi tamen cum Maſtino concordiam futuram. illi multa queſti metu grauioris mali haud contra tetendere. controuerſia tamen de belli impenſa exorta fieri non potuit, quin Florentini, a quibus neſcio quæ reliqua poſtulabantur, cum & ipſi eadem peterent, ſimultatem cum Venetis contraherent; vnde, ſicuti plerunq; aſſolet cū fœderibus diremptis datæ pecuniæ repetuntur, extitere capitales inter vtramq; remp. inimicitiæ. igitur Tauriſum Veneto, Patauium Carrarienſibus, Brixia & Bergomum Vicecomiti ceſſere. Carolus quoq; ex Charintia in Italiam profectus Feltriam, Bellunum & Cenedam ceperat: & Florentini Lucenſi bello Peſciam, Buggianum, Collem, Altumpaſſum, & complura alia caſtella occupauerant. poſſeſſores parta armis tenuere. Scaligeri tot oppidis ſpoliati diſtributis quemadmodum oſtendimus, faſtum poſuerunt: fuereq; multo quàm antea finitimis minus ſuſpecti. Non eſt autem

1339

prætereundum interim, dum pax fuit Iacobum Peloponneſi Princi
pem oriundum ab Comitibus Allobrogum, cum Ferrariam veniſſet
Beatricem Rainaldi Marchionis filiam in matrimonium accepiſſe:
nuptiæ eo hilarius celebratæ, quòd in Saturnalia incidiſſent. Opi-
zo ab affine Mutinam digreſſus altero poſt Non. Febr. die Montem
Florinum, Abbatiam ſitum ſub illis collibus oppidulum, & caſtella
aliquot Frinianæ prouinciæ deditione incolarum obtinuit. dein fa
ctus ab Azone certior Lodriſium Vicecomitem, qui peramplo ſti-
pendio conciliaſſet eam Germanorum alam, quam magnam vulgo
dictitabant, fœdere ac bello finito iam dimiſſam, ad Inſubriũ prin
cipatum aſpirare, rogatuſq́ue vt milites quàm fortiſſimos confe-
ſtim ad ſe mitteret, Brandeliſio Marano Ferrarienſi cum recenti ac
delecta manu eam expeditionem mandauit. Oppoſuerat ſe Luchi-
nus Germanis in planitie Mediolano ſubiecta loco, quem magnum
Paradiſum incolæ vocant, atque in eo ipſo temporis articulo, quo
fuſum hoſtes ceperant, Brandeliſius integris viribus de improuiſo
ſuperuenit: victores repente inuadit etiam tum Luchinianos perſe-
quentes. Luchinus liberatus, ac Lodriſius & conſpirationis parti-
cipes, vnàq; nobiles exercitus tribuni captiui facti cum ingenti re-
liquorum ſtrage. prædam Mediolanum conuectam Brandeliſius
Marchionis nomine Azoni dono dedit. Eius anni reliquũ abſum-
ptum a Pontifice conſtituendis in citeriore Gallia Vicarijs eo gra-
uioribus conditionibus, quo magis reguli cupiebant per tempo-
rum quietem firmare opes; tũ quia meminiſſent quàm varia quam-
que incerta poteſtate imperaſſent, alioqui auidi ſtabilire quæ poſſi-
debant: tum quia putarent amicitiam Pontificis in aduerſa fortu-
na fore præſtantiſſimam, quando ab eo, qui iſtiuſmodi beneficium
confert, poſtulatur vt clientes tegat non minus quàm ipſi viciſſim
fidem erga patronum perſancte colant. hæc cupido tantum apud
eos potuit, vt ſuperſederint quærere an ſupremum prouinciæ ius pe
nes Eccleſiam Romanam re vera, vel ſaltem ſpecie eſſet; nec repu-
gnauerunt quin in obſtrictos tali beneficio aliquid Pontifici liceret,
quòd pluris facerẽt poſſeſſionem acquiſitam vel dedentibus ſe vltro
populis, vel bello aut aliter ſubactis, quàm Pontificis aut Cæſaris di
plomata. Annus CCCXL. nihil in Italia memoratu dignum habuit, 1340
nec apud iſtos Principes præter arcem Mutinæ abſolutam, & fœdus
ictum cũ Carrarienſibus. Ad v. Non. Maij anno primo & quadra- 1341
geſimo Opizonis vxor fato conceſſit: principio ſextilis Ferrariam ve
nerunt Florentinorum L. Maſtini LX. obſides, in queis Frignanus
fuit nothus ipſius filius. ſunt autem cõmuni cõſenſu depoſiti apud
Marchio-

Marchionem omnes mutuæ cautionis ergò, quo Maſtinus Piſanis etiam licitantibus Lucam Florentino populo xxv. aureorum nummum myriadibus addiceret, & ipſe porro tanti eam emeret. interea Piſani, quorum in caſtris erant auxilia Vicecomitis, Gonzagæ & Carrarienſium vnà cum reliquijs Caſtrucianorum, oppidum circūuallauerant; Florentinis vnus Ateſtinus ſubmiſerat magnum equitum numerum præfecto Marco Macaruffo. tentantibus vi. Id. Oct. obſidionem ſoluere pugnatum eſt ab tertia diei hora in meridiem: ſuperior quidem Piſanus fuit, ſed cecidere vtrinq; mille & quingenti pedites, equitum ad tria millia & quingenti, & cum his Macaruffus. ſcribit Ioannes Villanus, qui fuit inter obſides, Opizonem vocatos ad ſe paterna beneuolentia iuſſiſſe bene ſperare eleuantem aduerſi prælij caſum, nouaſque copias reipub. obtuliſſe, affirmantem ſe, ſi opus foret, eò acceſſurum, eademq; omnia reipub perſcripſiſſe: ſubijcitq; ea ſibi ac ceteris magno ſolatio fuiſſe. Florentini collectis ex fuga ſuis & Ateſtini reliquijs, vt maioribus præſidijs ſe munirent, opem ab Roberto rege orauerunt. Neapolitanus per Ioannem Barilium Pontificem Corcyræum, & Nicolaum Acciaiolum internuncios ſignificauit, ſi ſibi Luca cederetur, daturum operam, vt acceptam ab Piſanis ignominiam delerent: id vero eo ſpectabat, vt ſi conditionem aſpernarentur, ipſe pariter eiuſmodi poſtulata ne admitteret. homines acuti, ac minime omnium animo imperantes cum præ libidine vlciſcendi hoſtes cetera negligerent, cōditionem acceperunt. miſit itaque Valterum Athenarum Ducem cum equitibus ſexcentis grauioris armaturæ. itidem a Cæſare impetrarunt Thechenſem Ducem ac Comitem Porcariæ, quos valida Germanicæ nobilitatis manus in caſtra ſequuta eſt. tū Opizo ad priores turmas quadringentos equites adiecit: Maſtinus quingētos: totidem Pepulus præbuere: ex tranſalpinis gentibus bis mille equites mercede conducti: peditum millia decem ex prouinciæ delectu conflata, Malateſta omnibus præpoſito. Hoc ipſo anno altero & quadrage-
1342 ſimo ix. Kal. Apr. exercitus vt clauſos obſidione eripiat, in Piſanos mouet; qui munitis caſtris eodem loco ſe continuerunt. propterea qui ſummę rerum præerant magiſtratus inopia coacti oppidum hoſtibus dedunt. factum excipit Athenienſis, ac tanta arte negligentiæ aut imperitiæ Malateſtam inſimulat, vt quando in neutram partem ſit peccatum, aſtute ſuſpicionem fraudis animis inijciat. hominis in Gallia quidem nati, ſed a Græcis, apud quos educatus fuerat, omni calliditate imbuti ea fuit ſolertia, vt Malateſta exauctorato cum ſe in ipſa viſcera Florentinæ reipub. inſinuaſſet, imperium

ad ſe traheret, ſimul Aretini, Piſtorienſes, Volaterrani iugum vltro acciperent. verum vrbis Pontifex Angelus Acciaiolus decimo tyrãnidis menſe cum populum in eum inflammaſſet, pactum vt incolumi abire liceret, expulit. proficiſcens in Galliam, quippe Balduinus Græcus Cæſar eum principatum inſtituerat, Ferraria iter fecit, ac dum Opizoni acta ſua recenſeret, vim ab Hetruſcis ſibi factam plebis licentiam vocauit, teſtatuſque multis eſt ſeſe ſumma ratione ac prudentia rempub. adminiſtrauiſſe. apud regem vſque adeo rei in dignitatem verbis exaggerauit, vt per neceſſarios inprimis ſuos tantum non impetrauerit iniectionem manus in fortunas & corpora eorum Florentinorum, qui in Gallia mercaturã faciebant. ceterum leniter prius, exque bono & ęquo rex acturus miſit Florentiam, qui poſtularent Athenieñſi de eo, quod pulſus iacturæ feciſſet, ſatisfieri. legatio fruſtra fuit: redditum reſponſum eſt innumerabilia hominis ſcelera non patientia, ſed ſupplicio digna. ita mercatoribus denuntiatum ad certam diem Gallia excederent, ni feciſſent Duci ius in eorum facultates atq; corpora eſſe: & illi confeſtim emigrarunt. Inter horum initia motuum v. Id. Febr. Opizonem Ferrariæ conuenerunt Maſtinus & Thadæus Pepulus, qui poſt Bertrandi legati fugam cum Bononia aliquandiu populi, partim etiam nonnullorum nobilium nutu circumacta fuiſſet, pollentibus tum maxime Pepulis principem locum eſt adeptus. vterque de eo vinculo, quo ſe inuicem obligaturi erant, arbitrium Opizonis eſſe voluerunt; a quo celeriter res ad hunc modum agitata atq; confecta eſt, vt Thadæi nepotem Franciſcus cognomẽto Canis Maſtini filius, Pepuli Iacobus filiam Maſtini vxores ducerent. Ipſe innixus veteri conſilio tuendæ cum reliquis ciſalpinis proceribus cõcordiæ Franciſco Ateſtino Bertoldi filio Catharinam Luchino natam deſpondit; cum alteram eodem nomine puellam Riciardi Caminij ſobolem quadriennio ante matrimonio ſibi iunxiſſet. Per hos dies cũ Germani, quos magnæ alæ nomine appellatos diximus, aucti numero ter mille & quingẽtos equites expleuiſſent; Vicecomes, Gonzaga, Carrarienſes, Piſani fœdere inter ſe coniuncti, nec non Franciſcus Ordelaffus Ceſenæ & Foriliuij dominus Varnerio & Stole præfectis mercede eos conduxerunt vſuri illorum opera contra Thadæum Pepulum, qui & Florentinis valde cuperet, & facile opitulari poſſet. itaq; Pepulus, Maſtinus & legati Florentini Ferrariã venerunt, affuit etiam paulo poſt Malateſta ad conſultandum inter ſe, quid facto opus eſſet. Opizo, cuius ſententiæ reliqui libenter acceſſerunt, ſuaſit bellum in hoſticũ transferri: caueret Pepulus quàm diligentiſſime ne vim propulſaret

potius

potius quàm inferret; id magnopere incōmodum eſſe: quòd ſi nemo niſi coactus eo redigitur, idem multo minus noui imperij licet bonis artibus quæſiti rudimento tolerandum: quippe plurimum momenti eſſe in popularibus eiuſmodi regiminis inſolentibus, exemplo oppidorum, quæ poſtrema in Scaligerorum ditionem conceſſiſſent, & eorum, in quæ vetuſtū illis imperium foret: hæc enim conſtanter in officio perſtitiſſe, illa magis ſua ſponte quàm ab Maſtino deſtituta in poteſtatem hoſtium veniſſe. quam rationem vti firmiſſimam omnes probarunt. quapropter ad impedienda hoſtiū conſilia cōſtituerunt in Flaminiam exercitum inducere. at vero cum Piſanorum ardor deferbuiſſe videretur, vſque adeo iſtic quoq; ceſſatum eſt, vt Germani principio Octobris occupauerint Ariminenſem agrum prope vniuerſum populationibus ac ruinis miſerabilem in modum deformare. quare Thadæus excitatus, ac præceptorum Ateſtini memor Maſtini & Florentinorum auxilijs fultus, quæ præfectus Gibertus Folianus Regienſis adduxerat, Ioannem filium iubet caſtra ad Lamonem amnē ponere, vbi præualidæ extructæ turri præſidium imponit: inde Forumliuij ac Ceſenam verſus progreſſus totum eum tractum depopulatur. Germani interim, qui haud procul Foroliuij conſtitiſſent, Ioanne ad mœnia oppugnanda copias traducente, fuga ſe in continentia Ceſenæ ædificia abdiderunt. ac tametſi Maſtinus domū reuocaſſet quingentos equites, quos præſidij cauſa Veronæ collocaret vtpote priuato exacto fœdere, quod ei cum Gonzaga intercedebat, quod quidem Pepulum infecta re tranſire flumen coegit, tamen amicitia redintegrata eandē alam paucorum dierum interuallo remiſit in caſtra. his fretus Hector Panicus; aliter tum appellabant conſuetudine loquendi vſitata dempta ptima ſyllaba, cum exulum Bononienſium manu conſilium cœpit coniungendi ſe cum Germanis, confiſus eorum armis in patriam reſtitui poſſe. cum ſe itineri dediſſent Apēninum ſuperaturi, Florentini ſuſpicati id eos in animo habere, miſerunt qui tranſitu prohiberent. ſic Laterinæ in agro Aretino obſidentur: Hector ipſe, & primorum aliquot monachorum habitu fugam occultantes ad Florentiæ portas comprehenduntur. Florentini ab Laterina exercitum deduxerunt ea conditione, ne Hector, aut comitum quiſquam ad Franciſcum Ordelaffum ſe conferret. Ateſtinus deindē Maſtinum, Pepulum ac Malateſtam iterum ad ſe Ferrariam venientes monuit, ſe, quo de Bononia omnem eis metum adimeret, decreuiſſe Germanorum animos conciliare, facilem rei exitum ſperare, quòd ſint apud ipſos nobiles complures ſubiecti imperio eorū Principum,

cipum, quos ipſe partim cognatione, partim arcta neceſſitudine cõ tingat, prçſertim ſi magna pecunia inuitentur. placuit conſilium, ſed forte fortuna accidit vt Tereſinus Carinianus Fani Fortunæ, quod erat oppidum ſub ditione Malateſtç maxime clarus aliquot in didem adiutoribus ac Picentium ope principatum inuaderet. e veſtigio Pandulphus Malateſtæ filius Piſauro, quæ tum illi imperij ſedes erat, occulta ac ſibi nota via aduolat: receptus in arcem, qua parte mare ſpectat, in vrbem penetrat, factaque ſeditioſorum cæde eodem ſe recipit, ac patrem de omnibus certiorem facit: qui cum Pepulo ad Ateſtinum profectus, dum Germanos pararet, ne liberaliſſimo quidem ſtipendio pepercit. Opizo Varnerium præfectum Ceruiam accerſiuit, acceptiſque obſidibus (neque enim videbat qua alia cautione fidem ei adhiberet) ſtatim negotium tranſegit. Germani vero profeſſi ſunt nullius ſe niſi Ateſtini ac Maſtini ſtipendijs militaturos. Malateſta menſtrua, ſed ea perampla mercede numerata eorum opera vſus eſt in Fanenſibus ad officium reuocãdis: qui impetrata demiſſis precibus errati venia mox deditionem fecerunt. Ioannes deinde Pepulus, Spineta Malaſpina & Gibertus Folianus Opizone conuento confeſtim rectà ad Maſtinum contenderunt. domum cum reuertiſſent cõtinuo ab Thadæo & Ioanne Pepulis affuerunt Iacobus & Andreas filij; qui mandatis peractis Veronam perrexerunt. nihil aliud tot legationibus actum, niſi vt reciperetur Parma, quam ſuperiore anno Azo Corrigienſis Gonzagarum ope Scaligeris ademerat: & illi nihil non moliebantur dum oppido po tirentur vel de eo gratificaturi Ateſtino. At vero cum XII. Kal. Februarij anno eius ſeculi XLIII. exercitum, cui ſuos Opizo & Pepulus 1343
milites cũ exulibus Parmenſium adiunxerant, ad vrbis portas oſtendiſſent ſperantes admiſſum iri a ciuibus, quorum nonnulli a proditione non abhorrebant, opinione ſua ſunt fruſtrati. Scaligeri & Pepulus aliquanto remiſſiores, quòd ſe fruſtra cepiſſe arma cernerẽt, atque inde nihil metuerent, rati in eadem fortaſſe cauſa Ateſtinum eſſe iterum cum eo congrediuntur, adhibitis etiam Oſtaſio Polentano & Bertolatio Bretinoriano. profecti omnes ad Cœnobium Vangadicianum, quod eſt in agro Rhodigino, multa diſſeruerunt de viribus, odijs, occultis prauiſque Luchini cõſilijs, quem ante quartum ferme annum Azone vita functo cum fratre ciuitatis Archiepiſcopo Mediolanenſes Principem legerant. ſed Ioannes contentus ſacra iuriſdictione profanam fratri remiſit; ac quoniam Piſano bello Vicecomes aduerſus iſtos Principes ſteterat, iccirco eo loco, vt ſe ſe omni ſuſpicione liberarent, ſtatuerunt inducias cũ eo inire: quæ

trige-

trigeſimum poſt diem promulgantur. VIII. Kal. April. hinc Luchinus & Gonzagæ, illinc Ateſtinus, Scaligeri, & Pepulus adſcripti: eæque induciæ in triennium pactæ. Mox Ateſtinus Varnerio, qui reuerſus ex Fanenſi expeditione in Mutinenſi ſe continebat, denunciauit, quoniam diſceſſum ab armis foret, intra illum menſem ijs finibus excederet, ni feciſſet, hoſtis loco ſibi futurum. ille accepto ſtipendio, & equitibus dimiſſis, qui nihil fama dignum cum geſſiſſent vltro ſunt dilapſi, Ateſtini hoſpitio aliquot dies eſt vſus, apud quem viginti obſides, fraterque & filius cuſtodiebantur. comiter lauteq; exceptus ac magnifice donatus Principis humanitati ac munificentiæ addictiſſimus diſceſſit. Luchinus, qui ante inducias cogitaret prolatare imperij fines cum aliorum Galliæ procerum iactura, nec propterea publicam ſubire inuidiam vellet, per occaſionem illius otij idem aſtu aggreditur. quoniam vero vt quiſque minime timet, ita facillime capitur, & officij, fidei, neceſſitudinis ſimulata pignora eos, quibus illa tribuuntur, alliciunt; Ambroſium ex pellice filium per ſpeciem venandi ad Maſtinum dimittit, vti patris nomine ſalute dicta Mediolanum ad mutuam hilaritatē inuitet. haud quaquam abnuentem Luchinus Caſſanum progreſſus alijs nuntijs interpellat, ſecumque abducit: aduenienti Archiepiſcopus, atque vniuerſus populus magna lætitia occurrere; fuitque complures dies Mediolani cultus ludis, ac maxime ſumptuoſis conuiuijs. nec niſi muneribus cumulatus domum abijt. at Vicecomes cum in ſermone familiari cum Maſtino eximiam quādam beneuolentiam ſingularibus verbis erga Opizonem expreſſiſſet, ille & de officio erga ſe & voluntate erga Ateſtinum ipſum certiorem fecit, qui eadem ab alijs magna ex parte cum audiuiſſet, nihilo minore diligentia ſibi cauit. quin imo gnarus eorum temporum, ac libidinis vtriuſq; veritus ē, ne mutuo fœdere obſtricti ad reliquam citeriorem Galliam inter ſe diuidendam aſpirarent, aut certe ne Inſuber ea immodica amoris atque obſeruantiæ ſignificatione ſic oculos ſibi perſtringeret, vt ſopito, ceteriſve nihil tale timentibus aliquod oppidum interciperet. itaque Mutinæ arcem ante inſtitutam præſens maturauit: itidem Marzaiam firmis turribus, lata ac profunda foſſa cinxit, & opus breui ſummo ſtudio abſolutum delectorum militum fidei credidit. alteram etiam arcem ſuadente opportunitate loci condidit apud Sanctofelicianos. Valdemaro deinde Anhalti Comite, qui ſacram peregrinationem ſuſceperat, in Italiam aduentante vti eodem tempore partem prouinciæ luſtraret, Ferrariam, quòd eò diuerſurus eſſet, redijt: cum eo, quòd magni in Germania nominis foret, egit de

nuptijs Beatricis filiæ, quæ poſtea exitum habuerunt. Nec hic prętermittendum eſt exemplum nobilis atq; ardentis pietatis: Priſcianus enim dum deſcribit quo apparatu, quamq́, regio Germanus ſit exceptus, refert cum Maſtinus ei ad Hoſtiliam occurriſſet, in illo congreſſu adoleſcentem Principi cariſſimum in Padum cecidiſſe: caſu permotum & alterũ ex Maſtini cohorte nobilem iuuenem etſi ignarum nandi vt ferret opem, eodem ſe præcipitaſſe. cum vterque in ſummo diſcrimine verſaretur, quamquam multi accurriſſent, Comitem moræ impatientem, & eorum vitæ nimium metuentem ſeſe, quo ſubueniret, ſaltu in flumen miſiſſe; ipſos merſos, Comitem minimum a tali fato abfuiſſe, vix ægreq́; a peritis remigibus ſeruatum. Anno illius ſeculi XLIIII. VIII. Kal. Mart. Opizo intentus in 1344
omnes occaſiones vel confirmandi, vel proferendi imperij, ab Clemente VI qui ante biennium defuncto Benedicto Pontifex ſuffectus fuerat, oĩum execrationum abolitionẽ impetrauit, quibus eum Ioannes onerauerat poſt fuſum fugatũq; legati exercitum: eiuſq; rei amplıſſimum diploma obtinuit. ab Nicolao quoq; Archiepiſcopo Rauennæ municipium Argentam recepit, quod deinceps Ateſtinæ ditionis ſemper fuit. Hanc tranquillitatem Nicolaus frater cariſſimus Kal. Maij fato perfunctus luctu deformauit: qui Rainaldo IIII. filio relicto celebri funeris pompa in Minoritarum ęde ſepultus eſt. eius facta non quidem valde fama celebrata ſunt, quod vberem ſegetem teſtandæ virtutis fortuna non ſuppeditauit: ceterum Opizo tantum hominis conſilio tribuit, tantum eum dilexit, vt & hac de cauſa, & propter integritatem, vnde conſilijs ipſius plus fidei conciliabatur, proximo poſt primũ filio illius nomen impoſuerit. Luchinus, vbi quod animo conceperat, nullum ſimulationis pretium eſt, Gonzagam contra induciarum fidem ad arma ſtimulauit, vt per hunc modum ipſe culpam ab ſeſe amoueret, eiuſdem opera vſurus in propagando imperio ad extremos Galliæ ciſalpinæ fines, qui ad Mantuanos pertinent, ac olim fortaſſe eam ciuitatem oppreſſurus, cum alioqui incredibili deſiderio ardetet totius eius prouinciæ vnum in regnum contrahendæ. cupiditatem excitabat Archiepiſcopus verbo regni expers ſuis modo ſacris ſe cõtentum perhibens, re ipſa fratris actionum particeps, ac plerunq; etiam auctor. quam animi immoderatam vaſtitatem poſt detexit, quàm in principatum ſucceſſit. Sublatis inducijs Maſtinus & Pepulus fine Iulij Ferratiam profecti cõſilium iniuerunt aggrediendi Regium, atq; vti Parmam Opizo mercaretur de Azone Corrigienſi ſexaginta florenorum nummum millibus: ſcilicet ille veritus ne quando vi exturbaretur, oppidum

dum pecunia non inuitus mutabat. accedenti Giberto Foliano ad rem tranſigendam Azo non voluntate modo, ſed etiam magno cũ ciuium gaudio ciuitatem tradidit. ea vti geſta erant Opizo, qui tum Mutinæ agebat, ad ſocios perſcripſit. illi ſtatim ad eum ſe contulerunt præter Maſtinum, Pepulum, Aimengonem Flaminiæ Comitem, Malateſta, Oſtaſius Polentanus, Ioannes Alberghettinus & Ricardus Alidoſius ſeparatim rerum potiti Arimini, Fauentiæ, & Forocornelij: qui prouiſo aduerſariorum motu & ipſi copias contraxerunt. Ateſtinus Ferrarienſis iuuentutis flori nullo admixto peregrino milite Parmæ cuſtodiam commiſit, ſimulque Mutinenſibus haud dubio ſinceri animi, nullaque ſimultatis aut ſuſpicionis labe infecti teſtimonio. Mutina IIII. Id. Nouemb. cum modica manu diſcedens Monticuli pernoctauit: prima luce Parmam verſus pergit. ibi libentiſſimis animis excipitur ſic, vt prope nemo eorum, queis ire licuit, non quàm longiſſime ab oppido venienti obuiam proceſſerit geſtiens gaudio, ac ſuum quiſque ſtudium ſecundiſſimis acclamationibus teſtantes. idem affectus matrumfamilias cum primis honeſtarum, quæ paruos trahentes liberos effuſæ portis Opizonis nomen ſublata voce iterabant. auxit multis partibus lætitiam renouata memoria procerum Ateſtinæ gentis, quibus hæc ipſa ciuitas diutiſſime paruerat: ſiquidem, vt eſt a nobis dictum, octingenteſimo octogeſimo ſalutis anno Sigifredus ibi, dein Thedaldus, Gerardus, Bonifacius III. ac Mathildis imperauerunt. vſus eſt Ateſtinus ædibus continentibus auguſtiſſimo templo: has enim ſolas vrbs habebat dignas hoſpite Principe. poſt aliquot dies conuiuijs & ludis datos IX. Kal. Decemb. aduocata ab Decurionibus & primoribus ciuium concione Princeps conclamatur, ac vti omnia magis rata firmaque eſſent, iterum deligitur exaratis ea de re publicis monumentis. poſtridie ſeparatis tabulis nobiliſſimus quiſque, opificum collegia, in ſumma ſinguli atque vniuerſi, tota denique ciuitas poteſtatem ſuam in Marchionem tranſtulit, fortunas omnes ſuas, vitam necemque eius arbitrio permiſit. ea fuit ſuauitas & comitas ipſius, quæ temperata grauitate obſeruantiam non odium prouocabat, audiendis publice ac priuatim popularibus, ac ſi quando illi tranſeuntem ſalutabant; vt diſcedens ciuium animos ſecum abſtulerit. Luchinus, qui paulo ante quàm Ateſtinus itineri ſe daret, cum eo conuenerat, vt neutrius in finibus exulibus receptus foret, atque huiuſmodi pactionibus veluti mutuæ beneuolentiæ ac concordiæ pignoribus declarare voluit quantũ voluptatis ex negotio Parmenſi cepiſſet, eodem momento cũ Philippino Gonzaga egit miſſo etiam

ad id Mediolano ſubſidio, vt Ateſtinum per Regięſium fines tranſeuntem tam opportune adoriretur, vt, ſi fieri poſſet, eum caperet, admoturus deinde Mutinæ exercitum. ita poſtridie Non. Decemb. Opizo Parma digreſſus ea nocte Monticuli ſubſtitit: mane inter colles & oppidũ facienti iter ſecundũ Cruſtulum hoſtis ſe oſtẽdit ad Ripam altam, quod eſt caſtellum, vti nomen ipſum indicat, impoſitũ ſupercilio ripæ, ac maxime opportunum, ſi quis ex ſuperiore loco in hoſtem eſt pugnaturus. verum inſidijs ab ijs, qui præuecti fuerant, detectis; ex quibus aliquot illuſtriores capti Brandeliſius Maranus, Draco Conſtabilis, Vgolinus Sauinianus, & complures alij, cum ceteri terga dediſſent equites, qui cum Ateſtino erant, clamore deterruere: ipſe conſtitit, admonituſq; Philippino ſe nequaq̃ parem de primorum ſententia Monticulum regreditur. in eo tumultu Ioannes Malateſta, Saxolus Saxolanus, Marinus Macaruffus, & Gibertus Folianus cum nõnullis, qui eos ſunt ſequuti, agmine excedentes in Gonzagę poteſtatem venerunt. Franciſcus Marchionis nepos ignominiæ impatiens facto in cohortem impetu, quæ Malateſtam, ceteroſq; audacia interceptos abducebat, parum abfuit quin & ipſe eundem caſum ſubiret. verum tegentibus Germanis poſt factam aliquot clarorum hominum cædem quiete ad ſuos ſe recepit. Vix id auditum ſocijs, cum ſupplementum Opizoni miſerunt: partem & ipſi Flaminiæ principes adduxere: deinde XII. Kal. Ian. ab Parma, quo loco ad eam diem ſe tenuerat, per colles exercitum duxit: primis caſtris Piolum, alteris ad cœnobium Fraxinorianum, poſtremis Monfeſtinum peruenit: ſacro Domini Natali die Mutinam ingredienti pręſto fuit Ioannes Pepulus. Philippinus excuſatione eſt vſus, quòd Folianus dum cũ equitibus quingentis ad accipiendam Parmæ poſſeſſionem contendit, Gonzagarum fines vexaſſet, ſe pro ſuo iure Ateſtinum tanquàm hoſtem perſequutum fuiſſe. qua in re per nos quidem ſit ſuus locus veritati; arbitramur certe facile conſtare poſſe, quàm parum fideliter hæc exponant Blondus & Platina, quorum alter refert Philippinum ex inſidijs aggreſſum Opizonem eum ad Padum vſq; fugauiſſe; alter collatis ſignis tanto impetu profligaſſe, vt veſtigijs nuſquam ex fuga conſiſtentis ad Ferrariæ mœnia inſtiterit. quod etſi monimentis fide dignis non refelleretur, vſque adeo abhorret a vero, vt ſeipſum coarguat: neq; enim credibile eſt Marchionem ad flumen declinaſſe, cum circumiecta omnis regio hoſtium eſſet, aut Ferrariam potiſſimum euadere voluiſſe, cum in itinere tot munita loca ei occurrerent. contra Monticulum potius ob propinquitatem petendum, qua parte nec minima periculi ſu-

ſpicio ſuberat, vtpote a ſuis inſeſſa, & Parma poſt tergum obiecta: aliter nullus inſidijs vacuus exitus patebat. Diſpoſitis, quę vſui erãt Parmæ ac Mutinæ, & in caſtellis præſidio firmatis, principio inſe-
1345 quentis anni XLV. Ferrariam redijt: continuo affuerunt Maſtinus, Pepulus, proceres Flaminiæ ac Piſanorum legati; factoque fœdere hoſtes deſtinantur Vicecomes & Gonzaga. Luchinus id quod erat ſuſpicatus ſingularem quandam cõtumeliæ pœnam de ſe peti, vt ab alienis periculis Opizonem domeſtica cura retraheret, Hectoti Panico negotium dat. is ad Melaram ac Bregantinum primo, deinde ad pontem vſque lacus obſcuri excurſione facta totum eum tractum incendijs ac populationibus fœdat. Opizo ad peſtem auertendã ſcribit Franciſco, vt vno eodemq; tempore quo vrbanus miles, ſimulq; ciues Mutina erumpant, ipſe quàm maximas poſſit Parma copias educat, ac fines Regienſes prædetur. Iuuenis inſtar turbinis oppidulum Quattuor caſtella nomine, Couriagum, & quædam alia huc illuc circumferens arma capit diripitque. inter cõtinentes haſce turbas Vicecomes Aprili menſe per quoſdam Roſcios, tametſi occiderant iam ante principes familiæ, curauit vt certi homines, qui auctoritate apud plebem plurimum valebant, correptis armis Franciſcum proturbarent. ille vt coniuratorum tumultum audiuit, in conglobatos ocyſſime illatus carros & ſublicas, queis vias obſepſerant, momento amouet, vim patantes obtruncat, vrbeque pacata ac maiore præſidio confirmata capita coniurationis ſecuri ferit. Hectorem deinde in Friniana prouincia quædam caſtella aggreſſum cum incolæ interemiſſent, Vicecomes Piſanis recepit, ſi relicto Ateſtino trecentos equites in eum miſiſſent, ſe daturum operam, vt quæ in ea regione vindicarent, per milites ſuos recuperarent. Dum hæc geruntur, Maſtinus Aſperi Comitem & Arnoldum Bachium Germanorum prędectos deligit, qui cum Matthęo Pontecarraro Brixiano, & Carlotto Placentino Regium clam occupent ex pacto Marchioni debitum. tribuni duce itineris Gabriotto Canoſſa per humilem quendam parietem, qui ad vtrunque foſſæ labrum pertinebat, mœnibus ſucceſſerunt, ac partim ſcalis, partim trabibus ac arietibus idoneis murum perforantes penetrare in oppidum tentarunt: ſolidiore muro quàm vt perrumpi valeret, ſcalæ admotæ. iam plerique deſcenderant, cũ excitato Gonzagæ Prætore & populo perſtrepente ceteri perculſi metu ſubſtiterunt: quòd ſi vt ceperãt omnes ſe intro demiſiſſent, conſtans opinio fuit oppidum ea die capi potuiſſe, vſq; adeo primi fortiter pugnauerunt. quorum pauci ſuperfuere; etſi qui iam intrauerant eodem ſe reciperent, vtpote longo prælio fatigati

gati atq; ab ſocijs deſerti. Nec felicius res Mutinẽſibus ſucceſſit ad Herberiam, quam aggeribus oppugnabant: quippe Situla ac ſuperioribus torrentibus inflatis non pro anni modo tempore, ſed ſolito longe magis, aquarum moles vim atq; induſtriam obſidentium ſuperauit, ita vt opera euerſa ſint, & ipſi omnibus impedimẽtis exuti inde neceſſario aufugerint. Principio ſexti & quadrageſimi anni 1346
Philippinus Mutinenſem foſſam ponte copias ſuas, nec non Mirandulanos traducit. dum ingentes prædas agit, nihilq; non indulget militi ob eam rem incompoſito, Alamannus Obicius homo nobilis atque impiger, qui in oppido Vicarij munere fungebatur, cum vrbana plebe, quæ ſuapte natura, & continentibus cum finitimis bellis pugnax erat, eum adortus & præda ſpoliat & profligat. Parmam vero externis viribus vndique cinctam, ac præcipue finibus eorum principum, qui aut furto aut vi olim ei inhiabant, tumq; maxime laborantem optimum viſum eſt frumento ac cetero cõmeatu in aliquot menſes inſtruere; propterea Opizo exercitum ad Marzaiam cõſcribi, Scandianumq́ue promoueri iuſſit, tam validum vt Gonzagam nõ metueret, qui in aperto caſtra habebat. at ille ſeſe recipiens hoſtem voti compotem fecit. verum tertio poſt menſe Ateſtinus x. Kal. Octob. diligentius æſtimata æmulorum potentia, temporum ac rerum ſuarum conditione, decreuit tandem cum Luchino pacificare. videbat tum propter difficiles rei frumentariæ ſubuectiones, tum propter magnos, qui prohibebant exercitus, Parmam defendi non poſſe, quam vti opportuniſſimam ditioni ſuæ hinc Vicecomes affectabat, illinc Gonzaga ſumma ope contendebat Opizoni adimi, veritus ne Regium inter ipſam ac Mutinã poſitum quandoque premeretur. exemplo ergo eorum, qui gangrænam præcidunt, ne reliquum corpus corrumpat, oppidum Luchino tradidit promiſſo quanto ſibi conſtitiſſet pretio, impenſaq; biennio in ipſum facta: quod & bona fide eſt præſtitum. His ita conuentis Mediolanum ſe contulit inuitatus a Luchino vt geminos filios, quos vxor Iſabella Fliſca ei ediderat, e ſacro fonte tolleret: vbi acceptus cultuſq́ue eſt ſpectaculis ac luxu regio. itidem x. Kal. Nouemb. Maſtini opera cum Gonzaga in gratiam redijt, ea tamen lege vt Fanum Felicis ante tres menſes proditione a Paulo Pio interceptum reſtitueretur.
Aprili menſe anno XLVII. Ludouicus Pannoniæ rex in Italiam cogi 1347
tans præmiſſo Ioanne Veſprini Epiſcopo & Nicolao ſuperioris Myſiæ præfecto iter per fines Ateſtini obtinuit: quod Patriarcha quoq; Aquileienſis & Maſtinus Scaliger ante conceſſerant. mox de menſe Nouembri cũ duobus equitum millibus domo profectus dum Nea-

polim

polim Mantua ac Mutina tranſiens petit prodeunte obuiam Opizone excipitur exquiſitiſſima pompa ob frequentiam non ſubditorum modò procerum, ſed etiam quia Flaminiæ reguli, ac permulti his ſimiles viri clariſſimi, qui ſponte in huiuſmodi celebritatibus ad eum confluebant, ſplendorem comitatus auxerant. Suſcepit expeditionem rex, quoniam quinquennio ante cum Robertus deceſſiſſet relicta teſtamento herede Ioanna nepte ex Carolo filio præmortuo, quippe nulli ei liberi aut nepotes ſupererant, ipſa regina ſalutata, vt teſtatoris voluntati pareret, Andreæ conſobrino nupſit, qui propterea ex Pannonia Neapolim venit. at mulier accenſa amore Ludouici adoleſcentis formoſiſſimi, cui Philippus Tarenti Princeps Roberti frater parens fuerat, Andream compreſſis faucibus necari iubet, ſtatimque ſecundas nuptias celebrat. itaque Pannonius vlturus fraternos manes in Italiam deſcendit. rebus ex ſententia fluctibus regina, vt ſuam maritiq; ſalutem Pontifici cõmendaret, Aue-
1348 nionem diſceſſit. Annum inſequentem grauis peſtilentia fœdauit in Ægypto primum, vt fama fuit, cœli vitio orta; atq; in alias dein de terras delata. Inſuber quoq;, Ateſtinus atq; Scaliger fœdus inter ſe pepigerunt mox ſocijs Iacobo & Ioanne Pepulis. qui poſt pa-
1349 rentis Thadæi Iureconſulti mortem principem Bononiæ locum ob tinuerant. Regium de Gonzagis hoſtibus deſtinatis vindicari com munibus armis, atq; Opizoni placuit reſtitui. At Vido titulo S. Cęcilię preſbyter Cardinalis Pontificis legatus Italię quietis maxime cu
1350 pidus eius ſeculi anno L. indicta luſtralis anni celebritate annuas inducias confecit, ac ſacræ deteſtationis metu aduerſus violatores ſanxit. ita bellum ſublatum. Luchino vita functo fœdus mutuæ ſecuritatis ergò cum Ioanne Archiepiſcopo, ac nepotibus Matthęo, Galeatio & Bernaboue in annos decem renouatur. quietiſſimum exin de Opizonis regnũ fuit, quem ſicuti initio graues moleſtiæ, ac perpetuæ fere difficultates exercuerunt, ita matuitate conſilij, vnde tamquam ex oraculo principes, de quibus diximus, reſponſa petebant, prudentia, grauitate, liberalitate, facundia multiſque alijs virtutibus, maxime vero ſtudio ac ſolertia in captandis rei bene geren dæ occaſionibus, & aduerſis declinandis fortunæ incommoda ſuperauerat, cõmoda multis partibus adauxerat. quibus tum maxime
1352 beatus XIII. Kal. Aprilis anno eius ſeculi altero & quinquageſimo e vita migrauit. ſolenni exequiarum trecenta maiora funalia ad pheretrum pro ſuggeſtu collocata arſere, nouem vexilla pependere, tum præeuntibus ſtratis duodecim militaribus equis, multi eum cum efferretur, pontifices, abbates ſuper filiorũ cohortem ſunt proſequuti.

Deceſ-

Deceſſerant alternis prope annis quaſi quodam fato Principes, quibus partim amicis, partim inimicis vſus fuerat, & qui poſtremo cũ illo fœdus percuſſerant. nam ſuperiore anno Mathnus Scaliger vitam finierat; cui filius Canis cognomento Magnus ſucceſſit; proximo ante Iacobus Carrarienſis relictis Iacobino fratre ac Franciſco filio, vndequinquageſimo Luchinus Vicecomes, poſt quem regnauit Ioannes frater: ſuperiore vero Thadæus Pepulus; eius filij Ioannes & Iacobus æqua poteſtate patriæ præfuerunt. ita omnibus, qui modò diuturno inter ſe fœdere obligati fuerant, modò odijs certauerant, vnus Gonzaga ſuperfuit. Suſceperat Opizo ex Lippa Areoſta cognomine pulchra, cuius conſuetudine amore captus complures annos vſus fuerat, liberos vndecim, Aldrouandinum, Nicolaum, Albertum, Bonifacium, Fulconem, Vgonem, Franciſcum, Conſtátiam, Aldam, Eliſam & Beatricem. eam ſub vitæ finem eiuſdẽ ætatis anno quadrageſimo ſexto v. Kal. Decemb. cum & mulieris pudicitiam & alias dotes pręter nobilitatem perſpectas haberet, iuſtis nuptijs vxorem adſciuerat tum ad eluendam animi labem, tum quòd fratres obijſſent, nec Franciſcum natum ex Bertoldo fratre patruele valde probaret, qui ex illo die haud dubie ſemper vultu mœrorẽ prętulit, vtpote regni ſpe deiectus. Ferraria profectum poſt Opizonis obitum non deſtitit Pandulphus Malateſta ſollicitare ad res nouas: eodem & vxor occultis nuntijs ſtimulabat, ſed patefactis fœminæ inſidijs, quæ ob hanc cauſam ex vrbe aufugit, & Malateſta graui morbo implicito res pene priuſquàm cœpta, oppreſſa eſt. quapropter Franciſcus Mediolani, quò & vxor Vicecomitis neptis ſe receperat, reliquum vitæ placide exegit. quòd ſi vere ſcriptum reliquiſſet Corius imperium ad Franciſcum pertinuiſſe, profecto Ioanni vxoris patruo tunc potentiſſimo, quique vbique bellorum atque amplificandarum opum cauſas ſtudioſe ſereret, nihil non mouendũ fuit, vt affinem domum reſtitueret, pręſertim cum neptis in oculis foret, cuius contumelia ſine magno dedecore diſſimulari non poſſet. at ignorabat Corius publico decreto licuiſſe Ateſtinis, quos vellent vnum pluresve imperij heredes nuncupare: nec Bertoldum, filioſue complectebantur beneficij tabulæ, quas Rainaldus & Opizo ab Pontificibus obtinuerant. formula deditionis adductus pater Aldrouádinum ceteris poſthabitis ſucceſſorem ſibi declarauit; tuncque primum prærogatiuæ ætatis ſuus eſt tributus locus, quod ante haudquaquam aperte factum fuerat. Agebat Aldrouandinus alioqui ſtirpis maximus annum decimum ſeptimum, ac facile grauiter alicubi offendere poterat citeriore Gallia tot, tam frequẽtibus ſeditionibus

diſtra-

diſtracta, cũ & ipſe propter ætatis imbecillitatem rerum vſu non va
leret, nec qui regerent cognati adeſſent, aut conſultores præſtantes,
ceterum cũ ei pater imperium opportunis arcibus, ac populariũ ca-
ritate firmiſſimum, tũ pace maxime florens reliquiſſet: ad hæc oĩum
finitimorum amicitias conciliaſſet, præterq̃ quòd in magno honore
ac gratia apud præpotẽtes chriſtiani noĩs reges erat, & ipſe per ſe li-
berali ingenio eximiã quãdam ad virtutẽ indolem præ ſe ferebat, fa
ctum eſt vt hoc modo regnũ optime cõſtabiliret. proinde nõ facile
ſolum paternũ Vicarij munus transferri in ſeſe, atq; cõfirmari de Põ
tifice impetrauit: ſed cũ primo poſt adepta principatus inſignia an-
1353 no Patauini Rhodigiũ inuaſiſſent, Canis ſocietate cũ eo cõiunctus
auxilio vltro accurrit, reductumq; in Aldrouãdini gratiã Galaſſum
Medicẽ Ferrar. Maderio oppidulo, ꝙ ante ipſius erat, donauit. At
Veneti, queis irritatio illa aĩorum neutiq̃ placebat, extremo Ianuarij
1354 anno LIIII. per legatos Ateſtino Iacobinum & Franciſcum Carrariẽ
ſes recõciliauerunt, cũ Montagnanæ oẽs cõueniſſent exequuti ea, de
quibus ſuperiore anno Viennæ in Auſtria Cęſar, vnaq; rex Pãnonię
cũ Venetorum, Ateſtini, atq; aliorum Italię principũ legatis egerãt.
Scd̃m eam cõſultationem ac pacẽ ſubſequutam fit fœdus, & Conra
dus Landi, Cutradus Siltæ Comites Germani, ſub quibus merebant
duæ alæ in Apulia cõtractæ equitũ grauis armaturæ, pecunia condu
cuntur. ita equitũ circiter millia octo, peditũ par numerus, & eo am
plius duo millia coacta ad coercendũ Vicecomitem. hic quoad viue
ret ab Genuenſibus creatus princeps, auctusq; hereditate Sardiniæ
per Azonem nepotẽ, cuius mater Beatrix Ateſtina in eam Nino Gal
luræ marito ſucceſſerat, ſic illorũ partes reſtituit, vt ante a Venetis,
quorũ quidem claſſi ingens robur triremes quinquaginta & decem
onerariæ a Petro IIII. Tarraconenſi acceſſerant, nauali prælio fracti
ſuperiores deinceps fuerint; adiunctis enim decẽ longis ad viginti
eiuſdem generis nauibus pręfecto Pagano Auria iuſſit in Peloponẽ-
ſum curſum dirigere, vbi de Veneto, qui cum ornatiſſima claſſe ad
Sphragiã inſulam ſtabat, pugna excepti profligato & capto Nicoleto
Piſano altero legato victoriã retulerunt. Veneti dolore ignominiæ
accenſi cõſilia armaq; cũ Aldrouandino, Carrarienſibus, & Cane cõ
tulerunt. exercitus, quem modo diximus, e regione Guardaſtalli põ
te nauibus iũcto Padũ traductus oppidulũ obſedit, vt ſi oppugnatio
ſucceſſiſſet, vlteriora deinde tentaret. verũ occurrẽtibus Ioanne Au
legio, Gulielmo Palauicino, & Luchino Vermio cum copijs, quãtas
maximas Vicecomes cõparare potuerat, Veneti & reliqui ſocij impe
tũ repreſſerunt. Ateſtini ſocietatẽ ſenatus vſq; adeo experiuit, vt cũ
pacẽ conſtitueret, ab Carrariẽſibus ei impetrauerit Pinzoni turrim

vulgo appellatam in finibus Abbatiæ, & quicquid ſui iuris eſſe ijdē cōtendebant in agro Rhodigino, vt ne quid illi in poſterum eo noīe mouerent, ac de Vigitiolo etiā paciſcerentur. Porro Vicecomes per cauſam, quòd Gonzagæ extorſiſſent neſcio quid ab nonnullis merca toribus Mediolanenſibus dum Pado cōmeant, III. Non. Maij bellū ipſis atq; Ateſtino tanꝙ hoſtibus ſuis fœdere iuncto intulit. captabat ſcilicet occaſionē adoriēdi Regiū & Mutinā, oppida interiecta inter Parmā ac Bononiam a ſe poſſeſſa, primum quidem Parmæ, al terum Bononiæ peropportune acceſſura; vti hoc modo tota Æmilia via, quæ & Romana dicitur, in ipſius eſſet ditione. ſiquidem frater Parmā Opizonis beneficio, vt oſtendimus, ipſe Bononiam adeptus fuerat tradentibus Pepulis, qui paulo imprudentiores in ijs controuerſijs, quas habebant cū Flaminiæ Comite, ac diffiſi vrbem a ſe retineri poſſe, certa pecunia eam Vicecomiti conceſſerant, illuſtri exemplo ſi conditori alicuius Principatus proximi ſucceſſores pruden tia ac magnitudine animi non reſpondeant, ſtatum fere ſemper immutari, & familiā imperij auctorem ad priuatam fortunā decidere. quòd ſi poſt res plane firmatas poſteri a maiorum virtute degenerarent, ſecus eueniret: ſed vel imperij vetuſtate, vel obſeruantia, quā tempus conciliat, æquo animo a ciuibus tolerarentur. Vicecomes quo facilius cōſilia ad exitum adducetet, collocata in matrimoniū Bernaboui fratris filio Maſtini filia de Scaligeris ſecurus erat: ac iā inde ab initio nonnihil in Mutinēſes iniurius inquietum ingenium nudauerat. vitio fomes largiter acceſſit, cum petente Pontificis legato Bononia cederet; poſt factam rem diuinam, neq; .n. Archiepiſcopus inauguratus propter regnum collatū ſacerdotium dimiſerat, ſiniſtra manu altaris crucem tenens dextera gladium, quo ſub ve ſte accinctus erat, diſtringens legato reſpondit in ea publica precatione, altera ſe ſacrā iuriſdictionē altera ſe profanā defenſurum. cre uit multo magis amplitudo, & merito ex ea re Ateſtini metus, cum Bononiæ adhuc cōmotans, atq; accerſitus a Pontifice eiuſmodi ſuperbia offenſo, ſignificauit ſe obtēperaturum: mox qui teſtificaretur de egregia ipſius voluntate, ſcribā Auenionē miſit iuſſum quidquid annonæ venale eſſet coemere, quaſcunq; poſſet inſulas mercede con ducere. interrogatus ille a Pontifice quid hoc ſibi vellet, reſpondit familiam, quæ Archiepiſcopum iter facientē comitetur, nihilo minore apparatu indigere. quæ nā hæc familia ſubiecit Pontifex? equitum inquit ille duodecim, peditum ſex millia. tum Pontifex impen ſa reddita iubet Archiepiſcopo renūtiare nullā eſſe cauſam, cur tāta cū iactura ad ſe veniat. miſſi in Italiam internūtij ex auctoritate Pō

tificis

tificis Bononiam ei reliquerunt Vicarij titulo annuo duodecim millium aureorum nũmum ſtipendio, ſicuti conſtat ex tabulis ſuper ea re confectis, quarũ extat mentio in indice tabularij pontificij. quapropter Vicecomes cum ſe oĩbus terrori eſſe cerneret, ad Florentiam opprimendam animũ intendit, ratus fore vt eius caſu vrbis reliqua prouincia paulatim collaberetur. oppidi ab multis partibus circũuenti nullã aliam cauſam afferebat, niſi quòd, vti decet bonum Principem & qui afflictos ſubleuet, ferre nõ poterat eam rempub. Hetruriæ perpetuo inſultantem. huiuſmodi conatus Inſubris fuerant, qui poſt tot motus Mutinæ nimium incõmodę conſilijs ſuis imminens exercitũ eò miſit, corruptis etiam militibus, qui Campum Gaianum cuſtodiebant Marchionis noĩe, cui oppidulum illud, Martini fanum, ac caſtella ſecundũ Situlam, tum multa introrſum in agro Mutinẽſi idoneo pręſidio defenſa patebant. eſt .n. exploratum ante vſum tormentorum, quibus nunc muros quatimus, quanuis exiguã arcem maximos exercitus ſuſtinerę potuiſſe. itaq; pręſtabat ſingulis in turribus pręſidia collocare: quippe modica ad id impenſa ſufficiebat, & ab validiore hoſte campo pulſi retinebant tamen arces. interim vero dum Ioannes Aulegius, vt quidem vulgo opinabantur, Archiepiſcopi nothus filius Mutinẽſes vexat Bentiuoli, Gozadini, Sabbatini Marchionis ſtudioſi ſic tumultuarũt, vt vniuerſo populo Bononiæ ad arma cõcitato Aulegius ſit coactus rem omittere. iterum graſſatus pari vaſtitate & propugnaculum vltra Ambroſianã turrim extruxit, & in Regienſem tranſgreſſus incendit euertitq́; circũiectos pagos: Aldrouandinus vero cum addidiſſet ad domeſticas ſociorum copias, inter quos erat Montisferrati regulus, triginta armatorum millia Bononienſium finibus infudit, vbi oĩa late depopulatus ſub oculis hoſtium Cremonam tranſijt. pariter Cane adſcito ſocio cum maiore multitudine Brixianorũ fines intrat, atq; ita Vicecomitẽ ex Mutinenſi abſtrahit. defuncto cum ſucceſſiſſent Matthæus, Bernabos, & Galeatius Stephani fratris filij, Aldrouandinus per fidos homines quàm primum explorauit, quantũ fratribus inter ſe cõueniret eo maiore ſpe fretus, quòd illæ opes tripartitæ eſſent, ſed multo magis quòd in Italiã aduentaret Carolus IIII. Boemi regis filius. etenim cæſo patre memorabili illo prælio, in quo Eduardus Anglus nõ ſine plurimo procerum ſuorũ ſanguine Francum ad Creſciacum ſic fregit atq; cõcidit, vt funeſtiſſima vtriq; dies extiterit, Cæſar ante declaratus & contrarijs multorũ ſtudijs fatigatus, poſt Bauari obitum certum ac ſtabile imperiũ ſibi pepererat. ab hoc, dum ad auguſta Longobardiæ & vrbis Romę capienda inſignia properat, Aldrouãdinus ſuffragatione propinquorum, qui apud Cæſarem erant, Mantuæ di-

ploma conſequitur, quo Rhodigium, Adria, Arianum, Argenta, Alberti fanum, Comaclum, ac tota illa regio, beneficia maiorum etiam donationis verbis ſunt confirmata. Mutinam quoque titulo Vicarij obtinuit; & prætereá codicillos de montanis & campeſtribus omnibus caſtellis, in quæ ius aliquod Auguſto eſſet. Eadem tempeſtate Gulielmus III. Ateſtinus Luneburgenſis Dux, cuius ſupra mentionem fecimus, & ipſe proſpere rem geſſit contra Henricum II. inferioris Saxoniæ Ducem. nam cum Albim traieciſſet, Henrici pater, qui ſenex regno vltro depoſito eo ſeceſſerat, celeriter emigrauit; ac dum Niemburgum profugit, ex equo lapſus vitam amiſit. Gulielmus admoto Ripemburgum exercitu inter apparatũ oppugnationis voluntate ciuium in oppidum recipitur: quo valido præſidio firmato trans Albim regreſſus Erteneburgum capit. dein Ioannis Hoiæ Comitis opera diſceſſum eſt ab armis ea lege, vt Gulielmus Henrici filiam vxorem duceret, dos eſſet Ripemburgum, Erteneburgum ſocero reſtitueretur. Dum hæc inter Luneburgenſem 1355
& Saxonem gerebantur, Aldrouandinus ex trium Vicecomitum cõcordia ſolicitus operam dedit, vt Bernabos & Galeatius diſſimulanter aſſentirentur Aulegio deſciſcenti, ac Bononiæ principatum occupanti eo conſilio, vt ipſi poſtea ludificati Matthæum oppidum ſibi haberent, etſi Matthæus non valde pugnaturus videretur: nam otio ac libidini mancipatus alioquin ingenio prauo paulo poſt veneno ſublatus eſt. tenuit ſuſpicio a fratribus dilutum, quòd in ſermone familiari dictitantibus regnum egregium quid eſſe, reſpon- 1356
diſſet, verum quidem, ſed ſine ſocijs. reliqui duo cum apud Inſubres imperarent, Bernabos patrui Archiepiſcopi æmulus anno LVI. menſe Iulio Beltraminum Caſtrucij filium magna hominem virtute iubet cum legionibus ire ad fanum Pauli, quod eſt in agro Regienſi. contra Aldrouandinus & Gonzaga Aulegio, Genuenſibus, Ferratenſi regulo, Caſtellino, Æmiliano, Florello & Rainaldo Beccarijs in ſocietatem adſcitis cum valido exercitu domo profecti eodem loco caſtra poſuerunt, hoſtemque inuitum ad pugnam elicuere. ſuperatus ingenti ſtrage effuſo curſu ad portas vſq; Monticuli fugit. ſocij victoriæ inſtantes in propinquos Parmæ colles euaſerunt, mox in plana degreſſi loca aperta euaſtarunt. ceterum quod excitatus Bernabos, pactusq; eſſet cum Aulegio ſupremum ſibi ius Bononiæ fore, ipſe quoad viueret precario imperio vteretur, tum quòd miſſis ad id fabris binas turriculas Parmæ tuendo ponti exædificari feciſſet, vetitus eſt Aldrouandinus vltra tendere: quin ſuſpiciens turmam Landi Comitis fœdus in triennium cum Ægidio legato pontificio percuſſit, nec non cum Blaſione Beluiſio Piceni, Ioanne Mõtisfer-

tiſferrati Marchionibus, Aloiſio Gonzaga, Aulegio, Genuenſibus, ac Ticinenſibus aduerſus quoſcunque auſos violare armis ſociorum fines; legato pollicente equites CCL. alijs reliquos vſq; ad mille pro
1357 portione. Bernabos more ſuo inſequentis anni exitu Mantuam inſidijs aggreditur: dum ſtruitur fraus, repente miles Parma & Cremona ad Burgumforrem præoccupandum educitur; ſed aduolans cum equitatu Ateſtinus tantiſper reſtitit, dum Gonzaga, quod ſatis præſidij eſſet, compareret. eadem expeditione Gubernij pontem ab hoſte communitum expugnauit. inter hæc Ferratenſis ad repellendum Inſubrem pecuniæ indigens duo oppidula Aldrouandino, totidem Cani xx. florenorum nummum millibus oppignerauit. miſit & Vgolinum Gonzagam cum exercitu Nouariam, a quo vix oſtentata oppugnatione oppidum temere munitum, ac ſecurum eius rei deditione capitur. quod gnarus ægre retineri poſſe fœderatis tradidit: qui Vercellas ſtatim obſideri mandauerunt. quapropter Galeatius coactus eſt reuocare copias, quæ erant ad Ticinum, vt ciuitatem extorqueret Iacobo Buſſolario monacho Auguſtiniano, qui a Ferratenſi cum imperio ibi præſidere iuſſus inſcitia ac crudelitate teterrimi tyranni violentiam ſuperabat. æquata iam vtrinque fortuna erat: propterea ſicut hinc ab ſocijs Vercellæ acri obſidione premebantur, & ex crebris incurſionibus Inſubres laborabant, ita vt Galeatius diutius vim ſuſtinere nequiret, haud ſecus inde Bernabos caſtris circa Burgumfortem locatis cum ſubiectos Mãtuæ campos vreret; regnum Vgolini ſenſim deficientis in ſummum periculum deducebat. verum quòd ſponte nunquam facturi erant, neceſſitas expreſſit. feſſi omnes ſtudio atque opera Burcardi Magdeburgenſium præfecti, quem quidem Cæſar, vt prouinciam pacaret, in Italiam miſerat, Mediolani pacem fecerunt his conditionibus, vt Bernabos munitionem ipſam Burgifortis reſtitueret, & Chatarinam Matthęi fratris filiam Vgolino in matrimonium daret; ipſe Carrarienſis filiam Marco ſtirpis maximo deſponderet, quando nuptijs per vtriuſq; ætatem immaturam nondum locus foret: ſocij Nouariam, & quæ de illo proximo cepiſſent bello, Galeatio dimitterent, excepta Haſta, de qua Auguſti arbitrio ſtetur: Ateſtino, Ferrarenſi, Salaſſo adempta reddantur: ad pacem accedat fœdus aduerſus merentes priuatorum auſpicijs equitum alas, ſi quem forte ſociorum armis petant. Hæc agitata effectaque Septembri menſe: cuius fine Bernabos filiolo eſt auctus: eum e ſacro fonte ſuſtulerunt Aldrouandinus, Vgolinus, & Ioannes Aulegius. munera fuere, quemadmodum teſtatur Corius, qui res Medionalenſes vel minimas curioſe perſequitur, ab Aldrouandino quidem vas argenteum

teum cũ cratere aureo vnionibus, annulis, ac gemmis pleno. Vgolinus ſenos crateres pariter argenteos inauratos, cumq; his ampliorẽ vnum baſi criſtallina; Aulegius magnã vim veſtis aureæ, & pretioſarum pellium miſere. Bernabos extra pacẽ adductus neceſſitudine, qua peculiaribus artibus ſingulos magis magisq; cõciliabat, exceto Aulegio, præcipue quòd Ferratẽſis paci ſubſcripſiſſet, internũtijs Aroeno Spinula & Riccobono Mazzono icto cõtra cõmunes hoſtes cũ Aldrouandino fœdere ſtatuit Bononiã armis aggredi: quamobrem exitu anni vndeſexageſimi Anichinus Mõgradus cũ mille equitibus caraphractis cõducitur: acceſſere totidem, & amplius octingẽti ab Aceſtino, Vgolino, & Franciſco Carrarienſi ſingulis CC. ab Galeatio CCCC. ipſe pace & bello octingẽtos alebat. præmiſſis Parmam, qui rem frumentariã, operas, & alia ad expugnationẽ neceſſaria cõpararent, eodem & ipſe venit. interea Aulegius deſperata oppidi defenſione, principio ſequẽtis anni præſidiũ Ægidij legati pontificij, qui tũ Ancone agebat, introducit ac Bononiã Firmõ cõmutat. inſperata plane res Bernaboui accidit, cum de legati hominis, vt ipſe putabat, amiciſſimi in ſe animo nihil ſuſpicaretur: ille nõ ſuis modo & Malateſtæ cohortibus Vicecomiti ſe oppoſuit, ſed etiã ex Hungaria validas equitũ turmas præfecto Simone Comite acceſſiuit, atq; argentũ ab Aceſtino mutuatus florenorũ nũmum millibus L. numeratis Bononiam obſidione liberauit. nec cõtentus his Parmã adoritur, eoq; deducit, vt niſi Comes ingenti pecunia corruptus diſceſſiſſet, haud dubie eam ſubacturus fuerit. Per hos oẽs dies, quibus vexati Mutinẽſes in continenti periculo fuerunt, aliàs præter muros rapiente exercitum Vicecomite, dum Bononiã it reditq;, aliàs legato, dum Parmam accedit ac recedit, Aldrouandinus tanta vigilantia ac prudentia fines ſuos eſt tutatus, vt diffuſo circũcirca incendio, & in ſummis finitimorum calamitatibus pace ac tranquillitate florentiſſimos præſtiterit. mox non minus proſpero q̃ pater exitu, niſi quòd acerbior mors fuit in ipſo ætatis flore; quippe agentis XXVI. annũ, eius ſeculi primo & ſexageſimo anno III. Non. Septemb. vitã cũ morte cõmutauit, honeſtiſſimoq; funere maiorũ monumẽto apud Minoritas eſt illatus: cũ viuens exemplo ſuo docuiſſet, ſi quis ab ineunte ætate negocio atq; labori ſe dedat, augeſcere intendiq; mentis aciẽ & iuuenilẽ prudentiã recẽtibus igniculis concitatã præſtantiores fructus edere. Quod in viro principe eo facilius vſu venit, quo diſciplina, excellentiſſimorũ virorum cõſuetudine, rerum arduarum tractatione, æqualium æmulatione, maiorũ imaginibus, priuatis periculis, ac denîq; cupiditate gloriæ ille magis accẽditur, quàm ceteri, quibus vel hæc omnia ſubſidia deſunt, vel certe plurima.

1359

1360

1361

FINIS LIBRI QVARTI.

ARGVMENTVM
Libri Quinti.

NICOLAVS II. atq; aliquot alij Principes aduerſus Bernabouem Vicecomitem conſpirant, nec ille ſe ipſum deſerit: funditur tamen ab Ateſtino, ac paulo poſt concordia finitur bellum. Otho VI. cum Pontifice Heldeſenſi armis contendit: Otho VI. ab Ioanna Neapolitanorum regina vltro in genialem accerſitur thorum: Pontifex opera atque induſtria Nicolai in Italiam reuerſus præſenti maximum honorem habet, poſterisq́; ipſius deinceps haberi ſciſcit. Vicecomes & Gonzaga vario inter ſe euentu dimicant: Carolus IIII. pace conſtituta ex Italia in Boemiam, Pontifex Auenionem decedunt: bellum pacemq́; Vicecomes renouat cum Nicolao, qui Regium Lepidi in ditionem redigit; Fæderatorum copiæ parum proſpere pugnant, vt et Magnus Brunſuicenſis in Germania primo victus, mox victor: Saxolum et Flaminiæ portio in Nicolai ius concedunt: Otho IX. hoſtium potitus dimittitur: vxor necatur. Nicolaus fines ſuos præſidijs firmat, atq; in Barbiani Comitem cum alijs ſocietatem iungit. Albertus V. in gratiam redit cum Vicecomite: Patauium capitur. His ſubnectuntur Henrici XV. Federici IIII. & Bernardi Luneburgenſis res geſtæ, nec non Alberti profectio ad vrbem, vnde retulit diploma, quod de nomine Pontificis Bonifacianũ appellatur, tum ius habendi apud Ferrarienſes publici Gymnaſij; vtq́ue defuncto Nicolao ex Conſilij auctoritate filius impubes imperium adminiſtrauerit. Præterea inſidiæ explicantur, & arma palam, ſed infeliciter illata ab Azone XII. quippe qui ad extremum captus fuerit. Marchio Romãdiolam cõmutat ac iure ſuo cedit: Vineolam amittit: Franciſcum Gonzagam bello petitum ab Inſubre Nicolaus auxilio ſubleuat, Gubernium obſidetur: terreſtres naualesq; Inſubris copiæ profligantur, bellum maiore conatu redintegratũ excipiunt induciæ. Henricus XIIII. & Bernardus Luneburgẽſis eiusq́; ſocij pacẽ inter ſe iungunt. Joannes Barbiani Comes ſecuri feritur. Vineolam recipit, tumultus Bononienſes ſedat Nicolaus: Vincislao ob ſocordiam imperio deiecto ſuffectus Federicus inſidijs excipitur, cuius indignam necem vltum eunt neceſſa-

neceſſarij ac propinqui. Joannem Bentiuolum patriæ dominationem ingreſſum Inſuber bello vexat, aduerſus quem multi foedere inito conſurgunt Nicolao quieſcente. Robertus Cæſar ſublectus nullo operæ pretio ex Italia, quo venerat, in Germaniam redit. Bentiuolus acie victus regno & vita excidit. Nicolaus cum Pontifice & Florentinis conſilia atque arma conſociat, Crepacorium imperio adijcit. Vicecomes armis petitur, mox victo ſemel atque iterum Facino Cane diſceditur ab armis: Carrarienſis Brixia & Lemniaco paulo ante ſubactis pellitur: eundem oppugnantem ac mox tuentem Veronam Nicolaus adiuuat, ipſe Regium Lepidi aggreditur: Veneti Carrarienſem Nicolao defendente armis perſequuntur; Paulus Sabellus funditur, Rhodigini obſidione ad officium redeunt; Venetos in Ferrarienſem agrum irrumpentes ſuperat Nicolaus: fruſtra monet Carrarienſem det ſe ad concordiam, quod conſilium paulo poſt ipſe ſibi ſumit. Rhodigium oppugnante Carrarienſe tuetur, Veneti Verona occupata circumiecta Patauio loca, moxque Patauium ipſum ſuæ ditionis faciunt, nec non Feltriam & Bellunum. ad extremum interfecto Patauino ſubnectitur breuis eius familiæ explicatio. Hæc orſa ab apparatu belli, quod auctore Nicolao II. foederati cũ Inſubre geſſerunt, ad quietem vſq; Nicolao III. partam atque ſtabilitam, & Carrarienſium interitum, id eſt ab anno ſalutis MCCCLXI. ad MCCCCVI. perpetua ſerie pertexuntur.

IO. BAPTISTAE PIGNAE

De Principibus Ateſtinis

AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM,

HISTORIARVM

LIBER QVINTVS.

NICOLAVS II. ex vitio corporis cognomento
Claudus poſt Aldobrandinum regno inito,
cum ſuperioris temporis vſu edoctus Bernabo
uis nullum neque cupiditatum neque perfidiæ
modum eſſe intelligeret, cum Legato pontifi-
cio mutuæ ſecuritatis ergò, atq; in Vicecomi-
tum perniciem ſocietatem iungit: eadem obli-
gat Gonzaghios, Carrarienſem & Canem Si-
gnorium, qui tertium iam annũ Magno Cane cæſo patriæ præerat.
1362 Idib. Mart. anno a partu Virginis altero & ſexageſimo ſupra MCCC.
de fœdere intra dies XXX. ineundo pepigere. XVI. Kal. Maij Legatus
ob illam cauſam Ferrariam profectus magno honore excipitur: ſi-
mulq; & ceterorũ legati affuerunt. Hæc fœderis capita: equites lo-
ricati ter mille cõſcriberentur, pars dimidia ære pontificio; reliquis
ſociorum in ſingulos D. in his DC. Pannonij militarent. eæ copiæ
ſocijs præſidio futuræ partim in agro Bononiẽſi, partim in Flami-
nia haberentur promptæ parat æq; ad oẽs caſus: ſuæ cuiq; turmæ ſe
paratim deſcriptæ eſſent. ſi Bernabos Picenum adoriretur, quamq̃
Bononienſis atq; Mutinenſis ager, nec non Flaminia pręſidio vacua
foret, modo ne finitimis in oppidis hoſtis idoneam ad vim facien-
dam manum haberet, tum non minores copias, quàm quibus ipſe
ibi rem gereret, in Picenum ablegare ius eſſet. quod ſi ille exercitum
augeret, ex ſociorum equitatu alij eodem adducerentur, quibus to-
tidem ſufficerentur, vt ne hoſtis numero præſtaret. ſi qua paulo ma
ior defectio in Picentibus exiſteret, poteſtas legato eſſet ex his, quos

priuatis aleret ſtipendijs, eò mittere D. equites. ſi quid grauius moueretur in Vmbria, eaùe Hetruriæ parte, quam Patrimonium appellant, illò trecenti quoque maturarent. ſi quid hoſti in agro Bononiēſi aut Flaminia armis extorquere oporteret, eamq́; ob cauſam duplex militi ſtipendium repręſentare, id pontificium munus eſſet. ſi bellum omnes tangeret, vnuſquiſque ſociorum pro rata portione contribueret. impenſa nominatim nō deſcripta ab eo præſtaretur, cuius in finibus cum fieret, ſocialis exercitus ſtatiua haberet. ſi quādo ſociorum voluntate impendere quid neceſſe foret, pecuniam ſinguli pro numero militum conferrent: aucto aut imminuto exercitu pro rata æque parte ſumptus fieret: legiones ei parerent, cuius in finibus pro tempore morarentur, cum loco prefectum identidem mutarent. ſi ſocij decernerent hoſtem vltro aggredi, imperij ſumma ad vnum deferretur. mitteret Mutinā legatus intra decē dies equites haſtatos quingentos, totidem ſocij, vnuſquiſq; quot ex fœderis formula deberet: intra menſem eodem vniuerſus exercitus cōueniret. Extra commune fœdus priuata quoq; pactione Legatus recepit Ateſtino ac fratribus Vicatij munere Bononiam ſe traditurum, eique, vt eſt ſcriptum in quibuſdam Bononienſium annalibus, reddidit Nonantulam & Bazanum oppidula contributa Mutinæ ſuperioribus inter vtrumque populum bellis amiſſa; interim in poteſtate Malateſtæ Vngari eſſe voluit, vti illa ſexto demum menſe exacto Nicolao reſtitueret. Fœderi ſubſcripſit Innocētius VI. III. Kal. Iun. qui decimum iam annum ſuffectus Clementi VI. Pontificatum obtinebat. Nicolaus vero non ignarus huiuſmodi ſocietates facile diſſolui, ad diem XIIII. Kal. Iul. vt hoc quoq; vinculo Scaligeros arctius deuinciret, Viridem Canis ſororem vxorem duxit. Bernabos tanto apparatu haudquaq̄ territus in agro Mantuano caſtra ponit; in Mutinēſem excurſiones facit, & caſtellum ad Soleriā egregie communit. Ad regionis pręſidiū Ateſtinus a Siluatico & Vidone Boiardis Herberiam impetrat, eiuſq́; rei gratia vtrunq; in fidem ſociorū ſuſceptū iri, amiſſo oppido mēſtruos florenos nūmos centū pollicetur. Poſtero anno de menſe Maio cū apud Mutinēſes oīa in dies arctiora eſſent tum extructa ad Soleriam munitione, tum valido aſſidente exercitu, quē eo adduxerant Bernabos & Anichinns Mongradus, Nicolaus oībus vndiq; ſociorū auxilijs contractis ad propugnaculum Solarolanū Vicecomitis præſidio defenſum cōtendit; quo periculo commotum eòq́ue ſubſidio properantem Situla amne ponte iuncto de improuiſo aggreſſus prælio fundit: magnā partem fugæ magis, quā tamen flumen prohibebat, q̄ pugnæ memores capit. et 1363

quidem

quidem præter totius prope citerioris Galliæ nobilitatis florem vene re in poteſtatem clari viri Nicolaus Palauicinus, Gibertus Corrigias, Antonius Sanuitalis, Ioannes Ponzonus, Foliani, Pici, Firmini cuiuſdam Tribuni militum filius, & Ambroſius item Bernaboui ex pellice ſuſceptus. In ſuber eiuſmodi plaga vehemẽter ictus, vt cum fœderatis pacificaret, arbitrum ac diſceptatorem controuerſiarum illarum Cæſarem popoſcit: mox datæ fidei immemor, auidusq́ue ignominiæ delendæ, maxime autem infeſtus Ateſtino ſecurus quod munitio ab inopia commeatus hoſtibus proderetur, celeriter equitatum reſtituit, nouisq; circa Parmam copijs coactis Formiginem, ex quo loco magna Mutinenſibus incommoda inferri poterant, aduolat ibiq́ue firmum excitat caſtellum. deluſus Cæſar omnibus eum Vicarij titulis atque auguſtalibus beneficijs Pragæ exuit, neúe quis Imperij obſeruans opem illi ferret, interdixit. inimici ad hominis pertinaciam frangendam in diebus paucis bellum in eius fines transferre cogitabant. at ille animo proſpiciens ſe ad Mutinam diutius ſeſſurum exitu victoriæ planè incerto, certo atque explorato periculo, ne quam interim rerum ſuarum iacturam faceret, aliquando tandem placatior de pace legatum appellat. is Cæſennæ cum eſſet VII. Kal. Septemb. quingenta florenorum nummum millia Pontificem numeraturum recepit; interea caſtella capta in agro Bononienſi, ſimulq́; Lugum Cardinalis quiſpiam communis amicus cuſtodiret, quoad diſſoluto nomine Sanctæ ſedi reſtituerentur; ſimul Bernabos ipſe adempta reciperet,& capti in pręlio ad Sitularn dimitterentur. quamobrem induciæ in duos menſes inter legatum atque Vicecomitem publicis tabulis ſunt conſignatæ, vt interim ab armis ceſſaretur, donec Pontifex iuberet,quæ conueniſſent, rata eſſe. rex vero Cyprius per eos dies Venetijs ſe continens, vt qui ante per Petrum Archiepiſcopum Cretenſem & Philippum regni ſcribam de finiendis controuerſijs egiſſet, Pontificem ad pacem inclinare tentauit. regi in Italiam venienti ſtatim munera miſerat Nicolaus ſenos generoſiſſimos equos, venatumq́ue omnis generis prope innumerabilem; deinde litteris ac legationi-
1364 bus inſtitutam neceſſitudinẽ diligenter coluerat, ita vt ſequenti anno eiuſmodi officijs conciliatus cũ legatus ex vſu vniusRomanę ſedis perleui ſociorum reſpectu pacẽ faceret, ab Ateſtino ſteterit, nullaq; eũ in relædi ſiuerit. Qua tempeſtate Nicolaus poſt victoriã otium ac tranquillitatem ſibi ſuisq́ue peperit, VI. Otho Ateſtinus Brunſuicenſium Princeps & ſi cognati ſui fortunam non æquaret, quippe qui conſociatis armis cum Theodorico Magdeburgi & Alberto

eius fratre Alberſtadij Pontificibus, pugnanſq; ad Dinchelerum cũ Gerardo Heldeſenſi Antiſtite inferior diſceſſiſſet Alberto etiam ab hoſte captiuo facto; paulopoſt tamẽ inſtaurato exercitu Alueldum de eodem Heldeſenſi captum diripuit, Henricumq; Hoſtenſem ab fœderatis Herfordiæ & ceteris Turingiæ ciuitatibus obſeſſum cæſis magna ex parte aut captis oppugnantibus liberauit. Ceterum quo ſub vnum quaſi aſpectum Ateſtinos Germanicæ ſtirpis proceres pro ponamus, quorum permultorum mentionem hactenus fecimus, libet illud genus ad hæc Othonis VI. & Alberti III. tempora ordine percenſere. Vtriq; fratres quidem fuerunt Magnus Brunſuicenſiũ Dux, Henricus XI. Heldeſenſis Pontifex, Ioannes II. qui & Ludolphus Pruſſiæ præfectus, Henricus XII. quem alij Erneſtum Grubenhagenſem de oppido, cui præfuit vocant; pater vero vt & reliquis Albertus II. Brunſuicenſium regulus, qui tam numeroſam ſobolem ſuſtulerat partim ex Eliſabetha Henrici Catthorum, partim ex Riſſa princi pis Vandaliæ filia. certe quidem eſt a nobis obſeruatum in quibuſdã Saxonicis annalibus Henricum illum XII. cognomento Mirabilem non eorum, quorum modo meminimus, fratrem extitiſſe, ſed Alber ti II. quem illi parentem aſcripſimus. is Albertus præter Gulielmũ II. & Iſabellam Cæſari deſignato in matrimoniũ collocatam, de quibus ſuperius commemorauimus, fratres quoque habuit Ludderum, alij Clotarium appellant, Conradum & Gulielmum in primo ętatis flore extinctos, nec non Othonem equitem templarium, cuius ordi nis dignitas tum permagna fuit; Mathildem nuptam Henrico Danorum regi, quos omnes idem Albertus genuerat tum ex Alexina Aldobrandini Ateſtini, tum ex Eliſabetha reguli Brandenburgenſis filia. Albertus hic I. Othonis II. filius extitit nepos Gulielmi, pronepos Henrici illius IX. qui Saxoniæ & Norici imperio eſt depulſus. at vero Otho II. ſuper Albertum, Mathildem, Eliſabetham & Adeleidam, de quibus facta eſt mentio ſuperioribus libris, ſuſcepit ex Mathilde Alberti Brandenburgenſium Principis ſobole Helenam & Hagnen, illam nuptum datam Comiti Anhalti, hanc Vinciſlao Pru giæ Duci: Othonem III. & Conradum Heldeſenſium ac Verdẽſium Pontifices, nec non Ioannem Luneburgenſium Ducem, cuius ex Ha gne Holſatiæ reguli ſtirpe filius fuit Otho IIII. huius Gulielmus III. Luneburgenſes Duces, Ludouicus Archiepiſcopus Bremenſis, Ioan nes Epiſcopus Mindenſis, Heſer, Otho, Maria & Hagne impuberes fato functi. IX. quoque Otho Brunſuici regnabat, etenim Henricus Grubenhagenſis ex Hagne Hermanni Turingiæ præfecti filia procreauit Henricum XIII. & Erneſtum II. vnde prognati Federicus, Al

bertus

bertus v. & Erneſtus III. ex Henrico XIII. & Helena Valdemari Brandenburgenſis filia præter Melchiorem Suarinenſium Pontificem & Balthaſarem natus hic, de quo loquimur Otho IX. qui domo profectus vt italicis bellis intereſſet, & pro virili parte Ateſtinum adiuuaret, cum eo militaris dignitatis prorſus expers militauit; quippe maluit adoleſcentiæ tyrocinium parendo potius quàm imperando po-
1365 nere, annoq; illius ſeculi quinto & ſexageſimo cum Ferrariam veniſſet, ibi aliquandiu eſt commoratus, atque Helenam filiam Petro Luſiniano regi Cyprio in matrimonium locauit. Dum Otho Ferrariæ diuerſatur Nicolaus fidem Vicecomitis ſuſpectans, horrensque impenſam, ſiquidem ob eam cauſam perpetuò militem habere in ar
1366 mis cogeretur, inſequenti anno conſilium inijt committendi cum Inſubre Vrbani v. qui ante quinquenniũ Innocentio in Pontificatu ſucceſſerat; ſic hominem aggreſſus vt diceret, efflagitari hoc a Pontifice, cuius quidem romanæ vrbis principis Cæſare procul in Germania degente munus ſit, tyrannorum vim comprimere, & indigna contumelia afflictos ſubleuare, opemque ſuam italiæ impartiri. verum haud ignarus perimbecillum fore conatum ſuum ſi ſe trans alpes continuiſſet, vel eas tranſcendiſſet ſine Cæſaris præſidio & auctoritate, Pontificem ipſum vnaq; conſpirantem Carolum Auguſtũ ſtatuit in Italiam perlicere. itaque Malateſtæ, Vidonis, Ludouici & Franciſci Gonzagæ, qui quartum iam annũ defuncto Vgolino Mantuæ principem locum obtinebant, necnon Franciſci Carrarienſis comitantibus legatis gnarus quam ardua ac difficilis ea res eſſet, proptereaq; per ſe vnum explicari oportere, ipſe Auenionem profectus omnia ex ſententia peregit tãto quidem ſilentio, vt vnus modo Pontifex & Ateſtinus conſcij extiterint, ac paulo poſt Cæſar, legatisque longe aliud, quàm quod deliberauerant, renũtiauerint. Ea fuit cauſa, cur Nicolaus petente Ioanne Galeatio vt Valentinam filiolam recens ſibi natam ex Iſabella Caroli v. Francorum regis ſorore de ſacro fonte tolleret; cuius Iſabellæ nuptias pater ei Galeatius ab Gallo impetrauerat doti dictis florenorum nummũ millibus D. & Virtutum Comitatu, non recuſaret Ticinum accedere: quo eodem quoq; munere functurus Allobrox ſe contulerat. Bernabos non quo in illum erat animo, ſed ſimulata beneuolentia cultuque Ateſtinum excepit, idq; ipſe officium vt maxime gratũ pari ſimulatione tranſmiſit. tandem Vicecomes cognita inimicorum in ſe conſpiratione, quippe quo maiores ſunt motus eo difficilius celantur, Lunatum perrexit ex compoſito colloquiũ Canis petens, qui tũ erat Piſcheriæ. in ipſa imminentium diſcriminum commemoratione docuit caſu ſuo Ve-

ronæ

ronæ quoque caſum attractum iri: quo minore interuallo diſtent, eo magis & communi commodo & auxilij copia ad ſocietatem impelli debere. dat præterea fidem, ſi Mantua potiri contingat, quam primis conatibus deſtinauerat, quo deinde Ateſtinum aggrediatur, eam ſe illi traditurum. his conditionibus fœdus pepigerunt, in quod Ioannem quoque Agnellum Piſanorum principem ſollicitauit primo haud abnuentem, paulo autem poſt ad aduerſarios tranſgreſſum, cum eos validiores eſſe cerneret. Iam Italicum iter adornaue
rat Vrbanus: itaq; de menſe Octob. anno illius ſeculi LXVII. quam 1367
quam ſerius, ſuiq; & aliorum quodammodo pertæſus Maſſiliæ conſcenſis nauibus Romam venit profano potius comitatu ac pompa, vt quidam ſunt auctores, quàm ſacrorum principis ritu. Vrbem ingredienti præſto fuit Nicolaus cum ornatiſſima equitum ala, atque eximio quodam honore eſt ab ipſo affectus, iuſſusque forum præſidio obtinere: quam rem Pontifex ampliſſimo decreto, & adhuc in Ateſtinorum tabulario extante eſt complexus. cuius decreti auctoritate dum Rom. Pontifex ſacroſancta tiara de more coronatur ipſiq; & poſteris deinceps primæ in vrbe partes, atque adeo locus dignior inter omnes Principes exceptis tantum regibus tribuitur. beneficij cauſam Vrbanus cum ad recens officium, tum multo maxime ad Sanctæ ſedis dignitatem retulit auctâ quidem vel ipſius iudicio, ſed minus Ateſtini deſiderio, qui & reſtituere & multo magis illam extollere concupiuiſſet. eius præſidio ac tranquillitati proſpiciens fœdus cum Pontifice percuſſit, nec non cum Cæſare atq; Apuliæ regina, Genuenſibus, Florentinis, Gonzagis & Franciſco Carrarienſi, cum quidem huiuſce rei gratia ab Auguſto miſſus veniſſet in Italiam Ioannes Pragenſis Decanus ædis Diui Apollinaris. ex ſocietatis formula totis ſeptem annis, quippe id ei tempus præfinitum fuerat, equites ter mille cum idoneo peditum numero partim ære pontificio, partim Ateſtini & Carrarienſis opibus alere oportebat: reliquis ſociorum licebat quot quiſque vellet milites habere in armis. Dum hæc aguntur, Vicecomes ſupra tria equitum millia conſcribit: quibus poſtmodum acceſſere Britanni milites complures, cum inſequẽ
ti anno Leonellus Clarentiæ Dux Anglo rege natus Mediolanum ſe 1368
ſe contuliſſet, vt Iolantidem Galeatij filiam matrimonio ſibi iungeret. poſt peracta nuptiarum ſolennia exercitum intermixtis Britannis nauibus imponit, & magna ad Burgumfortem, id oppido nomen eſt, delatus mole non ſine certamine locum expugnat arce incolumi, atque diruit. dein præſentiens aliquot myoparones, ac cõplura alia nauigia inſtructa ab Ateſtino Mantuanis ſubſidio venire,

ſecun-

ſecundo flumine obuiam procedit, ac nonnulla capit. tum duplici victoria potitus Germanos, qui neſcio qua contumelia ad Parmam irritati ab italis ſeditionem excitauerant, e munitionis pręſidio deducit, Ioannemque Hauheuuodium Anglorum præfectum ſufficit: cuius hoc eſt verum & genuinum cognomen, ſicuti nos ipſi legimus in autographis tabulis eorum contractuum, quos cum illo Nicolaus inijt, licet hiſtoriarum ſcriptores alij aliter extulerint modo Aucutum, modo Agutum, interdum Acutum vocitantes. Sub hoc tempus Cæſar in Italiam eſt profectus magna procerum Germanorum atque Boemorum frequentia, qui citeriorem Galliam nullo negotio obtritum iri putabant, nimirum coactis equitum ac peditum millibus xxv. in quibus fuere Ateſtinus receptus in Augusti cohortem, & Gomerius Brunatius Hiſpanus pontificij exercitus imperator, nec non Vgo Seuerinas Ioannæ Neapolitanorum reginæ legatus. placitum eſt in gratiam Nicolai caſtris ex aduerſo Burgifortis poſitis munitionem primo tentare: cōtra Bernabos loco ante egregie firmato cum omnibus copijs ad Guardaſtallum conſedit interim hoſtis conſilia obſeruans. erant in vtroque exercitu tot ac tam variæ gentes, vt vel ſola nomina ingentis ſpeciem multitudinis ac longe vero maioris referrent. habebat Vicecomes præter Italicas cohortes Germanos, Britannos & Sequanos equites. Auguſtus Boemos, Sarmatas, Illyrios, multosque alios e finitimis regionibus; Pontifex Hiſpanos, Britones, Aquitanos & complures ex prouincia Gallia contraxerant. Cæſar difficilem munitionis oppugnationem cernens opportunitate fluminis vſus, quod ex montanis aſſiduis imbribus in maiorem modū creuerat, aggerem ſupra propugnaculum de improuiſo interſcidit eo conſilio, vti aquarū illuuies illud per ſeſe euerteret. res ſecus cecidit: quin obſeſſi ſilentio noctis paulo inferius prope e regione caſtrorum eundem aggerem ſunt amoliti, ſuperfuſoque campis late flumine Carolus inde pulſus Veronenſium fines vaſtare cœpit. eodē tempore Auſtriæ Dux, qui ſubſequutus Cæſarē magna cum Germanorum manu in Italiam deſcenderat, Vicetinos grauiter vexabat. cuius aduentu fractus Bernabos ac metuens ne nō tanto oneri ſuccumberet, per Stephanum Noricorum Ducem generum ſuum pacem impetrauit hiſce conditionibus, vt Burgumfortem & caſtellum ipſe relinqueret: nullum omnino ius Vicecomitibus in Bononiēſes eſſet: ſocij exercitū dimitterent: Cęſar ad vrbem profectus pacis confirmationem a Pontifice obtineret; quam nouis quoq; legibus eodē Pontifice cōſulto temperare fas eſſet. Auguſtus deinde cū Ateſtino Mutinā abijt; quo paulo poſt conuenit Galeatius,

Berna-

Bernabouiſq́;,Scaligeri, atque aliorum,ad quos ea res pertinebat,le gati, ibique pacem promulgauit: inde vt receperat recta ad vrbem proſequente officij cauſa Nicolao contendit. nec Pontifex moram concordiæ fecit. habenti per Hetruriam iter Lucenſes,Piſani ac Senenſes non ſolum quod in fide & clientela ipſius eſſent, ſed etiam veteris imperij ac poteſtatis nomine vltro portas aperuerunt. Cæſar eadem reuerſus Lucæ & Piſis multum auri coegit: Petrum etiam Gambacurtam Piſanis præfectum dedit, cum quidem priore in Italiam profectione ſub initiũ imperij ijdem populi,vt eſt auctor Matthæus Villanus, nulla vi ſubacti, ſed ſponte atq; alacriter pecuniam obſequij ſtipendijq́; nomine vnaque Florentini, Arretini & complura eius regionis oppida contuliſſent. Piſis Bononiam; inde circiter Id. Iul. Ferrariam profectus aliquot dies ab Ateſtino magnificentiſſime tractatur. poſt nauibus ſecundo flumine deuectus mari cum Dalmatiæ oram tenuiſſet, pedibus in Boemiam ſe recepit parum ſecunda apud Italos fama, quod egregias propagandi imperij occaſiones neglexiſſet. Poſtero anno Vrbanus & ipſe Italiam reliquit: nam 1370
cum progreſſus in Faliſcos bellum intuliſſet Peruſinis, qui deſciuerant, Hauheuuodius cum equitibus D. eo miſſus a Bernaboue odio Pontificis,quod in pace peragenda Bononiam ſibi non condonauiſſet, non ſolum obſidionem Peruſiæ relinquere coegit, ſed etiam in Faliſcis ipſum obſedit: quod ille vſque adeo moleſte tulit, vt partim infelici expeditione, partim vrbis tædio & conſilij capti pœnitentia adductus Auenionem decederet. nihil ea re territus Nicolaus manente adhuc fœdere cum Legato & Gonzagis reliquisq́; ſocijs & Apuliæ regina menſe Octobri Lucium Germanum Landi Comitem ac præfectum alæ, quam tum magnam appellarunt, iubet Bernabouis fines hoſtiliter ingredi. ille vero ex redintegratæ pacis formula caſtellum ad Formiginem dirutum Ateſtino reddidit. menſe Martio anno illius ſeculi LXXI. pace & fœdere ſolutis Nicolaus per ſpeciem 1371
expugnandi Saxoli Regium eſt adortus; quod opera Blanchini Maranenſis cum Lucius porta in oppidum receptus fuiſſet, in poteſtatem venit, arx retenta eſt: ea cum præſidium a Bernaboue ſubmiſſum ductu Ambroſij filij in vrbẽ peruaſiſſet Lucio de induſtria quieſcente, qui deinde ceſſationis præmium ſexagena florenorum nummum millia retulit, oppidum omnibus ſceleribus fœdatur ſine vllo profanarum aut ſacrarum ædium diſcrimine: Vicecomes pari auri pondere appenſo Vidoni Gonzagæ Feltrini filio, cuius non ambiguum ius erat in Regienſes ac Ludouici patruo, qui tum Mantuæ regnabat, oppidum ſuæ ditionis prorſus effecit. Vidoni quoque Corri-

Corrigiati in partes traducto gratificatus oppidũ illud hactenus con
tributum Regienſibus liberum eſſe iuſſit. ex ea re ingreſſus in ſpem
potiundæ Mutinæ ad Cęſiũ, ſic incolæ appellant, vicũ aggere ac ma
1372 teria munitionẽ excitari iubet. Anno inſequẽti mẽſe Maio Nicolaus
alterũ ex aduerſo propugnaculũ pari magnitudine extruit. creſcebãt
vtrinq; in dies copiæ: forte accidit vt Ateſtini Herberiã verſus caſtra
mouerent, ſequeretur iiſdẽ veſtigijs hoſtis. ſigna collata; Vicecomes
nõ incruento prælio ſuperior diſceſſit. Legatus & Nicolaus reſtituto
atq; aucto exercitu hoſtẽ ab circũuallanda operib' Mutina ꝓhibue-
runt; quã ob cauſam Bernabos modico cũ præſidio Parma & Regio
magnã materiæ & operũ vim eo miſerat. at cũ ex illo exercitu CCCC.
equites, filiũq; & Hauheuuodiũ ſubduxiſſet in auxiliũ fratris Galea-
tij, cui Aſtenſes acriter premẽti Allobrox moleſtus erat, adeo vt ne-
ceſſe ẽt fuerit Virtutũ Comiti arma in eũ ſumere; hoſtis iſtitutas mu
nitiones facile cepit, eodẽq; impetu Parmenſiũ fines inſigni clade af
fecit. Sic quidẽ Nicolaus ꝓfectis ex Italia Pontifice atq; Auguſto ho
ſtẽ potentiſſ. egregie ſuſtinuit. longe aliã vero fortunã expertus eſt
Magnus Ateſtinus Dux Brunſuicenſis, qui cũ de finibus cũ Mechel-
burgenſi cõtenderet, acie ab eo victus ſexcentos e popularibus viros
nobiles amiſit, quorum libertatẽ mille in ſingula capita argenti põ-
do redimere eſt coactus. poſt cũ per Mathildẽ Gulielmo eius nomi-
nis III. Duce procreatam, quæ Ludouico e quattuor ipſius filijs natu
minimo nupſerat, Luneburgenſiũ procurationẽ nactus eſſet, idq; op
pidũ Carolus ſentẽtia ſua adiudicaſſet Alberto Saxoni ex Hagne filia
Gulielmi Ducis nepoti, ciues de improuiſo arcẽ edito in colle ſitam
deiecto Magni præſidio occupauerũt: Albertus obſeſſos Vuinſenſes
ad deditionẽ cõpulit. dũ circũuallat arcẽ Ateſtini metu, ꝗ magna cũ
manu ſupuenit, obſidiũ reliquit. poſt Alberti fugã lectos ex toto ex
ercitu ſeptingentos milites iubet Luneburgũ celeriter cõtendere: fo
ro ſtatim occupato dum regionũ præfecti quaſi cædibus parſuri vo-
luntariã deditionem oſtentãt, quoad populus arma expediret, mili-
tes deluſi atq; vndiq; circũuenti partim obtruncãtur, partim capiũ
tur. inter hæc Magnus locũ munitiſſ. noĩe Pattenhuſen de hoſte re
cepit, vſuſq; occaſione belli inter Meclemburgenſem Stetiniq́ue &
Vuolgaſti Duces Albim traiecit, fines Meclemburgenſes effuſe vaſta
uit; ſed occurrentibus, qui circa vrbẽ in præſidio erant, prædatores
magna ex parte ꝓfligantur. mox nouo bello cũ Othone Scouuẽbur
genſi implicatus in medio pugnæ ardore cecidit. hæc geſta eodem
1373 tempore, quo Nicolaus Parmenſiũ agrum depopulabatur. Poſtero
anno de menſe Aprili Saxolũ cõpluraq; montana caſtella deditione

incolentium, quos Manfredi tum abſentis imperij tædebat, in Ate ſtini ditionem cõceſſerunt. interim fœderati Hauheuuodium atq; Vgolinũ Sauinianũ hunc Ateſtini, illũ pontificij militis præfectos e Brixianis finibus prędas agere iuſſerũt; quo profecti Galeatius & Anichinus Mongradus cũ tranſmiſſo ad pontẽ nouũ Cleſio amne caſu hoſti occurriſſent, cõtracto certamine magna Germanici equitatus clade ſic ſuperãtur, vt Vicecomes vix fuga elaberetur. Anglus, q pro comperto haberet Ambroſiũ cũ aliquot turmis ſubſequi, veritusne, ſi flumen tranſiſſent, intra hoſtium præſidia ſeſe includerẽt, retrouertit agmen in Parmenſem agrum, vt poſt eum deuaſtatum Bononiã reuerteretur. tam proſpera Nicolai fortuna tranſalpinorũ militum ſuperbia eum ab Legato diſiunxit; quippe cũ Pontifici gratificatus ad leuandos hybernis Bononiẽſes Ingramũ Conciaci regulum & Raimundũ Toreniũ cũ mercenario Eccleſię milite Mutinę recepiſſet, cõtumelias ab nõnullis eorũ ciuibus illatas ꝑpeti nõ potuit; quod niſi Amadeus VI. Allobrogũ Comes, cuius erat ꝓpinquus Ingramus, placato Ateſtino controuerſiã ad ſe reuocauiſſet, etſi Mutinenſes barbarorũ inſolẽtiã ferme repreſſiſſent, magnũ illis malũ impendebat. eo diſceptatore Ferrarię V. Kal. Decemb. oĩs ſimultas ſublata eſt. reconciliata inter Ateſtinũ & legatũ gratia anno LXXIV. men 1374
ſe Martio Regiẽſes a Bernaboue ad eũ tranſiuerunt. oppido vterq; q ſatis viſum eſt pręſidij impoſuerunt iam ante pacti, vt belli præmia cõia eſſent. Sequenti anno poſt. Kal. Iun. pacis eſt illata mẽtio: 1375
pro pace annuæ factæ inducię, mox perpetuæ futuræ, niſi vigeſimo, priusq̃ exirent, die ijs renuntiaretur; ea lege, vt munitio ad vicũ Cæſium extructa interim in Cardinalis vtriq; parti ex æquo amici poteſtate eſſet; vtq; barbaris exauctoratis Vicecomes tres ex quinq; ſtipẽdij partes, duas ſocij exſoluerẽt. inducijs pręter Ateſtinũ vſi ſunt Legatus Põtificius, Neapolitanorũ regina, Allobrogũ & Montisferrati reguli. Hauheuuodius, qui toto eo bello militaſſet nullo fere ſtipendio nimirũ & ipſe & equites Britãni rapto aliti, quędã Flaminię oppidula popoſcit, ex quibus pignori oppoſitis debitã a Põtifice pecuniã redigeret. tradidit illi Gregorius XI. qui quinquennio ante Vrbano in Pontificatum ſucceſſerat, Balneocaballũ, Cotignolã & Conſilice, eaque barbarus XX. aureorum nummum millibus Nicolao addixit; qui locorum cuſtodiã commiſit Philippo Guazalotto Pratenſi viro impigro ac militiæ perito. Anglus nondũ plane pecuniæ ſatur con tracta ex popularibus frequenti ala, quã Sanctam vocitauit, tota Flaminia populabundus Fauentiam oppreſſit. Agebatur eius ſeculi annus LXXVI. quo Ateſtinus proprio ſtipendio magnum equi- 1376
tum

tum numerum auxilio Venetis ſubmiſit aduerſus hoſtes. tota autem Flaminia cum acerbis barbarorum direptionibus vexaretur, Pileus Pratenſis Eccleſiæ Rauennatis Pontifex, qui & Italiæ vulnera perſpiceret, & ea longinqua ope & Sanctæ ſedis plane debilitatæ auxilio ſanari poſſe diffideret, VI. Id. Apr. Lugum, omnemque agrum cum mero & mixto imperio, & pagum Potitum certo impoſito ſtipendio beneficij loco Ateſtino conceſſit; qui in eius liberalitatis partem nominatim vocandum curauit Albertum fratrem atq; alterius item fratris filium. cauſæ non eę modo, quas ſuperius attigimus, in tabulis ea de re confectis exponuntur ab Archiepiſcopo, ſed & aliæ; ſcilicet non ſe tanti eſſe, vt poſſit Flaminiæ oppida maxime Lugum tueri, cui finitimi Ordelaffi ante Foroliuij furto potiti aſſidue inſidientur, itemq; Aſtorgius Manfredus, qui & ipſe complura municipia ab Eccleſiæ obſequio auertiſſet, in primis Granariolũ ſitum ab Lugo ter mille paſſus. eum locum ſemel atque iterum a Barbianenſibus Comitibus oppugnatum ponte etiam capto: exulum quoque manum ad vim faciendam ſeſe comparare. id ſe conſilij cepiſſe ſatis gnarum neminem nec virtute nec opibus conferendum cum Nicolao & Alberto Ateſtinis, & VIII. Opizone Aldobrãdini fratris filio, qui alias & tunc potiſſimum Sanctæ ſedi præſidio eſſent, & Pontifici obſequentiſſimorum filiorum loco ſemper fuiſſent, nec quicquam antiquius haberent ipſius Eccleſiæ incolumitate. ad hæc accedere, quod Cardinalis S. Angeli Bononiæ Legatus oblatam ſibi Lugi cuſtodiam vti non ſuarum virium onus detrectaſſet. municipium Nicolai nomine receptum ab Andrea Florano ſcriba cũ præſidio obtinuerunt Petrus Toxicus & Vbertinus Guidobertus. Anno, qui proxime ſequutus eſt, Hauheuuodius Pontifice quidẽ, quod prohibere non poſſet, ſed magno cũ animi dolore permittente necubi grauius offenderet, Fauentiã bis mille auri libris cũ Ateſtino commutauit haud quaq̃ ſegni in eiuſmodi occaſionibus arripiendis: quod tamen ille oppidũ eodẽ anno Manfredi fraude amiſit. ea res multa certamina inter Ateſtini milites ac Fauentinos cõtraxit: captusque eſt Franciſcus Aſtorgij frater, quem deinde Nicolaus Petri Adimari opera in gratiam recepit pactus aureorum nũmum millia XXIIII. æquis in annos quinque penſionibus, vtque Manfredus beneficij loco oppidum agnoſceret, ſtipendijq; nomine quotannis militarem equum purpura inſtratum præberet. Otho Brunſuicenſis Ateſtinus ex Germania in Italiam profectus regnũ obtinuit Neapolitanum; quippe Ioanna vidua tum eius nobilitate virtuteque, tum vero maxime forma atque ætatis flore accenſa, quæ alioqui fa-

ma tantum cognouerat, anno LXXVI. ineunte eum maritum ſibi per legatos petijt. ita ille regiam dignitatem eſt adeptus quartis mulieris nuptijs, quæ paulo ante Iacobum Aragonium eius regis, qui in altera nempe maiore ex inſulis Balearibus dominabatur, ſtirpis maximum quaſi alterius fœminæ amore captum capitis ſupplicio affecerat. ac Tarraconenſi quidem nupſerat regina omnium, qui tum viuerent, regiæ nobilitatis iuueni formoſiſſimo poſt Ludouici Tarẽtini obitum, cum controuerſia inter ipſam & Pannonium a Pontifice compoſita rex appellatus, atq; vt tum fama fuit, vxoris complexibus intemperantius indulgens corpus vireſq; prorſus exhauſiſſet. Otho & vxoris nomine & quadam morum ſuauitate, cum quidem ad regionis mores egregie ſeſe accõmodaſſet, vulgo carus acceptusque tranquille regnabat. poſt Gregorij vero exceſſum, cuius opera Petri ſedes annos amplius ſeptuaginta in Gallia exul Romam reuertit, cum anno illius ſeculi duodeoctogeſimo Vrbanus VI. Pontificatum accepiſſet, & Franci purpurati paulo poſt eundẽ honorem Clementi detuliſſent, non religionis modo diſſidium extitit, ita vt Romanus ſex Gallicarum partium ſenatores culleo inſutos Tiberi mergeret; ſed regina etiam ſacro interdicto ab Vrbano petita regnoq; exuta, quod æmulo fauiſſet impulſu Nicolai Iureconſulti Neapolitani conſiliarij ſui, cui cum Vrbano & ipſo Neapolitano ante Epiſcopo Barenſi capitales inimicitiæ intercedebant. regni ius in Carolum Dyrrachij Ducem Vrbani litteris ex Pãnonia in Italiam accerſitum tranſlatum. ita Brunſuicenſis fortuna labi ac retro fluere cœpit. Interim Clemens Anagniã progreſſus nepotem e Gallia euocauit, qui ex itinere quam potuit plurima ditionis pontificiæ oppida ſubegit: alia in Vrbani fide perſtiterunt. in Hernicis ad Marinum ſubſtitit oppidulum modico ab vrbe interuallo, inde ad Vrbanum comprehendendum proceſſurus. ſed occurrente Almerico Barbianenſi Frãcus tripartito exercitu prælium conſeruit, alterum hoſtium agmen pepulit: ſed integri animoſe ſeſe inuehentes victricem primo ac reliquas deinde acies proſtrauerunt. ſecũdum aduerſam pugnam Clemens Neapolim profugit, vbi fremente nobilitate prorſus indignũ ſe alterius Pontificis præſentia ac ſumptu, alterius abſentis odio premi, cũ regina ipſa, quæ tres ad id longas naues inſtrui iuſſerat, ſuarumq; partium Cardinalibus breuiſſimo traiectu Maſſiliam delatus Auenionem abijt. Senatus Pariſienſis cognita Clementis cauſa iuſtum eum Pontificem pronuntiauit, alterum damnauit; eoque factum eſt vt Francus & Tarraconenſis reges illum venerarẽtur; Italia, Germania & Pannonia anno eius ſeculi LXXIX. Vrbanum recepere. 1379

Regi-

Regina, vt diximus Neapoli, vbi vir ad tutelam imperij ſubſtiterat, profecta cũ Ioannis Andegauenſis ſecundus natu filius Aloiſius Auenione conuentam officioſe coluiſſet, regnum illi mortis cauſa donauit. Carolus ex agro Tauriſano, quam illi prouinciam rex Pannoniæ mandauerat, fœdere in Venetos coniunctus cum Liguribus & Carrarienſibus, Ianoctum Salernitanum cum exercitu Apuliam verſus præmiſit: ipſe in Pannoniam regreſſus idoneoq́ue equitum in-
1380 ſtructus numero in Italiam anno LXXX. reuertit, rectaq; Neapolim ab omnibus deſideratus, quod regina in ſummo ciuium odio eſſet, contendit. Otho, cum ſe vxor nuper e Gallia regreſſa in maritimam arcem abdidiſſet, cum mercenarijs equitibus neceſſarijsq́ue & clientibus ex vrbe ad pugnam exijt certo prope exitio vtpote numero militum longe inferior. at ciues eo porta ſigna efferente alia Carolum introduxerunt. nihilo ſecius excluſus caſtra ſub ipſis mœnibus locauit, & primores ſuam ſectam ſecutos clam monuit etiam atq; etiam cauerent, ne noui domini iugum acciperent; vel conceſſa venia dura in poſterum conditione apud illum futuros. cum hac de cauſa, tum quod omnes magna eum beneuolentia proſequerentur, tantũ animi ac conſtantiæ militibus iniecit, vt ſit auſus oppidum oppugnare. Carolus duabus portis eruptione facta hoſtem a tergo & a fronte circumuenit. prælium Othonis virtute aliquandiu variũ atq; anceps fuit: ad extremum victoria ad Pãnonium inclinauit. e principibus, quãtum quidem proditum eſt memoriæ, ipſe Otho ex equi vulnerati caſu, & Ferratenſis regulus in victoris poteſtatem venerũt.
1381 reginæ ſuam ac mariti ignominiam deprecanti reſpondit Carolus id ſibi curæ fore. ceterũ potitus regno ex Hungari ſententia laqueo ſupplicium ſumpſit illo ipſo loco, vbi Andream & ipſa antea reſte ſuſpenderat: Mariam omnium ſororis ſcelerum participem ſecuri
1382 percuſſit. Othonem nihil grauius commeritum abſoluit ſub ea cõditione, vt finibus excederet; isq; ſtatim in Germaniam redijt. Andegauẽſis deinde ſua exercitusq; clade Neapolitanam expeditionem ſuſcepit auctore Clemente VII. Proximo ſuperiore anno migrauit e vita Aldobrandinus Rainaldi III. filius, qui ſacris initiatus propter morũ ſanctitatem primo creatus Adrianorum Pontifex, mox Ferrarienſium vigiliã illam rectiſſime obiuit relicta poſteris immortali innocentię ſuæ memoria. Nicolaus inter eos, quorum hactenus mentionem fecimus, bellorum motus diſſidentium inter ſe conſiliorum rerumq́ue euentus obſeruauit; ac ſumptus arbiter de finibus ab Venero & Franciſco Carrarienſi controuerſiam compoſuit. mox & ipſe eodem ſenatu ac populo Florentino ſatagente reconciliatus Bo-

nonien-

nonienſibus, receptisque aliquot locis, quæ illi in prouincia Friniana partim ante occupauerant, partim nacti fuerant de Lancelotto Montecuccolo duobus ſubſequentibus annis oppida ſua com- 1383
munire inſtituit, atque in otio, quod ceteris inquietis ipſe agitabat, 1384
pecuniam cogere; tum vt hoſtibus terrori eſſet, tum vt ad ſubitos caſus reconditam ex ærario promeret; ſatis gnarus in ipſa neceſſitate aurum difficillime parari. ferunt a ciuibus ſubſidium poſtulanti plebem propriæ vtilitatis ignaram nonnihil repugnaſſe, ac propterea extructam arcem, quo ſe reciperet, ſi forte ſeditionibus in poſterum fatigaretur. ſed tabulæ publicæ totius rei teſtes locupletes indicant, vt principio leuiter tumultuatum foret, quam prompte atque alacriter æs collatum fuerit. nec aliud ſane par fuit expectare a ciuibus principum ſuorum obſeruantiſſimis, quorum virtute toties defenſi fuiſſent. quod ſi, vt antiquiſſima tempora omittamus, cum primum familia Ateſtina apud Ferrarienſes imperare cœpit, id tantum memoria repetamus, cũ amiſſam oppidi poſſeſſionem recuperauit, certe cognoſcemus inter gentium regumque barbarorum irruptiones, inter domeſticas Italorum longe grauiſſimas concertationes populum ſummo in otio vixiſſe, eoq; ſine ſingulari ingrati animi labe non potuiſſe non referre gratiam Nicolao. itaq; carent omnino veri ſpecie ea, quorum adhuc veſtigia apud aliquos ſcriptores extant. præterea vna e turribus Thedaldianis paulo ante reſtituta ſi ne dubio tutum receptaculum fuiſſet metuẽti vrbanum tumultum. Quemadmodum vero ad Ferrarienſis agri tutelam Corbulam ante muniuerat, duasque in pago Ariano ad vtramque Padi ripam turres excitauerat Benedictam & Saluam nomine; ſic III. Kal. Octob. an 1385
no quinto & octogeſimo propugnaculi, cuius modo meminimus, fundamenta iecit ad portam Leoninam eo conſilio, vt ſi forte oppidum capi quandoq; contingeret, reſtaret arx inexpugnabilis; quæ, vt fieri aſſolet, auxilia ſubmiſſa foris acciperet. arcis forma quadrata pari ex omni parte interuallo ad ſingulos angulos turribus aſſurgentibus lata ac profunda foſſa ſepta: operis ſtructuram plane eximiam adhuc eſt cernere, nec ſi ad alia eiuſdem generis atq; ætatis ædificia conferatur, non omnium abſolutiſſimum fuiſſe quiuis cenſeat. architecto vſus eſt Nicolaus Bartolino Nouario familia & illius artis ſcientia non incelebri. tantoque in eam curam ſtudio incubuit, vt breui ad faſtigium perduceretur. Eadem tempeſtate Bononienſes veriti ne Almericus Barbianẽſis ex Hetruria regreſſus in Flaminiam victricia arma inferret, ex compoſito Barbianum ipſi expugnauerunt interfecto Alidoſio Almerici patre, Ateſtinus Zagonariam ce- 1386
pit; ac

pit; ac quod tempus ita ferret, deinceps cõquieuit. etenim poſtero
1387 anno, qui fuit eius ſeculi LXXXVII. de menſe Octobri Galeatius Vice
comes fruſtra intercedente Vinciſlao Auguſto, qui iam octauum an
num patris ſucceſſor regnabat, pacem ante appetitam peroſus pro-
ditione Veronã occupauit eiecto Antonio Scaligero, & Cane ipſius
filio interempto. quod Ateſtino permoleſtum accidit iam tum cer-
nenti Antonio ab amicis inope, & quod caput erat, ingenio minus
prompto ſine dubio futurum, vt Inſuber oppidum retineret, impe-
riumq; latius propagaret; quippe Scaligeri non ſolum vetere prin-
cipatu exciderant, ſed in Italia familia ad nihilum redacta prorſus
interierant. Quod ſi ex Auentini teſtimonio gentis initium retexi-
mus, Babo magnis in Bauaria opibus Aribonem filium procreauit,
qui anno a ſalute parta MXV. in venatione a tauro percuſſus ſupremũ
vitæ diem obijt. patri ſuperſtites fuere Gebehardus, Arduinus & Si
cardus; quorum a poſtremis hæc primum fluxit appellatio. ex Ar-
duino alter Aribo & Botho cognomine fortis nati. Sicardo alter Si
cardus, ipſi Gebehardus II. ſucceſſit liberis relictis Gebehardo & Si-
cardo II. nec non Henrico, quos, vt alibi narrauimus, patriam relin
quere coegit Henricus Ateſtinus Noricorum & Saxonum Princeps.
Gebehardus & Sicardus ſine vlla ſtirpe deceſſerunt. Henricus, qui
profugit in Italiam, filium aui nomine Sicardum IIII. & Sigifredũ
ſuſtulit. Sigifredus Iacobum, vnde Itali familiam auſpicantur; Ia-
cobus genuit Maſtinum, Buccam & Albertum. Maſtinus Veronen
ſium Dominus Nicolaum, Bucca Ricardum, Ricardus Federicum,
Albertus Bartolomeum, Alboinum & Canem Franciſcum cogno-
mento Magnum, itemq; Conſtantiam Opizoni Ateſtino, & Catha
rinam Nicolao Foliano nuptas liberos ſuſcepit. ex Cane Franciſco
orti Frignanus, Franciſcus, Bartolomeus II. & Gibertus: ex Alboi-
no Maſtinus II. ex Maſtino Canis Magnus II. Canis Signotius, Pau
lus, Alboinus & Viridis Nicolai vxor. ex Magno Cane extitere The-
daldus & Gulielmus; ex Gulielmo Brunorius, Antonius, Frignanus
II. Paulus, Bartolomeus IIII. & Nicodemus, qui fortunæ cedentes in
Noricum ſe proripuerunt. ex Cane Signorio editi Bartolomeus III.
& Antonius II. cuius fugã Canis filij cædes cumulauit. ita cœptum
a Maſtino imperium in Cane deſijt. Nicolaus propter Scaligerorum
internecionem Vicecomitis potentiam in maiorem modum ſuſpe-
ctans per cauſam contempti Cæſaris ſocietatem iam moliri cœperat
nihilo priore illa minus nobilem, quam Vrbano V. Pontifice Max.
iunxiſſet; ſed eiuſmodi conſilio interceſſit mors ad diem VII. Kal.
1388 April. anno LXXXVIII. illa quidem virum pacis reiq; pub. gerendæ,
& mili-

& militiæ artibus vſque adeo præſtautem abſtulit, vt ea ætate neminem ſuperiorem haberet; tãta ad perſuadendum quicquid ſibi propoſuiſſet vi, ne quid de ſumma ipſius apud omnes exiſtimatione dicamus, vt nunquam fruſtra alicuius amicitiam appeteret, nunquam ab alijs inſtitutam, ſi ita libuiſſet, fruſtra dirimere tentaret. moriens tres filios reliquit Rainaldum poſita coma cœnobij Pompoſiani Abbatem, Thadæam Franciſco Carrarienſi, & Conſtãtiam Malateſtæ collocatas, perinde ac Malateſta Vngarus alteram Conſtantiam Opizone VII. natam ante in matrimonium acceperat. Regnum excepit Albertus V. ſtatimq; ne deeſſet, cui cum res poſceret, copiarum ſuarum imperium committeret, mercede conduxit Sfortiam Attendulum natum Cotignolæ ditionis Ateſtinæ in Flaminia oppidulo cum equitum turma; cuius de virtute iam tum magnã opinionem conceperat: quamq̃ hactenus quidem priuatus in Almerici contubernio egregia fortitudinis laude militaſſet. nec ille ſolum illuſtre, & ad ætatem vſq; noſtram propagatum nomen in re deinde bellica eſt conſequutus, ſed qui vna eidem ſeſe ſtipendio addixerant Michael & Boſius ampliſſimos militares honores ac præfecturas adepti. cauſa cur hos præfectos contraheret Ateſtinus ea fuit, quod bellum Bononienſibus inferre parabat iamdudum Friniano infeſtis. ſed Veneti ac Florentini controuerſias compoſuerunt miſſis Ferrariam legatis, qui, quod ipſi diſceptatores adhibiti iudicauiſſent, exequerentur, iuberentq; Bononienſibus redderent Ateſtino caſtella ibi coempta de Lancelotto Montecuccolo: ille vero cetera eodem tractu poſſeſſa beneficij loco eidem accepta referret certo annuo ſtipendio. At Vicecomes, qui quarto iam anno Bernabouem patruum in cuſtodia Tritij habitum veneno ſuſtuliſſet, regno plane firmato magnaque animo voluens cum exiſtimaret omnia ſibi procliuia futura, niſi ſe Albertus ipſius conatibus oppoſuiſſet, etſi Nicolaus, quoad vixerat, a Vicecomitibus ſemper abhorruiſſet, effecit tamen vt is amicitiam ipſius ne repudiaret. igitur proximo inſequenti anno icto paulo an 1389
te fœdere, quo ipſi eorumq; liberi perpetuo deinceps tenerentur, Ticinum perrexit, habitusq; comius multo atq; officioſius, quam pro elatiore hoſpitis ingenio Ateſte tradente poſt fine Auguſti vacuam poſſeſſionem Iacobo Vermio ab eo dono accepit: quo oppido Ateſtini annos circiter XCIV. caruerant. id non ab Inſubris potius liberalitate profectum, quam tributum meritis Ateſtinorum in Vicecomites bello aduerſus Franciſcum Carrarienſem geſto ipſæ donationis tabulæ diſerte exprimunt. ſed eiuſmodi neceſſitudinem paucis poſt diebus interrupit hæc cauſa. Vicecomes per Ioannem Vbaldinum

num in Hetruriam præmiſſum Montempolitianum primo ſtatim aduentu occupauit, amicitiamque cum Senenſibus ac Peruſinis aduerſus Florentinos inſtituit cauſatus ab ijs receptos hoſtes ſuos Franciſcum Carrarienſem & Carolum Bernabouis filium. inde bellum reipub. illatum octingentis equitibus cataphractis. Iacobus quoq; Vermius omnium Vicecomitis copiarum imperator, cui ſe exulum manus aggregauerat, ad eam vrbem oppugnandam Parma exercitũ promouit; ſed cum Hauheuuodio, quem Hetruſci cũ Britãnorum ala mercede aſciuerant, obuiam procedenti nequaquam parem ſe eſſe intelligeret, celeriter agmen retrouertit nuſquam fere conſiſtens, priuſquam per Mutinenſem ac Regienſem agrum Parmenſium fines attingeret. itaque nutante paululum Vicecomitis fortuna, & Britanno, vt quidem vulgo iactabat, iam iam in hoſticum irrupturo Patauini ac Veronenſes ab eo alieniores iugum excuſſerunt. at primi ſtatim per vim expugnati acerbiſſima quæque pertulerunt vſque eo, vt pars ciuium interfluente Atheſi diſiuncta alienę cladis metu profugeret, oppidumque cæde atque exilio prope vacuum fieret. Patauium manſit in Carrarienſis poteſtate. arx quoque recepta eſt ſtudio atque induſtria Stephani Noricorum Ducis, qui eam cum DCCCC. equitibus integros menſes octo obſedit. Fretus victoria Franciſcus, atque exiſtimans Albertum cũ Galeatio ſentire Lendenariam haud procul Rhodigio cepit, ac finitima ditionis Ateſtinæ loca vexauit. haud abſimilem Ferrarienſibus peſtem minitabatur Hauheuuodius aliquanto tamen cunctantior, ne Albertũ exaſperaret; quippe qui non dubitaret, ſiquidem ſumenda eſſent arma, eum Florentinis potius quam Inſubri adiunctum iri. Ateſtinus cum alias belli clades perpeteretur, alias pertimeſceret, & lõge periculi etiam ipſius negligens abeſſet Vicecomes, ei ſignificauit interiectum ſe inter Bononienſem atque Patauinum, cinctumque ab duobus ſtrenuis præfectis validis cum copijs ipſum ſibi cogi conſulere nimirum ab illo deſertum, cuius cauſa ſuſpectus eſſet aduerſarijs: proinde quam minimo Inſubrum detrimento hoſtium ſe ſe gratiã reconciliaturum; quod paulo poſt effecit. Pax inſequenti anno, qui fuit eius ſeculi
1390 XC. Octobri menſe conuenit his conditionibus, vti Lendenaria & circumiecta loca adempta Ateſtino redderentur, nullaque eum iniuria fœderis participes in poſterum afficerent; ipſe neutros milite iuuaret, iter atque commeatum vęnalem tranſeuntibus per fines ſuos præberet, ac omni prorſus bello abſtineret. Eodem tempore Vinciſlaus II. Dux Saxoniæ cum per Sophiam vxorem vnicam Ludouici filiam Luneburgenſe regnum armis ſibi vẽdicaret, a Federico III.

& Henrico xv. Magni II. ipſius Ludouici fratris nepotib' vincitur; quippe Magnus eius nois Primus ex Landſpergij Marchionis filia p̃ter Ludouicũ ſuſcepit Magnũ II. Erneſtũ, Othonẽ VIII. Albertũ IV. Pontifices Albertſtadienſem & Bremẽſem, & Eliſabethã in matrimonium locatã Gantero Comiti Schuuartzenburgenſi, qui poſt abrogatũ Ludouico v. imperium a nõnullis proceribus Germaniæ rex appellatus exiguã ſui memoriã ad poſteros reliquit immatura morte p̃reptus. Erneſtus ex Barbara Sagunenſis Ducis ſobole puellã ſuſtulit nuptã Comiti Nouẽbergi, nec nõ Othonẽ x. ex quo & ex filia Montenſis reguli orti Gulielmus IV. Otho XII. & Eliſabetha iuncta Etico, ſic .n. in Saxonũ annalibus appellatur, hoc eodẽ ſanguine edito; cui frater fuit Otho XIV. parẽtes Albertus v. & Sophia Saxonis Ducis filia. Magnus II. fratris in Luneburgenſem principatũ, patris in Brunſuicenſem ſucceſſor procreauit Henricum XIV. Bernardum, Federicum II. Othonem XI. Archiepiſcopum Bremenſem. Henricus ex vno alteroque matrimonio Margaritæ quidem Hermanni Catthorũ Principis, Sophiæ vero Pomerani ſtirpe genuit Gulielmum v. Henricum xv. Catharinam nuptijs cõiunctam Federico Saxoni ſeptemuiro, & Sophiam Henrico Nortẽburgenſi Comiti. Bernardus ex ſorore Vinciſlai Saxonis, de quo ante cõmemorabamus, ſuſcepit Federicum III. & Othonem XIII. quapropter Federicus & Henricus cũ patris atque patrui ius in Luneburgẽſem ditionem armis tutaturi ad Caſtrum nouum, quod oppidum Alræ amni impoſitum Vinciſlaus circumſidebat, obſidione liberandum contendiſſent, aggreſſi hoſtem captaque ingenti militum multitudine egregiam plane victoriã retulerunt. quæ Luneburgum ante ab Alberto captũ, ac deinde a Saxonibus ad eã diem poſſeſſum Bernardo reſtituit. idẽ moleſte ferens regulos Brandẽburgenſes neſcio quid e Luneburgenſi imperio circũcidiſſe, eorũ fines armis inuadit, Snachẽburgũ & Gartoum ſubigit; interiora populatur, & tandẽ opera Alberti Pontificis Magdeburg. Clothecũ expugnat. coniunctus deinde cũ Othone Hoiæ Comite, cui cũ Epiſcopo Oſnaburgenſi inimicitiæ intercedebant, longius prædando in Pontificis fines euectus vix ægreq; , ſed tamen incolumẽ exercitũ in tutũ deducit, ſtatimq; ad cões hoſtes propulſandos ſocietatẽ iungit cũ Henrico III. Saxonũ, & Gerardo Sleſuuichenſiũ Ducibus, & Nicolao Holſatiæ Comite. inter Ateſtinorũ quoq; Principum, qui regnant in Germania, facta illuſtria & illud numeretur, quod Federicus Erneſti I. filius offenſus militum Antiſtitis Heldeſenſis, Stembergiorumque & Suuichelenſium temeritate, ferro contumeliam vlturus cum exercitu Goſlariam vſque peruaſit, vbi

ſit; vbi collatis ſignis cum in eo iam eſſet, vt funderetur, ſuperuentu equitum Godenſtedenſium non animus modo & robur pedem referentibus eſt additum, ſed hoſtes etiam, quorum plurimi in poteſtatem venere, diſiecti ac profligati. Tam proſpero conſanguineorum in Germania ſucceſſu Albertus & ipſe firmandis opibus intentus Bonifacium IX. qui biennio ante in Vrbani VI. locum Pontifex ſuffectus fuerat, conueniendum ſibi eſſe exiſtimauit. Ac quoniam
1391 ille hoc ipſo anno primo & nonageſimo luſtralis anni indulgētiam criminumq́ue expiationem ijs conceſſerat, qui ſtatutas ei rei ſacras ædes Romæ inuiſerent, profectionem illam ſuſcepit. comites fuere CCCC. eodem omnes habitu bacillo ſacro è cucullis humilitatis ergò ſuſpenſo. cuculli haud plane diſſimiles fuere ijs, quibus monachi & peregrinantes voti cauſa vti conſueuerunt. in quo multi viatoriæ eorum temporum veſtis ignari ſunt decepti: totum enim caput operiebant, mentoq; ſubſtricti in humeros ac pectus modice propendebant. exceptus ad primum ab vrbe lapidem a quinque ſenatoribus poſt vrbem magno omnium ordinum concurſu intrauit. multa illi Pontifex tribuit, in primis diploma Bonifacianum vulgo appellatum, quod pertinet ad emphyteuſes Eccleſiaſticas, ceteraq́ue eiuſmodi bona, vt ne ciues paſſim, ſed certis tantum de cauſis eorum poſſeſſione excidant: itemq; ius ac facultatem habendi Ferrariæ publici Gymnaſij. reuerſus domum cum in Gallia citeriore ac tota Ita
1392 lia quietæ res eſſent pace anno XCII. facta inter Hetruſcos & Inſubrē ijs conditionibus, vt Carrarienſis Patauium retineret, Vicecomiti & Bononienſibus certus atque ſtabilis imperij finis eſſet amnis Situla, patriæ decus ex litterarum ſtudijs cōparandum ſibi ſtatuit: quo ciues non iuris modo ciuilis ac medicinæ, ceterarumq; artium præceptis facilius inſtruerentur, vnde fructus atque gloria in publicum manaret, ſed ex toto regno & longinquis etiam gentibus iuuentus ad capiendum animi cultum in eam confluerct; quæ plurimum nobilis cum ſtudiorum gratia ab ſuis abeſt, non modicæ vtilitati atq; ornamenro oppidis eſſe ſolet. adde quod eiuſmodi commercium & conſuetudo ciuibus domi aduenarum mores & ingenia impertit, quaſiq; communicat; & adoleſcentes ſub oculis parentum, per quorum abſentiam tenera plerumq; ætas ad vitium inflectitur, maiore diligentia & commoditate, minore ſumptu liberalibus diſciplinis vacare poſſunt. proinde Albertus euocauit ad ſe Bartolomæum Salicetum, qui paucos ante annos Bartolo & Baldo extinctis ſine controuerſia Iuriſconſultorum princeps habebatur. Sub idem tempus quodam quaſi fato litterarum incremētis deſtinatum celebris apud

 Thurin-

Thuringos Academia Erfordiæ,mox & altera admodum nobilis ab Alberto Auſtriæ Duce Viennæ eſt inſtituta. Anno, qui proxime ſecutus eſt, nimirum XCIII. III. Kal. Aug. Albertus e vita deceſſit, fratriſq; funebrem pompam magnam quidem illam, ſed tamen in ſuperiorum Principum exequijs vſurpatam ampliſſimo elatus funere longe ſuperauit. qui vero toto vitæ ſpatio prudentiæ ac religionis laude excelluiſſet, tertio & vigeſimo antequam obiret die cum grauiſſimo confectus morbo iaceret, adhibitis Timotheo Mutinenſe monacho Minorita, quem expiandis criminibus ſibi delegerat,nec non Philippo Roberto, Thoma Obitio & Bartolomęo Mela conſiliarijs Iſottam Albareſanam haud obſcuro loco natam, moribuſq; egregijs præditam, cuius ante conſuetudine tenebatur, iuſtam ſibi vxorem aſciuit; vti per hunc modum & contractam animi labem elueret, & Nicolaum filium adhuc impuberem natalibus reſtitueret. matrimonij tabulas confirmat, remq; ipſam aperte declarat adita hereditas prætore & Tribuno plebis auctoribus propter ętatem immaturam; cuius aditionis exemplum extat in Ateſtino tabulario cōſcriptum III. Kal. Septemb. propterea Alberti Pij criminatio eleuantis genus Alfonſi Ducis huius nominis primi, quæ alioqui naturam potius quam propriam ipſius culpam reſpiceret, hac quidem in parte futilis eſt, quemadmodum & in ceteris, vti ſuo loco docebimus non ſolum adducti caritate nominis Ateſtini noſtriq; Principis eximia quadam ac ſingulari obſeruātia, ſed vnius ac ſolius veritatis ſtudio. Poſt parentis obitum Nicolaus annos circiter decem natus ex conſilio atq; auctoritate Philippi Roberti Comitis Tripolitani,Thomæ Obitij Lucēſis & Bartolomęi Melæ regnum adminiſtrare cœpit. præſtabant hi tum dignitate tum rerum vſu, priores nobilitate non vllis litterarum ornamentis clari, poſtremus iuris ciuilis cognitione & libellorum ſupplicum magiſterio. his primo additus eſt Ioannes a Sale vir potens ac nobilis, deinde Albertinus Ioculus, Nicolaus Cōſtabilis, Compagnus Bonleus, Mainardus Contrarius, Iacobus Valengus & Ioannes Griſius; quorum magiſtratū altero finitum menſe totidem exciperent, ipſi deinceps alijs traderent: tum ne eam procurationem quaſi ſuo iure ſibi aſſererent, tum vt pluribus familijs & ciuibus idem decus communicaretur. Ac eorum quidem, quos primis quattuor acceſſiſſe dicebamus,poteſtas duorū menſium fuit, Roberti & trium collegatum perpetua; quod expediret extare, qui nouis nec admodum peritis ſuccedentibus reipub.gerendę rationes ante actaq; tenerent; partim quod experiētia omnium maxime pollerent vel ipſi ſua ſponte vel Alberti, cuius in conſilio fuerant conſuetu-

ſuetu-

ſuetudine eruditi, adeo vt ſine magno publico detrimento cōmutari non poſſent, & pro arbitrio cuncta moderarentur. editis pueri rectoribus omnium primum loca opportuna præſidijs firmantur: nam rerum nouarum metus eam cautionem adhiberi ſuadebat: ſimul ad popularium animos conciliandos publice ac priuatim complures multæ condonatæ, multis capitalia auſis vltimum ſuppliciū remiſſum eſt. affuere deinde frequentes plurimis a Principibus legationes & parentem obijſſe dolentes, & de ſuſcepto imperio Nicolao gratulātes. animos ſuſpicione diſtinebat Azo eadem familia natus, qui neſcio quid clam moliri nuntiabatur. is vero Aldobrandino genitus non fuit, vt quidam falſo prodiderunt rati merito illum regnū affectaſſe, magnaq; iniuria affectum a patruis, qui debitum fratris filio imperium ad poſteros tranſmiſiſſent. ſed vt ille ſuperuixiſſet, quod tamen nullius probati auctoris teſtimonio comperimus, certe principatum fruſtra appetiuiſſet nominatim non inſertus ipſis beneficij tabulis. verum quod non paulo maioris eſt ponderis, haud ſane ſit probabile Albertum virum optimum, qui codicillis de Lugiēſi municipio conſcriptis vna cum Gerardo filio Opizonis quoq; Aldobrandino nati rationem haberi voluiſſet, Albareſanam ſolenni ritu iuſtæ vxoris loco habiturum fuiſſe, vt ademptū maioris natu fratris filio regnum puero relinqueret. vix etiam quis credat Azonem vno atque altero patruo ſolium ſibi debitum inuadente tot per annos tacuiſſe, nullam iuris ſui querelam in medium propoſuiſſe, quo deinde, vt prima quæq; occaſio tuliſſet, illud perſequeretur. ſed tollit omnem dubitationem eius ſcriptoris teſtimonium, qui cum rectoribus eſſet ab epiſtolis, diurna acta confecit, & librum annales nouos inſcripſit; qui quidē liber adhuc ſeruatur in Ateſtino archio. is Azonem Franciſci filium facit, quod & confirmat Franciſcus Silanus, ſi modo is auctor eſt, vt fama obtinuit, Florentinorum annalium libro octauo: certe quidem paternam Azonis originem facile potuit nouiſſe, cum is aliquandiu Florentiæ vixiſſet. Minorita Thadæi patrem agnoſcit. itaq; non erit dubitandum quin ex Franciſco natus fuerit, quem alibi narrauimus iniuſtas ſibi cauſas confingentem aduerſus Principes Ateſtinos arma cepiſſe. ita cum patris veſtigijs inſiſteret tum memoria maternæ originis, vtpote natus ex Catharina Luchini filia Vicecomitibus ſemper ſtuduit: contraq; Galeatius per Comites Barbianenſes clientes ſuos eum fouit. quapropter cum hac neceſſitudine, tum affinitate Schinellę Colalti Comitis, cuius ſororem Azo in matrimonio habuit, & opibus aſſidue eſt adiutus, ea comprobantur, quæ ſunt ab illorum temporum æquali-

bus pro-

bus prodita memoriæ, nec a vero abhorrent. Azo ad fraudem, quam nectebat, facilius explicandam in Bononienſium fines profectus aliquandiu ad Caprariam pagum delituit; quoad ea retecta cõſcij neſcio qui nullius pretij homines Nicolai populares partim fuga ſupplicium vitarunt, partim comprehenſi meritas ſceleris pœnas dederunt. Eiſdem diebus Opizo Corteſius Montegarullenſis grauem tumultum in Friniana prouincia excitauit, haud quaquam memor quantum deberet Ateſtinis, a quibus auctus ornatusq; fuerat. is fretus Azonis defectione, ex qua non leuem motum extiturum iam opinione præſumpſerat, cum liberis Antonio & Netione, quorum magnæ erant in illa regione clientelæ, ex apertis locis paſſim prædas agere, ſeq; & latrocinio parta Roccæ pelagi, id caſtello nomen eſt, receptaculo tutari cœpit. rectores Lancelottum Montecuccolum cũ aliquot eius propinquis ad bellum incitatos ſocia arma coniungere iuſſerunt cum Lucenſibus offenſis eo nomine, quod caſtella quædã certa pecunia ſibi tradita poſt furto intercepiſſet. nec mora Opizo cõiter collecta ad id idonea manu tanto ſilentio circumuenitur, vt coactus ſit ad Nicolai clementiam confugere. Robertus & collegæ pro eorum ingenio, qui ſimul plures alienum imperium adminiſtrant, metu maioris incommodi non Opizoni modo, quo prouinciæ pax eſſet, ignouerunt, ſed caſtellum etiam, vbi menſes quattuor obſidionem tolerauerat, condonauerunt. Interim nihil memoria magnopere dignum accidit; murus tantum ac porta perquam egregie munita, atque ob id peculiari nomine notata qua Antoniana regio reſpicit Georgianum pontem, inſtituta eſt in ſuburbano, quod tum populi pagum vocitauerunt. Eadem tempeſtate qui Franciſcũ ſeniorem Montiæ in cuſtodia apud Vicecomitem extinctum Patauium deferebant, iter Ferraria fecerunt; nec non Margarita Galeotti Malateſtæ iam defuncti filia ad virum Mantuanorum Principem pergens; itemq; Eleonora & Catharina Georgio Ceuenſi prognatæ cum & ipſæ Rauennam ad viros Bernardinum & Oſtaſium Polentanos Vidonis ex Eliſa Ateſtina filios deducerentur; quibus Alberto auunculo conciliante nupſerant. Anni exitu Franciſcus Saxolanus, quem a Nicolao cognomento Claudo deſciuiſſe alibi memorauimus, fretus Ateſtini pueritia, & bello ab Azone imminente aliquot propinquorum ſuorum ope Baranzonem & Montezibium, nõnullaque caſtella illis collibus impoſita occupauit. Saxolano in primis fauebat Atius Rodilius, qui aliquot oppidulis in agro Regienſi imperans hactenus ſub Nicolai patre meruerat, ab eoq; ampliſſimis affectus beneficijs, nec dum ſolutus ſacramento aut aliqua probabili

cauſa inſigni plane perfidia cum illo transfuga ſe coniunxerat. hoſtium audaciam illud confirmabat, quod Paulus Guiniſius Lucẽſis ciuis domi nobilis patriam ſeruitute oppreſſerat: idq; totam illam
1394 Frinianæ prouinciæ partem tumultu impleuit: ſed multo maxime Azo, qui a Iordano Sauiniano & Philippo Piſano in fines Mutinenſium accitus vna tantum militum cohorte, quibus cum ſicarij ac latrones plures ſe colligauerant, vicos paſſim diripiebat. ad eum motum comprimẽdum cum equite ac pedite, quantum ſatis viſum eſt, dux deligitur Azo Caſtellius Mutinenſis Spezzani Dominus vir militiæ artibus clarus, qui prędatoribus conciſis regionem pacauit. Interim Sextilis finis primum Nicolai imperij annum abſoluit, nec non eorum poteſtatem, quos ſenos in conſilium allectos fuiſſe memorauimus: primis quattuor eadem auctoritas nimirum perpetua manſit; quod res ipſa docuiſſet reipub. gerendæ ignaros moram potius atque incommodum afferre, quam vlli eſſe vſui in conſulendo; idq; potiſſimum compertum eſt, cum tempus ac neceſſitas ingenij ſolertiam, atq; in explicando conſilio celeritatem deſiderauit. Sub hoc idem tempus Azo plane inermis duplici eaq; egregia fraude Philippum Robertum & Ioannem a Sale rectorum primatios ferro excipere tentauit, Principem veneno per Paulum quendam Lendenariẽſem, qui multos annos apud Ateſtinos verſatus iam ante Alberto a poculis fuerat. in participes ſceleris deprehenſos ſeueriſſime eſt animaduerſum. Azo ab inſidijs primũ ad vim apertã, deinde vbi illa parum procedit, ad inſidias reuerſus, viciſſimque nunc hanc nunc illam viam, pro vt magis expedire videbatur, inſiſtens vbi cernit fraudem irritam Bononienſium primo magiſtratus vanis promiſſis oneratos de ſocietate appellat; ab his repulſus, quippe quorum intererat Ferrarienſes ſaluos eſſe, Venetias contendit. Senatus non modo hominem nõ audiuit, ſed etiam finibus excedere iuſſit, ac Nicolaum datis ea de re ad Venetum oratorem, qui tum Ferrariæ agebar, litteris certiorem fecit. conuerſus ad vxoris fratrem Collaltum, de quo alibi diximus, & Ioannem Barbianenſem cum tantum ſe copiarum in agro Foroliuienſi & circumiectis Flaminiæ locis contracturum ſperaret, quantum ad Ferrariam ex improuiſo occupandam ſufficeret, voto vbique fruſtratur. nam domeſtici, quibus ipſe plurimum fidebat, omnia Ateſtino ſignificantes hoc quoq; arcanum occulte enuntiauerunt. ita multifariam deluſus a Venetis ac Florentinis petijt, controuerſiam quoquo modo componerent, pace idem fortaſſe captans, quod indies magis magiſque refugeret. Princeps nec concordię mentionem aſpernatus, & interim gerẽdis rebus in-

tentus

habuerunt. quippe Nicolaus ſuſpectũ habebat Franciſcũ Carrarienſem, qui cũ Azone congreſſus eũ Ateſte receperat. Florẽtini pari metu c. & ipſi equites prębuerunt. Tam ꝓplixa vtriuſq; reipub. in Ateſtinũ volũtate, & iã ſegniore ad ferendã opẽ Inſubre Azo eo cõpulſus erat, vt quaſuis pacis cõditiones accepturus videretur, cũ Caſtellij viri ſtrenui impulſo interitu priſtinã ſpem redintegrauit, atque oĩum ſibi conſiliorũ multo faciliorẽ exitũ deſpõdit. is dũ in Principis gratiã cupientis ꝙ proxime ad veri prælij imaginẽ equitũ certamen ſibi exhiberi in pratis oppido ſubiectis, vbi olĩ Albertus ędes ampliſs. extruxerat, cũ alijs & ipſe decurrit, ex cõcertatiõe afflicto ſiniſtro crure ante pibecillo ꝑ nimio dolore poſtera nocte deceſſit. ita virtus reb' ſerijs tũ maxime neceſſaria p luſũ infeliciter extiguitur. Robertũ valde ſolicitũ habebat cũ mors intẽpeſtiua hoĩs bello egregij ac ſingularis in herũ fidei, tũ crebræ ac ꝓpe quotidianæ cõiurationes ex occultis odijs ortæ atq; motus. ſic affecto ſupuenit Io. Sangeorgius Bonon. oſtenditq; Azonis, qui eorũ malorũ caput eſſet, nece oẽs turbas facile ſedatũ iri. ille & Principe celato, ad quẽ aliàs cõſiliarij id modo, ꝙ libuiſſet, referebãt, ex reliquis collegis vnũ Salã cõſilij participẽ fecit. Veritus ãt vt ſatis caute negotiũ explicaretur, Antonio quoq; Montecatino præſtanti Iureconſ. cõmunicauit, qui ex agri Florentini oppido Montecatino cognomen trahens cũ nimijs opibus ipſe ac propinqui principi Hetrurię populo ſuſpecti eſſent, cum familia nobili Ferrariã migrauerãt. vbi poſtea ſemp honeſtis artib', nõnumꝙ Ateſtinis opam nauãtes deinceps floruerunt. Antonio iã ante functo legatione apud Bonifac. Põtificẽ fiſcalis iuriſdictio mãdata fuerat, aulicorũ iudicẽ appellatũ alibi admonuimus: ac eo quidẽ incõſulto nihil ferme publicæ rei gerebatur, ꝑcipuæ tamen ipſius partes erãt, vbi aliqua iuris ciuilis q̃ſtio incidiſſet. Igitur Robertus, qui iudicio Mõtecatini plurimũ tribueret; Sala ẽt audiente Sangeorgij orõnẽ apud ſe habitã expoſuit, ſubiecitq; Lugũ & Conſilice municipia ditionis Ateſtinæ in Flaminia vt ꝓpinqua, ita popportuna fore Barbiano: eo præmio hoĩem allici poſſe ad Azonẽ interficiendũ. facinus minime abhorrere ab illius ingenio, poſtulationẽ ita leniendã, vt doceatur iure ac merito vim afferri ei, qui cõtra ſuũ ac familię principẽ nefaria cõſilia ineat, cuiq; tamꝙ hoſti publico nullus ad ꝓfugiũ ſit tutus locus. Sala & Montecatinus metuẽtes ne nõ ſatis ſuſtinere Azonẽ poſſent, atq; ocij cupidi conſilium ꝓbauerunt: Sangeorgio, cui multus erat cum Barbianenſi vſus, negotiũ datum, modo obſidibus caueret, ne qui alijs inſidias ſtruerent, ipſi iiſdem caperentur. Ioannes tradito in Roberti poteſtatem filio profectus Barbianum benigniſs.

reſponſum retulit a Comite, qui & Azonem, vt ſuppeteret cauſa exercendi Ateſtinum, ſeruare & nihilominus fraudis pretium ſtatuit interuertere. res ita conuenit, vt Rodilius e domeſticis neſcio quem Azoni ſpecie oris non abſimilem ad necem ſibi dedat, eoque modo internuntio imponatur. die cōſtituta colludere, ac quaſi per laſciuiam veſtem inter ſe mutare occipiunt, ea lex erat luſus, quo alter alterum effingeret: interim accerſitur intro Sangeorgius. Azo coram pauca loquutus pergit in proximum conclaue, cumque miſero illo Rodilij familiari ibidem operiente amiculum cōmutat, quod tū nobilitati vſurpatum inſtar cuculli monaſtici pone aſſutū capitiū habebat. vix illum habitū induerat, cum a duobus confoditur, vt ne gemitū quidē morientis exaudirent q̄ ſtabant in anteriore cubiculo. mox ne fucus ſuboleret, Sangeorgius vocatur, atq; e veſtigio os cæſi pluribus vulneribus fœdatur. at cui mandatū a rectorib' fuerat vtrūq; oppidū Comiti traderet, ſimul atq; Azonem occiſum aſpexiſſet, cū & illud amplius ſeſe habere exiſtimaret, quod in conſpectu ſuo fuiſſet interfectus, vt eū adhuc ſpirātē & mucrones ſanguine ſtillantes vidit, rei ſeriem Ferrariā pſcripſit. Robertus Nicolinū Bonacciolū ſcribam, & architectū Bartolinū Nouariū arcanis cōſilijs adhiberi ſolitos cū litteris eò miſerunt, ſtatimq; cuſtodes vtrūq; oppidū Comiti dederūt. ille vt præſidijs ea munijt, Azonē vnaq; Rodiliū in publicū pduxit placentē ſibi de eo, q̄ ludens in ſuum neceſſariū perpetraſſet, ac ſtatim magiſtratus oēs in vincula cōiecit magno in ſingulorū capitū redemptionē pſertim Sangeorgij ſtatuto ptio. id cū eſſet Venetias allatū, patres duos ex ipſa nobilitate ad Nicolaū legauerunt, qui teſtarentur ea pmoleſta Senatui accidiſſe, & rectores bono eſſe aīo hortarētur. tum ad ceterā claſſem binas longas naues, aliasq; varij generis complures cum iaculatoribus adiecerunt: Florentini quinquagenos loricatos equites, totidem Bononienſes, Mantuani quadragenos, Patauini tricenos ſubmiſere. ſub hoc ipſum tēpus in Argentenſium finibus ad foſſam Ianiolam nomine caſtellum opere eſt communitum, & Aſtorgius Manfredus Fauentinorū Princeps Ateſtino fœdere coniunctus Barbianenſis agrum, præcipue autem Lugienſem incurſauit, atq; ad Bonconfortum firmiſſimā munitionem extruxit. Tanta tamq; continenti duorum annorū impēſa coacti ſunt conſiliarij aureorum nūmum L. millia mutuo in quinquennium ſumere a Veneto ſenatu, in eamq; rem vt ne ærarium exhaurirent, ac deinde ab re nummaria grauius laborarent, oppidū agrūq; Rhodiginū mutuātibus oppignerare. eſt āt Nicolaus plane infeliciter principatum auſpicatus, ac pp ætatis imbecillitatem, quæ

rerum

rerum ſuarum procurationem ei interdicebat, facile a miniſtris magnis potuit incommodis implicari. vix dum pecuniam recepe-rant, cum Azo a Principis obſequio auertit incolas pagorum Maſſæ Fiſcaliæ & Milliarij Conſandalo tenus. ſacro Paſchatis reſurgentis Domini die mane Nicolaus cognoſcit totum illum tractum eſſe in armis, agreſtium ad decem millia in vnum conueniſſe: proinde ne malum latius ſerperet Antonius Obicius & Nicolaus Robertus Philippi filius cum quanta licuit copia eo ducere iubentur. Robertus confeſtim ad Conſandalum capitur: mox affuit Azo quàm potuit maximo ex Polentanorum & Barbianenſis finibus contracto equitatu. ac quod aquæ abundarent foſſa, quæ fertur ad Buccaleonem, nauibus deuectus poſt Portum in poteſtatem redactum maiora animo agitabat haud ignarus Ferrariam prope vacuam, quod milites mercenarij & pars ciuium expeditione Lugienſi abeſſent, quam ille audendi occaſionem de improuiſo arripuerat. hæc agenti ſuperuenit incredibili celeritate Manfredus cum ſexcentorum equitum ferme Germanorum globo præfectis Conrado Altembergenſi & Vgone Monfortio, ac totidem eodem prope tempore a Nicolao; alijque item ſexcenti decem dierum ſpatio coacti e finitimis amicis populis affuere. non hoſtilibus modo, ſed etiam obſtinatis vtrinque animis concurſum eſt; quod e toto Nicolai imperio in Azonis caſtra confluxerant exules, alijque permulti hoſtes publici ſuper agreſtes, quos diximus ſuperius rebellauiſſe; quibus quidem ſi in poteſtatem veniſſent, vltima ſupplicia a victore proponebantur. prælium in multum diei, qui fuit VII. Kal. Maij varia fortuna tractum eſt; ad extremum Azo cæde ac fuga ſuorum conſpecta in oppidulum Portum ſatis lata foſſa munitum ſe recepit. ſed cum acriter Aſtorgius oppugnationem vrgeret Altembergẽſi ſe dedidit, ab eoque deinde Fauentiam perducitur; Robertus ac nonnulli alij ante capti liberantur. præfectus quoque paternorum militum Conſilices Barbianenſis Ferrariam in vinculis eſt tractus. eſt autem proditum memoriæ præter fuſos ac fugatos eam fuiſſe multitudinem cadauerum totis paſſim campis iacentium, vt ne quid contagij ex tetro odore cœlum contraheret, eorum ſepultura multos dies abſumpſerit. Florentini, quibus irritari bellum neutiquam placebat, ne Vicecomes coactus arma ex profeſſo ſumeret, quiq; ſi eo deſcendere neceſſe eſſet, aduerſus ipſius opes aliquod in Flaminia pſidiũ parare ſtatuiſſent, Ioannẽ admonendũ curauerũt, cogitaret quo ſcelere ſeſe obſtringerẽt Principis ſui hoſtes, q̃ nullo iure ipſe Azonẽ defenderet, quibus opib⁹, q̃ validis neceſſitudinib⁹ polleret Ateſtinus: etiã

atq; ét vires ſuas expenderet, conſideraretq; paruo momento debilitari ac frangi poſſet: in ſumma quieſceret, arma & animum componeret, alioqui denuntiare id ſe laturos non eſſe. homo ferocia plane militari elatoque & inquietiſſimo ingenio ſuperbe, vt in hiſtoria Florentina ſcriptum reliquit Leonardus Aretinus, legatis in hác ſententiam reſpondit. Temeritatem veſtram Florẽtini cũ alia multa arguunt, tum illud in primis, quod omnibus italicis vel minimis motibus vos vltro inſeritis rati non Hetruriæ ſolum res, ſed etiã Flaminiæ ad arbitrium veſtrum pertinere, veſtro imperio ac nutu liberos populos ac Principes circumagi. id aliàs ſę, pehaud dubie in prę ſentia intenditis, qui Azonis cauſam dijudieatis ea familia nati, quá tanta vobiſcum amicitia coniunctam prædicatis: quin eo nomine mihi eiusque amicis bellum indicitis. verum non eſt animus vobiſcum verbis contendere: ite ac me measque copias domi operimini; nec enim aliter iſta magnifica verba ſum refutaturus, quàm vt armatus ad vos veniam. Non ferocius quàm deinde feciſſet eloquuto Florentini aduerſa eius filijq; fortuna excitati cum & ipſi per ſe milites, quos Ateſtino auxilio miſerant, in armis haberent, & alijs ab eo adiuti eſſent, e veſtigio Barbianũ obſederunt: verum paulo poſt necubi grauius offenderent, exercitum reduxerunt interminante Inſubre, ſe nullo modo prohibere poſſe, quo minus Almericus fratri circumuento ſubueniret. hic cum primo ſub Ladiſlao aduerſus Ludouicum Andegauẽſem meruiſſet, tum Inſubris ſtipendia faciebat; ex cuius equitatu, qui quidem per eos dies magna ex parte exauctoratus paſſim per Italiam vagabatur, Ateſtinus caraphractos CL. Bononiæ ſe continentes, & priſtina adhuc ab Diuo Georgio appellatione notos mercede conduxit. Georgium contubernalium patronum ac quaſi tutelare numen quinquennio ante ediderat Almericus profeſſus ſe ſe Italiæ libertatis vindicem, infeſtusq; Germanis atque alijs tranſalpinis eam prouinciam populantibus octo ferme voluntariorum militum millia coegit; cumque initio Senenſem, Florentinum & Aretinum agrum vaſtaſſet, adiuncta in ſocietatem Villamutij cuiuſdam ala a Florentinis florenorum nummum millia XX. dimidio minus a Senenſibus expreſſit: dein longe viribus ſuperior armis perſequutus Morialis, Landi Comitis, Anichini, Ioannis Haueuuohodij turmas, ipſam deniq; alam cognomine Albam, eorum equitum manus omnes paulatim deleuit. poſtremo in Vicecomitis militiam adſcriptus equites, quorum virtute ea geſſiſſet, partim apud ſe retinuit, partim miſſos fecit. ex his Ateſtinus quos modo dixim' CL. mercede conduxit. Dum hæc in Italia geruntur, Henricus huius no-

ius nominis XIIII. inter Ateſtinos Germanicæ ſtirpis proceres ad reprimendam Luneburgenſium imperium detrectantium audaciam caſtellum Vltzenſe occupauit: ibique poſito præſidio Vuinſen perrexit capitis pœnam interminatus, ſi quis Luneburgum commeatum importaſſet: ad nauigationem quoq; prohibendam Delmonei fluminis oſtium ſaxis oppleuit. Lubecenſes atque Hamburgenſes vti obſidionem leuarent, amnem ab vetere alueo in Albim deriuarunt; ipſi Hoſburgum exercitu circumuenerunt. poſt leuia vtrinque prę lia & in vicem agrorum populationes in biennium pepigere induciás.
1396 Principio anni ſexti & nonageſimi ad Thedaldianam portã, quæ proximo ſuperiore fuerat munita, Padus ſublicio ponte iungitur eximio plane opere, quãtum quidem eiuſmodi patitur materia. poſt paulo turris Floranorum tum iuris ac ditionis Boiardę familię, quam Nicolaus ob neſcio quam cum ea gente controuerſiam depoſiti nomine obtinebat, ab iudicibus Franciſco Saxolano adiudicatur; qui & ipſe quibus de rebus cum Ateſtino diſceptabat, de ijs arbitrum ſumpſit Aſtorgiũ Manfredum. ita vtriuſq; voluntate quoad lis maneret, Saxolum ipſi creditum præſidium ac magiſtratus Nicolai retinuit. in quo egregie fallitur Corius dum putat oppidum Manfredo traditum, vt hoc quaſi pignore deuinctus Azonem, quem Fauentiam perductum ſupra narrauimus, ne dimitteret: certe enim quod mox accidit ad illud arbitrium referri oportet. quippe Gerardus Soragnus prætor ratus ꝑ iudicij tempus nihil ne ex occulto quidem aduerſarium auſurum, cuſtodiam omnino remiſerat. vſus pręfecti negligentia Franciſcus adminiſtro Atio Rodilio ſummiſit, ꝗ eum ſpecie litigantium diſtinerent. milites pulſi oppido cum in arcem confugiſſent, Franciſcus peditum equitumque agmen trahens ſuperuenit, leuibusq; aliquot dimicationibus pręſidium ad deditionem prius compulit, quàm ſubſidium Mutina ac Ferraria veniret. Gerardus ipſe in libertatem reſtitutus, ac mox in agro Mutinenſi cõprehenſus ſocordiam capite luit. Maio ſubſequente exulum manus duce Alberto Boſchetto Franciſci cliente Nauiculæ turrim, ita locũ incolæ appellant, occupauit haud procul Mutina, qua iter eſt ad oppidum. ciues ipſi per ſe mandatum Principis anteuertentes turrim receperunt: quotquot in poteſtatem venere, Nicolai iuſſu vltimo ſupplicio ſunt affecti. Ioannes quoq; Barbianenſis ne, dum temporum conditio & Nicolai pueritia ſineret, tempus fruſtra elaberetur corruptis aliquot e Graſſonia familia proditione Vineola potitus eſt. ratio inſidiarum fuit huiuſmodi. Saxolanus noctu cõfecto itinere cum octingentis equitibus, totidem peditibus in propinquo occultus

occultus conſedit; ſtatimq; proditores ædificijs oppido coniunctis ignem iniecerũt. dum accurrit prætor cum militibus auerſa regione murus perforatur, & Franciſcus introducitur. fruſtra autem oppidani portam, vnde prætor exiuerat, patentem incendij cauſa intentiſſime cuſtodiebant: imo quo plures illo accurrerant, eo faciliorem exitum inſidiæ habuerunt. arcem incolumẽ ſuperueniens Barbianenſis cœpit verberare aliquot paruis tormẽtis, cuiuſmodi haud ita vetere inuento tum in vſu erant; nec abſimilia nos alibi retulim' fuiſſe in Ateſtina claſſe aduerſus Azonem comparata. nam ante annos ſedecim Petrus Libs philoſophus Peripateticus auro argentoq; e plumbo aurere conficiendo intentus cum plura ad ignem comprehendendum ſimul commiſceret (quo quidem ex artificio multa ad hominum vtilitatem & naturæ contemplationem plerunque caſu dimanarunt) primus fiſtulas ferreas reperit, vnde ignis impetu glandes mittebantur: quo exemplo ceteri docti maiora minoraue tormenta longe meliore forma deinde conflauerunt. ceterum quod ea adhuc quidem rudia atque informia non magnopere nocerent, Barbianenſis oppugnationem non intermittebat exiguo plane fructu, ſi defenſoribus ſuppetente commeatu Ateſtini auxilium operiri licuiſſet: at certa inopia incerta ope (quippe rectorum auctoritas, quorum in manu rerum omnium adminiſtratio erat, in dies magis ac magis ſeneſcebat) priuſquam extrema paterentur pacti vitæ ac fortunarum incolumitatem deditionem fecerunt: qua tamen in re victoris fides, cum abeuntes armis ceteriſque rebus exuiſſet, eſt deſiderata. Hoc ipſo anno ad VIII. Kal. Octobr. Carolus VI. Lutetiæ Pariſiorum aduerſus communes hoſtes fœdus in quinquennium perculſit cum Florentinis, Ateſtino, Gonzaga, Carrarienſibus & magiſtratu Bononienſi: idq; ſinguli deinde ſeparatim ratum habuerũt. ſuper eiuſmodi ſocietatem vti Nicolao aduerſis rebus, quæ tum multipliciter labare videbãtur, ex vicini alicuius affinitate tutũ ac firmũ præſidiũ ſuppeteret, tutores principio anni XCVII. Giliolam Franciſci Carrarenſis iunioris filiam ſuſceptam ex Thadæa Nicolai Claudi ſtirpe vxorem ei deſponderunt: quo priſtinum ius ſanguinis nouo etiam vinculo arctius adſtringeretur. nuptiæ vti iuſtæ eſſent Põtifex, cum id poſtularetur, haud grauate vtrumque legibus ſoluit. Senatus quoq; Venetus vt id ſui beneficij faceret, non matrimonij ſolum mentionem primus intulit, ſed illud etiam confecit eo procliuius, quod gratum foret tãtum ab Ateſtino tribui patribus, & propter nimias Inſubris opes vtrumq; Principem beneuolentia inter ſe quàm maxime cõiunctum cuperet. Igitur Maij exitu mittitur Pa-

1397

tauium

tauium Nicolaus Robertus, vnaq; nobiles & litterarum ſtudijs clari ex omni imperio viri circiter quadringenti: præbitisq; ſponſalibus Giliola Iunio ineūte poſt equitum decurſum, ludosq; & choreas ab eodem Roberto Patauium reuerſo cum lectiſſimo paterno comitatu Ferrariam deducitur. excepta eſt in ædibus Belfiorianis tum ſuburbanis quingentos a porta Leonina paſſus. inde oppidum inijt obducto quacunque iret velis cœlo, incredibili totius populi plauſu: machinæ inſtar nauigiorum immaniumq; belluarum ſcite expreſſæ eo maiore admiratione omnium oculos, cum facile pmouerentur, detinuerunt; quo magis inſuetum erat tum id ſpectaculi genus. nec ludi equeſtres aliaque eiuſmodi ſimulacra pugnæ defuerūt: auctaq; multis patribus eſt hilaritas parentum nouæ nuptæ aduentu Franciſci dico & Thadeæ, qui ad maiorem familiaritatem declarandā nec opinantibus ſuperuenerunt. ac mater quidem cum Aldam Franciſci Gonzagæ filiam eandem neptem ſuam, & mox futuram nurum præſtolaretur, diutius Ferrariæ, qua puella traducenda erat, manſiſſet, niſi bellum paulo ante Mantuæ illatum reiectis in aliud temp' nuptijs (quippe virginis Franciſco filio deſponſæ patrem genuerat Alda Thadeæ ipſius ſoror Nicolao II. nata) eam domum compuliſſet, vt & paulo ante virum, qui quaſi rectorem ac monitorem filiæ diſcedens reliquit Gulielmum Cuttarodolum Iuriſconſultum Patauinum, vt illum generi conſiliarijs deinde inſereret. Mantuanorū ocium interpellauit Ioannes Galeatius biennio ante a Vinciſlao Auguſto Inſubrium Dux appellatus, cum repente armis inuaſiſſet Gonzagam eius ciuitatis regulum; isque motus Nicolaum etiam attigit. idem quod Iacobus Appianus poſt cędem Petri Gambacuttæ Piſas a ſe oppreſſas proprijs opibus tueri poſſe diffideret, cum altero & nonageſimo eius ſeculi anno oppidum ei tradidiſſet, ob illam cauſam cum Florentinis bello contendebat. quamquam autem in Hetruriā duxiſſet Almericus Barbianenſis equitum magiſter, ac paulo poſt ijſdem veſtigijs Altembergenſis Comes & Tribunus militum Brolia cum non contemnenda manu, quaſique ſacramento ſoluti facile in reipub. fines penetraſſent; citeriorem tamen Galliam auſpicatus a Gonzaga armis agitauit vel Hagnes propinquæ ſuę morte, vt tum fama fuit Franciſco infeſtus; vel quod cum Florentinis alijsq; Italis ſentientem hoſtis loco merito haberet, maximeq; ex omnibus aduerſarijs iniuriæ opportunum tum propter imbecillitatem, tum propter propinquitatem duceret: & cuius denique regnum, ſi eius facultas eſſet, facillime tenere ſe poſſe ſperaret. itaque vt perrumperet munitionem, qua pars agri Mantuani ſepitur, atque inde nomen habet,

e regio-

e regione caſtri Burgifortis confecto ponte ex pluribus oblongis do lijs uncis ferreis inuicem conſertis magnam equitum ac peditum ma num Padum traduci imperat. tum quoq; Vgolottus Blancardus cũ copijs Veronæ quæ erant Mincium tranſgreſſus ea & ipſe Mantuam premere inſtitit. Franciſcus contractũ ex propinquis pagis militem in numeros relatum ad Burgumfortem celeriter adduxit, mercenarios aduerſus Blancardum miſit: is ab ripis depulſus ad Melariam flexit, quam Ateſtini rectores Gonzagæ certa pecunia pignori opposuerant. potitus loco cum e foſſis aquam deriuaſſet, arcem quoque in poteſtatem redegit. Interea Mantuani auctore Bartolino Nouario, quem architectum Nicolaus eò tranſmiſerat, aliquot nauigia, quibus molæ frumentariæ ſuſtinentur, ac tignorum magnã ſtruem in pontem haud dum perfectum ſecundo amne compulerunt, eamque opportunitatem hoſti penitus ademerunt. Gonzaga ancipiti terrore circumuentus atque imparatior, quàm vt tantum impetum non dico ſupprimere, ſed ne ſufferre quidem poſſet, ab ſocijs quantum ſit ſatis auxilij poſcit: ipſe interim ad vtramq; fluminis ripam Burgumfortem opere communit, pontemq; vltro citroq; cõmeandi gratia inſtituit. continuo equitum ac peditum ad decem millia affuerunt: ab Ateſtino etiam aliquot myoparones ac permultæ aliæ naues; Florentini Vgonem Monfortium, Galeotum & Antonium Obicios, Patauinus Franciſcum ſtirpis maximum, cui Gonzaga ipſe filiam in matrimonium deſponderat, eò miſerunt. Carolus quoq; & fratres Malateſtæ auunculo non defuere. aduerſus illum apparatum Vicecomes copias & ipſe ſuas adauxit pręfecto omnibus Iacobo Vermio, cuius maxime conſilio vtebatur, præſtanti viro, ac deduci XL. myoparones naueſq;, rates & dolia, aliaq; huiuſmodi iam ante ad diſturbandum hoſtilem pontem comparata: cuius præſidium quo minore periculo agitaretur, ſuper Mantuanam claſſem ingens nauium multitudo ad alterum latus traducta fuerat. ac Inſubres quidem cum tormentis ab terra creberrimas pilas adigentes nihil proficerent, nauibus tentare pontem decreuerunt. diu leui vtrinque incommodo certantibus forte fortuna Vermius idoneum nactus ventum ſumma vi in hoſtem inuehitur, & ſimul rates virgultorum pice oblitorum atq; ardentium faſciculis onuſtas prono flumine in pontem immiſit. eæ aquarum impetu celerrime impactæ pluribus locis ignem ſparſerunt. propugnatores circiter mille partim flamma, partim aqua hauſit. tanto accepto vulnere, & claſſis robore eo congreſſu qua incenſæ, qua captæ multatus Gonzaga fortunæ ceſſit; ſubindeq; arx deditionem fecit. dum noua ſubſidia a ſocijs acceſſit, per

Carolum

Carolum Malateſtam ſeptem longas naues propria impenſa Venetijs Patrum permiſſu inſtruit. Senior Carrarienſis Ferrariam, inde Bononiam ac mox Florentiam profectus ad ferendam quàm maturrime opem ſingulos grauiſſima oratione accendit, præſentiſque periculi magnitudine & cōmemoratione teſtatur Mãtuani caſum omnibus communem fore. Patauini præſentia atque auctoritas fabris quoque ac remigibus in vrbe coactis eorum numerum Ferrariæ qui erant auxit: ibi enim quod materiæ ac ferri ingens vis iam parata eſſet, præter firmiſſimam Ateſtini claſſem ad nauigandum idoneã complura magna nauigia tum perficiebãtur, tum poſitis carinis inſtituebantur. Tertio poſt Inſubris bellum menſe, nimirum ad x. Kal. Aug. Vermius alterum pontem nauibus contractis extruxit, quo certam agri Mantuani partem munitione ab reliqua diſcluſam irrumpat: ac tametſi Gonzaga ipſe, Malateſta Malateſtius, Iunior Carrarienſis, Monfortius & Antonius Obicius cum exercitu ſe ſe obijciant ne rem teneat, virtute tamen hoſtium haud difficulter repulſi nõ ripa modo, ſed etiam campo cedere atq; in tutum ſe recipere coguntur. inde ne quid Mantuam importaretur Gubernium obſedit, pauloque ſuperiore loco, vbi exercitus moles conſtiterat, pontem rudioribus nauigijs, quibus molæ frumentariæ in flumine ſuſtinentur, impoſuit præſidio non minus quinquaginta diuerſi generis nauium. Vgolottus quoque ab Mincio cum exercitu progreſſus vt oppidum arctius circumuallaret parua quadam in inſula, quam molitur Padus, caſtellum ædificauit. erat in præſidio Gubernij cum lecta militum manu Marſilius Taurellus; dein cum partem ab cetero agro Mantuano munitione diſiunctam peruaſiſſet Vermius (& adhuc licebat) eodem ſe ſe cum equitibus loricatis triginta intulit Bartolomeus Gonzaga. Franciſcus haud dubius tam paruo numero tantam vim ſuſtineri non poſſe, quanto potuit ſilentio delectos ex toto exercitu penetrare ad obſeſſos iubet: ceterum noctu perrumpere tentantes ad vnum omnes Vermius captiuos fecit. quamobrem Taurellus milite feſſo tum frequentibus prælijs, tum inopia cibariorum acrius in dies vrgebatur, adeo vt de deditione cogitare inciperet, cum Carolus Malateſta ſummo cum imperio a Gonzaga copijs præpoſitus cum Florentinorum quingentis, totidem Bononienſium grauis armaturæ equitibus ſuperuenit: erantq; vnà Altembergenſis & Ioannes Barbianenſis. accedebant a Carrarienſe centum quinquaginta, & par numerus ab ipſo præfecto contracti; Ateſtinus

& Lucenſes ducentos conſcripſerant. Ab Ferraria quoque eodem tempore affuit Carrarienſis ſociorum claſſis pręfectus, quam in expęditionem Nicolaus myoparones xx. aliasque aliquot naues prębuerat. Malateſta cum Vgolotto ad oſtium Mintij caſtra habente, Patauinus cum Vermiana claſſe, quæ ad tutelam pontis ſtabat, certamen contraxit. pugnatum eſt terra ac flumine IX. Kal. Septembris ſub exortum ſolis, quo die Bartolomei memoria a Chriſtianis colitur. Blancardus dum metu retrocedit prope ſine certamine exercitum amiſit. claſſis ſub hoſtium aduentum aucta viginti myoparonibus magno impetu ſe ſe inferente Carrarienſe in fugam datur; myoparones omnes & præterea quinquaginta nauigia & onerariæ commeatum portantes numero ſeptuaginta capiuntur. Vermius tot cladibus conſternatus timensque ne non longior mora pontem intercluderet, raptim a Gubernio ſe explicat relictis in poteſtate hoſtium quattuor & triginta tormentis, quibus muros quatiebat, eorumque apparatu, frumento, plauſtris, tentorijs, ac ceteris id genus impedimentis. Vix pontem attigerat, cum Gonzaga ad pugnam inſtructus vt ex ante præparato Mantua occurrit, eumque nullo negotio fundit fugatque. in fuga equites bis mille, & omnes fere pedites captiui facti; ipſe, cum reliquiæ Guardaſtallum & Brixillum conceſſiſſent, ſine vllo impedimento in vlteriorem tranſgreſſus ripam Burgumfortem & arcem recuperat, militumque ac nauium præſidio firmat. inde Melariam cum terra fruſtra oppugnauiſſet, ducta a Pado ad eam, qua locus cingebatur, breui foſſa triremes atque alias naues, quot ſatis eſſe videbantur, admouit. victa eſt defenſorum pertinacia præſenti periculo, & deditio expreſſa, cum & mœnia pluribus locis Vgolottus ante aperuiſſet, & mox ipſe nouis eadem ruinis proſtrauiſſet. hæc geſta ab extremo Sextili ad Octobris exitum. At Vicecomes nouis ad Brixiam copijs contractis Facinum Canem Caſale ſubalpinę regionis oppido natum ſummo cum imperio præfecit iuſſum ſe ſe cum Vermio coniungere. Almericus quoque magiſter equitum eodem ex Hetruria accitus mille grauis armaturæ equites adduxit, trecentos Piſis in præſidio, totidem alteros Senis reliquit; vti ſupremo virium ſuarũ conatu edito ignominiam recens acceptam explorata victoriæ ſpe, cũq; haud dubia Gonzagæ pernicie depelleret. claſſis duarũ & triginta nauiũ vnaq; cõplures rates inter ſe connexæ multorũ armatorum capaces, ac propterea expugnatu difficiles Doſulum compelluntur; quo antę conuenerant haſtati equites MM. ad Burgumfortem ſumma vi con-

flixere

flixere claſſes. Gonzaghiana conſtans ex XXXVI. myopatonibus, & aliquot triremibus, alijsq; nauigijs cũ hoſtilem impreſſionem diutius ſuſtinere non poſſet; in fugam auerſa plurimas naues deſideràuit. Almericus & ipſe nuper ex Hetturia euocatus ingenti cum agreſtium multitudine trans Padũ villas diruit, arbores cecidit. itaq; repletis atq; cõplanatis foſſis, quibus certa pars agri Mantuani propius oppidũ ab reliquo diſterminatur, libere ſub ipſas portas populabundus excuttit. mox ftigore atq; hyeme fœdiſſima ſubactus ad Marcariam exetcitum reduxit. Inter has belli motas, quod ante placuerat, Gonzagæ filia Carrarienſis ſtirpis maximo matrimonio iungitur. Ex itinere puella quidem Fertariam diuettit, ſed conditio temporũ ac metus imminentiũ malorũ oẽm ludorum atq; hilaritatis apparatũ diſcuſſit. Pariter Veneti reputantes iniquũ plane certamen eſſe cõparatũ Vicecomiti nimirum opibus p̃ſtanti cũ aduerſatijs, quæq; ab Mantua oppreſſa accidete poſſent; prætetea ab ipſius inimicis ſollicitati non iam vt ante diſſimulanter & modice eos iuuare, ſed prorſus in cauſam deſcendere conſtituunt. ceterum vt q pecunia pollentes, quæcunq; bello vſui forenr, ipſi p ſe poſſent expedire, principatum inter ſocios retumq; ſummã arbitratu ſuo adminiſtrandã depoſcerunt. concedentibus reliquis placitum eſt argentũ ipſi quantũ ſaris eſſet in ſtipẽdium MMM. equitum ex ærario rep̃ſentatent, quod deinde ab ſingulis pro rata portione quamprimũ reponeretur, cum impenſę quintã ipſi partẽ ſubitent. tum Franciſcus Catrarien. dudũ Mantua reuerſus in Auſtriã mittitur, qui tegulii alicuius ductu magnam Getmanorum manum in Italiam adducat. Iiſdem diebus an-

1398 no duodecenteſimo ſupra MCCC. de menſe Febtuario Patres ad Nicolai duos & triginta myoparones duodecim longas naues adiecerunt; cuius claſſis aduerſo flumine aduentantis timore pculſi hoſtes in tutiorẽ locum refugerũt. Vicecomes eiuſmodi apparatu pmotus haud gtauate audijt mentionẽ pacis facientes. quapropter Michael Stenius & Petrus Cornelius reip. Catolus Malateſta reliquotũ ſociorũ noĩe Ticinum profecti inducias in annos decẽ pepigetunt, ac ſolenni Pentecoſtes die ad VII. Kal. Iun. ꝓmulgauerunt ea lege, vt capta de Gõzaga, quoad aliud decerneretur, in Malateſtæ poteſtate eſſent. Carolũ Francorũ regẽ fœdete Pariſiẽſi, cuius ſupra meminimꝰ, illigatũ ab reſpiciẽdis ſocijs auertit clades Sigiſmundi Pãnonij. is cũ Pazaitis Turcæ felicitatẽ ſuſpiceret, quãdo Græci ꝓceres mutua ęmulatiõe excito in Græciã Orcane Othomani filio ei familiæ ſedẽ apud ſe dediſſent, q̃ iam tũ in Aſia minote Caramano tũ aliorũq; pari nobilitate nõen opesq; lõge exceſſetat, ſtatuit ptiusq̃ vires firmius coa-

 leſcerent

leſcerent eam gentem armis pellere. in illam expeditionem Frācorū nobilitas nōia dedit, ac duce Ioanne Philippi cognomēto Audacis Burgundionis filio Budam peruenit. Sigiſmundus tum his, tum aliarum nationum validiſſimis auxilijs inſtructus in Bulgariā duxit; ibi Francorum culpa, qui præ nimio pugnandi ardore non temere modo procurrerant, ſed etiam primam aciem Hungaris vtpote leuiter armatis & Turcicę pugnæ aſſuetis debitam ſibi depopoſcerant, memorabilis ad Nicopolim plaga eſt accepta. rex quidem ipſe cum rege congreſſus vulnus inflixerat, ſed alijs ſuper alios accurrentibus, atque infinita multitudine prægrauante incredibili Chriſtianorum ſtrage & ipſe & quidam proceres ægre ſalutem fuga expediuerunt. proinde equis viriſque totius Galliæ fortiſſimis amiſſis Francus præſtare ſocijs non potuit, quod ex conuentionis formula debebat. ad hæc iter erat per loca munitiſſima, & regi quo probabilior foret excuſatio, affinitatis præſcriptio in primis ſuffragabatur. quippe Inſubri quondam nupſerat Iſabella Ioannis regis filia Caroli, de quo agimus VI. amita, V. ſoror. Pontifex & ipſe alioqui ciuium permiſſu Vrbis, molis Adriani, arciſq; Capitolinæ potens, Peruſinorum tamen ſeditionibus agitatus toto hoc bello abſuit. ac ille quidem vt plebem nobilitati grauem atque infeſtam ad æquitatem traduceret, eo profectus initio reconciliauerat animos; verum paulo poſt eadē auctoris concordiæ maieſtatem minime reuerita, contraque ſacramenti religionem octoginta primarios ciues trucidauit, principatumque Biordo & Michelottio ſeditionis capitibus detulit. qua re Pontifex Aſſiſium compulſus p internuntium ab Inſubre petijt, vellet Mantua omiſſa armis perſequi deſertores Sanctæ ſedis. ægre ergo quemquam ſubleuaſſet alienō adminiculo egens. Ladiſlaus rex Neapolitanus haud ita dudum pulſo Ludouico II. Andegauenſi, qui Auenione a Pſeudopontifice eodem nomine inſignitus, & ab amicis ciuibus accerſitus vtramq; oppidi arcem occupauerat, nondum plane regnum tot tamq; atrocibus earum ſeditionum procellis agitatum in priſtinā tranquillitatem reſtituerat. Cęſarem natura ipſius ab huiuſmodi contentionibus maxime aliena neutri parti adeſſe pmiſit. Bellum annuum ab his, de quibus paulo ante diximus, geſtum cum excepiſſent induciæ, Nicolaus poſtero menſe ingruente in vrbem peſtilentia ad pagum Quartiſanum in Georgiana inſula editiorem, eoque ſalubriorem ſe contulit. cum illa opportunitate, tum notitia ciuitatis propter affinitatem inuitatus Patauinus, atque ante factus certior graſſari malum intus & Nicolaum abeſſe, cū Franciſco filio Ferrariam venit centum familiarium, & CCCC. equitum,

quos

quos alij etiam ſubſequebantur, haud quaquam imbelli comitatu. e veſtigio primis aliquot ciuibus adhibitis rectorum procurationem cœpit deteſtari, ac miſerari fortunam adoleſcentis, cuius pueritiæ tam improbi magiſtri ac conſultores obtigiſſent; teſtatus generum loco filij, regni ipſius decus ac ſalutem æque ac propriam ſibi curæ eſſe: nullam in ſe moram fore, quo minus cum radicis omnium malorũ extirpatione cuncta recte atq; ordine cõponat. propterea ſe ſtatuiſſe pulſis magiſtratu ac ſupplicio coercitis veteribus cõſiliarijs nouos ſubſtituere. Fuit tũ conſtans opinio, quod Nicolaus adhuc immatura ætate exiguoque rerum vſu eſſet, & ad id locorum in aliena fuiſſet poteſtate, ſocerum, cuius alioqui ingenium ſatis perſpectum eſſet, ab eius imperio occupando minime abhorruiſſe. Philippo Roberto ſuperioribus annis vita functo ſucceſſerat Nicolaus filius parẽti quidem par dignitate, prudentia nequaquam. hunc inter collegas maxime eminentem, vnaq; Antonium Montecatinum contagionis metus oppidum relinquere coegerat negligentes rerum vrbanarum atq; principis: qui ſimul atq; ſocerũ adeſſe cognouit, ex agro Quartiſano Ferrariam accurrit; ac dicta ſalute multa atque atrociſſima miniſtrorum crimina coram exponentem audiuit; ita vt ſuſtinuerit præpoſitum ſupplicibus libellis referendis, cum ſe parum expurgaret, in carcerem compingi, Ioannem vero a Sale magiſtratu patriaq; pelli. quamobrem tres reliqui abſentes veriti ne quid grauius paterentur, ſponte ſolum verterunt: in eorum locum ſuffecti Montafacius Iadertinus equeſtris vir ordinis, & Gulielmus Curtarodolus Patauinus, quem apud Principis vxorem ſubſtitiſſe narrauim', e Ferrarienſibus Ioculus Ioculius, Nicolaus Conſtabilis, Compagnus Bonleus & Ioãnes Spatharius decurionum princeps. omnium primum quantum in annuo reditu ſumptuq; eſſet inſpectum, eaq; aliter atque antea diſtributa: paucis poſt diebus lecti in conſilium Gerardus Boiardus, Bartolomeus Fontana, Ioannes Marchettus & Nicolaus Faber. hæc in aula immutata: & grata in vulgus (quod quidem votum plebi perfamiliare eſt, plerunq; tamen inconſultũ) extitit magiſtratuum abrogatio; tametſi Carrarienſis hæc cum facet in ſuſpicionem venerit, præſertim quod extemplo veteribus ſubmotis quos viſum eſt, cuſtodes portis appoſuit. Ab rerum vrbanarum, quæ alicubi labare videbantur, conſtitutione reliquas etiam eſt complexus: gnaruſque Opizone Rauennate ac fratribus amicis ſatis tuta eſſe oppida, quæ gener in Flaminia poſſideret, mutuas controuerſias componere ſategit. itaq; ſumptus arbiter ad xv. Kal. Sept. pronuntiauit reſtitueret vterque quæ de altero occupaſſet

eo ſtatu, quo ante excurſiones fuiſſent: edicta capiralia, multæq; acta, dictata omnia inducerentur, ac ſe inuicem, cum res poſtularet, commearu iuuarent; ipſe proximum quinquennium ſequeſtri vice apud ſe haberet munitionem ad caput Vrceorum inſtitutam. exinde vti paterno nomine cum Venetorum Principe contracto gener commendatior Patribus eſſet, maxime propter mutuas vtriuſq; imperij opportunitates, eum in vrbem deduxit; vbi exceptus cultusq; eſt magnifice: mox rediens Ferrariam ad ceteros, quorum conſilio vtebatur, addidit Michaelem Rabaram, Henricum Galertum, Comitem Mediam Iureconſultum, qui cum Curtarodolo prætorium inhabitabat. poſt Decembri menſe cũ eſſet nuntiatum Bartolomeũ Gonzagam cum turma CC. equitum ex agro Mutinenſi prædas agere, alam roſæ inſigni celebrem tum in Foroliuienſium finibus ſtatiua habentem, ac nullius ſtipendio obnoxiam mercede ad ſe attraxit: habebat illa magnam opinionem virrutis, præfectosq; non obſcuri nominis Thomaſinum Cribellum, Thomam Caſtellium, Ioãnes Maluicinum & Liſcam: eamque expeditionem mandauit Philippo Piſano. perculſus Gonzaga Picenum verſus iter cepir. in Flaminia ad Roncum haud procul Foroliuij moranrem ijdẽ mercenarij equites in hyberna regreſſi Polentanorum maxime ope & ipſum & milites oppreſſerunt. Anno eius ſeculi vndecenreſimo inducijs exactis, 1399 quas ad Luneburgum in triẽnium pactas memorauimus, in has conditiones pax conuenit, vr Luneburgenſes, Lubeciani, Hamburgenſes certum auri pondus Henrico & Bernardo pẽderent; ipſi interim oppida Horburgum, Blechedenum, Luderſuſenum cautionis ergò in poteſtate haberent. Ac poterant quidem Italici proceres Aeſtini videri ex omnibus fortunæ fluctibus emerſiſſe, cum rantum non interitu Nicolai abſorpti ſunt. quippe circiter Id. April. e noxio tumore circa inguen enato vſque adeo laborauit, vt medici præſertim peſtilentia omnem Europam ciuitatemque in primis peruagata de ſalute ipſius valde dubitauerint. excitus nuntio Carrarienſis cum vxore, familiaribus, ac turma equitum Ferrariam aduolat haud obſcure generi imperio inhians. ſed reſciſſa ferro ſuppurarione & morbus diſcuſſus eſt, & ſocer domum redijr. Principio Auguſti Nicolaus vel quod illud factum non admodum probaret, vel cerre qđ cum ętate ingeniũ ematuruiſſet, nouos ſibi conſiliarios aſciuit, præſidem cooptauit Robertum Gabrini Comitis cognomento Tripolitani Regienſis filium; Curtarodolum & Mediam Patauium remiſit. Hoc ipſo menſe Ioannes Barbianenſis non cõtentus Vineola ad Mutinam quoq; animum intendit, vſusq; opera Bandezati & Manfredi

Comi-

Comitum, Ludouici & Lipatij, nec non Conſilicis filiorum, quorum priores iuſtis nuptijs quæſiti, poſtremus e pellice ſuſceptus fuerat, equites MCC. in fines Mutinenſium induxit fruſtra ſperans ſe ſe tumultum in oppido conciturum: mox ad populationes conuerſus cum magna præda domum ſe retulit. extabant Barbianenſis graues iniuriæ in multos ciues natos Bononiæ ampliſſimo genere, eaq; de cauſa edicto publico non ſolum capitis ſupplicio deſtinatus, ſed etiã magna ad vniuerſum populum inuidia erat, cum primis inuiſus Carolo Ianbeccario Iureconſulto magiſtratuum principi. ciues poſtremo inſigni hac audacia irritati libenter præbuerunt Ateſtino auxilia equitum mercede militantium, quos ab eo dimiſſos ipſi ſtipendio iterum conduxerant: quibus acceſſere milites complures ꝓ ordinibus, alijq; mercenarij Philippo Piſano duce. qui XIII. Kal. Septẽb. Spilimbertum profectus ꝑ exploratores comperit illa ipſa nocte Barbianenſem Vineola egreſſum Scultennam traieciſſe. ſequutus e veſtigio Bononienſes equites præmittit: illi haud modico inſtructum comitatu ad torrentis alueum adepti & ipſum & eius ſocium Comitem captiuum faciunt. Manfredus in Philippi poteſtatem venit, ab eoq; Mutinam eſt miſſus; reliqui Bononiam tracti: quo in oppido Barbianenſis & illuſtriores alij quinq; opera maxime Aſtorgij Manfredi inimici ipſius infeſtiſſimi, ſummiq; Ianbeccarij amici poſtquã aliquot dies in arctiſſimo carcere fuiſſent, grauiore ſententia pronũtiata in foro ſecuri percutiuntur, vt fallãtur qui tradunt, eum, cum animi cauſa extra portam proceſſiſſet, caſu interceptum fuiſſe. Ad III. Kal. Octob. Nicolaus occaſione vſus Vineolam circumueniri mãdauit, locoque intra paucos dies per deditionem eſt potitus auctore Manfredo Almerici iam defuncti filio, quem Mutinæ in cuſtodia aſſeruatum diximus. Ianbeccarij deinde & Gozadinę gentis contentionibus nobilitas in factiones diſceſſit: paucorũ enim optimatium, qui ceteros opprimebant, vnuſquiſque principatum ad ſe trahebat. quo diſſidio freta plebs armata forum ac prætorium inſedit populi atque artificum nomen identidem inclamans, iamq́ue ſui iuris effecta quos viſum eſt Decuriones prodidit. interim mortuo Ianbeccario Ioannes Bentiuolus & Vannes Gozadinus, vnaq; ipſius nepos Pa tauij qui erant Franciſco Tertio adiutore & lecta manu a Carrarienſe adiuti Ferrariam ſe contulerunt, pariterq́ue ab Ateſtino impetrauerunt egregiam equitum alam ductu Philippi Sbugij. Fine Decembris amicorum ope mœnibus recepti magnã aduerſariorum cædem ediderunt; adeoq́ue multitudinem exterruerunt, vt Decurionibus,

qui

qui patriijs expetiibus reipub. ex viliſſima plebe lecti erant, ſubmo tis nouos ſubſtituerent, reliquos magiſtratus pro libidine crearent. Per hos dies ex Hiſpania in Italiam venere Albatorum nonnulli (capitium quale monachi geſtare aſſueuerunt pone ex albis veſtibus propendens cum rubra cruce nomen dederat collegio) qui Seruatoris præeunte imagine paſsim in oppidis concionabantur, extra in quadriuijs ſi quæ occurrebant, precationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam pronuntiabant. eam ſectam inſtituerat Henricus II. rex Caſtulonenſis placandi numinis ergô comperto ſanctiſſimam Virginem in terris obſeruatam denuntiaſſe fore, vt teterrimis mortalium noxis grauiſſima peſtilentia Chriſtiano orbi q̃ late incideret. Ferrariam cum veniſſent propè vniuerſum populum ad ſe traxerunt: Princeps & vxor abeuntes magno pietatis teſtimonio ſunt proſequuti vſque ad prata Belfloriana, vbi Antiſtes Mutinenſis piam concionem habuit. ex eo cœtu qui Venetias perrexerunt, quod com mercijs & mercaturæ impedimento eſſent, aliàs etiam nimiæ ſuperſtitionis ſuſpecti tantum non inde publico decreto ſunt expulſi. Romam verſus pertendentibus ingenti mortalium concurſu eodem ha bitu facultas fuit luſtralis celebritatis, quam Iubileum vocant, ineunte anno a partu Virginis CCCC. ſupra M. opinio tamen & frequen 1400
tia ex itinere collecta Viterbio tenus ſolum manſit. ibi ſacerdos quidam eorum ductor in ſpeciem quidem moribus & ſanctitate eximia, interius vita profligatiſſima iuſſu Bonifacij a militibus obuiam miſſis comprehenſus Romamq; perductus afficitur ſupplicio, vt qui ſeditione ad Pontificatum aſpiraret. Proximis Saturnalibus diebus Nicolaus annos natus circiter ſedecim ſub armis ſui periculũ facturus ornatiſſimum decurrentium inter ſe equitum ludicrum indixit, in quo præclara ipſius indoles enituit multorum teſtimonio, qui res vrbanas illuſtriores ac tũ omnibus notas in annales retulerunt, quos more atque inſtituto noſtro, pro vt res ſuadet, ſolemus ſequi ſuppreſſo auctoris nomine. cum indies magis magisq; vacaret cognoſcendis per ſe ijs, quæ ad regni curam attinerent, cuſtodiæ tradidit Albertum paulo ante conſilij præſidem declaratum, vnaq; duos ipſius fratres cum matre Margarita. cauſa ea tum vulgo iactata, quod parum integre atque innocenter in magiſtratu ſe geſſiſſet: tradit Minorita mulieré poſtea ſecuri percuſſam tentaſſe magicis artibus Principis patrem in ſui amorem pellicere: eandem pœnam luit Albertus conſilij particeps: reliqui quoad viuerent exulare iuſſi. Menſe Martio voti religione obſtrictus ædem Mariæ Virgini dicatam edito in

colle agri Bononienſis adijt poſtridie eius celebritatis Mutinam tũ primum ſe contulit; oppidumq; maxima vt aſſolet põpa inijt. deinde cum parũ conueniret inter magiſtratus Bononienſes, qđ Bentiuolus & Gozadinus ante vt aduerſarios adminiſtratione reipub. excluderent coniuncti, mox ſtudijs ac fine diſſidentes de principatu inuicẽ contenderent, Ateſtinus veritus ne alteruter proprijs viribus diffiſus externas acciret; eaq; res ſibi incommoda eſſet propter Ferrariæ & Mutinę propinquitatem, Bononiam miſit, qui diſcordias componerent: quo facto ſi nõ odia radicitus ſuſtulit, certe quidem ex aliqua parte ſuccidit. Per hoſce dies cum ſedulo de iungenda pace inter Viccecomitẽ & aduerſarios actũ fuiſſet, qui iã ante in annos decẽ inducias fecerant, & neutra pars dubitaret huiuſmodi certaminũ triſtem quandoq; exitum futurum, palmarum ſolenni die, qui fuit ad III. Id Apr. pax eſt perpetrata ea lege, vti quæcunq; de Gonzaga capta oppida, loca ve Caroli Malateſtæ fidei credita fuiſſent, ea reſtituerentur. Eodem anno Viridis Aldobrandini IIII. filia, quæ poſt viri Conradi Techenſis Ducis obitũ aſpernata mortales nuptias cœnobio Diui Golielmi incluſa Chriſto ſe ſe dicauiſſet, vitam cum morte cõmutauit. quemadmodum autẽ Nicolaus quidem ipſe regnum cõſtituerat, ſic apud Germanos, niſi aliena perfidia obſtitiſſet, magnum nomen magnæq; opes familiæ Ateſtinæ parabantur iterum Auguſta maieſtate conſpicuæ, quam eiuſdem gentis Otho Saxonum Dux ante annos ferme CC. tenuiſſet. id quale ſit planius fiet, ſi rem a capite exordiamur. Auguſtum Vincislaum ſordes atq; ignauia in eum hominũ contemptum adduxerant, vt non Germaniæ modo res, ſed etiam ceteræ vel ab Imperio Romano pendentes, vel eius fultæ natu prorſus peſſum irent. præterquam quod enim eo Cæſare in Boemia paterno regno Ioannes Huſſita impietatis ſuæ virus ſparſerat orſus primo ab inſectatione pontificiarum indulgentiarum, mox incredibili audacia maiora petens: proceres exuto obſequio non ſine periculo magnorũ motuum inter ſe diſſentiebãt. diſſidium in Eccleſia ortum ne reſpexit quidem vnquam, ſed Chriſtiani nominis prouincias, vt cuiq; libuiſſet, iuſti aut adulterini Pontificis ſequi auctoritatem permiſit, vnde non ſine Sanctæ ſedis labe alimenta ſeditioni ſuppeditauere. tumultus Neapolitanos & citerioris Galliæ, quod erat Cæſarum beneficium, tantum abfuit vt ſedaret, vt potius augeret Viccecomite decretis atque noua dignitate ſupra ceteros euecto, idque largitione corruptus. itaq; moderati nihil amplius reliquum erat, quod aut Italiæ ſaluti aut ornamento Romano Imperio eſſe poſſet. verum enimvero qui perſonæ ſuæ interdum memi-

niſſe debuiſſet, multo effuſius in dies vino ac libidini indulgere, ita vt nullo modo ad bonam frugem, & honeſtam hominũ opinionem traduci poſſe videretur: præſertim quod ſemel captus a Boemis, & a Procopio Morauorum Principe conſobrino ſuo liberatus non ſolũ non exuerat veteres mores, ſed ad eos ẽt ſuperbiã in populares adiunxerat. ꝓpterea a Sigiſmũdo fratre Pãnoniç rege iterũ cõprehẽſus traditusq; in cuſtodiã Alberto Auſtriç Duci Vienna deinde, vbi aſſeruabatur, aufugit. In hanc vitiorum colluuiem adeo omnium ſcriptorũ monumentis notatã crudelitas quidẽ & ſocordia miro quodã modo conſpirauerant, ſed tamen ſocordia plus incommodi afferebat, q̃ crudelitas. ad hæc vulgo ferebatur ipſum tibi portentũ fuiſſe iniuria & matris & numinis ſub vitæ initiũ. nã mater ex partu obiit, ipſe ſacro fonti admotus dũ abluitur aquas cõſpurcauit. Hærebat in Imperio nõ exigua labes, quã cũ vnius rectoris interitu liceret abolere, nec ille aut fato aut externa vi finem viuendi faceret, reliquum erat vt dignitate exueretur. ita communi omnium conſenſu Robertus Comes Palatinus, cuius inter Septemuiros creando Cæſari idius erat (nondum hac quidem in parte receptum fuerat aureum quod vocãt Caroli IIII. edictũ, quo id muneris Maguntino Archiepiſcopo deferebatur) de menſe Maio Francfortiæ comitia habuit. proceres qui ſcirẽt quo plus caliginis Auguſto nomini offuſũ fuiſſet, eo magis ſubſtituendũ, qui lucẽ ei ſplendorũq; adderet, & armis cõtumaces poſſet ad obſequium cogere; Federicũ Ateſtinum Brunſuicenſium Ducẽ Cęſarem renũtiauerunt virũ & imperatorijs artibus & conſilio pſtãrẽ. Federico parentes fuerunt Magnus II. Catharina Valdemari Brandẽburgenſium principis filia: vxor Anna Vincislao Saxonum Duce procreata. cum ſua a ſoceri conſilijs non ſepararet, alieniores Bauaros regulos eſt expertus: pręcipuum vero ei negotium & labor fuit aduerſus Maguntinos, quorum Antiſtes prohibere conatus, ne Cęſar crearetur, ne ue Imperij inſignia capeſſeret, vbi id parũ procedit, iusq; & vis fruſtra ſunt, inſidijs excipiendum ſibi eſſe ſtatuit. proinde p Cauchos domũ ſe recipientem vti Frãcfortiã, indeq; ad capiendũ diadema Aquiſgranũ ꝓficiſceretur, nihil tale ſuſpicantẽ per Valdechiũ Comitem dolo obtrũcauit. quę res magnas in Germania turbas cõciuit fraternã necem vlcũ ire properantibus Hẽrico, Bernardo, & Othone Archiepiſcopis Bremenſi, & Verdenſi, ceterisq; cõſanguineis principibus, & Federico Auſtriaco genero, cui nupta erat Anna ipſius Federici filia: cũq; his aduerſus Maguntinũ cõſurrexere Otho Leinẽſis & Hẽricus Comes Hoſtenſis. Caſtra primo ad Gebeshuſẽſe oppidũ admota, quo Valdechius & reliqui ſicarij profugerant. fuga

eos

eos merito ſupplicio ſubtraxit priusq̃ locus expugnaretur. quod ni Cęſar ſublegendus, & priuatæ inimicitiæ cõmodo decoriq; publico fuiſſent poſthabendæ, ea controuerſia diutius Germaniã exercuiſſet. Proditũ eſt memoriæ ꝑ foribus templi Maguntini lapidem reptum hac inſcriptione; Verte & inuenies: & curioſum quempiam ratum ibi theſaurum conditũ noctu quod titulus iubebat pegiſſe: idq; vnũ inuerſo lapide inueniſſe. Maguntia ab antiquo nequam. qđ ꝑmulti ad Auguſti indignã necem auctore Archiepiſcopo illatam pertinere crediderunt. extant adhuc ſepulchro inciſi hexametri verſus rithmis quibuſdã ſtudioſe conquiſitis, vt ętas illa tulit, plane inconcinni, ſed pleni laudum atq; cõmendationis Federici cũ inſigni Archiepiſcopi nota, quibus cædes plane miſerabilis deploratur. Is erat Germanicarum rerum ſtatus Ateſtinæ gentis longe clariſſimo viro extincto, cum eadem cupido vindicandæ fraternæ necis haud perinde tamen lacrimabilis prurbare Italiam cœpit. Almericus Barbianenſis fratris, quem quidem Bononienſes vltimo ſupplicio affecerant, manes pſequebatur; ſed quas pœnas ab ipſis propter nimias ciuitatis opes ſumere non poterat, repetebat ab Aſtorgio Manfredo cædis impulſore. igitur ſocietate Bononienſium ac Forocornelienſium adiutus Fauentinorum fines late populatus oppidum obſidione cinxit. Manfredus eas anguſtias ſimulque inopiam pecuniæ prætexens Ateſtino denuntiabat, ni ſubleuaretur, ſe Azonem e cuſtodia miſſurum. ad ea ille placide nihil tamen certi reſpondit: verum quia Aſtorgius nequaq̃ ijs ſtaret, quæ certis conditionibꝰ cõcordiæ ergô pacta & cõuenta poſt exitũ habuiſſent, ſicuti declarãt tabulæ ex auctoritate Veneti Senatus Ferrarię conſcriptæ VI. Kal. Ian. Ioannem Galeatiũ ipſiꝰ filiũ Padum cũ Carolo Malateſta in extremis finibus Ferrarıẽſis agri III. Non. Iun. tranſgreſſum cõpręhendi iuſſit: nec .n. cenſebat Manfredo temere ſine cautione fidẽ vllo modo habendã eſſe. Sextili mẽſe aliquanto remiſſiore obſidione Aſtorgius filij cauſa Mediolanum, inde ſpe fruſtratus Venetias pgit. Patres randẽ hanc cõcordię rõnem iniuere, vt Nicolaus redderet parri adoleſcentẽ; Azo in Cretã annuo eoq; ptenui victu cõſtituto relegaretur, cuius deinde loco certa pecunia numerata eſt. Ac quoniã hæc archetypis monimentis litteriſq; & Antonij Venerij Venetorum principis ſententia teſtata apud eorũ quoq; tempum ſcriptores leguntur, licèt colligere q̃ vere ſcriptũ reliquerit Corius Ioan. Galeatium cum accepta p Carolum Malateſtam fide ab Ateſtino ea commeat, contra iuſiurandum Septemb. menſe in vincula coniectum fuiſſe, quo tempore pater in oppido Fauentia circumſedebatur, deque ea contumelia Aſtorgium expoſtu-

 laſſe

laſſe cum finitimis; in quibus explicandis apparet eum facta ac tempora confundere, & propterea facile decipi potuiſſe quod attinet ad fidem Ioanni Galeatio, vt ipſe aſſerit, datam; quippe fuerat ſuperuacanea nulla dum ſimultate inter patrem & Ateſtinum. In- 1401
ſequenti anno Almericus ab Fauentia diſceſſit, cum Gozadini æmulatio prid. Id. Mart. Ioannem Bentiuolum Bononienſibus dominū impoſuit. nam qui ad eam diem in repub. plurimum potuiſſet, peculiari quodam inſtituto non locum modo tenere, ſed ceteris etiam præripere tentauit aſſidue fouēda aduerſus nobilitatem plebe eo ſtudioſius, quo magis affectabat & videri & haberi communis libertatis aſſertor. hæc damnarunt qui nobilitatem potius ac virtutem ſpectabant, quam iuris inter omnes æquabilitatem; patritij vero vſque adeo, vt relicto atq; in ordinem coacto Gozadino omnia ſtudia ad Bentiuolum contulerint & ſuopte ingenio collegæ admodum diſſimilem, & nobilitati longe acceptiſſimum. erat edita opinio in vulgus, quam fragmentum annalium Frinianæ prouinciæ, & quidam alij Flaminiæ annales iuuant, Bentiuolos trahere originem ab Laurentio Sardiniæ rege, quem Bononiæ complures annos in cuſtodia habitum fatoque functum alibi commemorauimus. ita illi ex regia Staufenſi ſtirpe reliqui, cum iuſta ſoboles multo ante interijſſet. ex Laurentio natus filius Auguſti aui nomine Federicus appellatur, nec non Bentes & Voliolus: e Federico Frāciſcus: ex hoc Antonius Ioannis, de quo agimus, pater; qui domi conciliatis primo optimatium animis ad principatum aſſurgere potuit. mox populi rogatione maioribus comitijs confirmatus aſtu atq; ſolertia externorum principum amicitiam & opem promeritus breui nec admodum felici exitu in imperio fuit. quippe dum neque hoſtis ex profeſſo, nec amicus Vicecomitis, ſed dubiæ fidei patitur eum quaſi præſidiū ipſius CCC. equitum alam in Regienſi continere, idem poſtea CC. a Florentinis ſubmiſſos mœnibus recepit, quorum auxilio fretus pro mutua cum Aſtorgio neceſſitudine Fauentinos iniuria prohibuit. quo facto incitatus Almericus aſſumpto Orhobono orto gente Tertia ac Tizanni Comite Inſubris præfecto prædari ac vaſtare illius agrum magno equitatu cœpit, & quod Hetruſci ſegnius opitularentur, Fauentinos iterum magnis belli cladibus affecit. Nicolaus cum & a Vicecomite maius bellum inſtaret, & Germani in eundem ſe compararent, ratus eſt veniſſe tempus, quo expediret medium ac neutrius partis eſſe; ſed veritus ne reliquis amicis vnus Vicecomes bello Mantuano quamquam concordia finito adhuc in ſe eſſet irritatior, conueniendum eum ſibi ſtatuit, vt eiuſmodi congreſſu hominis beneuolentiā

demere-

demereretur. ſatius autem exiſtimauit de ea profectione Venetos ac ſocerum celare, quam ſi eos certiores feciſſet, & precibus deinde retineretur, nihilominus pergere. itaq; poſtr. Non. Septemb. magno cum nobilium atque hominum militarium non minus CCCC. comitatu de improuiſo ad eũ contendit; inter quos Vgutio Contrarius, Vgo Boiardus & Nannes Strotius dignitate maxime præſtabant. appropinquanti Vicecomes paſſuum millia quattuor ab Angeli Fano, vbi tum erat, obuiam proceſſit. ibi dies aliquot liberaliſſime cultus principio Octobr. domum rediјt. acceperat quidem, cum itineri ſe daret, haud procul Ferraria a Veneto & Carrarienſi litteras ne proficiſceretur; ſed factum excuſauit vt diceret eo ſe progreſſum, vnde ſalua dignitate non liceret regredi. iniecit ſane ea profectio vtrique eo maiorem ſuſpicionem, q͏̃d Robertus a Florentinis Inſubris odio flagrantibus pecunia accerſitus Tridentum peruenerat, ad eumque quaſi ad priuatũ ciuẽ Mediolanenſem ſcripſerat bellũ denuntians ni confeſtim regno ſibi cederet. ille vero non vt Auguſto, ſed vt Bauaro contemptim reſcripſerat etiam interminatus ne in ſuo pedem poneret. Fuerat Robertus Comes Palatinus comitijs Bopardienſibus Cæſar ſublectus. quo facto Brunſuicenſis & Luneburgenſis nequaquam obliti fraternæ necis valido coacto exercitu, cui propinqui & neceſſarij ipſorum acceſſerant, in Maguntinos impetum fecerunt, adeo hoſtiliter, vt præter innumerabilium capitum fugam cædemq; ingentem ferro atque igni ciues ſic afflixerint, vt ne centum quidem annorum interuallum expetitæ pœnæ veſtigia aboleuerit; nec fuerit in eo tractu caſtellum tanti furoris expers. Ceteri quoque Ateſtino finitimi non mediocriter animo æſtuabant: etenim Græcus Cæſar Ioannes Palęologus ab Senatu Veneto aſſidue opem rogabat, vt domeſticis ac reipub. viribus alacrius Turcæ obſiſteret, qui terra mariq; ingentes copias contraxerat ad Eubœam oppugnandam, quáq; poſſet maxime nocendum nomini Chriſtiano. id teſtatus Græcus ancipites atque animi dubios Venetos reliquit. Flaminia inteſtinis principum diſcordijs agitabatur. Inſubrem terrebat Cæſar, cuius ad Brixiam aduentus Almericum eo acciuerat. Gonzaga & ipſe, qui ſe ad Vicecomitem applicuiſſet, haud multum ab eodem infortunio aberat. Nec Patauinus moleſtia vacabat Guelforum ſtudijs Brixiæ imminens, atque apertus Inſubris inimicus, eoque exigua ſpe, quæ animo deſtinaſſet, exequendi. vnus Ateſtinus non hanc magis quã illam ſectam ſequutus, ac vix dum pueritiam egreſſus ſuiq; iuris, nimirum pulſis ſoceri conſiliarijs alijsq; ſuffectis, regnum quiete adminiſtrabat. incolæ quidem oppiduli, quod Ioannis Fanum vocant,

ſitum in agro Bononienſi, per legatos vltro deditionem pollicebantur, ſeq; ei in clientelam dicabant aduerſus Vicecomitem, cuius armis premebantur; nec non Bentiuolum, a quo deſciuerant. verum conditionem non accepit, ne exigua illecebra magnum deinde periculum crearet: quod Senatus quoq; Venetus vehementer probauit. quin cum de menſe Iunio altero eius ſeculi anno multi fœdus inter 1402
ſe percusſiſſent, ipſe ab eo abſtinuit. Fœderi cauſam dedit pulſus Cęſar ab Vicecomitis præfectis: quamquam enim Carrarienſis arduis ac prope inexuperabilibus rupibus commeatum ad Cæſarianos ſupportaſſet, eosq; ſpe ſucceſſus Brixiani erexiſſet, tamen Almericus, Iacobus Vermius, Othobonus Tertius, Facinus Canis, alijq; copiarum duces tam audacter Cæſari reſtiterunt, vt ille vlterius progredi non auſus loco ſe non mouerit, quoad Carrarienſis cum aliquot Germanorum ſuorumq; militum cohortibus profligaretur. ita Cęſar Patauium ſeceſſit: inde Venetias profectus Natalitios dies illa in vrbe celebrauit, egitq; de vna maxime re pecuniaria, ex qua ſe maiorem in modum laborare non diſſimulabat. quam moram pertæſus ſequenti anno fœderatis plane iratus domum deceſſit. Vix extremos 1403
Italiæ fines attigerat, cum Bentiuolus & Carrarienſis aſſiduis precibus ſummaque contentione inſtiterunt, vt legatio decerneretur, q̃ magnis eum pollicitationibus Venetias retraxit: ibi omnia pro voto conſequutus ipſeque & Veneti, Florentini, Carrarienſis & Bononienſis fœdus illud pepigerunt. Nicolaus, qui antea Vicecomitis & Mantuani ſocietatem declinaſſet, hac quoque temperauit. At Almericus permiſſu Inſubris ex Brixiano in Bononienſem agrum reuerſus ex incurſata longe lateq; regione opulentam prædam coegit, nouoque in dies milite exercitum adauxit. exules quoque Vannes, Bonifacius & Gozadinus Gozadini primo quoque tempore cũ eo ſe coniunxerunt. ex quibus Bonifacius aliquot Plebenſes ad patriæ proditionem illexerat: res autem exitum habuit conditis in vicino ſaltu lectis centum peditibus. ij ad Bondenum in terram expoſiti ſic iter diſtribuerunt, vt accelerantes primis tenebris eo peruenirent. proditores illa ipſa die egreſſi ex oppido de induſtria ſub noctem reuerterunt, ac portam ſibi aperiri poſtularunt cauſati ſe neſcio quo in opere diutius occupatos fuiſſe. momento in ipſo pontis aditu cuſtodes obtruncant, ac tantiſper locum tuentur, dum Bonifacius ex inſidijs accurrat. is poſt nonnullos inter primum tumultum interfectos arcis oppugnationem Lancelotto Beccariæ mandauit DCCCC. equitibus ab Alberto Pio Carpi Domino & Marcoaldo Rocca impetratis: quorũ ope intra paucos dies eos municipes prorſus ſubegit:

eodemq;

eodemq; tempore Proſperiani, & alij Bentiuoli iugum excuſſerunt. ille tot ſimul partibus ſummo cum periculo circumuentus ab Hetruſcis ſocijs auxilium petit. equitum millia tria primo ſubmiſſa præfecto Bernardo Anglo; deinde CL. ductu Balthaſaris Germani, & Sforciæ Cotignolenſis, qui bello Patauino Carrarienſis ſtipendia fecerant. eo præſidio fretus Ioannes omiſſo Almerico, cuius copiæ vt pote firmiores victoriam longe difficiliorem ſpondebant, ad Plebenſes ducit; vbi proſpero euentu ad CCCC. equites vnaque Albertum ac Marcoaldum captiuos fecit. inde inuaſit Proſperianos, quorum ſupplicio vt ceteros in fide contineret, captum oppidulum incendio deleuit, incolas ad vnum omnes interfecit. motus Alberti captiuitate Nicolaus, vt eſſet qui rem Carpenſem interim adminiſtraret, Marcum eius fratrem propter Margaritæ crimen, cuius ſuperius mentionem fecimus in cuſtodiam traditum domum dimiſit. Ateſtinũ a conſilijs belli alienum non deſtitit Bentiuolus ſollicitare per Bentem propinquum ſuum pronepotem Bentis ſenioris, vti cum Bononienſibus ſe coniungeret, idque eo vehementius, quod Cæſar ante extrema hieme in Germaniam diſceſſerat, & Venetorum ardor refrixerat. Bentes, qui apud Nicolaum parum promouiſſet, coniectans Bentiuolum a ceteris deſertum iri, nec longe abeſſe ab exitio, cupidine quacunq; poſſet creſcendi magno cum Ioannis malo ſuiq; nominis inſigni labe Mediolanum ad Inſubrem transfugit, omniaq; ei arcana conſilia enuntiauit affirmans Bononia, ſi modo vim admoueret, haud dubie potiturum. ad eãdem expeditionem ſtimulabat Almericus memor fraternæ necis: quæ eo quoq; alacrius videbatur ſuſcipienda propter Florentinos vndiq; propè clauſos, ſi ad Senenſes & Piſanos, qui erant in Inſubris ditione, Bononiam inſuper adijceret. adde quod ſub ius coactã facile erat tueri, cũ & Regium obtineret, & Mantuanorum Principem ſtipendio obnoxium haberet: in fide vero & clientela Albertum Pium. belli cauſam iactabat Gozadinorum reſtitutionem, & ciuium libertatem, quos Bentiuolus iniuria partim domo pepuliſſet, partim impotenti imperio diuexaret. Victus his adhortationibus, atque inexplebili quadam libidine ꝓferendi imperij negotium dedit Pandulpho & Malateſtę Malateſtijs; vt conſcriptas in Flaminia cohortes in Carpenſium finibus cogerent, qui locus ad conueniendum & illi militi & præterea contractis e citeriore Gallia peropportunus erat. ceterum quod res non perinde multis nota ſit, eam nos exponemus, vnde multa poſt conſequuta ſunt ad Ateſtinum pertinentia. initio tam exiguæ atq; infrequentes erant Inſubris legiones, vt Bentiuolus de improuiſo Anglũ

hominem

hominem magna apud ſe opinione virtutis cum Hetruſcis ſuiſque militibus aduerſus eas mitteret, qui modica rei bene gerendę ſpe magnum periculum adiuit. quippe licebat hoſtibus, prout occaſio ſe ſe obtuliſſet, vel pugnare, vel prælio ſuperſedere tutũ receptum dantibus circumiectis paludibus, & oppidi munitione tegente. quod ſi Inſubris aut Gonzagæ copiæ, quæ erant in itinere ſuperueniſſent, ſine dubio Bernardus longe viribus inferior iniqua plane conditione dimicauiſſet; ſed cum Pandulphus collectam a ſe paulo ante turbam in caſtris ſolum haberet, & hoſtium aduentum de ſpeculatoribus cognouiſſet, incolumi exercitu, irritoq; Bentiuoli incepto in tutum ſe recepit: quod quidem permultum illi detraxit, & in poſterum militum animos fregit. in Carpenſem cũ veniſſent Almericus. & Facinus Canis nec non Othobonus Tertius; & Gonzaga D. loricatos equites adduxiſſet, exercitus in Bononienſium fines VI. Kal. Maij inductus ad Ioannis Fanum conſedit. poſtero menſe Frãciſcus & Iacobus Carrarienſes cum equitibus CCCC. & compluribus honeſto genere Patauij natis ſubſidio Bentiuolo venere. vnde leuia vtrinque prælia extiterunt. copię & Bononiæ quæ erant productæ in campum vna cum reliquis haud procul ab hoſte tendebant aſſiduis certaminibus, ſed extra caſum maioris pugnæ neutro inclinata fortuna laceſſentes pariter ac laceſſitæ. hoſtes vero montanorum hominum fiducia vt ciuibus incommodarent, & Bentiuolum magno cum ipſius malo ad pugnam elicerent, Caſaletium perrexerunt aquęductum ad oppidum pertinentẽ contractis operis demoliturі: quod vbi ille comperit anteuertit, caſtraq; inter collem & flumen eſt metatus. quamobrem coacti ſunt Inſubres mille inde paſſus ad pontem Caſaletij conſidere, iterumq; leuibus pręlijs cum hoſte cõtendere. Almericus ſuos pluribus incommodis reique frumentariæ inopia non mediocriter vrgeri cernens de ſumma belli pręfectos ac tribunos militum conſuluit. omnium vna ſententia fuit quamprimum rem pręlio committere haud dubia victorię ſpe, ſi nec opinantem hoſtem aggrederentur, eodemq; tempore ex compoſito montani Gozadinæ factionis ſtudioſi in latera pugnantium incurrerent. ita VI. Kal. Iul. prima luce de repente impetus eſt factus in Bononienſes haud quaq̃ corporibus animisq; pares, ſimulq; agreſtes, qui pacate in plana deſcenderant, rumore de induſtria ſparſo ire ſe ad ferendam opem Bononienſibus, tanto ardore caſtra ſubierunt, vt hoſtes primo ſtatim congreſſu in fœdam fugam ſe dederint, ac nobiliſſimus quiſque Franciſcus quidem Carrarienſis & Bernardus Anglus in Facini, Iacobus in Gonzagæ poteſtatem venerint, pauci euaſerint.

præter

præter equites, qui in alam ab roſa cognominatam nomina dederant; qui prælio inito cum conferti abijſſent recta ad oppidum pertenderunt, vbi Bentiuolus ſubſtiterat ad populum in fide continendum. ille ad cladis nuntium fugæ latebræque, aut alterius conſilij ad ſalutem contemptor cum ea Patauinorum manu, quam circum ſe cuſtodiæ cauſa habebat, atque aliquot equitibus ex prælio elapſis in forum aduolat. ibi cum infimi plebis conueniſſent, Gozadinorumq; & Ocellanorum, atq; aliorum exulum complures clientes prætorium irrumpere tentarent, eos non audacter modo ſuſtinuit, ſed etiam ingenti clade repulit; eoque facto ceteros, qui idem auſuri erant, diſcuſſit. hæc tanta animi præſentia, tanto periculi contemptu acta, vt ſine dubio ſeditionem compreſſurus fuerit, niſi aliquot ciues altero poſt aduerſam pugnam die porta, cui ab Diuo Mamulo nomen eſt, hoſtium equitatum accepiſſent; qui ſtatim a prælio recta Bononiam contenderat ſubſequente reliquo exercitu, ne oblatæ occaſioni potiundæ vrbis deeſſet. cum totis paſſim vicis libertatis nomen perſonaret, Ioannes omni vndiq; præſidio deſtitutus omnibus modis conſulendum ſibi ſtatuit; ita Arcangeliano ponticulo receptum dante aliquot horas alicubi latuit. inde productus Almerici fidei ſe credidit pollicenti quantum in ſe eſſet, vim atque iniuriam ab illo prohibiturum. ceterum vel in tanta lætitia nondum plane mitigatus, vel irritatus memoria fraternæ cædis ab illis ciuibus perpetratæ, vel certe concitatæ plebis pertinacia atque impotentia odioque in perculſam nobilitatem victus Ioannem in vincula coniectum aſſeruari in turri prætorio coniuncta ſiuit. ad quem poſtera die ingreſſi quidam hominem crudeliter interemptum in minuta fruſta diſſecuerunt. quæ poſt collecta amici ipſius clam in Heremitarum templo condiderunt. Dimiſſo Alberto Pio, quem ad Plebem captum diximus, cum Gozadini Centenſe municipium poſt vulgatam Bentiuoli necem nouiſſimo eius ipſius menſis die per deditionem recepiſſent, Decuriones ac Vexillifer Bononiæ creantur ſine vlla mentione dimittendi Inſubris præſidij. quinimo longe maxima auctoritas in repub. gerenda conſulto tributa Nanni Gozadino vehementer pupugit Bentem Bentiuolum & Baptiſtam Balduinum, maxime vero Iacobum Ocellanum, quo inuidiæ ſtimulis exagitati deteſtarentur eiuſmodi reipub. ſtatum vti parum libertati aptum. multi præterea non dubitauerunt affirmare, ſi quidem id ſpectetur, vt omnia in vnius manu ſint, ſanius fore ſi id Mediolanenſi concedatur. poſtremo cum hac de cauſa, tum veteris memo-

ria principatus, quem aliàs in ea ciuitate obtinuiſſe Vicecomites dicebantur, ac nonnullorū ambitione atq; obtrectatione totius prope nobilitatis inter ſe, quæ externo longe opibus excellenti, quam ciui æquali mallet ſubijci. qui rem ad Inſubrem trahebant aſtu tenuerunt, vt eodem die abrogata magiſtratuum dignitate ille princeps renuntiaretur: ſtatimque ipſius nomine cuſtodiæ præfuit Pandulphus Malateſta. continuo Florentinis & commercio, & finibus interdicitur, vt ne itineris quidem cauſa in Bononienſi pedem ponerent. Verum quod in altiſſima fortuna plerunque accidit, Inſuber ab tanta virium acceſſione Florentiam, quo partem copiarum iam præmiſerat, ſpe ſibi deſtinans palamque iactans regni ſe Italiæ inſignia ſumpturum, Septembri menſe Mariniani fato ceſſit. Bonifacius cum ſe magna cum Sacroſanctæ ſedis dignitate amiſſa oppida ſub veterem imperij formulam redigere poſſe animaduerteret, ad Bononiam animum adiecit non magis adductus Florentinorum hortatu, quam Inſubris regni diuiſione, quę illius neruos admodum debilitabat. quippe Ioannes minime cogitans opes maxime firmas eſſe, ſi integræ ad ſtirpis maximum perueniant, x x x. oppida, quibus viuens imperauerat, inter filios partitus eſt Ioannem, Philipum, & Gabrielem omnes Mariæ cognomine appellatos, licet poſtremo natalibus reſtituto Cremam, & Piſas tantum legauiſſet. Priorum æquę prope partes fuere, excepto quod Ioannes Mediolanum eique contributa oppida, præter nonnulla pauca indidem abſtracta, vna cum paterno titulo obtinuit, quo nomine Bononia etiam acceſſit, quamquam nulla ipſius mentio in teſtamento extaret, nimirum ante regno adiectam condito. Magnum quoque ad eam rem ſuſcipiendam momentum attulit Almerici ſeceſſio ab Vicecomitibus, nec non gentis Malateſtiæ, quæ beneficij iure addicta Eccleſiæ eoſdem reliquerat, ita vt nobilium bello ducum eſſet illi copia. Nicolaum etiam adoleſcentem, ſed magna iam tum apud omnes exiſtimatione, & regno ab Septemtrione ac Meridie Bononienſibus coniuncto atque opibus pollentem ſimul cum Florentinis atque Malateſtis adiungendum ſibi eſſe ſtatuit ſumma imperij ad eum delata. quæ res æmulationem inter primores ſine dubio ſuſtulit, quod alter alteri concedere in animum non induxiſſet. Erat tum ille cum lectiſſima familiarium cohorte apud vxoris fratrem Iacobum Carrarienſem, vt nuptias ab eo contractas cum Pandulphi Camertis filia præſentia ſua cohoneſtaret. ibi cum ad pugnæ ſimulachrum equites bifariam diuiſi hinc impluuiatis ſagulis, inde cæruleis amicti

inter ſe concurriſſent, ipſe cæruleis præfectus omnium confeſſione palmam retulit. neque vero eiuſmodi officia aut militares exercitationes Areſtinum ab cingendo dum licebat mœnibus Finale municipio, aut a fructu decoreq; quod gymnaſia in vrbibus inſtituta ciuibus afferre ſolent, auerterunt. quapropter ad ciues, qui domi ius ciuile profitebantur, adiecit inuitatos honorario peramplo externos magni nominis Iureconſultos Petrum Ancharanum & Ioannem Forocornelienſem ciuilis ſcientiæ Anteceſſores, Pontificiæ Antoniũ Butrium. in primis autem huiuſmodi doctores cõquiſiuit, qđ in Academijs maxime frequentes ſint iuris ciuilis ſtudioſi. eodem tempore magno cum ipſius vrbis ciuiumq; cõmodo atq; ornamento in faſtigio turris iunctæ ædibus, quas ipſe inhabitabat, immanẽ ſtuxit machinã, quæ horologiũ longe pulcherrimũ efficiebat. ſed n. priusq̃ eũ Pontifex de ſocietate ductandoq; exercitu appellaret, Almericus, Petrus Polentanus, Ludouicus Zagonarius, & Manfredus Bar-
1403 bianenſis fratris filius anno eius ſeculi tertio VII. Id. Mart. Ferrariã ꝓfecti monendo puicerunt ne Pontificiã amicitiã operãq; in ducendo exercitu efflagitanti deeſſet. Nicolaus haud ambigens mediũ ſe ac neutrius partis amplius eſſe non poſſe, eãq; ſocietatem vtilem in primis atq; honeſtam ſibi fore, benigne Almericum audijt, & Crepacorianos, qui ſe poſt captam Bononiã in libertatẽ aſſeruerãt, vltro obſequiũ pollicẽtes miſſo ad eos cũ idoneo equitũ numero Nicolao Baiſio in deditionẽ accepit. Bonifacius appetente meſſe, quod tempus ijs q̃ bellũ inferunt opportunũ, arcentibus aduerſum eſſe ſolet, Balthaſarẽ Coſsã legatũ Ferrariã ire iuſſit, iſq; nactus Areſtinũ iã ante ſpõte ſua ꝓpensũ, cũ & Creſpellanũ ſe traditurũ polliceretur, & loricatos equites CCC. Sanctæ ſedis ſtipendio militaturos, ipſi annua aureorũ nummũm millia XII. ſimulq; Pontificias omnes opes ad recipienda tuendaque oppida Parmã atq; Regiũ offerret, magna pompa ac celebritate inſignia imperij ei detulit poſtr. Kal. Iun. quod fuit peruigilium Penteco ſtes. legatũ vero edidit Vgutionem Cõtrarium, quẽ Nicolaus ipſe ſuperiore anno arcani cõſilij præſidẽ, ac totius regni Vicariũ ſibi cooptauerat cũ ampliſſima vbiq, poteſtate; donaueratq; Vineola, Mõteſeſtino, & alijs viginti caſtellis: prędijs inſup, & pecunia numerata auxerat ęſtimationis nõ minus aureorum nummũm centum millibus. itaque vni totius regni procuratio incumbebat adhuc quidem immatura plane ætate, ſed conſilio prudentiaque præſtanti. Erant in exercitu Almericus & Manfredus Barbianenſis, Ludouicus Zagonarius, Petrus Polentanus, & Albertus Pius, nec non Carolus & Malateſta Malateſtij, & Paulus Vrſinus omnes

Eccleſiæ ſtipendia facientes: Contrarij tamen longe maxima dignitas extitit inter ceteros copiarum duces, quarum ſumma equitum loricatorum tria millia & quingentos expleuit, cohortes vero fuere cõplures nullo certo ab auctoribus expreſſo numero, cum eas Nicolaus Bononiam promouit. ipſe poſt bellum ciuibus ac prætori Leonardo Malaſpinæ indictum Auiculæ turrim egregie munitam, id loco nomen eſt, negligenter cuſtoditam per Ioannem Grandium minis euocatis ad colloquium militibus tum aſtu tum vi occupauit. erat autem ea commodiſſimus in Bononienſem agrum aditus, & locus valde opportunus commeatibus expediendis: alia ingredientibus neceſſe fuit non ſine vexatione circumducere exercitum ad Bõdenum. ſine iniuria ac maleficio inceſſit agmen ad conciliandos incolarum animos, vt ad Sanctæ ſedis obſequium redirent. erat tũ Podium oppidulum non contemnendum, vt pote cinctum paludibus Ferrarienſis ditionis, quas anno ſalutis MCCXCI. XVI. Kal. Nouemb. Opizo VI. iure beneficij Roberto Gozo Lambertino tribuerat. Podio, cum e paludibus tandem emerſiſſent, haud exiguo labore capto præſidium impoſitum; inde caſtellum ad Galleriam expugnatum, miſſiq; qui Arzelatæ ſitum ac munitiones contemplarentur. Illa deinde inter præfectos conſultatio renuit, præſtaret ne ad Bononiam hærere; ac Parmenſem & Regienſem agrum, quod vtrũque oppidum Inſubris erat ditionis, euaſtare immaturis adhuc frugibus. vna omnium ſententia extitit oppidum ſociorum finibus vndique cinctum in præſentia omittere, & quando maiora affectarẽt, aliò vires conuertere. ita Ioannis ad Nauiculam Fanum, ea loci appellatio eſt, petitum. Ateſtinus cum Legato per colles exercitum duxit, agrumq; Saxolanum, quod municipium hoſtes ipſius tenebant, ex itinere depopulatus eſt. dum ex Regienſi prædas abigit, rurſus ponte tranſgreſſus flumen Lentiam Parmenſes hoſtiliter euaſtauit. inde eandem viam remenſus Scultenam iterum tranſit, caſtraq; ad Arzelatam locat, quam cum dies quattuor fruſtra obſediſſet ſingulari defenſorum virtute repulſus, tametſi ex foſſis aquã deriuaſſet, & milites aggeres ſubirent, ipſe tamen Legati & primorum tribunorum accedente ſententia irrito incepto abſtitit. itaq; vt Ludouici Alidoſij Forocornelienſium principis animum pertentarent Corticellam verſus profecti caſtra poſuerunt ad Pontem maiorem, qui locus Bononiam, & Cornelij forum interiacet ſitum ad amnem Lidicem. exercitus CCCC. equitum ala præfecto Paulo Vrſino, aliiſq; ſuper alias deinceps turmis auctus millia equitum octo exceſſit. ex eo ſupplemẽto nuntijsq; e citeriore Gallia allatis ſuborta ſpes

eſt aliquem Bononiæ tumultum excitum iri. quippe Antonius Vicecomes graui incenſus odio in Franciſcum Barbauarum, cui Principis mater totius regni procurationem mandauerat, coactis apud ſe nonnullis ex Alipranda & Pora gente, atq; alijs clientibus & munere illo & vita aduerſarium expellere ſtatuerat. Tum Caſatis cæde, qui fœminę verbis hominem ab huiuſmodi conſilio reuocabat, ſeditio vſque eo exarſerat, vt ne ipſa quidem & filius oppidum perequitantes, ac plebem vti quieſceret obteſtantes quidquam proficerent. imo cum tumultus omnis reſediſſe videretur, de repente conglobata millia quindecim ad arcem contenderunt; cumq; Barbauaros ad ſupplicium depoſcerent, Franciſcum & Manfredum fratres ſummo cum mulieris pauore fuga ſibi conſulere coegerunt. proinde Barbauaris infenſi iam elatiore animo quaſi lymphati tota vrbe diſcurrerunt, promiſcuamq; aduerſariorum cædem ediderunt nullo ne Abbatis quidem Diui Ambroſij reſpectu; quem ſub oculis ipſius Principis mactarunt, & ſacrum omne inſtrumentum miſerabilem in modū diripuerunt. ijdem nuntij afferebant oppida illa ſenſim fluctuare Guelfis aduerſus Gibellinos coortis. Per hos dies quamquam Facinus Canis cum expedito equitatu Bononiam ſe contuliſſet, haud tamen Ateſtinus conceptam ſpem remiſit: ſed præmiſſa ad oppidum parte copiarum cum Facinus magno impetu in paucos quoſdam portis obequitantes erupiſſet, ab ijs in inſidias pertractus eſt, & ingenti clade à Paulo Vrſino ad portā compulſus ęgre in oppidum euaſit. mox exules nonnulli Legato renuntiarunt ciues ad deditionem inclinare, qui plurimum vigilias agitare iuſſi eas incurioſe obirent, nec cum pręſidio vſquequaq; conſentirent. Ob eā cauſam Vgutio Contrarius iuſſu imperatoris, cum ex toto exercitu promptiſſimos legiſſet, ad eam muri partem ſucceſſit, quæ portis Caſtellioneæ & Diui Stephani interiacet, ac ſilentio noctis murum aliquot locis perfodit ſcalaſq; appoſuit, ita vt alij poſt alios circiter ducenti, mox alij continuato agmine paulatim intro ſe demitterent. verum qui primo irruperant vana ſpe elati, atq; idoneam manum ad tantam rem audendam præuertentes cum vexillum explicaſſent, ac tubis incinuiſſent, ad forum pertenderunt. accidit autē, vt fortuna ceptis aduerſabatur, vt illo ipſo temporis momento equites numero ad MCCCC. in vnum conuenirent, quod ita proxima nocte edictum eſſet vti ante lucem ad hoſtem pergerent. Facinus ſtrenuè in eos, qui iam irruperant, inuectus illis cæſis reliquos eo maturare iubet, vnde primi in vrbem tranſcenderant, ceteros ſubſequentes timore auertit. id vbi Contrarius comperit, milites in eam expeditionem

tionem delectos tā celeriter contraxit, equitesq; accerſiuit, qui haud procul inde imperium expectabant, vt nullam ignominiam acciperet, tametſi Facinus eduxiſſet omnes copias, quas tum fore in armis nemo vnquam putaſſet. pugnantem atq; reſiſtentem hoſtilis tandē impetus ad torrentis alueum compulit, qui locus ꝓ paucis aduerſus multos dimicantibus erat: interim perbona exercitus pars laborantibus ſubſidio venit. lucebat iam, & certamen vtrinq; creſcebat; ſi quidē Nicolaus factus certior quo in periculo Vgutio & militū fortiſſimi verſarētur, atq; illā ꝓbandę virtutis ſuæ dignam occaſionē ratus ſtatim accurrit, pugnandoq; tantum inter hoſtes ꝓceſſit, vt Legatus ea re cōmotus maxime inſignes quoſq; tribunos ac Centuriones aliū ſup aliū ſubmitteret ne Vrſino qdē, qui ꝑtoriæ cohorti præerat, apud ſe retēto. Inſubres, q̄ principio pugnę alioqui audacter inuecti paucos pellere nequiuerāt, mox tot partibus numero inferiores vim atq; impetum hoſtis non ſuſtinuerunt, coniectique in fugam ea qua venerant porta in vrbem irruperunt cæſis compluribus captisq; e quibus Philippinus Canis, Lacelottus Beccaria, & Bologninus Buccatorta nobiles Centuriones in Vrſini poteſtatem venerunt. Secundum hoc prælium, in quo militum virtus vtrinque egregie conſtitit, ſocialis exercitus præfecti, qui ad Pontem maiorem omnes vires cōtraxerant, quod initio placuerat exequendum ſibi eſſe ſtatuerunt: nimirū vt Forocornelienſes ſi non armis, ſaltem regulum Alidoſiū metu ad obſequium adducerent: quem probabile erat ne peſſum ipſe rueret, ab Vicecomite ad Pontificem tranſiturum. quæ quidem oppidi incolumitas parem atque expugnatio vſum prębebat. igitur profecti inde ac perpopulati quam late patent ſubiectos campos continentia vrbi ædificia incendere: quibus adhuc flagrantibus Alidoſius per nuntios paciſcitur, ſi a Pontifice in gratiam recipiatur, atque apud ciues ſuos Vicarij munere fungatur, tum ſe ſtatim in Eccleſiæ partibus futurum. accepta cupide conditio eſt, quod eo conſilio expeditionem illam ſuſceperant. exinde Medicina oppidulum vltro deditionem fecit. ab Ioanne vero Grandio, cui cum peculiari militum manu Ateſtinus id negocij dederat, munitione quadam expugnata exercitus ad Manzolinum ductus e veſtigio potitur loco. Ad diem VI. Kal. Aug. proſpero vbique ſucceſſu eſt illo ventum, atque interim maxime incōmoda hoſti de ſeditionibus apud Inſubres excitatis nuntiabantur. Quapropter Pontifex litteras ad Legatum dedit, ſi videretur Ateſtino ac ceteris veteribus præfectis expedire alia Inſubris fines pertentare, id per ſe eis licere. quippe qui duci, tribunis, ac Legato eodem perrecturo totam gerendi belli rationem

rationem permitteret. Coſſa ratus illud tempus teſtificandi Pontificis animi re cum Nicolao communicata præfectos in conſilium ad hiberi ſolitos aduocauit, quantum quidem colligimus ex annalibus eorum temporum, in quibus Ateſtinorum facta notabantur; atque in hanc ſententiam locutus eſt. Et nuper auctore Pontifice ex Bononienſibus in fines Regienſium profecti agros vaſtauimus,& Lentiam ponte tranſgreſſi Parmenſes incurſauimus. idem nunc quoque non paulo ardentius cupit, quando & plures cauſę id ſuadent, & maior in dies rei bene gerendę ſpes affulget. neque enim ignorat Guelfos aduerſus Gibellinos conſurrexiſſe; qui motus non prius videtur poſſe conquieſcere, quam populorum defectiones moliatur, aut Inſubrium regnum diſcerpat. itaque qui nos longe maius alibi, quam in Bononia oppugnanda operæ pretium facturos cenſeat, ſignificauit mihi vos hortarer pro Sanctæ ſedis commodo, quod ad Deum quoq; Opt. Max. refertur, & pro veſtra animorum propenſione & vſu in re militari, quarum rerum ego & Princeps Ateſtinus apud Pontificem ſæpe luculenti teſtes fuimus,libere eloquamini, ſit ne ſatius in obſidione perſeuerare, an in Galliam togatam exercitu traducto aliam fortunam experiri. qua quidem in re polliceor vobis ſicuti hic vel alibi Eccleſiæ profitis, longe maximam ab ea, paremque aſperis ipſius rebus gratiam inituros; ita longe plus gloriæ ad vos redundaturum, maioriq; veſtro beneficio Pontificē ipſum ac ſucceſſores obſtrictum iri. qua ex re fines atq;oppida, quibus nunc Vicarij titulo præeſtis, magnis incrementis ac præſidijs aucta eximia quadā dignitate florebunt:ego vero qui intimos Pontificis ſenſus, & quibus nunc anguſtijs prematur Ecccleſia,pro munere atq; vſu meo non ignorem, vere poſſum affirmare hæc illi maxime iucunda fore: ac iam nunc animo proſpicere tum meritorum in Sanctam ſedem, tum gloriæ, quam hinc capietis, magnitudinem. Coſſæ orationem Bonifacij nomine habitam confirmauit Ateſtinus, idemq; in mandatis ſe habere teſtatus eſt.tum cœpit diſſerere, multo peiore loco res eſſe Gallicas, quam ipſe Pontifex opinaretur: ſe aſſiduis Florentinorum precibus fatigari, vt exercitum in Galliam traijciat ac rem gerat, ſicuti Pontifex & ipſe videatur poſtulare. ad hoſce ſtimulos accedere veſtigia minime obſcura Mediolanenſium calamitatum, quod pupilli mater filium Bernabouis arceſſiuerit, qui poſt patrem in cuſtodiam datum ad eam diem Ferrariæ fuiſſet; rem in arcto eſſe, cum quos maximis iniurijs habeas inimicos, vltro appetuntur vel ſuis vel clientium opibus prævalidi: monere ſe vti magna adhibeatur cautio in rebus arduis, quæ ex incerta ſpe

potius

potius pendeant fore, vt alij promiſſis ne ſtent, quam ex proprijs viribus. Ateſtini, vt paululū cōticuit, nutu ſubiecit Vgutio exemplū Bononienſis expeditionis, cū fiducia inteſtini tumultus inſidiæ in irritum ceſſere. etſi n. primi, qđ totam rem diſcuſſit, longius progreſſi Facinum armatū repererūt, ea tamen pręcipua origo cladis extitit, quod nemo nō modo re, ſed ne exiguo quidem clamore a Pontefice ſtetit. præterea Roſcijs inquit vt pote nimio Inſubris odio incitaris; quorum opera omnia illinc nuntiantur, & qui ad Parmam oppugnandam adduci exercitum flagitant; non tantum eſt tribuendum, quin ſimul ad eorum affectus animus aduertatur. forte enim vt inimico incōmodetur, rem in maius extulerint, & de ſociorum opibus plus æquo ſibi polliciti fuerint, quam quod ſit ex vſu belli gerendi in regione tot ſimul partibus auxilijs opportuna. hęc ſe non q̄dē certo ac liquido affirmare, vt qui propter ætatē minus ſit experiens, in peritiorū tamen ſententiam ſe conceſſurum, nihilq; quod imperetur, non impigre exequuturum. Almericus, qui magiſter equitum Neapolitani regis adhuc appellaretur, & compluribus bellis honeſtiſſime ordines ducendo conſenuiſſet, in primis vero gnarus quæ regni munimenta Inſubri forent, ab Ateſtino ſententiā rogatus, quæ ad decernendum plurimum momenti habitura eſſet, ſic occœpit. Cum in deliberando maxime vtilia ſpectentur, & quiuis facile intelligat præſtare exercitum, qui fruſtra hic ſedet, in citeriorem Galliam traducere; ego ſi quidem ita res ſe habet, cenſeo Pontifici ac Florentinis obſequendum eſſe, quibus idem omnino quod nobis eſt propoſitum. Atque vt primum conſtet qua ſpe freti ex hoſtico aliquid affectemus idq; hac in re ſpectetur, quod ſpectari oportere & prudenter monuit Ateſtinus, & pluribus deinde verbis diſſeruit Legatus; cogitandum eſt ſuborientem ignem non vno tantum in loco, ſed longo terrarum tractu paulo poſt arſurum. quippe illa municipia magnis motibus agitantur, eoq; prorupit furor, vt factiones mutuis inter ſe cædibus Brixiæ graſſentur, cum & cadauerum fruſta propalam quaſi pecudum in macello ex ipſis pendeant tigillis, & altera alteram quotidie contendat copia anteire. illud quoq; non mediocres turbas inuehat, quod Franchinus Ruſco coniunctus cum Othone Ruſca per ſpeciem tegendi Gibellinos Inſubris ſtudioſos, parandique ampliſſimi imperij, quod mox reſtituat adoleſcenti ex matris amicorumq; in gubernando regno imperitia laboranti, Parma egreſſus cum equitibus C. in Comenſium fines incurſauit, oppidumque pulſis Lauizarijs occupauit. quod quidem alijs ęque potentibus, nec optima in principem voluntate ad idem

audendum

audendum incitamento erit. ac; quemadmodum Cremonenſes, qui primi defecerunt, finitimos eodem traxere: ita poſtremi haud dubie reliquam prouinciæ partem exemplo ſuo concitabunt eo pro cliuius, quod Gibellini odio pariter ac metu ſtimulante, factionibusque qua occultis, qua apertis vt pote laceſſiti ad iniuriam vindicandam vndique conſurgent. Guelfis, vt periculum a ſe depellant, id ſuggeret timor, quod vltionis cupido inimicis. adde quod iſtorum animi nunc cum maxime in tanta rerum perturbatione inter ſe congruunt, nec fieri poteſt quin idem omnium vbique velut ex compoſito conſenſus extiterit, quando vno eodemque tempore tot locis tam grauiter concrepuerunt: idque proxime ab Crema & Bellinzona nuntijs eſt cognitũ. Nec effectus modo per ſe grauis eſt, ſed quod primum ac præcipuum cenſeatur, ab ipſo fonte manant, vireſque capiunt hæc omnia incommoda. cum enim prouinciæ regniue ceteras partes vel regis vel publicum conſilium, idque ab eorum domo petitum moderetur, quod neceſſaria præſidia inde ſubmittantur; conſtet autem quibus ſeditionibus laborent Mediolanenſes, quoniam fœmina plebis impotentiam aduerſus aliquot patritios non coercuit, nec nunc habet vnde comprimat: licet ſine dubio ex his calamitatibus augurari haud multum abeſſe perniciem ab imperio Inſubrium. Vgo enim Caualcabouius, qui a Ioanne Galeatio in carcerem coniectus grandi pecunia libertatem poſt redemit, vnus omnium in conſilio plurimum poteſt, ac memoria iniuriæ Guelfos conciuit, alitque huiuſmodi certamina. & Senatores ex plebis nutu lecti haud quaquam placent: quinimo vt eſt ſuſpicax & calumniatrix, damnat quos antea probauit cupida rerum nouarum. mulier animo ſimul & corpore imbecilla eſt; liberi propter ætatem tantę moli impares. Nec Vermius reuocatus ex itinere, quod Bononiæ præſidio firmandæ cauſa ceperat, neque adeo Othobonus Parmæ, Gonzaga Cremonę præpoſiti valde ijs oppidis profuerint: quod fruſtra extremis partibus fomenta extrinſecus adhibeas longinquis atque interioribus affectis. Sed multis ſane locis diſpoſita ſint hoſtium præſidia, quæ metus noſtri fortaſſe in unum contrahat; at ſuo quæque munere diſtinentur: & ſi in apertum ſe cõmittant, ſine dubio mœnibus excludentur. proinde audacter atq; explorato prope felici exitu, quæ prima occurrunt, aggrediamur armis freti inprimis Mutinenſibus quos pacatos poſt tergũ relinquimus. finge etiam nullum a nobis locum expugnari, non magnum etiam periculum ſubibimus nullo obuio iuſto exercitu, nec tamen Bononiam non oppugnabimus,

nam quoad erimus in Gallia, ſaltem prohibebimus ne inde valida auxilia ſubmittantur, ac ipſi per ſe ciues concident. redeuntibus nobis vel neceſſitate coacti in poteſtatem venient, vel certe anteuertentes ęquioribus conditionibus Pontifici deditionem vltro facient: ita nullo iacturæ periculo compendium captamus. poſtremo habenda eſt ratio propinquæ regionis, quæ tota ferme eſt Ateſtini, ne præſidio nudata a Bononienſibus male habeatur. verum cum & fruges conditæ, & Finale municipium, cui nonnihil timendum fuiſſet, eam molem poſſit ſuſtinere, nullam offenſionem metuere debemus, præſertim Facino ſuperiore prętio debilitato. proinde ſi mihi auſcultet imperator, in quo tamen potiorem ſententiam antetulerim, copias Parmam verſus quod dictat ratio, promoueat, ac fortunam experiatur. hoc meo quidem iudicio perlibenter audiet Pontifex, quod terrore hinc delato ad Peruſinos & Aſiſiates fortaſſe vtrunque oppidum ademptum Sanctæ ſedi recipiat. Hetruſci etiam, qui merito hoc a nobis exigunt, Vicecomitis potentiam atq; opes haud ita dudum experti idem probabunt. Tibi vero Nicolae nihil accidere debet optatius, quem tum ad Regium decet aſpirare, tū cogitare haſce inimicitias tibi ſemel ſumptas non ſtatim eſſe deponendas. Hęc magiſter equitum eo fortaſſe maiore in cauſa affectu, quod & rem Bononienſem cæſo Ioanne Bentiuolo quodam modo negligeret, & ipſe nullo prope apud mulierem poſt viri obitum loco fuiſſet; quæ quidem ignominia elato animo minus erat tolerabilis quamlibet inſigni iniuria. quid ſi priuato adductus commodo Pontificem pluribus bellis implicatum voluit, ne ſi Bononienſibus deuictis arma deponeret, nullus ipſius vſus foret? ceterum orationi alioqui valde probabili nequaquam tantum eſt ab reliquis tributum, vt ſuſcipiendam eſſe illam expeditionem prorſus ſtatuerent. Dum eo inclinant animi, nec tamen conſilium expeditur, ecce ab Laude, Cremona & Crema oratores, qui populi quod Vicecomites a Pontifice damnati hoſteſque iudicati eſſent, quo nomine pro ſe quiſque in eorum oppida inuaſerant, eodem ſibi ſine verecundia licere aſſeuerabant ab ijs deficere. hi publico nomine Cardinali atque Ateſtino omnia ciuium ſuorum ſtudia detulerunt, orantes vt in fidem reciperentur, quæ nullo deinceps tempore ſub Inſubrium imperium rediturі, atque eiuſdem fœderis participes conſtantiſſime tueri decreuiſſent. ſtatim ex conſilij ſententia ciuitatum poſtulata ſunt admiſſa, & pronuntiatum iter in Galliam citeriorem. Exercitus Scultennam in agrum Mutinenſem traiectus principio Sextilis ad Fanum Pauli, & Guardaſo-

num

num venit. occurrit deinde in vlteriore Parmæ amnis ripa ad pagum nomine Panocchiam Petrus Roſcius. is legatorum maxime impulſu inſtitit ſuadere, quando magnis equitum ac peditum copijs illud oppidum ab Othobono Tertio teneretur, pergerent ad Forúnouum, locum deinde Caroli VIII. prælio nobilitatum; ibique materiam traijciendo Pado cæſam demitterent ſecundo Taro, qui per id tempus creuiſſet. polliceri Laudenſes vbi exercitus flumen tranſiſſet, ſe ſe eum in fines Mediolanenſium inducturos, non parua rei bene gerendæ ſpe, quod Guelfi intus tumultuantes, longeque aduerſarijs opibus ſuperiores ob eam cauſam a Principe deſciſſent. petita ex propinquis ſiluis materia ratibus tranſportari cœptus eſt miles. iam vlteriorem ripam cataphracti quingenti attigerant, cum Ticino tres myoparones inſtructiſſimi affuerunt tanto impetu, vt equos in ipſo tranſitu deprehenſos ſubmergerent, vnaque nauigia omnia ripis appulſa profligarent. Ea plaga caſtigati Pontificij, & parte equitum ab reliquo exercitu abſciſſa alia conſilia circumſpicientes ad Mezanum caſtra locant, eademque nocte ab Othobono armis laceſſuntur. interim cum Roſcij magna agreſtium manu e collibus deſcendiſſent, Othobonus ac Sanuitaliani, qui alioqui cum Roſcijs ſentientes in eo tumultu oppidum tueri ſtatuerant, Guelforum circiter duo millia mœnibus expulerunt: e quibus tenuiores paſſim dilapſi, nobiliores exulibus ſe coniunxerunt. Aceſtinus Parmenſium agros pluribus locis hoſtiliter depopulatus, atque excurſionibus ad ipſas vſque ciuitatis portas prouectus ad Coentium conſedit. Dum ibi ſtatiua habet equites rurſus Padum tranſgreſſi Inſubrium fines vrunt, ac ſe tegunt finitimorum præſidio, quos rebellaſſe ſupra commemorauimus. pupilli mater metu maioris mali anxia ad pacem animum adiecit, quam filio honeſtiorem ſe petente atque ęquioribus conditionibus conuenturam eſſe exiſtimauit opera communis amici fide atque auctoritate pollentis, qui pro beneuolentia in Inſubrem, & fœdere obligatos, ſtudioque quietis eius regionis onus ſuſciperet. Franciſcus Gonzaga ad id lectus, cum ſuo etiam nomine bellum tam propinquum odiſſet, alioqui tractandę rei peridoneus propter affinitatem Caroli Malateſtæ fœderi adſcripti, cui Legatus plurimam habebat fidem, negotium cupide ſucepit. breui pax componitur grata Pontifici, Florentinis nequaquam, qui cũ eum pecunia iuuiſſent, nec pecuniam nec bello amiſſa receperãt: prorſus vt ex eiuſmodi cõcordia nullum fructum caperent, vna Ec-

clesia Bononiam, Peruſiam, Aſiſium ſub vetus imperium ſubiungeret. Dum agitur de finiendis pace controuerſijs in finibus Mutinenſium, quo ſe exercitus contulerat, arx Bononienſis Atestini, Gōzagæ ac Malateſtæ fidei creditur, quoad Legatus eo venit: ſtatimq; ſub diſceſſum Facini Inſubris præfecti populus deditionem fecit. Cētū ac Plebs oppidula Gozadinis ceſſere: caſtrum Bononienſe & Toſſinianum Almerico, Ioannis Fanum Pandulfo Malateſtæ, Caſtrum Francum Vgutioni Contrario, Crepacorium Nicolao pollicente inſuper Legato Nonantulam, & Bazanum oppidula ſuperioribus annis a Roberto tum Conſilij præſide, cuius auctoritate res Ferrarienſis gubernabatur, Bononienſibus pignori oppoſitá: hæc promiſſa ex priſtinæ conuentionis formula; ſiquidem inter cetera Pontifex nominatim receperat ſe, ſi Bononia potiretur, e veſtigio redditurum Nicolao vtrūque locum. Vix eo ſe bello explicuerat Ateſtinus, cum Carrarienſis Brixiæ inhians eum auxilium rogat. haud abnuit gener, Vgutionemq; Contrarium cum egregia equitum ala, quos pፆpetuo ſtipendio alebat, ad eū miſit. his acceſſere cōplures nobiles ciues, qui eiuſmodi occaſiones teſtandæ virtutis ſedulo captabant. Erant in Patauini exercitu ſuper ipſius liberos Iacobum & Vbertinum, Philippumq; Piſanū, Gulielmus Scaliger Canis II. cognomento Magni filius & Balardinus, qui Principum Veronenſium cognationi ſe ſe inſerens ad Lemniacum aſpirabat. equites circiter duo millia vnaque auxiliares Ateſtini ad Caſtrum baldum, inde medio Sextili Caſtagnarium verſus progreſſi ab Guelfis Brixiæ recipiuntur. arcem tuente præſidio Carrarienſis ab quattuor partibus oppugnauit pluteis ac teſtudinibus quibuſdā tectus, ita vt ſcalas muris admoueret. Patauini pertinaciter quidē oppugnationē vrgebant, ſed cū cęde multisq; vulneribus reiecti ab defenſoribus, qui arcubus atq; æneis tormentis rē gerebāt, tandē a munitionibus diſceſſerūt ea conditione, vt ni intra octauum diem præſto eſſet ſubſidium, ſtatim ſe ſe dederent. interim Iacobi Vermius & Cruceius, nec non Othobonus qua parte arx ad colles vergit, fruſtra prohibente Carrarienſe commeatum ac milites intulerunt. quæ illum res plane irrita ſpe cōmiſſoq; Vgutioni exercitu Patauium clam compulit. Per eos autem dies, quibus Carrarienſis ad Brixiam abfuerat, Franciſcus filius duce Thoma Mantuano Lemniacum pro cetera Inſubrium ſocordia incurioſe cuſtoditum interceperat ſaluis turribus, quæ ne vim quidem ſuſtinuiſſent, niſi Gonzaga Vicecomiti fœdere alligatus eo CC. equites accedere iuſſiſſet; ita non turres modo retentę, ſed etiam oppidum recuperatum eſt, Patauini prope omnes cæſi. ſimilem cladem

ab his,qui Brixianam arcem circumſedebant, auertit Vgutio, cum antequam maiores hoſtium copiæ conuenirent, æquis conditionibus tranſegiſſet, milites ſub ſignis ac pacare ſaluos atq; incolumes deduxiſſet. quo vixdum in patriam reuerſo quinquaginta ex Gallica nobilitate Ferrariam venerunt,cum ab Venetis cuſtodia emiſſi ea domū pergerent,rebusq; ad iter neceſſarijs ſubleuari ab Ateſtino cuperent: id qđ culti largiter deinde impetrauerunt. Gallicæ calamitatis cauſa extitit, qđ Buccicaldus ab illo rege Genuæ præfectus cū aduerſus regem Cypriū aliquot triremiū claſſe nauigaſſet,poſt ſubſequutā pacem dum Berytum verſus, quod eſt oppidum Syriæ maritimum deflectit, quæcunq; tota illa ora nactus eſt nauigia mercibus onuſta diripuit: acciditq; ſiue quodā quaſi naturali inter Venetum & Ligurem odio, ſiue quod dux ipſe ob ſæpe latam Cyprio opem reipublicæ eſſet iratior; ſiue denique quod plures Venetorum, quam aliorū hominum naues ijs in locis eſſent, vt illa ciuitas vna ex omnibus maximo detrimento afficeretur. quapropter Carolus Zenus, qui tum Venetam claſſem in ſinu Adriatico cum imperio obtinebat, Francum ad Methonem adeptus acerrima, omniq; arte ad victoriā ſemper depugnata pugna tandem in fugam vertit.euaſere vna triremes octo, reliquæ,in quibus cōplures honeſto loco nati dimicabāt, roſtris ictæ in uictoris poteſtatē venerūt. captiuos Zenus ad vrbem adduxit, qui cum aliquot dies in cuſtodia fuiſſent, benigne ab patribus dimiſſi ſunt, acceptiq; ab Ateſtino vt diximus perliberaliter.

1403 Is eius ipſius anni exitu, qui fuit a Chriſto nato tertius ſuper MCCCC. vetuit a ſuis vllius commeatus copiam fieri Bononienſibus, quod Legatus aliter atq; initio pepigerat,Nonantulā & Bazanū retineret.uidebatur ille inflatior ac ſecurus datæ fidei, quod haud ita pridem Bonifacium Gozadinum cum aliquot cohortibus in Centenſium Plebisq; finibus coactis Bononiam de repente ingreſſum ad concitandam populi ſeditionem perculiſſet. quippe vana ſpe ducto Legatus inſtructo agmine, nec enim res aliter poſcebat, occurrit metuq; expreſſit,vti affirmaret non eo ſe conſilio armatum adeſſe, quo cuiquā noceret. quam excuſationem fingens ſe ſe accipere blande appellatū ab vi inferenda auertit,contemplatusque ſe longe viribus ſuperiorem, vinciri hominem iubet, & paucis poſt diebus ſecuri feriri.idē ſupplicium eſt interminatus Gabrioni fratris filio tum quoque in carcerem condito,niſi pater Nannes intra certam diem Centum & Plebem Eccleſiæ reſtituiſſet: quapropter qui paulo ante iactaret ſe Nonantulam & Bazanum redditurum, eo ſucceſſu elatus totam rem deinde contempſit. Veneti autem ac Florentini nequem eiuſmodi

ſimultas tumultum conciret, miſſis legatis diſcordiarum ſemina tollere ſategerunt. ita poſtero anno Pontifex & Ateſtinus hanc ip- 1404.
ſam ceteraſq; rum veteres tum nouas controuerſias inter Ferrarienſes &Bononienſes vtriuſq; populi arbitrio dijudicandas permiſerũt. paulo poſt Gabrione per litteras ac nuntios fruſtra patrem obreſtãte, vti duorũ oppidulorum iactura ſaluti ſuæ proſpectum vellet, Legatus homo plane ferreus non ætatis, formæ, innocentiæ, non deniq; egregiæ indolis miſericordia tactus cum dies præſtituta exiuiſſet, adoleſcentem capitali ſupplicio affecit. quod patri quo minus prouiſum, eo acerbius contigit, tum quod nunquam putaſſet fore, vti Legatus non propterea voti compos in iuuenẽ eo genere natum tã crudeliter ſæuiret; tum quod ipſe pariter aliquot iam dies in poteſtate haberet Petrum Plateſium inter Bononienſes cumprimis nobilẽ, ac locupletem hominem nup ad Malũalbergum captum, atque adſe tranſmiſſum a Maſſumaticenſibus, quos alioqui conniuente Gozadino quaſi rem ſuam agens Albericus Vido Caſtellioneus occupauerat, vt quam inde vexationem Bononienſes pertuliſſent, Alberico non ipſi acceptam ferrent. propterea qui exiſtimaret pari metu necis Plateſij perniciem a filio ſe ſe poſſe auertere, ea loca Legato non tradiderat. quod nihilo ſecius paulo poſt neceſſitate adactus fecit. occiderat quidem Conradus Matelicenſis tormenti ictu, dum Maſſumaticum cum idonea militum manu Legati iuſſu verberat, quod iuſtam earum machinarum magnitudinẽ longe excedens nulli prope vſui fuit, diruptumq; præfectum ipſum interfecit: nec eo tamen minus locus eſt expugnatus Alberico fuga ſibi conſulente: quæ res Centenſes ipſos metu ad deditionem compulit. Gozadinus in arcẽ elapſus cum iam in eo eſſet exercitus, vt ad illam obſidendã ab Maſſumatico accederet, ipſam & oppidum, vnaq; Plebenſes Legato reſtituit, ac Ferrariam conceſſit. Carrarienſis, quoniam Malateſta & Canis ingenti cum aduerſariorum cæde, incendioque & ruina ædificiorum, quod non ſine exitij reliquarum magno periculo maiorem oppidi partem deformauit, Brixiam maximis præſidijs firmaſſent, haudquaquam auſus rem de integro tentare ad Veronam & Vicetiam occupandam animũ adiecit eo maiore ſucceſſus fiducia, quod apud ſe haberet Gulielmum Scaligerum ac filium Brunorum: qui cum inter familiæ calamitates ſeparatim in Galliam & Germaniam profugiſſent, tum exciti a Pandulfo Malateſta propter odium Inſubris matris in Italiã reuerterant. exiſtimauit ille ad primum eius nominis clamorem ſubituram ciuibus ſuperiorum temporum memoriam, quæ collata cum præſentibus plane felicia videri poterant: ac

ſe facilius

ſe facilius cogitata efficere poſſe. Nec temere Carrarienſis eam rem exigui operis ſibi ſpondebat, tot tantisque ſeditionibus Inſubris regnum diſtrahebatur, quod nullius conſilij mulier clauum regebat. ex quo ad reliqua incōmoda acceſſerat, vt Hetruſci fœdere cum Liguribus coniuncti, qui & ipſi cum Venetis in gratiā redierant, Piſanos ſubigerent. adde qđ cum intelligeret Pontificē, Florentinos, nec nō Ateſtinum Vicecomitum horrere opes, eos ſaltē occulte ſibi nō defututos ſperabat. ſecundum bellum deſtinatum cum duo caſtella in agro Vicetino, totidē haud procul Lemniaco extrui mandaſſet, tutrix Facinum Canem cum equitum quinque millibus Patauium verſus iuſſit contendere. ceterum ad prima munimenta, quibus ea regio ab Vicetinis diſterminatur, Carratienſis cum valido exercitu obuiam progreſſus non impreſſionem modo ſuſtinuit, ſed etiā poſt varia certamina, quibus ſuperior ſemper extitit, hoſtem retro auertit. Interim Iacobus Vermius Venetijs apud patres ſumma ope contendebat oblatis etiam Feltria & Belluno, vt Carrarienſem armis ab Inſubris iniuria prohiberent; ac inde quidem verba tantum eaque exigui ponderis retulit. Ateſtinus vero acciſis pueri opibus cernens offerri ſibi occaſionem Regij recuperandi, ad Patauinum perrexit cum ala quingentorum equitum, ac nōnullis magni nominis præfectis, quorum in numero fuerunt Eſtor Vicecomes, Franciſcus Seuerinas, Tartalea Lauellius Tuſcanellæ dominus, & Sfortia: Gulielmus cum Brunoro itemque Antonio liberis, & Carolo Vicecomite iamdudum cum Patauino erant. qui Franciſco domi relicto, Iacobo vero expeditionis comite cum Ateſtino Vicetinorum fines ingreſſus, caſtraque ad eas munitiones, quas iam excitari mandauerat, metatus Coloniam iter intendit. inde poſtr. Non. April. ad Martini pagum peruenit, qui locus abeſt Verona quinque millia paſſuum. eadem nocte cum pedites quadringenti ex toto exercitu delecti ad murum Epiſcopi & campi Martij portis interiacentem ſucceſſiſſent, cæſis vigilibus a conſilij gnaris ciuibus, qui Scaligeris fauebant, ſcalæ appoſitæ mœniaque pluribus locis ſunt aperta. clamore & ſtrepitu appropinquātis exercitus excitatus Vgolottus Blancardus, qui viuo adhuc Ioanne Galeatio oppido vt ſupra diximus prę erat, quanta maxima potuit celeritate eo accurrit, quo tempore Ateſtinus, Carrarienſis & Brunorus ſiccam foſſam tranſgreſſi anguſto vixque peruio aditu intro penetrarunt exemplo ſuo ceteros ad virtutem æmulandam accendentes. confeſtim pauci eorum militum, qui vnam atque alteram turriculam ceperant, cum ſe ſe in vrbem demiſiſſent, hoſtibus congreſſi tam conſtanter pręlium ſuſtinuerunt

runt, vt per murum iam aliquanto latius patentem Gulielmus cum aliquot manipulis, mox eodem loco ad iuſtam magnitudinem patefacto, datoque ceteris conſequendi ſpatio equitatus irruperit. Vgo lottus nequaquam hoſti par fortunæ, dum liceret, cedendum eſſe ratus trans Atheſim in alteram oppidi partem effuſo curſu ſe recepit; pontiumque particulas, quæ catenis demitti ac tolli pro re ſolent, omnes egit in ſublime. dum ad ripas præſidia diſponit, Carrarienſis vtrãq; portã, quarũ paulo ante meminimus occupat, ſimulq; exercitum contra Georgianam ſub tectis diſtribuit tanta militũ modeſtia, vt non vrbem modo direptione, ſed etiam ciues ipſos omni prorſus iniuria prohibuerit. poſtera die Blancardus circiter meridiem cum ſummo militum plebiſque vrbanæ ardore in hoſtem erupiſſet, longe maximum terrorem fecit. Nicolaus, vnaque ex ipſius ala complures equites loricati conſcenſis equis aliquandiu prælium ſuſtinuerunt, priuſquam reliqui arma expedirent: adeoque ſtrenue & pertinaciter incubuere, vt hoſtem in vlteriorem ripam magna cũ cæde reiecerint. ex captius, quorum non exiguus fuit numerus, Sertorius Allobrox & Bonifacius Vallius Ateſtino ipſi deditionem fecerunt: qui ſecundum pugnam equeſtria ornamenta ſumpſit; ſimulque cum eo Iacobus Carrarienſis, Brunorus & Antonius Scaligeri, Philippus Piſanus, Albertus a Sale Ferrarienſis, Nannes Strotius, Michael Medices Florentini, & Paulus Leonius Patauinus, quorum virtus in prælio maxime enituerat. alteram oppidi partem cum, vt diximus, tenerent hoſtes, placuit ad pontem nauibus inter ſe conſertis ſtructum, alijſque pluribus locis tum lintribus, tum ratibus oppugnationem inſtituere, quo tot ſimul partibus diſtracti minus reſiſtere valerent. tandem ponte expugnato eodem temporis momento complures manus paſſim in aduerſam ripam euaſere. Ateſtinus & Carrarienſis celebrioribus inuecti pontibus cum equitatu Vgolottum terga dare coegerunt. fugientem in arcem præſidij robur & pars ciuium ſunt ſubſequuti. in ipſa victoria vniuerſus populus Gulielmi Scaligeri nomen ſublata voce conclamauit, deductumq; primo in forum, mox in prætorium principem conſalutauit. ſed imperium fortuitum, nec proprijs opibus quaſique nec opinãti partum noctis vnius tantum fuit. etenim luce proxima & ipſe & Carolus Vicecomes vterque ſuo in lectulo exanimes reperti ſunt. vulgo quidem iactatum fuit ſublatos repentina morte: ſed re vera veneno perierunt præbito auctore, vti tum ac multo magis poſtea creditũ eſt, Carrarienſe: cui gentis ad populum non ingratæ nomine abutenti, quaſique iuſtum ac legitimum principatum ordinaturo propo-

ſitum

ſitũ iá inde ab initio fuerat Veronenſes ſua ſibi impenſa nõ alteri ſub igere. quoniam autẽ oppidi occupatio ſtatim ab Gulielmo extincto dolũ omnino retegebat, nec id tentare ſatis adhuc tutũ videbatur ſu perſtitibus Brunoro & Antonio Gulielmi liberis,& ſalua arce alijsq; itẽ duabus vetere ac noua,filios in parentis locũ ſubrogãdos curauit, ꝑ hunc etiã modũ inuidiam a ſe ſe interim amolitus. Nicolaus & Frã ciſcus cũ multitudine abundarent arcẽ,quo ꝓfectũ confugiſſe oſtendimus,haud dubia ſpe intra paucos dies fame in poteſtatem venturã obſidendã ſibi eſſe ſtaruerunt.poſt cõperto ingentem eo frumenti te lorũq; omnis generis vim congeſtã fuiſſe,conſilia ad oppugnationẽ conuerterunt.minę clauſis primo oſtentatæ, ſi paterentur murũ tor mentis quati, fruſtra deinde conditiones aut veniã imploraturos;ſta timq; materia ad id comparari cœpta eſt.Blancardus vbi cernit opera effecta pactus vt ſine fraude ſibi ſuiſq; per eos fines in pacatũ abire li ceret,arcẽ reliquit.eodẽ die qui veterẽ,altero qui nouã itẽ arcem cuſto diebant,deditionẽ fecerunt. erat tum Regij exiguũ pręſidiũ, ęgreq; Mediolano ſupplementum poterat ſubmitti, qđ Othobonus poſtr. Non.Mart.ope Petri Roſcij ab Inſubtis clientela ſuadendo abaliena ti Parmam occupauerat: mox qui ſtatuiſſet adiutorem habere ad tyrannidẽ capiendã non exercendã voti reus illum oppido exterminauit,cum totius prope nobiliſſ. familiæ cæde ac promiſcua reliquorũ ciuiũ ſtrage pueris, ſenibus, ſacris, ꝓfanis,alienis pariter ac cognatis iuxta implacabilis.cũ hac de cauſa, tũ quia Veronenſis expeditio procedebat, Contrarius Nicolai iuſſu Regium recuperare eſt interim ad nixus,non alia ab ciuibus ſpe auxilioq; fretus q̃ cõmuni quodam om nium deſiderio redeundi ſub imperiũ Ateſtinum.Ferraria profectus cũ aliquot cohortibus Bonifacio Areoſto,Aldobrãdino,& Bartolomeo Ioculis, Paulo Cõſtabili, atq; alijs nobiliſſimis ciuibus tribunis Mutinã venit ad XII. Kal.Maij.quatriduũ ibi fuit,ſeq; ei coniunxere Iacobinus Rãgonus & Albertus Sauinianus. ita equites num. DCCC. pedites bis mille ad ſigna contracti. inde in itinere obuijs Nicolao Roberto Fani Martini & Gerardo Boiardo Herberię Dominis, q̃bus plurimũ fidebat ꝑꝑ magnas eo ĩ oppido cliẽtelas,caſtra ad Regiũ po ſuit.Gerardus & Galeati⁹ Corrigiates,Foliani,Mãfredi & Canoſſij,quo rũ ꝑmulta erãt collibus impoſita caſtella,vt exẽplo ceteros mouerent, Vgutioni ſe adiunxerũt.populus cõtinuo portas apuit aduerſus Vice comitis ꝓfectos coortus;quos in arcẽ fuga elapſos ne forte auxiliũ veniret circũuallauit.Dũ hęc gerũtur,Nicolaus ſocero & Scaligero,qui eã ꝓuinciã cõfecerãt,valere iuſſis magnis itineribus eo cõtendit: cũq; nũtiaretur Othobonũ iã iã affore magno cũ exercitu,oppugnari arcẽ iubet haud ignarus ſe ſe tantulis copijs hoſtẽ ꝓualidũ minime ſuſtinere

nere poſſe. vixdum cœpta oppugnatione Othobono tã firmę copię in armis erant, vt Nicolaus diſcedere mallet, q̃ muris ſe ſe includere hoſte ab arce obiecto,& ciuiũ fide nondum ſatis explorata. itaq; ille per cauſam ſoluendæ obſidionis Regium quoq; ſuæ ditionis fecit. Alibi Carrarienſis & ipſe maturabat non quaſi inuidioſas opes opibus accumulare, ſed victorię extremã manũ addere. nec deterrebat Venetorũ ꝓpinquitas, æmulatioq; aut potentia,& vtilitas propoſita ſi bellũ ſumerent longe maior, q̃ ſi eo abſtinerẽt. e veſtigio Frãciſcus filius & Philippus Piſanus munitiones ad Vicetiam excitatas cum pſidio obtinere iubẽtur. Colonia obſidetur,ac tormentis quaſſatã in ſummũ periculũ deducitur. proinde Vermius ad vrbẽ legatus eã nactus cauſam Senatum orat atq; obteſtatur regni tot incommodis vexati tutelam ſuſcipiat,ne in finitimi ditionem concedat,qui & grauis accola quandoq; ſit futurus, & certe ab ea parte incrementa reip. ꝓhibiturus: ſubmonẽs priuſquam maiores opes atq; auctoritatem colligat, minore negotio coerceri poſſe. ſtimulabat Vermiũ cũ res aliena,tũ multo magis priuata: quippe maximã fortunarũ ſuarũ partẽ in agro Veronenſi poſſidebat,quarum iacturam hoc ipſo fœdere vitare ſe ſe poſſe intelligebat. vbi poſtulata fruſtra fuere,ſaltẽ id tenuit vti patres,quaſi Vicecomes in eorũ finibus auctoritate publica delectũ haberet,aliquot militũ manipulos Coloniam in pſidiũ mitterẽt. quo facto primo ineſcatos poſt paulo Frãciſci ſuperbia haud mediocriter irritauit. etenim explorato eorũ militũ aduentu ad internecionẽ illos cecidit,vt qui ex ꝓfeſſo in oẽs Venetos vel abiectis armis ſe dẽtes atq; captos acerbiſſime ſęuiret. Ateſtinus qdẽ ad Senatus irã mitigãdã,ne ve ipſe bello ardẽte nouis ſe ſe moleſtijs implicare cogeretur,ad vrbẽ eſt ꝓfectus. ſed patres memores quo pacto Tauriſo potiti eſſent, atq; hac quoq; parte imperiũ ꝓlaturi Vermiũ potius audiuerũt, qui pter duo in Carnis oppida ante oblata Viceciã quoq; defensã reip. ceſſurã tũ pollicebatur, q̃ Nicolaũ amicitię iura & Italiæ quietẽ obtẽdẽtẽ. interim Carrarienſis, qui Verona necdũ ſui iuris facta Vicetinos ægre ſub imperiũ cogi ſuũ poſſe animaduerteret, qđ iãdudũ parturiebat,efficiẽdũ ſibi eſſe ſtatuit. itaq; Philippũ Piſanũ ad ſe accerſit, vtriq; arci veteri ac nouæ pſidiũ imponit, ptoriũ Brunoro & Antonio inani principatus titulo relinquit, Iacobũ filiũ alia in arce collocat: qui feſto Pẽtecoſtes die p ſpeciẽ beneuolentię cultusq; ad cœnã vocatos poſt hoſpitalẽ mensã vinculis onerat,atq; Atheſi Lẽniacũ deuehi iubet. ſequenti die populũ in forũ ad cõcionẽ uocatũ edocet patris litteris ſe admonitũ Scaligeros de oppido Venetis tradẽdo cõſiliũ habuiſſe,cõmentũq; vt tũ ſuſpicio fuit fando exaggerãs paterna & ſua in illos merita commemorauit,& Scaligerorum pfidiam eſt deteſtatus

teſtatus. Ciues orationis vehementia mendacijsq; aſtute confictis p̄moti, ſed multo magis quia cogi armis poterant, Iacobo aſſenſerũt. ſimul ad conciliãdam plebem anguſtiore annona Franciſcus mille plauſtris frumentum Patauio ſubmiſit, cumq; vxore Thadęa eodem migrauit. fœmina vt erat ſumme comis vſq; adeo matrũfamilias animos demeruit, vt vir, qđ antea non erat auſus, tum primum tuto ciuitatis principatum ſibi deſponderet. aſſidua enim conſuetudine ac beneuolẽtia nobilitatis fretus cũ aliquot primores aduocaſſet, auſus eſt ꝓfiteri cupere ſe, ſi eorũ voluntate id fiat, ciuibus pręeſſe: nec prius concilium dimiſſum, quam omnium ſuffragijs voti compos a plebe Princeps conclamaretur. Longe alio euentu res ad Vicetiam ſunt geſtæ. vt enim cenſuit Senatus oppidum recipiendum eſſe, eo ſe magna cum militum manu contulit Iacobus Superantius. quæ quidem res non modo Patauini conſilia diſturbauit, ſed etiam omniũ deinceps calamitatum initium fuit vnius maxime Franciſci culpa, qui ſecurus inuidiæ ex recenti audacia ac temeritate cõtractæ nouis quotidie iniurijs patres prouocabat. nam cum Superantius ei per caduceatorem denuntiauiſſet Vicetiam ab Inſubre in reipub. ditionem eſſe traditam, internuntium ad ſuos reuertentem iuſſit interfici. cæde occulta alter eadem mandata exequutus pariter necatur. præfectus id vt geſtum erat patribus perſcripſit, ijq; pro rei atrocitate memoria etiam prioris ſceleris vehementiſſime exarſerunt. Patauinus vtroque pręſidio relicto ab Vicetia exercitum abduxit, Coloniã tantum retinuit cauſatus ſacram iuriſdictionem ad Vicetinos, profanam ad Veronenſes pertinere. Patres priuſquam hoſtis, qui ex re frumẽtaria valde laborabat, meſſem faceret ac reſideret indignatio, quam iuſto bello cauſam prætexebant, arma in eũ decreuerunt rati nõ a pecunia modo ob impenſas Brixię & Veronę expeditione factas imparatum, ſed & ab amicis, ſi Chriſtianos Principes ſpectares, qui tũ maxime a turbidis atq; otio inimicis conſilijs abhorrere videbantur. itaque duobus exercitibus vno eodemque tempore Veronam, atque ipſum ſi fieri poſſet Patauiũ premere inſtiterunt. Carrarienſis, qui nec Coſſę, is tum Bononiæ Legatum agebat, nec aliorum auctoritate rempublicam ad quietem potuerat reuocare, ad Florentinos, & Genuenſes hoſtium æmulos confugit. at illi meminerant ſuperioribus annis ſociorum rem ſuo ſumptu auctam: ceteris priuatim ſibi conſulentibus pace aut induciis nullam ſui rationem habitam fuiſſe. hi claſſe minus poterant, & poſt cladem Cypriam ægre reconciliati certamen reformidabant. nec deſtitit Neapolitanum pertentare; verum præterquã quod Gentilis frater vulgo Carrariæ Comes nun-

cupatus, qui ob neſcio quam de re priuata controuerſiam cum capitali odio proſequebatur, ad regem, cuius ſtipendia faciebat, fratrem criminabatur; ille ſuapte ſponte prolatando aduerſus finitimos imperio intentus Apennino tenus ſpes conatusque finiebat: cōtra Veneti Aeſtini & Gonzagæ amicitiam affectare orſi primum ab eo, in quo minus negotij ineſſe putabant, vt illius deinde exemplo Nicolaum in ſocietatem pellicerent. ſenſerat initio Gonzaga cum Inſubre, tum vero offenſus cæde aliquot militum, quos expeditione Veronenſi deſiderauerat, inprimis vero priuata vtilitate adductus (ita plerunque ex vſu regni adminiſtrandi accidit) affinitatem Carrarienſis prorſus neglexit. Veronę ei oppugnatio commiſſa eſt: cumque his mandatis Vermius Venetijs qui erat, Mantuæ illum conuenit. & paſſim in citeriore Gallia delectus eſt haberi cœptus haud modica tamen difficultate propter Bergomatium, Laudenſium, & Cremonenſium tumultus: quæ oppida Paruuli, Vignati & Bēzoni ab Vicecomite alienata occupare ipſi niteb ātur. Præterea Othobonus non Parmam modo & Regium, ſed Placentiā etiam exceptis arcibus Scotis extorſerat, qui Vicecomitis præſidia ante exegerant. Gonzaga, quo diximus, munere conciliato Patres duos Senatorij ordinis magna homines auctoritate Benedictum Superantium & Ioannem Barbum Ferrariam legarunt, qui etiam atque etiam peterent vna & partem belli, & fructuum victoriæ, ſi cœpta proſpere ſucceſſiſſent, nunc & in poſterum capeſſeret. excuſante autem Aeſtino nullam extare cauſam, cur ſocerum armis inceſſeret, legati Principem ea de re certiorem fecerunt, interim operientes quidnam renuntiatum illi vellet. iuſſi aliter agere, iterum eum adeunt teſtantes id decretum fixumque Senatui eſſe, alterutrum hoſtem vt habeat, belli exitum ne otioſus præſtoletur. ſuperba & libero principe indigna viſa eſt oratio tum ipſi, apud quem habebatur, tum conſiliarijs: ceterum data eſt ſedulo opera, vt legati cognoſcerent quid ſalua dignitate facere poſſet, in eoque aliquanto plus reipub. tribueret: quod quem affinitas ſocero coniungere deberet ab eo ſe ſe ſegregaret, nec illi magis quam hoſtibus per ipſius fines itineris, militumque & commeatus facultas atque copia eſſet. haud quaquam læto cum reſponſo dimiſſis legatis Nicolaus vtri ſe quamprimum daret, diligenter ſecum ipſe volutans ex Vgutionis & aliorū ſententia ſtatuit aliquot dies fortunam vtriuſque partis operiri, ex re deinde conſilium capere: animus quidem certe potius inclinabat ad Carrarienſem: idque & vtilius ſibi & honeſtius quiete cenſebat. Patres ſocietatis Aeſtini ad id bellum peropportuni ob vicinitatem

ſpe

ſpe depulſi, quę promiſſis allectum iri ſperauerãt, legationẽ ad Coſſam decreuerunt hominem ea gratia & auctoritate apud Põrificem, vt ex eius vnius conſilio penderent quęcunque in Flaminia & Gallia citeriore ad Sanctam ſedem pertinerent, & ipſe per ſe arbitrioque ſuo res arduas tractaret: item & ad Neapolitanum ac Florentinos, Francumq; & Pannonium reges, nec non ad Duces Auſtriæ. Cæſarẽ nihil neceſſe fuit fatigare, quod tædio huiuſmodi ſeditionũ omnem Italiæ curam prorſus abieciſſet: atque haud dubie paſſurus eſſet, prouinciã ſuiſmet telis in ſua viſcera graſſari. His legationibus Carrarienſis in ſe iniurias ambitionemque & ſuperbiam plane intolerandam accuſabant, quæ reprimere atque vlciſci ſtatuiſſent: proinde hortari atque obſecrare omnes, ne qua ope illum iuuarent, quo tandem meritas pœnas lueret. interim ille aggeres, quibus vndiq; ſepitur Patauinus, ager emunit; quam poteſt maximas cõſcribit copias, & præſidium Caſtrobaldi & Anguillariæ imponit. pari diligentia Venetus loca opportuna communit, & prid. Id. Iunij complura nauigia ad Venetium, quod eſt e regione Anguillariæ, alia ad Abbatiam cuſtodiæ cauſa ſubmittit. ſexto poſt die cum Atheſis maxime abundaret, ita vt qui anteuerteret magnam hoſti plagam eſſet inflicturus, Franciſcus Iuſtinianus Rhodiginorum Prætor amnẽ ad Venetium tranſgreſſus ſeptem locis amolitur aggerẽ, ipſeq; ea cura liberatus fines Patauinos longe lateq; velut mari infuſo aquis & illuuie fœdat. qđ Carratienſi fuit eo acerbius (at eiuſmodi ſecuritas & negligentia tam propinquo hoſte nullam meretur excuſationem) quo minus prouiſum: quippe qui nũquam putaſſet Venetum prius hoſtilia auſurum, quàm qui tum mos fuit, bellum indixiſſet. quin vt exprobraret læſum ſe iniuriã nihilominus iuſtis armis ac ſolenni ritu velle perſequi, inimicitias palam denuntiauit: cumq; exercitu Tauriſanorum fines ingreſſus obuios Triſtanum Saornianũ & Henricum Comatum Germanorum prǽfectum non ſuſtinuit modo, ſed etiam profligauit captis CCC. equitibus, peditibus CC. Patres cum hos tribunos, tum Thadæum Vermium, Paulum Sabellum, Petrum Polentanum, Antonium Aquilanum, Albertum Robertũ, Zonum Senenſem, Gulielmum Pratenſem & cõplures alios ſanguine aut longo militiæ vſu celebres ſtipendio conduxerunt; ſummum imperium detulerunt Malareſtæ Piſaurenſium regulo, qui equitum duobus, peditum decem millibus celeriter contractis locum ad conueniendum edixit haud procul Tauriſo. inde cum iam claſſis in Atheſi ſtaret, aditusque in agrum Rhodiginum eſſent communiti profectus cum legato caſtra inter Nouale & Caſtrum Francũ poſuit;

poſt

poſt ad Stianum & Miranum proceſſit, vti munimenta tranſgreſſus, nec enim aliter licebat, Patauium tentaret. Philippus Piſanus Patauinorum præfectus ex aduerſo conſedit tanto cum tormentorũ apparatu ac ſagittariorum multitudine, quorum plurimus ijs in locis erat vſus, vt Malateſtæ vim nequaquã pertimeſceret. miſſilibus vtrinque aliquot dies cum pugnatum eſſet, Venetus nequicquam fatigatus Idib. Iul. ad Treuizolum perrexit, exercitumque inter Petri Fanũ & Oriagum continuit modo palam, modo clam munitiones tranſcendere conatus: quod Piſanus & ipſe ad pagum ruſticum, id loco nomen eſt, translatis caſtris omnes eius conatus eluſiſſet. Malateſta cum tot dies fruſtra pugnando abſumptos animaduerteret, ad conſilium retulit, coramq; legatis ac minoribus præfectis diſſeruit ſatius eſſe irrito incepto abſiſtere, atque aliam fortunam experiri. ſed nocte, quæ diem illum ſubſequuta eſt, caſu gregarius miles contemplatus vallũ ſolute & negligenter alicubi cuſtodiri, ac paruo negotio ſuperari poſſe, tranſuerſa impoſita trabe, quæ ad vtrunq; foſſæ labrum pertineret, aditum aperuit ad Patauij expugnationẽ: inſigni plane documento, quam ſæpe ex paruis magnarum momenta rerum in bello pendeant. quippe vigiles tædio pariter tam lentæ cuſtodiæ & vano alterius menſis hoſtium labore minus intenti eam manipulari occaſionem præbuerant. primis tenebris cum vnus atque alter, mox alij nimirum libero aditu tranſiſſent, iam ne hoſtem quidem fallentes vſq; eo reſtiterunt præſertim numero interim aucti, dum multa iam nocte, ac ponte aliquanto patentiore poſtero die totus ſub ſignis exercitus traducitur. Malateſta triduo modicũ ibi caſtellum communiuit atq; ad pontem, quo Meduacus iungitur, tria a Patauio paſſuum millia progreſſus ad ipſa mœnia & portam omnium Sanctorum vulgo dictam excurſiones fecit. Patauinus vt difficiliorem oppugnationem redderet, fluminis aggeres interſcidit, partemque agri munitione circumdati operuit aquis. Idib. Sext. irruperant Veneti, cuius rei adhuc ignarus Ateſtinus ne & ipſe clade ſoceri periclitaretur, auxilio ei futurus Ferraria mouet, primiſque caſtris ad vicum Ficariolũ peruenit. ſubſequebatur modico interuallo Barbianẽſis Almericus haud paruo negotio conciliatus, dũ in gratiã reducitur cũ Legato Pontificio. offenſionis cauſa extiterat, qđ cum Aſtorgius Fauentiam aduerſus eum tueri non poſſet, ſeceſſiſſet Ariminum ad propinquum ſuum Carolum Malateſtam, Legatus ſibi traditam recepiſſet. ita vt Nicolaus homine aliquanto ſerius mercede conducto, qui cum mille, & quingentis equitibus, & Manfredo nepote militauit, paucas poſt horas, quam hoſtis peruaſiſſet, au

xilio

lio affuerit. ipſe qua Ferrarienſis ager maxime incurſionibus patebat, præſidia diſpoſuit ad Corbulam, Arianum, Thenium, & Alberti Fanum; additis etiam caſtellis opera atque induſtria Bartolini Nouariæ, & Dominici Florentini, quo præfecto fabrûm vtebatur Carrarienſis. eodem tempore litteras dedit ad Principem, quibus de bello aduerſus rempub. ſuſcepto ſe purgabat: ſumma litterarum erat, iuſta arma ſe cepiſſe affinitate atque vt dignitatem ſuam retineret impulſum, non quod Senatum, quem ſemper obſeruaſſet, offenſum, ſed ſocerum tantum defenſum vellet. Iam diei iter proceſſerat Ateſtinus adeo inexploratus Malateſtæ, vt conſilium apparatumq; ipſum ignoraret, tantum abeſt vt mouiſſe domo ſciret. itaque tutiorem locum caſtris delegit ad aggerem Meduaci tertio ab vrbe lapide contra portam Trinitatis obiecto a tergo propugnaculo ad fines Tauriſanos, cuius præſidio liberius commeatus ſupportarentur. exercitus deinde partem tradidit Paulo Sabello, qui bis mille paſſus ab ipſius caſtris, proinde aliquanto longius ab oppido ad Petri Fanum loco idoneo conſedit. Ac patres quidem in Ferrarienſem tamquam hoſtem opportuna pararunt iuſſo Ateſtino Azone Rauennã accedere, qui ijs veteribus præſidijs, vnde turbas ac tumultus miſcere poſſet, nudatus nec Manfredum Barbianenſem Venetorum ſtipendio obligauit, nec vlla in re quamquam præſens Nicolao nocuit. propterea fallitur egregie M. Antonius Sabellicus dum affirmat, eum maxima claſſe Pado inuectum Ferrarienſem agrum euaſtaſſe: nec offendit minus in explicatione motus Patauini, quem tamen pauciſſimis attigit fœde lapſus vel in notiſſimis præfectorum exercitus nominibus: quinimo addubitat Nicolao ne an Alberto patri nupta fuerit Carrarienſis filia, vterue eorum huic bello interfuerit. Ateſtinus Venetorum exemplo, qui Ferrarienſes omnes eorumq; naues diſcedere vetuerant, quoſcumque & ipſe hoſtium populares ſuis in finibus indeptus eſt, captiuos fecit, in his triremem ad Arianum appulſam. proficiſcenti ex Vico Ficariolo ad Rhodigium occupandum nunciatur Malateſtam intraſſe munimenta: perrexit tamen, continuatoque ad Saluaterram itinere continentia Lendenariæ ædificia cum attigiſſet accitus ab oppidanis ad Abbatiam contendit, vnde territus interim prætor eorum hortatu profugerat. poſt receptam Abbatiam illo ipſo die Lendenarienſes, & qui Pinzoni turrim tutabantur exemplo adducti vltro ſe ſe dediderunt. Iuſtinianus Rhodigio profectus cum Antonio Aquilano & Henrico Comato quingentorum equitum præſidio, neſcio quo decliui in loco munitionem excitabat: quem vt Nicolaus mœnibus excluderet, delectam

militum

militum manum reuertenti obiecit: illi vero ſerius aliquanto vt po-
te oppidum ingredientem adepti alam, quę agmen claudebat, late ce
ciderunt. Venetus metu periculi imminentis inferiora ſuburbia in-
cendit, frumentique quam maximam potuit copiam intro conue-
xit. Atheſis fauces munitionibus complexus caſtellum in amnis al-
ueo ſub ipſis muris extruxit, quod paulo poſt ſumpta ex ædificio-
rum tum Nicolai tum ciuium ruinis materia egregie firmauit. Dum
hæc geruntur Vgutio ab Lendenaria ad Arquatam & Fractam du-
xit. itidem Nicolaus quo initio intenderat, altero poſt. Id. Decemb.
die Rhodigium peruenit, cepitq; continentia ædificia, quæ ad ſu-
periorem oppidi partem vergebant, nauigiaq; & præſidia circa flu-
minis ripas diſpoſita, & quem vocant Ducis pagum, quo tempore
Iuſtinianus idem facturus erat. Vgutio ab Arquata & Fracta manu
captis vadit ad caſtellum, quod demonſtrauimus communitum fuiſ
ſe ad Venetium: loci compos obuia complura hoſtium nauigia ex
ripis oppugnata fudit ac fugauit, recepitque Anguillariam, ac po-
ſtremo munitionem ad Gurzonem inſtitutam in poteſtatē redegit.
parātem deinde aggredi Campum nouum Nicolaus vt totis viribus
Rhodiginos premeret, ad ſe accerſiuit. Interim Iuſtinianus haud
plane fidens oppidanis pbonam eorū partem muris exegit, quorum
aduentu hoſtiles copiæ creuerunt: tum præſidio Stephani porta erū
pente leui quidem ſed acri certamine pugnatur. at præſentiens Are-
ſtinus Venetos conſtituiſſe domeſtica cum cura inde abſtrahere, V-
gutionem Ferrariam dimittit, qui pro ſua prudentia loca maxime
opportuna muniat: ipſe carpendo hoſti intentus priuſquam Rho-
digium tentaret, haud inani coniectura magno illum ſibi impedi-
mento ad eam rem fore, re cum ſocero compoſita caſtra, quæ mi-
nus difficilem habebant oppugnationem, de improuiſo ſtatuit ag-
gredi. vt enim duobus exercitibus imparem ſe ſentiebat, ſic alterum
non metuebat quamquam numero inferior propter recentem mili
tem, præſertim quod nec opinantes opprimere potius conſilium
eſſet, quam aciem palam oſtentare. proinde ad pagum Boarium
appellatum profectus commeatum Patauium ſummittit, ac pro-
nuntiat ſe ſe Rhodigium, quo loco maiorem ſuorum partem reli-
querat, eſſe expugnaturum. mox illis repente vaſa colligere iuſſis ſu-
pra Anguillariam equitatum Atheſim traducit, noctuq; itinere con-
fecto prima luce Thadęum Vermium, qui CC. equitum præſidio fru
mentum in caſtra portabat, adoritur & capit; ſtatimque aliquot tur-
mis auctus, quas Manfredus & Franciſcus III. Patauio adduxerant,
recta ad Paulum Sabellum fertur. qui quamquam inſtruere aciem &

Mala-

Malateſtam certiorem facere potuerat, ſuſtinere tamen impetum non valuit. Ac quoniam prælij initio dum militum calerent animi, a captiuis abſtinere, pugnare tantum conſilium fuerat, Sabellus longius inter hoſtes prouectus, ibique circumuentus expreſſa deditione arma tradidit. deinde nullo cuſtode fuga elapſus quoſcumque potuit coegit, ordinesque reſtituere eſt conatus magna iam reliquorum ab Ateſtino ſtrage edita. Cum appropinquaret Malateſta, futuraque deinceps eſſet iniqua dimicatio integris & recentibus militibus & equis cum defatigatis prælio itinerisque magnitudine ac celeritate, & longe paucioribus numero, Nicolaus ſignum receptui dedit abductis captiuorum duobus millibus; in his D. equitibus. interim Ioannes Barbus Venetijs cum ſex longis alijsque nauibus egregie inſtructis v. Non. Octob. Primari oſtio Padum inuehitur, ſubſidioque alæ CC. equitum præfecto Ioanne Toſſiniano Alberti Fano eſt potitus. captus ibi eſt inter ceteros Dominicus is, quem præfectum fabrûm Carrarienſi fuiſſe oſtendimus, dũ vna cum Nouario Nicolai architecto ea loca munitionibus firmat: cuius deinde opera bello Patauino reipub. permagno fuit uſui, vt pote indicantis qua parte Patauium magis minuſue firmum eſſet. Nicolaus ad ſupprimendum Barbi impetum Argentam recenti milite, armis telisque compleri, ad foſſionem Ianiolam opera addi iubet. Malateſta & ipſe ſentiens Sabelli clade ſibi multum deceſſiſſe, hoſti aduentu generi tantum acceſſiſſe, vt tum quidem mœnia tentare ſuperuacaneum foret; propterea ſe ſe parum tuto loco conſediſſe, communito ad Treuizolum, vbi ante propugnaculum erexerat, eius agri aditu in fines Tauriſanos exercitum reduxit: quem nihilominus Ateſtinus per Almerici cataphractos equites regionem illam populantes quietum eſſe non ſiuit. ceterum eodem tempore allato nuntio de morte Bonifacij, qui Prid. Non. Octob. obierat, & tumultuantibus Romanis, quod Pontificem ſacris tantummodo præeſſe vellent, magiſter equitum gnarus Neapolitanum occupandæ vrbis occaſionem ſedulo captare, atque Hetruriam inhiare præfecto equitibus Manfredo nepote eo celeriter contendit. Ladiſlaus ad id locorum quietus cum Coſmatus Melioratus Sulmonenſis Cardinalis titulo S. Crucis Pontifex renuntiatus, atque Innocentius. VII. appellatus eſſet, vetus conſilium ad rem contulit. Poſt Patauium obſidione liberatum pulſumque hoſtem dubium non videbatur, quin Ateſtinus copias iterum Rhodigio admoueret. id metuens Franciſcus Iuſtinianus ſuburbia ſuperiora incendit, quo in loco exercitus primo caſtra metatus fuerat,

atque tum vt incolis incommodaret, tum vt inopiam Nicolao facerer, circumiectos agros inprimis Lendenarieſes hoſtiliter vaſtauit. adhæc quaſi ſuſpectos ſibi primores ciuium in vinculis Venetias amandauit. tormentis vero rebuſq; ad bellum neceſſarijs potiſſimũ molito frumento ex vrbe petito Henrico comato negotiũ dat, vt aggrediatur locum, quem ſupra pagũ Ducis appellari diximus, ſitũ ab Rhodigio quinq; millia paſſuum & ab hoſte nuper occupatũ; vt vel præſidium pelleret, vel certe tantiſper diſtringeret, dum onerariæ præterveherentur. ille mandata executus iuſſis deſcendere ex equis, quos plurimos in expeditionem eduxerat militibus, locũ oppugnare cœpit: atque interim naues prope in conſpectu erant. in eo rerum ſtatu Vgutio, qui poſt opportuna Ferrarienſis agri communita nũtio excitus Arquatam contenderat, de improuiſo affuit, hoſtemque vixdum repetitis equis in fugam dedit, ac naues omni cum bellico apparatu oppreſſit; ita nihilo magis quã antea oppidani ſubleuati. In tanta ciuium neceſſitate Nicolaus, quod iamdudum animo agitabat, efficere maturans caſtra ad Vicum Bartolomæi ſuper Atheſim promouit, partim propter commodam aquationem, partim propter loci ipſius naturam claudendo hoſti, valloque tuendo opportuniſſimi: ſed contracta febre ex immodico labore Ferrariam ſe retulit, quo paulo ante reuerterat Vgutio, iampridem & ipſe parũ firma valetudine. Carrarienſis & Manfredus, ac poſtremo Manfredus ipſe cum imperio ad exercitum remanſit: quippe cũ & ad muros ponteq; Atheſis aſſidue pugnaretur, & tormẽtis vtrinq; tela micarẽt, iaculũ in caſtra adactũ Carrarieſem in crure vulnerauit nõ ſine periculo cõuulſionis, quę illũ res pheretro impoſitũ domũ cõpulit. Et deleta Henrici ala, & quotidianę tũ eruptiones, tũ murorũ ꝓpugnationes, quibus multi ceciderãt, aut vulneribus debilitati inutiles iacebãt, Iuſtinianũ in maximã adduxerãt militũ penuriã. quamobrem Aquilanus cum equitibus C peditibus D. accitus eſt ita re compoſita, vt obuerſa Arquatam porta in oppidũ reciperetur, quo Mãfredus cognito ſerius tamen, q̃ vt poſſet iter intercludere, iam enim ad ſuburbana ædificia Fornacum vulgo dicta peruenerat, exercitum propius mœnia mouit: equites pernicitate equorum intro euaſerunt, pedites ſunt intercepti. præfectus quamq̃ auctus ea turma in ſummo tamen diſcrimine verſabatur, qđ municipiũ cõplures dies tormẽtis verberatũ, & murus qua deiectus qua concuſſus hoſtis leues quidẽ illas, ſed tamẽ crebras oppugnationes ꝓuocauerat. quocirca maturi auxilij ſpe deiectus ſtatuit deditionẽ facere iniquiſſima oppidanis cõditione, ſibi & Mãfredo iuxta infami, vti Veneti res ſuas exportarẽt, ciuium fortunæ deſenſo-

defenſoribus & Manfredianis militibus iuxta prædæ eſſent. Ea vti conuenerant Comes Nicolao perſcripſit, nec ab Vgutione, qui nondum plane ex morbo cõfirmatus eo venerat, Ateſtini uerbis grauiter increpitus dimoueri de ſententia potuit, teſtatus ni rata ſint quæ pepigerit, e ueſtigio ſe cum ſuis abiturum. Veneti pdã a ſe factã certũ in locum ſeparatim contulerunt, Manfrediani ad IIII. Kal. Nouemb. ingreſſi & ipſi reliqua corripuerunt. poſtero die pfectus militẽ alienis potius, q̃ proprijs fortunis grauem inde Venetias abduxit. Ateſtinus ex morbi reliquijs adhuc perimbecillus Rhodigiũ uenit cũ ut ciues acerbiſſime uexatos cõſolaretur, tum ut quę opus eſſent, ijs locis præſens imperaret. triſtes tanto accepto vulnere lætitia affecit Principis aduentus, qui mox cuſtodia oppidi commiſſa Nicolao Baiſio cũ Vgutione Ferrariam eſt reuerſus. Manfredus & ipſe Barbianũ deceſſit paſſus in itinere equites indignis modis graſſari. poſtridie Non. Nouemb. Patauini iuſſu arx Campinoui haud procul Venetio capta eſt, opereq; & pſidio firmata. ad q̃ oppugnandã cũ primo duxiſſet Vgutio, poſt re infecta coactus eſt Rhodigiũ recedere. ſub hos dies Nicolaus haud dubitãs Barbũ Argentæ imminere, eo ſe cũ Vgutione cõtulit, coactisq; DCC. equitibus, atq; aliquot cohortibus bina nauigia ita turribus cõſtrauit, vt faſtigio munitiones e materia, quæ tũ in vſu erant, adæquarent: eæ naues inde turritæ appellatæ. has & præterea myoparones ſedecim, aliaq; omnis generis nauigia, tũ exercitum terra ad Alberti Fanum admouit, ratus per hunc maxime modũ non Argentẽſes modo ſe tutari poſſe, ſed Barbi etiã conatus omnes deinceps repellere. turritæ naues propter grauitatem non eum, quem ſperauerat, vſum in prælio præbuerunt: quin ſubtractum eiuſmodi præſidium totius expeditionis conſilium plane diſcuſſit. quippe ſtatuerat cum propius ſucceſſiſſent, earum ope munitionem irrumpere: ſed hærentes vadis in poteſtatem hoſtium venere: cetera claſſis incolumis Argentã redijt. Barbus poſt Ateſtini & Contrarij profectionem caſtellum, quod excitatum diximus ad Foſſionem Ianiolam, tanto impetu eſt adortus, vt priuſquam ſubſidio iretur expugnaret, incenderetque diffiſus a ſe teneri poſſe. dein Comacli excidium animo deſtinat tum quod ditionis hoſtium eſſet, tum etiam quia incolæ per ſpeciem iuuandi belli quaſcumque naues deprehenderent mari, quantum Venetijs Anconem vſque patet infeſto, diriperent. eo profectus trium longarum nauium, atque aliarum diuerſi generis claſſe captum oppidum magna ex parte flammis deleuit. Per id tẽpus, quo Malateſta in agro Tauriſano ſe cõtinuit, Gonzaga & Vermius binis exercitibus ab duabus partibus

Veronam circumuenerant,quam Iacobus Carrarienſis & Franciſcus Seuerinas vir belli artibus egregius magna cum equitum ac peditũ manu defendebant, vnum maxime Gonzagam aſſiduis prælijs extra caſum vniuerſæ pugnæ laceſſentes. Malatesta Octobri menſe ſimulque præfecturæ ſuæ circumacto tempore ab Senatu miſſionem poſtulat cauſatus ſe ſe domeſticis rebus auocari, eamque libentibus patribus impetrat. rumor tum percrebuit ſollicitatum a Florentinis odij in ſe Neapolitani regis non ignaris, vti vetere ſacramento ſolutus ipſorum copijs in Hetruria præeſſet; qđ paulo poſt accidit. in eius locum commẽdatione eximię inter omnes virtutis ſuffectus eſt Paulus Sabellus;qui vt præclaro aliquo facinore dignitatẽ auſpicaretur,conſedit ad Plebem Sacci vi peruaſurus in eã agri Patauini partẽ, quam aggere ab reliquo ſeiunctam eſſe memorauimus. vix hæc agenti ſe ſe oppoſuerat Carrarienſis, cum ex alia in aliam calamitatem a fortuna adducto dextrum brachium ſagitta traijcitur, ita vt ex acerbitate vulneris in magnum vitæ periculum veniret. Paulus ad Lupinam foſſam munimenta perrupit, ac XII. a Patauio millibus paſſuum cum ad Nogariam, vt ibi hiemaret,caſtra vallo communiſſet, aditum haud procul Ariano patentem interclusit. Verumenimuero nec Sabelli ſucceſſus, nec propria infortunia, quibus mors Thadææ Ateſtinæ vxoris fœminæ prudentiſſimæ acceſſit deorum munere tum e vita ereptæ, ne mariti ac filiorum fœdiſſimum exitum aſpiceret, Patauinum adeo perturbauerunt, quin meminiſſet Iacobi,qui Veronæ incluſus obſidionem ægerrime tolerabat; eamque ob cauſam Manfredum ſtipendio induceret, vt cum equitum trecentorum ala dies ſexaginta in eo oppido operam nauaret. is cum ex Flaminia accitus principio Decembris per agrum Vicetinum tranſiret, forte fortuna obuium habuit Iacobum Superantium oppidi prætorem ex pago Montisfloris haud procul Veronæ finibus cum Antonio Caballo, & modico præſidio reuertentem; & qui longe numero præſtaret facile victum atque captum, vti maius redemptionis pretium extorqueret, Barbianum in cuſtodiam miſit. vix Veronam peruenerat, cum Carrarienſis animo reputans quibus incommodis conflictaretur Sabellus, Manfredum ipſum accerſiuit, vt de repẽte in eum inuectus inſigni aliquo detrimento afficeret. Patauium cum equitibus ingreſſus conſtanter negat ſe ſuos diſcrimini oblaturum; exigi a ſe vt æquo non adeo iniquo marte dimicet; ac prope fuit vt ad arma venirent ob verborum contumelias inter ipſum & Franciſcum Iuniorem iactatas. Non. Ian. anno a Chriſto nato CCCCV. ſupra M. Gonzaga & Vermius rati voluntate plebis feſſæ ac pertęſæ obſi- 1405

dionis

dionis ſe potiri poſſe oppido, ad eam partem, quæ inter ſutorum portam ac cœnobium Trinitatis ſita eſt, aliquot locis murum ſuffoderunt, ſcalis vero duas turriculas occupauerunt. iam milites non minus CCCC. irruperant, cum Iacobus accurrit tanta celeritate, vt pulſos ad vnum omnes vel ceciderit vel captiuos fecerit. ac quoniam ferme accidit, vt nobiles in huiuſmodi periculis ſtudio probandæ virtutis pari vel etiam maiori audacia quam milites gregarij prouehantur, venere in hoſtis poteſtatem, qui iam ſe intro coniecerant, Bartolomæus & Feltrinus Gonzagæ, Ioannes & Gulielmus Galutij, & Vido Taurellus. Barbus quoque cum ſe ad Argentam tempus terere animaduerteret, terreſtres copias reduxit ab Ariano circiter quingentos paſſus, quem locum cum præſidio inſederat Philippus Piſanus. eundem vt firmaret Ateſtinus eo venit: rectis & tranſuerſis tignis interpoſitis munitum põte inſtruxit, ac nauigia ſtationem ibi habere iuſſit. inde Thenio (is quoque enim locus minus firmus videbatur) metuens perrexit ad Fiſcaliæ Maſſam. conſederat Vgutio ad Arianum; ex eo loco diligenter explorato caſtrorum ſitu, & quæ qualeſque vires hoſtium eſſent, a Nicolao impetrat, vt ſibi pugnare liceat magna rei bene gerendæ ſpe, ſi ex circumiectis præſidiis, maxime autem Argenta milites ad ſe deducantur. probat ille conſilium ea lege, vt ne ipſe periculi quoque ſit expers. e veſtigio cũ accitę copiæ affuiſſent XIV. Kal. Mart. Barbum adoriuntur; atrox primo vtrinque prælium tenuit, poſt vincuntur hoſtes ſine ſpe ſalutis, quod Barbus ſubmoram a ripis claſſem flumine in mare egerat: ita qui fiducia nauium aufugerant abiectis armis ſe dediderunt, in primis Centuriones ſeptem parum quidem celebres, ſed quorum tamen nomina memoriæ fuerunt prodita. Vgutioni crus ſagitta perſtrictũ eſt, ex quo vulnere paulo poſt conualuit. Senatus poſt fuſum ac fugatum Barbum adhuc tamen pollens potenſq; cum iniuriam a Nicolao reipub. factam iactaret, non obſcure tamen ſignificauit, opportune ea de re illata mentione ab nonnullis ex ampliſſimo ordine pacem modo æquam ſibi non diſplicere. reputabat Nicolaus Venetum cum proprijs alioqui prævalidis opibus, tum Inſubris & Mantuani ſocietate nixum impenſam diutius tolerare, aliaſq; belli difficultates poſſe ſuperare: Carrarienſis fortunam multum nutare, quem ſe vno excepto nemo iuuiſſet, nec deinceps iuuaturus eſſet. cogi ſe aduerſus hoſtem, qui fines irrupiſſet, plures aditus magnis prę ſidijs tueri; auxilium ab ſe peti, qui ſoceri ope in tali diſcrimine indigeat. propterea qui bellum ſtrenue aggreſſus exitium haud dubie Patauio imminens auertiſſet, poſtmodum vero nullius operæ

pretium

pretium cōtendendo facturus eſſet, imo ſocerum ac ſe ipſum fortaſſe perditurus, cuius alioqui domi foriſque potentiam experti Veneti pacem compoſitam ſanctè in poſterum culturi eſſent; Patauium legauit Ioculum cognomine ſibi gente editum familiarē ſuum prudentem hominem atque huiuſmodi rebus tractādis idoneum, quēadmodum ex illa ipſa familia centeſimo inde anno alter eodem nomine extiterat magna in re militari virtute atque vſu: vti ſocerum doceret quo pacto res ſe haberent, pſtaretq; quoquo modo nondū plane deſperatis cū Veneto diſcordias finire: generū qui totis viribus in illud bellum incubuiſſet, ſi intelligeret per eum ſtare quo minus ab armis diſcedatur, priuatim ſibi conſilium capturum eſſe. Ioculus in hanc ſententiam mandata expoſuit. Et vetere erga te beneuolentia, & hoc rerum ſtatu mirificaque & ſibi perſpecta prudentia tua adductus Ateſtinus huc me miſit; qui quæ de ſocero cogitanti in mentem venerunt coram edam, ſimulque operam dem, vt omnia diligenter expendas, & pro tua parte tibi conſulas. duabus, quod te non fugit, de cauſis mortales bellum ſumunt vel coacti, cum velint nolint illatam vim propulſant, vel ſponte, cū nihil quidem eos ſubigit, ſed vna libido maiorum opum eiuſmodi opportunitates conſectatur. ſcis generum nec metu nec cupiditate impulſum magnis difficultatibus & detrimentis ſe ſe implicuiſſe, quorū te teſtem habet etiam me tacente. nec enim cogi dicas, cui uis aut inſidiæ non intendantur: nec vere bellum vltro ab eo ſuſcipi, quem priuata minimeq; ambigua vtilitas non inuitet. an Ateſtinum prouocarunt Veneti non modo non aperti vel occulti hoſtes, ſed amicitiam offerentes & communicaturi quæ olim de te armis quærerēt? an ſe ſe ipſe reſpexit, cum tegendi augendiq; tui gratia, ſi quam forte iacturā ipſe feciſſet, nihil eo nomine neq; deberi ſibi neque reponi poſtulauit? & ſponte & coactus, ſed diuerſis de cauſis tibi affuit. quod neceſſitudine, voluntate coniuncti ac vicini iniuriam ſibi cōmunem eſſe voluit, iudicio fecit: quod minus validum premi ſalua dignitate ſua non eſt paſſus neceſſitate: ſimul libuit oſtendere quanti amicos faciat, quam auxilii copiam habeat. hac ille via inſtitit tūne ad primum ictum conciderес, & fortunæ tuæ conditiones non iniquas impetrares: tum vt eo modo alios tibi ſocios pararet. atque vt conſilij ſui primum caput tenuit, ſic alterius exitum nō inani ſpe ſibi deſpondit, quod hactenus veriti ne opulentiores fruſtra irritarent, exemplo ipſius forte in eandem cauſam eſſent deſcēſuri. maxime quod ſi Ateſtini auxilio aliquid promotum foret, credibile erat haud ægre Veneto repreſſo eorum armis te protectum iri. ceterum

ceterum nec primo auctoritate ipſius, nec deinde ſecundo aduerſus Sabellum prælio alij ad ferendam tibi opem commoueri potuerunt, nec iam vlla reliqua eſt præſidij ſpes. Tranſalpinos domeſticæ ab Italicis rebus auocant: & vt ad nos tranſire liceat, magno auri pondere, & quod caput eſt ſpatio temporis ſit opus. ſane Hetruſci, de quorum ſtudio non parum tibi pollicebare, ſubitati Veneto, vel certe Pontificij Inſubri parum cupientes id efficere queant. at illos res Piſana exulceratos diſtinet: hos Flaminia nondum ſatis pacata exercet, & Neapolitanus imminens Romanæ vrbi. & ſpes ergo illa vana irritaque, præſertim quod vtraque prouincia in dies turbulentior abduci ab ſe militem non patitur. hæc præſidia ſi fruſtra operiris, certe ex alia parte infortunium licet metuas, quando Veneti ſuis & alienis viribus abunde pollent; tu per te imbecillus fruſtra etiam Aceſtinum reſpicis, quem domi occupatum prope eſt vt alterius manu ſubleuari oporteat, nedum ipſe tibi adminiculo eſſe poſſit: cuius tutelæ vt nonnihil adhuc ſufficiat, quantum quidem licet conijcere, pro eo vt proſit, ita fortaſſe obſit, vt grauiſſimam vtrique veſtrum peſtem conflet. proinde monet quod iamdudum ſæpe non obſcure ſignificauit, & ipſa per ſe res docet, conſilio ſuo vtare; id eſt priuſquam eam exiſtimationem, cuius adhuc reliquię manent prorſus deperdas, aliqua tolerabili conditione cum hoſte paciſcaris, quo cum & ipſe neceſſario in gratiam eſt rediturus. quæ tamen res nunquam tanti erit, quin te volente concordiæ ſe ſe interponat. alioqui ſi de priſtina ſententia non decedas, cum iã factis maxime illuſtribus, & verbis abunde officio ſatisfecerit, ipſe quoque ſibi ac popularium ſaluti, quam habet longe cariſſimã non deerit. Ictus legatione Carrarienſis exitij metu atque indignatione alienati ab ſe generi, ſimul auſus quæcunque vellet libere proloqui confuſe ac ſuperbe reſpondit, longe ſe opinione ſua deceptum fuiſſe: gener ſi bello abſiſtat, rem ſe minime dignam facturum, & quę non putet pericula ſubiturum. illud quoq; minitabundus iecit, ne ita quidem Venetis, quos ante multis cladibus affeciſſet amicum, ſibi etiã inimicum fore. Ioculus pari conſtãtia ac libertate vſus Nicolaum nõ modo qđ potuiſſet feciſſe dixit (facere nos dici poſſe, qđ æquitate ſuadente poſſumus: æquitas cũ minime patiatur alterum cum alterius fructu rerum ſuarum iacturã facere, in cauſa eſſe ne id honeſte facere poſſimus, quod præter ius faſque poſſemus) ſed officia etiam omnia affinis ac vicini arctiſſimis ſanguinis ac beneuolentiæ vinculis coniuncti longo interuallo viciſſe: generum bellum illud omnibus ſui opibus ſuſcepiſſe; exercitum, caput ſuum in diſcrimen obtuliſſe, ſo-

lum

lum pro eo, quem nemo defenderat aut videretur defenſurus, contra armatos Venetos, atque vniuerſam prope citeriorem Galliam ſteтiſſe. quæ quidem res, prærerquam quod herede careret, magnas etiã finibus ipſius clades poſſet importare. Ateſtinum bellum in ſe vltro deriuauiſſe, multis moleſtijs non ſine graui impenſa ac periculo defunctum fuiſſe. meminiſſet eximij beneficij, cum Patauium perruptis agri illius munitionibus prope captum ab hoſtibus obſidione fuit liberatum. oppidum iam dudum ruiturum eo facto, & deinde communibus armis ſaluum adhuc ſtare. durum admodum atque inauditum videri, cum te ipſum ſaluum atque incolumem nequeas præſtare, amicum certo exitio obijcere; in eum amici nomen non cadere, qui amicitiæ effectibus abutatur. Eiuſmodi oratione fruſtra habita Patauinus magnum prę ſe animi dolorem atq; indignationem ferens Ioculum dimiſit. Nicolaus ſocero admonito, quę tẽpus & communia pericula videbantur exigere, vbi illum a concordia abhorrere animaduertit, Ioculum ipſum Venetias legauit vna cum Bartolomæo Mela libellorum ſupplicum magiſtro, qui alioqui ſcribarum ſummus (id munus ſupremo apud Gallos Cancellario æmulabatur) tametſi magno reipub. incommodo abeſſet, tamen propter pondus rei, quæ tota vni illi innitebatur, princeps legationem obiuit. Ad v. Kal. April. pax ita conuenit. Captiui vtrinque dimittantur præter Dominicum Florentinum, quo architecto tum Carrarienſis, mox Veneti ſunt vſi ſtatuto e publico ſtipendio. oppidum Rhodigium agerque & illi contributa eadẽ lege, quã prius ad Venetum redeant, cum aureorum nũmũm L. millia Ateſtino dedit mutuo: teneat & Gulielmi Caſtrum, quoad cum Patauino ſit bellum, eo finito reddatur Ateſtino: quamprimum nomen illud diſſoluerit Rhodigium recipiat: hoc ipſo anno præſenti pecunia diluat, quod ſuperſit æris alieni iam tum contracti, cum Florentini, Bononienſes, Veneti, alijq; fœdus inter ſe percuſſerunt: caſtella ac cæteræ munitiones ab vtriſque in confinio conſtructæ diruantur: res ſalaria vetere vtrinque formula adminiſtraretur. Nicolaus quẽadmodum priuatis codicillis receperat, ſtipem annuam Azoni pendat, eique in agro Patauino liceat quiete agere, ſi Venetum potiri oppido contingat. capta vtrinque reſtituantur ſiue pecunia ſiue ſolo contineantur; in primis Ateſtinus quoad bellum maneat, Carrarienſem ne qua re ſubleuet. ſeptimo priuſquam pax promulgaretur die Nicolaus in Flaminiam ſe contulerat ad reconciliãdos in gratiam Coſſam legatum & Almericum inuicem offenſos propter defectionem Fauentinorum, qui ad obſequium Pontificis redierant, &

Aſtorgium

Aſtorgium Almerici inimicum in fidem receptum. ſub eam pacem. Carrarienſis Venetium cepit, & Campinoui præſidium auxit; inde recta Rhodigium profectus ad Vicum ſuburbanum Bartolomęum appellatum ſubſtitit ſpe potiundi exiguo conatu oppidi, quod priore oppugnatione concuſſum minime ignorabat qua parte minus firmum eſſet. Ateſtinus Nicolao Baiſio præfecto ſucceſſorem dederat Aldobrandinum Ioculum, qui grauiſſimis hoſtis minis haudquaq̃ territus ad pontem acriter oppugnatum, & ad mœnia vſque adeo intrepide occurrit, vt cùm multorum vulneribus ac cæde loco nimirum tormentis ab Nicolao egregie munito hoſtis irrito incepto abſtiterit. quippe cum in Ateſtinorũ hortis caſtra haberet, ſtrage perculſus recipere ſe ſe, atque oppugnationem milites iuſſit omittere. mox gener eius expeditionis non ignarus ita paratus inſtructusque ſuperuenit, vt & mœnia tueri & acie confligere non dubitaret. contra ſocer certamen deuitans cum tergo hæreret Ateſtinus, magnis itineribus Venetium contendit, tranſque Fornacum riuum in tutum ſe recepit. ſub hæc fide data acceptaque vterque congreſſi ſunt; ſumma orationis fuit vt defenderet alter ſe pacem merito ſequutum, alter negaret: qua de re acerbe inter ſe altercantes haud ſatis bona cum gratia colloquium diremerunt. Patauinus ab Rhodigij mœnibus pulſus ad occupandum Gulielmi caſtrum nondum Venetis traditũ ſe ſe conuertit, ac milites, qui ſe ab Ateſtino venire profiterentur ſubmiſit. illi inter præſidium recepti egregio plane dolo ei impoſuerunt. poſt paulo diſpertiti in nocturnas cuſtodias alijs introductis quinam eſſent retexerunt. v. Id. Apr. quo die hæc geſta sũt, Nicolaus frequenti comitatu Venetias profectus magno honore excipitur a Principe & Senatu obuiam effuſo. inde firmata pace Rhodigium ceteraq; eius tractus loca reipub. pręfectis tradi iuſſit. Dũ hęc aguntur, cognoſcit Carrarienſis Iacobum fratrem nothum conſiliũ inijſſe prodendæ hoſtibus ciuitatis. & ille quidem paulo poſt gladio transfixus eſt repertus. vulgo iactatum ſibi uim attuliſſe; ceterum cõſtans opinio tenuit a fratre furore percito interfectum. auxit mœrorem Verona amiſſa, atque eodem prope tempore captus filius. etenim plebs fame atq; arctiſſima obſidione ſtimulata, nec ea in Carrarienſem voluntate, vt vtrumque malum poſſet ſuperare I x. Kal. Iul. armata ad Epiſcopi portam impetum fecit, eaque occupata Gõzagam, & Vermium in oppidum recepit. dum recta ad forum ſub ſignis exercitus procedit, Iacobus in arcem nouam, quo domicilio vti conſueuerat, profugit. Patres nullo iam ibi victorum militum vſu Gonzagam imperatorem declaratum Patauium ducere iuſſerũt.

Fff triduo

triduo poſt Iacobus & Paulus Leonius, qui inter tumultum captæ vrbis mutata veſte euaſerant, ab duce itineris ad Ceretrum pagum proditi comprehenduntur ab agricolis, Veronamque, mox Venetias ſatis magno cum præſidio deducti in carcerem conijciuntur. ſub idem ferme tempus Sabellus caſtella ad ſiluam Gãbararam atq; Pyri extructa (hæc locis nomina) expugnauerat, munitionemq; ad Caſtrocarum circumſeſſam omnis generis machinis tandem in poteſtatem redegerat, propugnaculo ad Bagnolum interim excitato. dein caſtellum Caſtrocarienſe cum ſuperuacuum eſſe cerneret incendit: progreſſusq; ad Bouolentam voluntaria deditione loco potitur. inde totos triginta dies ad portam Coruino ponti coniunctam nullo fructu aſſidens alteram, quam omnium Sanctorum dicunt, oppugnare inſtituit: ibi facta ab ciuibus eruptione magnum militum numerum deſiderauit. proxima, quæ ſubſequuta eſt nocte, ad pontem Meduaci perrexit; mox apud Nouentam vſq; ad exitum Sextilis ſe continuit: cumque varijs excurſionibus tantiſper hoſtem diſtineret, præfectum, cui portæ Sanctæ Crucis cuſtodia commiſſa fuerat, ad eam ſibi prodendam pellexit. conſilio exequendo intentus ad ſuburbanum Baſſanellum caſtra promouit: ac forte fortuna per eos dies accidit, vt dum Opizo Petri Polentani frater Venetijs reuerſus, quo ad fratris ſimultatem cum Antonio Aquilano componendam ſe contulerat, cũ quattuor patritijs Venetis Meduaci riuulo, Brintellam incolæ dicunt, nauigio vehitur captus ab hoſtium nõ nullis, qui inter iuncos in inſidijs latebant, a Iacobo Panico intra munitionem Plebis ſacci traheretur. Carrariẽſis Venetos Patauiũ ad ſe adductos indignis contumelijs affecit, & magno auri pondere libertatem redimere coegit. quo facto Patres vehementius irritauit, & in ignem, quo mox conflagraturus erat, ligna addidit. his ipſis diebus Beltraminus Vicetinus modico equitatu, atque aliquot cohortibus, ita enim locus poſcebat, montana Patauinorum caſtella ſubegit. ſimul municipes Ateſtini cæſo, qui Carrarienſis nomine cum imperio præerat, Piſano Centurione, vnaque Montagnanenſes defecerunt. Ex ſumma quoque inopia coorta peſtilentia magis magiſque clauſam vrbem populabatur, ita vt quotidie circiter trecenti in rationem libitinæ venirent. propterea eo deſcendit Carrarienſis, vt præſidio haud quidem ſtrenua ſed obſcura atq; inutili plane morte ſenſim imminuto Franciſcum filium cum omnibus copijs in hoſtem emitteret aduerſa porta, ipſe ad cuſtodiam oppidi ſubſtitit. iuuenis incredibili ardore ad pagum Baſſanellum de improuiſo illatus pene prius hoſtem vicit, quam telum ſtringeret;

ret;

ret: quippe deſperatione ac prope vitæ tædio acti omnes egregiam illo die virtutem præſtiterunt, vt finem bello impoſituri fuerint, ni Gonzaga, qui forte motis ad Mõſilice caſtris haud procul inde aberat, cum recentibus copijs ſuperueniſſet. iam enim Franciſcus Sabellum, Ludouicum Bonifacienſem ac primores alios ceperat, paſſimq; impedimenta diripiebantur, milites vinciebantur; cum Gõzagæ aduentu non captiui modo ſunt recepti, ſed etiam in ipſos victores vertit ſtrages plane miſerabilis, vt vix cum cædis reliquijs euadere in vrbem Patauinus potuerit. cumq; multos nobilitate atq; opibus præſtantes ciues prælium hauſiſſet, ne ſaltem poſtremo funeris officio carerent, corpora ad ſepulturam plauſtris ſunt in oppidum aue cta hoſtium permiſſu. Tot tantiſq; belli, inopiæ, atq; peſtilentiæ malis afflictæ ciuitati vnicum ſupererat remediũ, ſi quis eorum, qui in Italia viribus pollebant, ei ſubuenire animum induceret. Carrarienſis magnam in Florentinis ſpem collocauerat: at illi in vnam rem Piſanam intenti alio uires non poterant conuertere. etenim cum ipſorum nomine Bucicaldus prætor in Italia Franci regis Genuæ cum Gabriele Maria Sforria egiſſet de illo oppido quærendo ducentis florenorum nummûm millibus, iamq; arcem haberent in poteſtate creditam fidei Laurentij Raffacani cum D. militum præſidio, Piſani in libertatem ſe ſe uendicantes tormentis arcem circumdedere, ac tanta celeritate expugnauere, vt præfectus a ſuſpicione fraudis non multum abfuerit. Iudificatione atque ignominia accenſi Hetruſci omnem poſtea pacis mentionem aſpernati ualidiſſimo exercitu Piſanos inuaſerunt. Ladiſlaus quoque rex Apuliæ de Carrarienſibus admodum ſecurus totus in Vrbem Romam, ſicuti alias admonebamus, ferebatur oblata forte per eos dies non exigua rei bene gerendæ ſpe: nam cum peteret populus Romanus ab Innocentio, uti pignora publicæ ſecuritatis in ciuium poteſtatem traderet Capitolium, Pontem Miluium, & Adriani molem, idemque in curia, de quo alias ſæpe fruſtra egiſſent, poſtularent aliquot Decuriones: Ludouicus Sulmonenſis Pontificis nepos homo manu quàm conſilio melior plane furens cum ſatellitum cohorte facto in eos impetu partim obtruncauit, partim e feneſtris præcipites dedit: paucis exitus ad fugam patuit. commoti ciues momento temporis arma corripuerunt, ita vt Innocentius cum paucis familiaribus ægre Viterbium elaberetur. quod niſi cohortes nepotis, & Moſtardę Pontificii præfecti aduerſariorum audaciam repreſſiſſent, eo quoq; receptu excluſus fuiſſet. præfecti & ipſi paulo poſt Pontificem conſequuti exercitum

deduxerunt furori populi cedentes: qui mox iram effudit in eos ſacerdotes, qui fugam in tempore explicare non valuerant. quapropter Ladiſlaus ne occaſioni deeſſet occupandæ vrbis Romam cum exercitu properabat tum aperta ui id rapturus, quod proximo ſuperiore anno furto intercipere non licuerat. quippe ratus populũ non valde repugnaturum in vrbẽ venerat ſub Innocentij Pontificis creationem; vt vero non obſcure intellexit rem difficiliorem opinione ſua fore, ſimulauit illud ſe iter adorandi Pontificis cauſa ſuſcepiſſe. Coſſæ quidẽ apud Bononienſes Pontificio Legato in manu fuiſſet rẽ Patauinã complecti, quod Vicecomiti, vnde ea calamitas ad Carrarienſem dimanabat, infenſus eſſet; ſed copias ac vires omnes ſuas ad oppidulum in finibus Bononienſium compulerat aduerſus Almericum, qui cum Manfredo Comite locum ualido præſidio obtinebat, indeque illum vehementer fatigabat. ad arma enim, cum pax non conueniſſet, iam ante deuenerant. Paulus Vrſinus Pontificiorum imperator pabulatores Almerici adortus Manfredũ, quo ſuis ſubſidio eſſet, e munitionibus extraxerat, atrociſſimoq; certamine multis vtrinq; cęſis ſtatim vires vterq; reparauerat. cumq; Carolus Malateſta & Aſtorgius Manfredus in legati caſtra ueniſſent leuia quotidie prę lia ferebãtur, ac nihilo q̃ ante ſegnius bellum ꝓcedebat. Ateſtinus ſi quo pacto exulceratos animos lenire, atq; ad pacem poſſet traducere ad Podium, inde ad Petri caſtrum haud procul oppido Bononia profectus trium tantũ dierũ inducias cõfecit, mox in XV. diẽ productas. vbi inducię præterierunt, Vrſinus oppidulũ hoſtiũ receptaculum noua munitione premere eſt aggreſſus. hæc illi. Carrarienſe maximis in regni fluctibus nulla auxilij ſpe ab oĩbus deſerto Venetium & Cãpus nouus Prætori Rhodigino ſe permiſerunt. eodẽ die, qui fuit Id. Sept. vti plerunque accidit, Monſilicenſes exemplo adducti Venetos acceſſiuerunt. poſtero Lemniacũ deditionem fecit. loci cuſtos Calcinus Torniellus Ferrariã profugit, itemq; Lucas Leonius & ipſe Mõſilice elapſus. pariter Caſtrũ baldi, cui Bonifacius Varnerinus præerat, & Gulielmi idẽ fecere. Leonius auctore Nicolao nec ignaro Patauino Venetos Legatos in caſtris cõuenit iterũ acturus de concordia, quam paulo ante heri iuſſu agitatã ad exitũ adducere nõ potuerat. Patres cõditionẽ ferebãt, ut Frãciſcus acceptis aureorum nũmũm LX. millibus Patauio excederet: q̃ placitã primo cũ deinde animi anceps atq; fluctuans unq̃ ſibi probatã ꝑnegaret, ſenatus indignationẽ auxit interminantis huiuſmodi ludibrium nequaq̃ impune illi futurũ. Dũ hæc geruntur, Paulus Sabellus ęger Venetias deportatus in diebus paucis vitę finem fecit, & magnifico funere elatus ſepultusq; eſt apud mi-

nori-

notitas. Gonzaga Octobri menſe omniū copiarū accepto imperio nihilo minus intentus proditioni, quā a cuſtode portæ Sāctę Crucis incohatā ſupra memorauimus, ſæpe ab ea parte oppidum eſt adortus: ſed ne portæ quidē ipſi appropinquare eum ſiuit vnquā Carrarienſis. nocte tandem, quæ diem xxv. menſis inſequentis eſt conſequuta, proditor promiſſa præſtitit. cæſis vigilibus, qui propinquum ei portæ murum cuſtodiebāt, ſcaliſque ad id ꝑparatis aliquot hoſtibus introductis portā refregit, & dubia adhuc luce Gonzagā cū exercitu potentem vrbis fecit. ꝓcedentem ſub ſignis via, vnde portæ nomen eſt, Carrarienſes pater & filius eodem properantes vnde erūpere ſolebant, conſpicati in arcem ſe ꝓripuerunt. eo Gonzagam ſanguine coniunctum acciri placuit, vti fide eius Venetias profecti aliqua ſibi conditione proſpicerent: ſi nihil impetrarent eodem reditus pateret. pergit in arcem Gonzaga, fidemque de ea re ſuam interponit: illi quam maxime ſordido atq; obſoleto habitu ſtatim ad vrbem contenderunt: Senatu dato tantam animi mollitiem prę ſe tulerunt, quantā ſuperbiā in ſecunda fortuna oſtenderant; tum abiecti ad pedes Principis multis cum lacrimis erratorum veniam ab eo petierunt. at qui erant in conſilio complurium criminum reos factos, fandoq; exaggerata culpa, quæ fœda, immania parētis atq; filij ſcelera appellabant, tanta acerbitate corripuerunt, vt uox plane cōcideret. ad ultimū e conſpectu Principis abducti in ipſo Curię ueſtibulo cōprehenſi eodem, quo Iacobus, carcere includuntur. litterę ad Gōzagā ſunt datæ, quæ ipſe inconſultis patribus recepiſſet, ea rata eſſe nō placere ſenatui: legatis denuntiatum, ut reipub. nomine oppidū arcēq; in poteſtate retinerent. tum & legatus Barbianenſis oppidula expugnauit, traditoq; in cuſtodiā Aſtorgio Manfredo cum Braſighellæ ꝑpoſitum res nouas aduerſus Eccleſiā moliri deprehendiſſet, animo ſecuro fuit, ne quid deinde Fauentiæ nouaretur. reuerterat legatus cū Almerico in gratiā, & Franciſco Seuerinate ſeditioſo homine, qui Verona ad ipſum acceſſerat, ut eo bello operam nauaret, ſecuri pcuſſo iam ad Forumliuij exercitum admouerat: nempe ciues immodicis tributis efferati ad Franciſci Ordelaffij domum accurrerunt, hominemq; ex morbo decumbentem & Vicarij titulo oppido præſidentem pluribus vulneribus confoderunt, mox p urbem tractum, atq; adhuc ſpirantem ſepulcro incluſerunt: ab eadem ira uecordiaque Franciſci filium adoleſcentem pariter trucidauerunt. profectus cum exercitu legatus ad defectionem vindicandam ex interceptis litteris cognoſcit Decuriones ab Aſtorgio ſollicitari in Sanctam ſedem. hominem ad ſe diſſimulata cauſa uocatum illis ipſis litteris coarguit,

ac Bononiam in cuſtodiam ablegat.cum a muris non recederet tur
rim primo, poſt oppidum ipſum capit, arcemq; ibi ædificat frænũ
ac compedes ciuium;& principio Decembris Bononiam reuerſus ne
ſcelera inulta eſſent,ſimul vt Flaminiæ proſpiceret,capitis ſupplicio
Aſtorgium affecit.tum & Veneti potiti primo Vicetia ac Verona,de-
inde Patauio,receptiſq; ex Vermij pactione duobus in Carnis oppi-
dis Feltria & Belluno, iactisq; vſq; adeo firmis in continenti imperij
fundamentis ipſi quoq; vt parta conſtabilirent,& quod æquum iu-
ſtumq; eſſe cenſebant,exequerentur XIIII. Kal. Febr.anno inſequen- 1406
ti Franciſcum Carrarienſem in carcere necandum, ita vt tũ res om-
nibus palam fieret, ac nulla funeris pompa in ædem Diui Stephani
inferendum curauere.Franciſcus eius nominis Tertius & Iacobus fi-
lij adeo occulte perierunt,vt corpora nuſq̃ comparuerint: rumor te-
nuit noctu mari merſos. Vbertinus & Marſilius fratres iam in Hetru
riam tranſiuerant, quo eos pater ſub id tempus fortunã cernens in-
clinare,ac tum præſagiens futuræ cladis amandauerat. Sed non ab
re ſit nulla deinde familię,qđ quidem ſcriptum extet,propagata ſtir-
pe & imperio amiſſo parua quaſi in tabella eius ſeriem oculis ſubijce
re. Familiæ origine ante incomperta anno a Chriſto nato CCXCVI.
ſupra M. Vgutionis, Marſilij, & Vbertini Carrarienſium extat men-
tio: primus Marſilius Senior Marſilij, cuius proxime meminimus,
filius anno MCCCXVII. imperium in familiam intulit. ex Iacobo nati
Marſilius & Vbertinus vterque II. & Nicolaus: ex Nicolao Iaco-
bus & Iacobinus. Iacobus Franciſcum Seniorem, Maſtinum Carra-
riæ Comitem, Vbertinum III. & Nicolaum II. genuit. Senior Fran-
ciſcus alterum Franciſcum eum nempe, de quo dicebamus,Pataui-
norum Principem nouiſſimum, & Gentilem Carrariæ Comitem ex
iuſta vxore, Iacobum ex pellice ſuſcepit. Ex Franciſco Iuniore &
Thadęa Ateſtina orti Franciſcus III.Iacobus, Vbertinus, Marſilius,
Giliola Nicolao Ateſtino nupta. Ac fatum quidem huiuſmodi & fi-
nis plane miſerabilis Carrarienſium ſtirpem ſimulque imperium ex-
tinxit. quod quidem documento ſit opes ſcelere quęſitas & pręco-
ques nullo neque deorum neque hominum metu repente peruerti,
quaſiq; de gradu præcipitari.

FINIS LIBRI QVINTI.

ARGVMENTVM

Libri Sexti.

TVRBATÆ in Jtalia res, Friniana prouinciæ motus, bellumque ibi a Nicolao geſtum; Piſani Florentinis dediti; complures Itali a Nicolao communi fœdere obſtricti: bellum ab Othobono Tertio ipſi illatum, eiuſq; euentus, armorum conſociatio, quoq; modo ea in poſterum tuenda: inſidiæ ab Othobono Ateſtino comparatæ, ac inſidiatoris cæde merito depulſæ: Regium, Parma, aliaque oppida Nicolai imperio adiecta cum Tertiæ gentis interitu libro ſexto continentur. Gregorij item XII. cum Benedicto Pſeudopontifice, & Cardinalium inter ſe concertationes, Concilium Piſanum: vterque dignitate exutus Alexandro V. iuſto Pontifice renuntiato, qui cum Nicolao maxime coniunctus fuit: bellum a Ladiſlao in Hetruriam Legato Pontificio adiutore promotum: aduentus in Italiam Aloiſij Andegauenſis, & recepta vrbs Roma, partus Ioanni XXIII. Pontificatus: dignitas, opesque eo petente a Nicolao in Sfortiam collatæ; pax cum Neapolitano compoſita: bellum inter Sigiſmundum Cæſarem ac Venetos, induciæque confectæ Nicolai opera: eiuſdem peregrinatio Hieroſolymitana, ac reditus domum referuntur. Concilium eodem Auguſto auctore Conſtantiæ coactum: Nicolai cum Pontifice & Florentinis fœdus: Lauretana in Piceno, atq; apud Gallæcos in Hiſpania ædes Diui Iacobi ab eodem Nicolao adita; relata ex Gallia Caroli VI. munere lilia, quę gentilitijs inſignibus adderet: Ladiſlai obitus, vt ſe Pontifex in conſeſſum patrum cum dediſſet, dignitatem amiſerit Martino V. ſucceſſore: Pontificiæ ditionis regnique Neapolitani turbæ. Bononienſes ſeditiones, Alfonſi Tarraconenſis in Jtaliam tranſmisſio: Bononia Sanctæ ſedi Nicolai induſtria reſtituta: Parma Jnſubri ab eodem condonata explicantur. His connectuntur Gulielmi Luneburgenſis, et Bernardi Brunſuicenſis cum Antiſtitibus Bremenſi & Heldeſenſi finita odia: Foroliuienſes & Cornelienſes ſub imperium Jnſubris coacti, conſpiratio Florentinorũ cum multis aduerſus ipſum præfecto exercitus Nicolao, quęque eo bello geſta ſint, & pax ipſius opera conciliata. Brixia & Bergomum Veneti iuris atque ditionis effecta; Lucenſes bello

ricus

petiti, atq; in libertatem a Franciſco Sfortia reſtituti. tertiæ Nicolai nuptiæ: Venetorum ac Turcarum bellum pace finitum: Gulielmus V. Otho XIII. & Henricus XV. ad concordiam traducti. Veneti claſſe victi, Cæſar in Jtaliam transgreſſus. Boemorum ſeditiones, Concilia Senenſe & Baſileenſe commemorantur. Præterea Venetos atque Florentinos communibus armis atque auſpiciis cum Jnſubre contendiſſe: deinde Nicolao ſatagente vtrinque ab armis diſceſſum fuiſſe: Cæſarem Jtalia exceſſiſſe, publicam a Vicecomite quietem interpellatam pluribus ditionis Pontificiæ oppidis occupatis: Bononię tumultuatum; populum Romanum rebellaſſe fuga ſibi conſulente Pontifice, eumque mox cum Franciſco Sfortia amicitiam iunxiſſe. Nicolaum Picininum proſpero euentu pugnaſſe, Pontificem & Jnſubrem auctore Nicolao bellum pace commutauiſſe narratur. Subſequuntur procerum Neapolitanorum ab exceſſu Ioannę turbę ac ſeditiones: capitur ac ſtatim dimittitur Tarraconenſis: Fortebraccius interficitur. Aſiſium, Bononia, & Forumliuij ſub Sanctę ſedis ditionem ſubiunguntur: de Orientis occidentisq; Eccleſia concilianda agitur. Græcus Cęſar paulo poſt eo indicto Concilio Ferrariam, quo conueniat vltro edit. Lugum Nicolai, Boemia Sigiſmundi Auguſti imperio accedit; quo paucis poſt diebus vita functo eadem prouincia ſimulque Hungaria vnum veluti regnum cum Auſtria efficiuntur. Vitellius Legatus Pontificius magna in regno Neapolitano molitur: bellum inter Inſubrem & Venetos renouatur, Pontifex, Cęſar, & Orientis ſacerdotes ad Concilium accedunt. Quæ quidem omnia ab commotis in Jtalia rebus atque fluctibus, quibus & Nicolaus ipſe fuit agitatus, ad Concilium vſque Ferrariam indictum, ibiq; inchoatum ab anno ſcilicet MCCCV. vſq; ad MCCCCXXXVIII. perpetua ac nunquam intermiſſa ſerie producuntur.

IO. BAPTISTAE PIGNAE
De Principibus Ateſtinis
AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM,
HISTORIARVM
LIBER SEXTVS.

ITALIAM turbatæ vt ante res grauibus ſeditionibus ac motibus totam prope concutiebant. prætérquam quod enim Venetia Veronenſium ac Patauinorum bellis modo non ſolitudo facta erat; populus Mediolanéſis in factiones diſtractus partim IacoboVermio, partim Facino Cani fauebat. ac quamquam poſt matrem Montiæ defunctam non ſine veneni ſuſpicione Ioannes Maria accerſito Gabriele fratre conciliare inter ſe Vitanos & Ruſconos ſatageret; haud tamen plebs contineri potuit, quin modo harum modo illarum partium inteſtinis cædibus ſe ſe conficeret; vel prohiberi, quo minus oppida ſubiecta cum promiſcua multorum ſtrage imperium aſpernarētur. Legatus Bononienſis de ijs, qui in Flaminia deſciuerant, pœnas expectebat, Florentini in vnam curam intenti, vt Piſas arctius premerent, caſtra ad vicum Piſanum locauerant, inde excurſiones faciebant; atque omnia fermè illius tractus caſtella in poteſtatem redegerant. Ladiſlaus quoque Apulus rex tametſi alias irrito conatu diſceſſiſſet, vrbem tamen Romam iterum obſidione cinxerat. Ateſtini regnum nihilo quietius erat. quippe Othobonus Tertius validis copijs ſuccinctus Mutinenſes aſſidue territabat, & prouincia Friniana tota in armis erat; quam Nerius Montegarullenſis non parua militum manu, & pręſidio montanorum hominum clientium ſuorum ac regionis peritorum paſſim prædabundus incurſabat. iamque e Mutinæ propinquis collibus videbatur impetum facturus, cum Nicolaus duce Vgutione Contrario, Legato vero Vgone Boiardo eo hominem

redegit, vt ab exitio minimum abeſſet; niſi Florentini ſeſe interpoſuiſſent: quod Nerij pater Opizo, quem regni initio ab Nicolao caſtello Roccapelago donatū diximus, in Hetruria eorum copijs pręeſſet. pręfecturam illā populus Florentinus mandauerat Opizoni pręſus Bertoldi Vrſini Comitis Soanenſis, cui imperium primo dederat mox ademerat tranſlatum ad hunc ipſum Opizonē. legati Florētini Ferrariā cum veniſſent, vt eodē Nerio tuto accedere liceret puicerūt, multisq; propoſitis cōditionibus nullā oīno Ateſtino probauerunt. itaq; mittitur eodē Contrarius, cuius altera expeditione legatus fuit Nannes Strotius. Opizo Sfortiæ Attendulo commiſſo exercitu e veſtigio profectus ad filiū & ſua tutanda tanta clade ab Vgutione afficitur, vt qui ante totis illis collibus prope dominaretur, caſtella tria Montem, Montembonettum & Mocinum ægre retinuerit: poſtremoq; prælio Antonium filium ab hoſtibus captum, quodq; illi accidit longe acerbius, Roccapelagum vetus ac tutū pfugium amiſerit. quin illis quoq; locis deturbatus fuiſſet, ni auxilia ab Othobono Tertio clam ſubmiſſa, & metus grauioris alicuius motus Nicolaū eaten° coercuiſſet. Innocentius interim vitæ finē fecit, qui pop. Rom. ope, virtuteq; Pauli Vrſini & Moſtardæ pręfectorum ſuorum Neapolitanū pepulerat: accitusq; a ciuibus Viterbio Romā ſe contulerat. cui VII. Id. Nouembr. mortuo poſt trigeſimū tertium diē ſufficitur Gregorius XII. Cardinalis Byzantius ante Angelus Corrarius nuncupatus. ſed qđ illis ipſis comitijs patres pro ſe quiſq; pſanĉte iurauerant ſe, ſi Pontifex renuntiaretur, nomen atq; inſignia depoſiturū ad finiendū ſchiſma, vtq; religio Chriſtiana vnū modo ſacrorum principem haberet, ipſe iuriſiurandi memor ea de re litteras ad Ateſtinū & alios principes dedit. in primis vero a Franco rege petijt, curaret vti Petrus Luna gente Cathalanus Benedictus vocitatus, qui tū Maſſiliæ erat, ei morbo ſanando pro ſua & ipſe parte vacaret. Placuit vtrunque inſequenti anno archangeli Michaelis, aut certe omnium Diuorū feſto die Sauonæ congredi. eo ferme exacto tempore ſine vllo operæ pretio ac fructu Nicolaus, alijq; aliquot Principes legatos Senas ad Pontificem miſerunt: qui cum dies colloquio deſtinata appeteret, ac iam neceſſe eſſet Sauonam proficiſci, id ſe facturum negauit, vel quod locum ditionis Francorum cum Benedicto ſentientium ſibi intutum iactaret, eoq; nomine periurium defenderet, vel quod ea præſcriptione extra omnem aleam dignitatē tueri vellet: aut certe quod ſtudium, quo ab initio inflāmatus iuſiurandū culturus fuerat, paulatim deinde refrixiſſet flagrātiore in dies auctoritatis retinēdæ cupidine, quo magis eā ſibi oīno partā cernebat.

Pſeudo-

Pſeudopontifex Sauona legatos ad eum miſit, qui ſciſcitarentur, cur eum locum damnaret, hortarenturque quàm proxime accedere, vel in extremos, minimeq; ſuſpectos fines progredi, idē & Benedictum facturum. res diutius agitata eum habuit exitum, vt Gregorius Petram ſanctam, Benedictus Sarzanam procederet. inde vna cū Franci regis legatis Senas & ipſe ſuos miſit, qui propalam verba fecerūt, & Gregorij excuſationē reiecerūt extollentes Benedicti ſtudiū, ac nihilominus affirmantes ab eo Sarzanā probari. ſubiecerunt regij interiota oppida Lunenſis agri, ſi res exigeret, ēt voluntate regis ad cō greſſum patere. auditis legationibus Pontifex e veſtigio Lucā ſe iturū, ac deinde ꝓpius acceſſurū eſt profeſſus. qua re adducti cōplures Principes oratores ad eū miſerunt. Veneti ad ciuē ſuum legauerunt Marinum Maroellum & Zachatiam Triuiſanum, qui cum ornatiſs. comitatu Ferraria iter eò fecerunt. Florentini & ipſi cū proximo ſuperiore anno potiti Vicopiſano Piſas fame ad deditionē certis conditionibus compuliſſent, ꝙ oppidum vltro delatum Ladiſlaus repudiauerat, nec Gallorum maieſtas, quorum in fide erat, potuerat defendere, ea cura defuncti p internuntios cū Gregorio egerunt, ne oīum gentium concordiæ moram faceret. oēs deniq; tum Itali principes, tum liberæ ciuitates ob eandem cauſam ad Pontificem legatos decreuerunt; nec non gentes tranſalpinæ, vti res tam ſalutaris ad exitum perduceretur. Eadem tempeſtate quieuerūt Ateſtini, qui apud Germanos regnabant. vnus Henricus XV. Brunſuicenſium Dux gratiam relaturus Bernardo Lippienſi, a quo bello captus dura in cuſtodia per annum habitus, nec niſi magna mercede dimiſſus fuerat, magno coacto exercitu oppida Polum & Hornū expugnauit, omnemq; regionē trans Veſarā populationibus fœdauit. Nicolaus quoq; & Pandulphus Malateſta, vnaq; Io. Franciſcus Gonzaga, qui patri in regnum ſucceſſerat, cum Galeatius in expugnatione Tretij poſtr. Non. Mart. cecidiſset, cognatione ac finibus propinqui fœdus inter ſe pcuſserunt. eodē ſe vinculo obligarunt Veneti, vt facilius ea, quæ nouiſſime imperio adiecerant, tuerentur. Fœderi Non. Sex. inito quinquenniū præſtitutum: cuius hæc fuit formula. Socij quoſcunq; milites ad ſe accerſere contingeret, per alterius fines iter, ſtatiua, atq; cōmeatum præberent. ſi quas aduerſus ſocios inſidias quis ſtrui comperiſset, eos admoneret: exules inter ſe traderent. Veneti quoad ſocietas maneret, equites CCC. alerent: Ateſtinus, cuius minimū intererat L. Mantuanus XL. Malateſta CXXV. ſi res maiora præſidia poſtularet, tū ea cōpararentur ꝓ rata portione; alter alteri, ſi vſus veniret, ſuos auxilio ſubmitteret, ita vt ne alia, ꝙ̄ quæ tū poſſiderent,

loca ijs turei neceſſe eſſet, nõ ſi quid deinceps imperio adiungerent. neminẽ ab eo fœdere, ꝙ quidẽ prope publicum eſſet, repelli: ante .n. ſinguli ſeparatim alio ſe cum Venetis iiſdem legibus obſtrinxerant. quod autem diximus Ateſtinum ex fœdere equites L. debuiſſe, Malateſtam totidem, atque amplius LXXV. eam habuit rationem, non quod ille opibus præſtaret, ſed quod biennio ante aſtu Gabrielis Mariæ Brixia potitus, qui fratri perſuaſerat, vt aliquot ei caſtella in illo agro, & Bergomate dono daret, cum Brixiæ metueret, vnus omnium ardentiſſime eam ſocietatem concupiuerat, longeque plurimum in eam contulerat. Ineunte eius ſeculi anno octauo Nicolaus magno honore Ferrariæ excepit Alfonſum poſt Bragantiæ Ducem appellatum, Ioannis Luſitanorum regis filium, qui ex Hieroſolymitana peregrinatione in patriam reuertebatur. ſequenti menſe Antonius Vicecomes elapſus Portazobbia, quod caſtellum Inſuber expugnauerat, apud ipſum quoque Ateſtinum fuit. Gabriel Maria Genuam cum profugiſſet, in fratris gratiã a Bucicaldo ſecuri eſt percuſſus. Validiſſimis ſeditionum capitibus pulſis Portazobbia, quem locum inter tot tumultus obtinuerant ſpe maioris ſucceſſus, Princeps legato declarato Carolo Malateſta vrbanos motus magna ex parte ſedauit, maxime autem paulo ante Othobono Tertio ab ſe dimiſſo, qui altero poſt menſe infeſtum habuit agrum Mutinẽſem. etenim Iacobus Vermius cum Ioannem Mariam monuiſſet Facinum Canem, & Gabrielem aduerſus Guelfos conſpiraſſe, quo regno ipſum depellerent; auctor ei fuit Othoboni mercede conducendi cum bis mille & quingentis equitibus; cuius in oppidum recepti præſidio munitus ſalutem ſuam defenderet, & inimicorum conſilia diſturbaret. quæ quidem res oppida, quæ defeciſſent, ad priſtinum obſequium aliquando cogeret. ita Othobonus cum armatorum ſeptem millibus Tretium, inde Roſatũ profectus cũ Vermio vires cõtulit: traductiſq; minorẽ Ticini alueum aliquot cohortibus, nec non equitum turmis numero ad duo millia militum, Facinum Binaſco cum aliquanto maioribus copijs egreſſum ſuccedentibus continenter auxilijs fuderunt ac fugarunt. Ticini deinde ab Philippo Maria ciuitatis Principe recipitur; mox ab Inſubre acceſſitur, cum ante Vermius Mediolanum prægreſſus oppidi præfecturam ei impetraſſet. ceterum tantum ignem ibi excitauit, vt nocte conſtituta quotquot erant Gibellinæ factionis trucidaturus fuerit, niſi atq; ægre quidem Vermius hominem a tam fœdo conſilio reuocauiſſet. cum vero præterita ſtipendia nondum exſoluta flagitaret, ac Principem hac quoque cura oneraret, præter impoſita ob hanc cauſam 1408.

ciui-

ciuibus tributa, & pecora ex agro ſuburbano in Parmenſes fines domum compulſa centum florenorum nummûm millia initio quidem ſumma cum difficultate corrogabat: ſed cum recepiſſet ſtatim atque argentum foret numeratum, ſeſe abiturum, tota illa ſumma celeriter eſt confecta. Fretus equitatu ac pecunia, quantum ei rei ſufficere putabat, bellum Mutinenſibus inferre ſtatuit: itaque XVI. Kal. Maij nulla ne in ſpeciem quidem ſatis iuſta ac probabili cauſa impulſus cum aliquot cohortes Regio Vineolam ac Spilimbertum verſus ſeſe hoſtiliter effudiſſent, magnam pecoris atque agreſtium vim Regium auertit. creſcente in dies exercitu, qui ad peditatū tria equitum millia adiecerat, Corrigienſes ac Mirandulanos campos, Herberiæ ac Marzaiæ fines eſt depopulatus, ac ſub ipſas Mutinæ portas, quo iam turma L. equitum ſe intulerat, excurrit: nec deinde opera atque auctoritate Veneti Senatus ab iniuria potuit reuocari. Ateſtinus pacis nequicquam patribus agitatę mentionem aſpernatus Sforiam Artendulum ab Hetruſcis paulo ante exauctoratum cum equitibus CCL. militiæ ſuæ adſcripſit. in eum vix ingreſſum iter Othobonus duxit, cumq; exercitu ad Saxolum conſedit, quo ab Mutina intercluderet. id Sfortia ſubodoratus cum de via, quæ Bononiam fert, paululum ad dextram deflexiſſet, alio quàm putarat hoſtis itinere, magnaque celeritate Mutinam incolumis peruenit. eo nuntio rabie accenſus Othobonus continuo ad portam Baioariam agmen rapit, vnde militum præſidio atque vrbana iuuentute erumpente vtrinq; acerrime eſt pugnatum: ciues tamen cum paulo longius a muris abſceſſiſſent, inferiores diſceſſerunt: ſed caute ſe recipientes locis opportunis pro mœnibus ſteterunt, atque hoſtis impreſſionem fortiter ſuſtinuerunt. non minus duabus horis prēliū tenuit: cum ad Mutinenſes victoria inclinaret, vſque adeo ſtrenue gradum referenti inſtiterunt, vt multis cæſis, longe plurimis captis cum ſemilacero exercitu fugæ modo eū Regiū compulerint. Ateſtino non propulſando modo bello, ſed etiam inferendo inuigilanti menſe Maio litterę ſuperuenere a Franco rege, quibus certior fiebat, regem ipſum popularibus denuntiaſſe vtrique vt Pontifici iuſto iniuſtoúe pariter nimirum dignitate exutis obſequium denegarent: petebatq; idem ipſe præſtaret, quod ceteros Chriſtiani nominis Principes facturos ſpes erat, quibus ea de re ſcripſerat; vt communi conſenſu ipſis inuitis res Eccleſiaſtica vno tantum iuſto ſacrorum præſide componeretur. Turbauerat religionem Pontificum diſſenſio: quippe ante menſem tertium alter Lucam, alter ad Veneris portum proceſſerat. ibi vter propius accederet ac congrederetur, altercatio perdiu tenuit, eumq; habuit

buit exitum, vt Benedictus multa teſtatus re infecta in Prouinciam cum ſui ſtudioſis patribus abiret, Gregorius Lucæ maneret Cardinalibus ſuatum partium adeo inuiſus, vt cum odium minime diſſimularent, ijs comminaretur, ſe ſi desereretur, dignitatem illis abrogaturum. auxit Patrum indignationem nuntius allatus Ladiſlaũ Apuliæ regem poſt aliquot Piceni oppida romanæ ditionis occupata biduo ſumma ope terra marīq; Oſtiam expugnauiſſe, mox ipſam vrbem obtinuiſſe tradente Paulo Vrſino, ne ſi fruſtra tetendiſſet patria per vim capta fœde diriperetur. Benedicti & Gregorij pertinaciam aluerant tumultus ac turbæ, quibus exiſtimabant Francum regẽ circumuentum eſſe, vt nec Benedictus eius ſimultatem magni penderet, nec Gregorius amplius aduerſum infeſtumq́ue, quemadmodum adhuc quidem æmulo cupientem metueret. Galliæ motus ſpecie atque opinione multo maiores erant, quam re ipſa. quamquam .n. Ioannes Burgundiæ Dux Ludouicum Aurelianenſem regis fratrem immiſſis percuſſoribus interficiendum curaſſet, ac Valentina vxor communes liberos coram patruo ſtatuiſſet, obteſtans ne cædem inultam pateretur: ea tamen Burgundionis animi præſentia fuit, vt nequaquam inermi comitatu Luteriam venerit, atq; ad diluendum crimen auſus fuerit dicere Ludouicum magicis artibus fratris mentem tentaſſe, clamq́ue a Benedicto contendiſſe, vti ius regni ab rege abiudicaretur, quod is non magis illo dignus foret, quam Chilpericus, a quo idem munus auctore Zacharia ad Pipinum tranſlatũ affirmaret. veneficij quoque & virum & vxorem inſimulabat, quo poſt ſublatum regem ipſi rerum potirentur: proinde ſe, qui tyranni cæde patriam liberaſſet, non modo non pœna, ſed præmio dignum eſſe. Hac oratione, ſed multo maxime potentia cunctis prope cauſam probauit ſuam. Vrbs regia in contrarias factiones alijs Ludouico, Burgundioni alijs fauentibus diſceſſerat. interdum & ad manus ventum eſt ſine vllo Burgundionis detrimento, qui illis ipſis diebus Eburones repudiantes Epiſcopum vxoris ſuæ fratrem inflatum ſpe hereditatis fratris Hollandię Comitis cum eſſet hypodiaconus, maioribus ſacris ordinibus initiari recuſabat. ita obſequium vi extortum. Inter huiuſmodi Pontificum diſſidia cum Italici omnes proceres Nicolaum excuſarent, quod hoſtem procul ſubmoueret, & amiſſa armis repeteret, dum ceteri priuata vtilitate adducti conſilia ſua ad euentum ſchiſmatis accommodant, ipſe bello intentus principio Maij aduerſus Othobonum fœdus iũgit cum Inſubre, Gonzaga, Pandulpho Malateſta & Gabrino Fundulo Cremoneſium principe. In eum publicæ pacis hoſtem ac turbatorem Longobar-
diæ

diæ quietis declaratum rem geri placuit equitum duobus millibus & noningentis, quorum mille præberet Ateſtinus, ceteros reliqui ſocij conſcriberent, ſuper Malateſtæ Cæſenatium reguli copias communi omnium ſtipendio militantes, & DCCC. equites, quos in oẽm occaſionem paratos haberet Ateſtinus numerante quotannis Inſubre, quoad bellum eſſet, eo nomine aureorum nũmûm duodequinquaginta millia, ita vt recepta de Othobono ei cederent, cui deditionem feciſſent. quamobrem Iacobus Othoboni frater, & Ioãnes Maluicinus, qui Caſtellettum in agro Cremonenſi cum præſidio obtinebant, e veſtigio in Gabrini fines illati eos peruaſtant. meſſe iam matura ab Craſſo Funduli pręfecto & D. equitum ala prælio victi ambo grauiter vulnerantur, ægreq; euadunt; ipſe cum præda & captiuis ſe recepit ad Ioannis Fanum, quem locum haud procul Cremona inſederat. His ipſis diebus Aldobrandinus Ioculus Guardiæ Comes ab Ateſtino ad Vicecomitem mittitur petitum, vti ad metum Tertio incutiendum Placentiam valido præſidio firmaret, atque a Facino Nouariã tum oppugnante, dum redit domum, contra ſacramenti religionem capitur. decimo poſt die, qui fuit XIII. Kal. Iul. Nicolaus cum Vgutione Contrario ſexcentorum equitum præſidio, ciuiumq; atq; aliorum honeſtiſſimorũ virorum comitatu, inter quos longe eminebant Philippus Piſanus, Robertus Toſſiniani, Almericus Zagonariæ, Ludouicus caſtri Bonifaciani Comites, Nicolaus Obizius, Nannes Strotius, Feltrinus Boiardus, Bonifacius Ateoſtus, Mutinam profectus ad Nauiculam, id loco nomen eſt, a Sfortia obuiam progreſſo excipitur. qua re territi Franciſcus Saxolanus, Atius Rodilius, ac deinceps Foliani vno excepto Carolo Othoboni ſocero ac duobus fratribus, itemq; Seſsij in Ateſtini clientelam cõceſſerũt. exemplo motus Opizo Montegarullenſis, ac fide publica Mutinam venire iuſſus multis ſe ſe verbis purgauit, orauitq́ue vti in amicitiam ac fidem reciperetur: ille vbi loca intercepta in Friniana regione dimittantur, tum de ijs poſtulatis ſe cogniturum reſpondit. plura de ſtudio atque obſequio in Ateſtinum ſuo differere parantem adeo acriter corripuit, vt ne hiſcere quidem auſus omnia ipſius arbitrio ꝑmiſerit. proinde annua ſtipe donatur ſub ea exceptione, vti Ferrariam migraret, quo mox cum Nerio filio ſe contulit. Antonius alter filius ad eam diem in cuſtodia habitus dimiſſus eſt, ac iuſſus hoc ipſo bello militare. cum hi, quos ſupra memorauimus, ab Othobono deſciuerunt, tum Rubei, necnon Iacobus Pontifex Lunenſis, eiuſq́ue frater Petrus ac Rolandus Palauicini magnis opibus ac clientelis pollentes in Parmenſi agro. per hoſce dies cũ Inſuber validum præſi-

præſidium Duce Vermio Placentiam miſiſſet, Nicolaus Herberiam copias promouit, locumq; tradentibus Boiardis Ateſtinorum clientibus recepit. quo deinde Othoboni vires carperet, Sfortiam totius exercitus ducem ſub ipſas Regij portas excurrere mandauit, idemq; ipſe non ſemel fecit, nec tamen hoſtem vel exigua manu extra mœnia ad pugnam potuit vnquam elicere. quippe & ciues ſuſpectos habebat, & paulo ante cum municipes Guardaſonenſes, Parmenſes, & Domniniani tumultuaſſent, comprehenſos circiter LXV. ſupplicio capitis affecerat. Ateſtinus cum Vgutione Ferraria reuerſus Mutinam fidei Philippi Piſani credidit. Auguſti ferme exitu Furlanus equitum præfectus, atque id quidem paulo memorabilius interim geſtum, ab hoſte fuit interceptus. is cum Sfortiæ iuſſu ad Vidonem Folianum cum LX. equitibus ſe contuliſſet, vti Scandianenſes coercerer, qui ſingulis prope diebus vineas depopulabantur, & ſtatiua haberet in caſtello Gypſo nomine, Vido Taurellus eius rei per exploratores factus certior noctu cum equitibus trecentis Regio Scandianum duxit tanta celeritate ac ſilentio, vt Folianum prorſus latuerit. poſtero die Furlanus circiter triginta equites præſidium prædatorũ adoritur, ac nonnullos capit. Taurelli ſuperuentu aliquandiu acriter vtrinque dimicatur: tandem Furlanus a victore hoſte capitur. Gomolenſes quoq; ab Franciſco Saxolano oppugnati cum vim amplius nõ poſſent ſuſtinere, accito Alberto Pio deditionem fecerunt. eadem neceſſitate cum laborarent Grondulenſes, qui locus eſt in agro Pontremulenſi, Petrus Rubeus præſidio futurus cum equitibus trecentis eo aduolauit: ſed prælio inferior cum in aduerſarij poteſtatem veniſſet, Pontremulum eſt perductus, quod municipium partim Rubeorum, partim Fliſcorum ditionis erat. Dum hæc geruntur, Nicolaus ex ipſorum Cardinalium litteris cognoſcit, Patres ante cum Gregorio ſentientes, quiq; clam Luca Piſas profugerant ſpretis minis Pontificijs, itemque Benedicti ſtudioſos ad diſſidium tollendũ inter ſe conſenſiſſe, vti vel in Exarchatu Rauennæ vel Aquileiæ concilium proxima futura Pentecoſte haberetur. eadem de cauſa Legatus Bononienſis, qui paulo ante ab Pontifice vtpote dignitate exuto Bononiam, Fauentiam, ac Forumliuij auerterat, vnaque alij duo Cardinales Florentiam conceſſerant. itaq; Gregorius quo longius abeſſet a periculo, cum poſt Patrum ſeceſſionem Senas veniſſet, ibique ſenatores octo cooptaſſet viros tum ſacrarum litterarum, tum iuris Pontificij ſcientia præſtantes, vt cauſæ ſuæ optimos propugnatores haberet, in Flaminia exceptus cultusq; eſt ſummo honore a Carolo Malateſta Ariminenſium regulo, qui per id

tempus

tempus Mediolano domum redierat. eiſdem diebus Nicolaus Conſilicis poſſeſſionem nactus eſt tradente Ludouico Zagonario, quod ille oppidulum, vnaq; Lugum,& Fanum Agathæ ante ſibi cõia cum Barbianenſi poſtmodũ ſui vnius iuris fecerat. tum & legatus Toſſinianum atq; alia quædam iuxta ignobilia loca eſt adeptus. in Regiẽſi quoq; Vido & Nicolaus Canoſſij Ateſtino ſe dediderunt ita, vt oĩbus prope caſtellis tota illa regione exutus Othobonus cum ob eam cauſam pecora ex circũiectis agris abacta Valeſtram, quod oppidulum in Caroli ipſius ſoceri poteſtate erat, compuliſſet, præclaram rei faciẽdæ occaſionẽ præbuerit Frãciſco Saxolano & Atio Rodilio. ſiquidem illi magna hoĩum multitudine Corrigij ac Mirandulæ cõtracta locum per vim expugnarunt, abduxeruntque non minus duodecim millia maioris pecoris: nec ea re contenti dum redirent domum ex Parmenſi ad ipſas vſque oppidi portas latiſſime vaſtato prædam longe opulentiſſimam retulerunt, Othobono ſe ac ſuos muris interim continente. Principio deinde Nouembris Sfortia ex compoſito cum Giberto Corrigienſi & Iacobo Mirandulano vti ad Caſtrum nouum haud procul Regio cum copijs præſto ſibi ſint, nihil non experiri ſtatuit, quo Othobonum in apertum eliceret: itaque ſimulans ſeſe montanos aggreſſurum, vbi præter inteſtinas ſeditiones rumorem de induſtria diſſipandum curauerat, eo ſe bellum tranſlaturum, hominem tandem mœnibus extraxit; ipſe longe lateque hoſtilem agrum populatus prædam ad munitionem anguli, ſic locum appellabant, haud longe ab Regiolo conuectam Giberti & Iacobi tutelæ cum idoneo militum præſidio commiſit. profectus inde vtrunque monet, vt petiti ab hoſte ad ſe tendant vireſque iungant: illi cum Othobonus opinione fruſtratus e collibus irrueret, non quo initio conuenerat, ſed diuerſi Gibertus quidem Corrigium, Iacobus Mirandulam ſe receperunt. haudquaquam ea re territus Sfortia & exercitum & prædam vera virtute ſeruaturus ire ad hoſtem pergit; cumque eo obuio prælium audaciſſime conſerit. pugnatum eſt aliquandiu dubio marte, ac magna vtrinque cæde; ad extremum Othobonus inclinauit, Regiumque cum multo maiore exercitus parte profugit. iam ſol occiderat, nec erat ubi victor commodius lucem operiretur quam Regioli, qui locus Gonzagæ nomine tenebatur. eo progreſſus victor tantum abfuit, vt muris a præfecto admitteretur, vt inde etiam tormentis fuerit ſubmotus. prædam tamen ibi depoſuit addito præſidio CC. equitum, moxque Nouij, quod erat in Piorum ditione, noctem exegit. oppidani, quorum in finibus pecora ſubſtiterant, interciſis iti-

neribus accitiſque agreſtibus, freti præterea auxilio complurium militum, qui Regio aderant, prædam omnem interceperunt; vix equites, qui illam tutabantur, euaſere. Anno eius ſeculi nono hieme perdifficili ac gerendo bello incommoda Nicolaus exercitum in hiberna reduxit, diligenterque de ratione futuri belli conſultauit, in primis cum Pandulpho, & eius fratre Malateſta, qui ab Inſubre dux lectus in Facinum Canem haud perinde gratia relata ab eo diſceſſerat. Apud Finale primo municipium, dum Nicolaus Mutinam proficiſceretur, communicata fuere conſilia. erant auctores quidam, ſineret agi de concordia cum Othobono: ſed Ateſtinus pacis mentionem aſpernatus de iniuria tantum vindicanda verba fieri voluit, ſubodoratus neſcio quo modo Venetos Regium aut certe Parmam affectare: quod ſi bellum in præſentia omitteret, periculum erat ne Othobonus pecunia in eius regionis partem poſſeſſionemque Venetum admitteret. legatus quoque Pontificius cum Ateſtino collocutus Malateſtis etiam adhibitis ſuaſit ne incepto abſiſteret, militem ac ſtipendium ſe, ſi opus foret, præbiturum; Othobonum otij maxime impatientem non niſi debellatum quieturum. Pandulphus & ipſe ſub concilij exitum octingentos equites, quos ad Ioannis Fanum ditionis ſuæ oppidulum in finibus Bononienſium locauerat, præſto fore affirmauit, ſiquidem Othobonus armis eſſet perſequendus. Dum hæc geruntur, diuinæ ad ſanctiſſimam Virginem legationis dies ſuperuenit auſpicando Piſis concilio præfinitus, quo iam quattuor & viginti, in his e tranſalpinis decem ampliſſimi ordinis Patres, minorum complures epiſcopi, theologi, præterea Iuriſconſulti conuenerant eo alacrius, quo maior ſeditio religionem exagitabat. Ateſtinus, quod & multi pari dignitate viri principes fecerant, Nicolaum Robertum cognomento Tripolitanum patritium Regienſem eo legauit cum hac in re, tum alijs ſæpe exemplum atque auctoritatem Legati haud grauate ſequutus; quodque propter inſignem vtriuſque Pontificis malitiam cœtum illum iuſte riteque coactum eſſe non dubitaret. Hiſpania, quæ fugientem ex Prouincia Benedictum recepiſſet, & pluribus pareret regibus cum ille impetraſſet, vt in eadem terra natum complecterentur, legatione abſtinuit. abſtinuere & Cæſar & Ladiſlaus, nec non Senatus Venetus cum Gregorio ſentientes. Patres ciuem ſuum fouebant: rex occulte pactus cum eo fuerat, quæ loca Sanctæ ſedis occupaſſet, iure vt poſſideret omnia vel certe plurima. Auguſto cum proceribus Germanis præſertim ſacerdotibus parum conueniebat, quod in conuentu Francfortienſi cum

1409

duorum

duorum Cardinalium poſtulata audita eſſent, alterius a Piſanis patribus, alterius ab Gregorio legati, cui Vtini Carnorum oppido ſynodum haberi placebat, primo proceres ipſi, alteri Cæſar aſſenſerát. Nec, vt exiſtimat Cuſpinianus, id cauſæ fuit, quod proximo ſuperiore anno concilium quoq; Piſis coactū fuiſſet: quinimo rei ſeries indicat purpuratos Patres Luca Piſas profectos nullis alijs religioſis viris adhibitis, aut decretis promulgatis de dignitate modo Gregorio atque Benedicto abroganda egiſſe. exitus etiam Pogium coarguit ſcribentem Robertum Cæſarem auctorem fuiſſe cœtus Piſani, cuius nequo modo particeps foret, neminem ei ſuo nomine intereſſe voluit. propterea Vinciſlaus Auguſto faſtigio ante deiectus, & adhuc Boemiæ rex, non quidem ſua ſponte, vt pote excors, ſed ab inimicis Cæſaris impulſus legatos ibi cum longe honeſtiſſimo comitatu habuit: ad quos quicunque Piſis erant Germani diuertebant. Hoc ipſo tempore Ladiſlaus præferens Gregorij patrocinium Florentinorum fines cum xiiij. equitum millibus, totidem & mille amplius peditibus infeſtos habere cœpit: Senenſes in amicitiam pellicere conatus vbi videt hoſtium coniunctionem incolumitatis gratia anteponi ſuæ, quaſi id vlturus armis ter in eorum finibus per aliquot dies ſtatiua habuit. inde Vidone Feltrio Vrbini Comite equitum magiſtro ſuffecto in locum Almerici, quem ſub id tempus mors nequaquam opportuna in ipſo rerum gerendarū cardine oppreſſerat, in Peruſinorum agrum tranſijt, ibique certa voluntatis ſuæ veſtigia incendijs ac populationibus reliquit; ac demum Cortonam obſedit. contra Florentini, quæ ad vim propulſandam opus forent, ſedulo cōpararunt, & Malateſtæ Ariminenſium regulo copiarum imperium detulerunt freti maxime amicitia Legati, cuius opes in Flaminia tantæ iam ac tam firmę erant, vt pro arbitrio ſuo ibi omnia gereret. eam ſocietatem coiuerat Legatus ex Ateſtini quoque ſententia, quo cum ſecreto multis de rebus conſilia contulerat gnarus Neapolitanum ante a Florentinis poſtulaſſe, vti per illorum fines exercitum ducere liceret: ciues cum rem ad magiſtratus delatam in Senatu deinde agitaſſent, cenſuiſſe regem Bononia, ſiue quibus alijs in Gallia citeriore oppidis potitum paruo deinde negotio ipſorum vrbem ſubacturum, atque ita paulatim ad Italicum regnum aditum ſibi patefacturum eſſe. nec illud non vidit, Almericum de re Barbianenſi iratum, ac tum ignominiæ delendæ, tum loci recipiendi auidum Ladiſlaum eo fermè perpuliſſe, atque in ſe incitauiſſe. Bello in Hetruria ardente, Nicolaus ſuis ipſius rebus intentus Sfortiam præmiſit ad occupandum Dinazanum, qui locus ex omni-

bus maxime firmus à Carolo Foliano tenebatur, mox ipſe cum exercitu ſubſequutus vicum tormentis quatit, capit, ac momento ſolo æquat. facti certiores Othobonus, & Carolus Florentiola cum magno equitum agmine Regium accurrerunt. equi perpetuo curſu fatigati partim in itinere defecerunt, partim nulli inpoſterum vſui fuerunt. Nicolaus domum ad ſacrum paſcha celebrandum, indeq; Mutinam regreſſus vix decimum ibi diem exegerat, cum hoſtis non minore quam octingentorum equitum, peditum bis mille numero Formiginem verſus contendit: ex aduerſo obſeruaturus Ateſtinus, quid ille porro acturus eſſet, ad pratum Enteſonis, ſic locum incolæ vocant, procedit. quem ſequuti Albertus Boſchettus, & circiter triginta primarij ciues Mutinenſes, ſexaginta Regio ac Parma extorres cum Macretam verſus alio quam quo Nicolaus itinere pergerent, in hoſtem incidentes circumuenti ab eo captiq; ad vnum omnes ſunt. Othobonus ſæpe alias Nicolaum inſidijs petiuerat, modo vt domeſticos pecunia ad eum veneno tollendum ſollicitaret, modo vt ſummitteret, qui incautum ferro exciperent: poſtremò quando eiuſmodi artibus nihil adhuc quidem profeciſſet, in congreſſu ad id vnum captato obtruncare eum conſtituerat: quæ ab flagitij ſocijs atq; adminiſtris clam enunciata Nicolaus cognouerat. itaque conſultis religioſis viris ac peritis eorum, quæ ad animorum ſalutem pertinēt, in primis Legato, quo cum multis de cauſis arctiſsima amicitia coniunctus erat, vt & Vgo Calefinus, & annales Bononienſes teſtantur, reſponſum tulit, ſiquidem in colloquio vi ac fraude ageretur, & vltimum diſcrimen inſtaret, ipſe hoſtem ferro ne dubitaret occupare. factum non modo quod iuſtam corporis tutelam reſpiceret, ſed etiam publice ac priuatim popularium vtilitatem, maxime pium fore. Regium vetuſtæ ditionis Ateſtinæ per fas ac nefas ex hominis teterrimi, qui oppidum nullo iure intercepiſſet, manibus eripiendū eſſe. ſcelera fœda, immania quibuſuis exemplis digna ſine legum ac iudiciorum mora eum indemnatum morti dedere: aduerſus fidei violatorem perfidiæ crimen minime pertimeſcendum. Othobonus quo loco quoque die conuenerat, nimirum ad VI. Kal. Iunij ad colloquium affuit. erant cum eo Iacobus frater, Nicolaus filius, Carolus Folianus, Vido Taurellus, ac nobiles complures alij viri, & centum equitum turma. eodem & ipſe Nicolaus cum pari militum numero acceſsit. Sfortia conſpicatus plures in vnum paulatim coire, quod ſignum circumſiſtendi, ac deinde aggrediendi Ateſtini conueniſſe inter hoſtes nonnullorum indicio compertum erat, primus impetum facit, atque Othobonum vulnerat: reliqui extemplo

accurrentes

accurrẽtes multis ictib. confodiunt: ſoli Iacob. & Taurellus cadentẽ non deſeruere, ceteri Regiũ profugerunt. demptũ caput haſtæ medio in foro Mutinę imponitur: cadauer in partes diſtractum oppidi portis affigitur, & plebes congeſtis, quæ in tyrannum longe crudeliſſimũ conueniunt, affixa mẽbra tanta rabie, tanta eius cruoris ſiti minutatim diſcerpſit, vt ne vnguibus quidem ac dentibus parceret. Antoninus Pontifex Florentinus homo ſanctus, ac ſacrarum litterarum peritus, qui poſt in Diuorum numerum relatus eſt, Dei prouidentiam ſummopere extollit, qui Othobonum eo ſupplicio affici ſiuerit non tyrannum modo, ſed etiam immaniſsimis ſceleribus coopertum, cuius nutu inſontes innumerabiles mortales perijſſent: quaſi nullam nec ſanguinis nec vitæ particulam pœnæ expertem vellet eſſe hominis, qui ſanguinem ac ſpiritum alienum tam auide concupiſſet. poſt Othoboni cædem Nicolaus ſcripto edito teſtatus eſt, cur quoque modo eam perpetraſſet; Iacobumq; cuſtodia emiſit, qui ſpecie tutelæ fratris filio regnum eripuit, ſtatimque de Regio ac Parma defendenda aduerſus Ateſtinum iam tum vtrique oppido imminentem ſedulo cogitare cœpit. omnium primum Nicolaus ne quid inde morari eum poſſet, Foliani caſtella ſtatuit oppugnare. itaque tormentis eorumque apparatu, equitibus in primis, qui ſagittis vterentur, ac re frumentaria prouiſa eo perrexit. qua in re permultum illum adiuuit Coſſa Flaminiam, ut eſt a nobis paulo ante commemoratum, arbitrio ac nutu ſuo prope regens. quin idem hoc ipſo tempore Florentinis ac Senenſibus ſocijs auxilia ſummittebat; Cardinaleſq; & lectiſsimos Patrum, qui concilio intererant, priuato ſumptu alebat. In tanto motu Vidoni Taurello Mantua oriundo, cuius in poteſtate erant Guardaſtallum & Montechirũgolum, libertas datur ea lege, ut cum ſuis vna militet: eamque in rem futuri obſides Ferrariam mittuntur Marſilius pater, vxorque & paruulus filius. Principio Iunij exercitus Arcetto admotus locum capit, arcemque ad deditionem compellit. triduo Caſalis magni incolæ exemplo adducti & ipſi Ateſtino ſe permittunt: poſtero, qui erat octauus expeditionis dies, arx Dinazani adhuc a Foliano retenta, vnaque Saluaterra deduntur. quibus incommodis territi Bertrandus, & Iacobus Caroli fratres, ac reliquis caſtellis metuentes ſuppliciter ab eo petunt, vti ſe in gratiam recipiat. id ſtatim concedit Nicolaus; fidei tamen pignora ſingulos vtriuſque liberos obſides capit: ne ue frater eadem conditione vtatur, diſerte cauet. Muzadellam ſubinde cum omnibus copijs pergit agrum populatus præter Quattuor caſtella amnem Lentiam petit, caſtriſque ad Guarda-

ſonum poſitis ſtationem ijs, qui in præſidio Fani Pauli erant, oppoſuit, idque horreum deinceps conuecto in primis eo frumento ac cetero commeatu deligit. transgreſſus Lentiam aduerſus hoſtes, quos fama erat ad certamen exituros, in ipſo fluminis alueo, quod mœnia præfluit, aciem inſtruit. vbi nemo contra tendit, ad vicum Panocchiam ſex ibi moratus dies caſtra transfert; interim ad retinendum populi ſtudium, qui totus propè ipſius erat, agros iniuria prohibuit; quin a militibus captos aliquot ciues ſtatim in oppidum remiſit. ex re frumentaria cum laboraret, & Iacobus vrbem ſolam tutaturus muris ſeſe contineret, tum ne præſidium in diſcrimen offerret, tum ne plebem ſui potentem relinqueret; nec pugnandi ſibi fieri copiam, nec auxilij ab ciuibus, aut vllam facultatem obſidendi oppidi ſuppetere intellexit. Regio minore negotio ſe potiturum ratus, vt cum oppidum circumueniret, Mutinam poſt tergum haberet, ad Mauritij vicum cum exercitu conſedit vſus opportunitate Rodani copioſi atque abundantis riui, qui ætate noſtra cum hortos Malaguciorum patritiorum Regienſium ambiat, indicio eſt exigua agreſtiũ opera Ateſtinum ibi caſtra metari potuiſſe. Iacobus hoſti perniciem uaria ac multiplici arte meditatus, eique multis ex partibus imminens non illum quidem prælio laceſſiuit, erat enim Mauritianus locus periniquus, ſed Ioannem Maluicinum cum ala CCC. equitum in præſidio Guardaſoni, Ioannem Tertium, Carolum Folianum, & Nicolaum Guerrerium cum ſexcentis Monticuli diſpoſuit; centum qui poſtremos carperent, Pariani eſſe iuſſit. Nicolaus cuncta edoctus tum ab exploratoribus, quos neceſſario ab ineunte ætate pręmio aluerat, tum ab ijs popularibus oppreſſis quidem alieno imperio, ſed adhuc Ateſtini nominis amantibus, huiuſmodi præſidia diſturbanda ſibi eſſe ſtatuit. mittitur Sfortia aduerſus eos, quos Guardaſoni modicus tegebat collis. ille aliquot pedites iugum tranſcendere iubet, qui conſpecti ac de induſtria retro cedentes hoſtem eo perlicerent, qua ipſe progrediebatur. non feſellit Sfortiam opinio: acri duarum horarum certamine Maluicinus tandem funditur, equites ducenti capiuntur, reliqui propè omnes cadunt, in his nobilis tribunus Antonius Aquilanus, cuius ſuperiore Patauino bello mentionem fecimus. ad eius cladis nuntium Ioannes Tertius Monticulo cum reliquo equitatu Parmam celeriter ſe recepit: Nicolaus libero iam aditu, quo principio intenderat, peruenit. tum Simon, Vido & Albertus Canoſſij ſeque & Quattuor caſtella, id oppidulo nomen eſt, cum Canuſſio, & Gypſo illi tradiderunt. Eodem tempore legati Venetijs ſuperuenere nuntiantes Senatum pro vetere in eum beneuolentia (metum

alij,

alij atque inuidiam interpretabantur, ne Ateſtini opes nimium creſcerent) ſuadere, vt ab armis diſcederet: Othobono extincto nihil eſſe amplius, quod Mutinæ timeat. ſub orationis finem & illud iecerunt patres, qui ſupplices tegere ſint ſoliti, Tertios ad ſe confugientes in fidem recepiſſe. Acerbum atque indignum prorſus viſum eſt Nicolao in medio victoriæ curſu ab ſe poſtulari, bellum vt iuſtiſſimum deponat, quo & grauiſſimas iniurias perſequatur, & fines partim maiorum ſuorum hereditate ſibi debitos, partim ab hoſtibus interceptos, & ſocorum ditionis armis repetat. in hanc ſententiam preſſius tamen ac perplexius legatis reſpondit, quippe qui conſtituiſſet, & idem mox effecit, Venetias mittere, qui hac de re cum patribus ageret, iam tum animo volutans eos ex occaſione fortaſſe atque euentu de priſtina ſententia deceſſuros. Ad VII. Kal. Iulij cum legatus vix vrbem attigiſſet, Gibertus & Ioannes Sanuitales etiamtum Ateſtinorum fautores Parmenſibus perſuadent, ut relictis Tertijs Nicolao ſe dedant. magnus & repentinus oritur tumultus: continuo ciues portis erumpentes cum omnibus eum copijs incredibili lætitia ac plauſu, fauſtiſque acclamationibus in oppidum recipiunt. Iacobus fuga in arcem elapſus cum loco diffideret, paulo poſt Guardaſonum clam profugit. quarto die Regienſes & ipſi deditionem faciunt. ad quos Vgutio Contrarius ſtatim aduolat. Nicolaus cum Sfortia Parmenſem arcem magna vi tormentis verberauit. Contrarius vltro in oppidum admiſſus arcem & ipſe ab hoſte inſeſſam nihilo minore vi premere occœpit adiutus opera Dominici Florentini, quo præfecto fabrûm Inſuber utebatur. is initio oppugnationis dum tormētum loco idoneo collocat ictu hoſtilis pilæ cecidit; nihilo tamen ſecius Vgutio reliqua opportune diſpoſuit, ac ſtrenue quatere arcem inſtitit. nec remiſsior Parmenſis fuit oppugnatio: quin XVI. Kal. Sext. ſigno pugnæ propoſito milites vi intro peruaſerunt. quinto poſt die Vgutio Regienſem pariter expugnauit. Ioannes Maluicinus, Galeatius Parmenſis, & Matthæus Puteus, qui ab recepta Parma apud Ateſtinum militare cœperant, cum iam circumuallata arx ſummo in diſcrimine verſatetur, & ipſi paulo ante expugnationem in eum conſpiraſſent, ſceleris conuicti pœnas capite luerunt. Dum hæc geruntur, legatus humaniſſimis verbis ab Veneto Principe dimittitur: non enim fuit dubium Patres, qui decreuiſſent ab Tertiorum oppidis non intactis modo ſed etiam ab hoſte circumſeſſis vim prohibere, ubi primum cognouere Parmam captam, ſtatim aliud conſilium cepiſſe. proinde Colornium, Brixillum, & Caſale maius tradita præſidijs ſolum firmauere, cætera

loca

loca ne attigere quidem. Iacobus, qui in arcem Guardaſoni euaſerat, Caſtrum nouum, Domninianos, necnon Florentiolam in officio continuit. interea legati Regienſes Parmam venere, admiſſique in conſpectum Nicolai obſequium fidemq; & publicam lætitiam huiuſcemodi oratione declarauerunt. Si quemadmodum populus te Regienſis benigniſſime Princeps inſculptum animis gerebat, ita mœnibus recipere valuiſſet; iamdudum cuius vrbs iuris ac ditionis erat, ad veterem dominum re ipſa redijſſet, vel potius ſtatim ſe ſe maioribus tuis reſtituiſſet. anno ab hinc paulo plus centeſimo factum eſt certorum hominum temeritate, qui apud plebem gratioſi & publico in conſilio plurimum pollentes dederunt ſe finitimorum pollicitationibus, quos non caritas, ſed priuata vtilitas inuitabat, vti Regium Ateſtinos potius amitteret, quam ab ipſis amitteretur. quippe apud illos tot idonea voluntatis ciuium pignora extabant, vt nullo modo dubitarent oppidum ab ijs, quæcunque primum ſe ſe occaſio obtuliſſet, recuperatum iri: ijs opibus prę̨ſtabant, vt hoſtes, quorum in poteſtate erat, quandoq; fuerint ſuperaturi. at non idem miſeris Regienſibus otium, non eadem tranquillitas fuit, qui ſub deditionem maioribus tuis vltro factam florere cœperant, quorum iuſtiſſimo leniſſimoq; imperio deinde ſunt vſi; nec infirmis iugum ceruicibus impoſitum excutere, aut in ſinum mitiſſimorum Principum currere licuit. itaq; multorum tyrannorum pedibus proculcata ciuitas, qui tanquam ex poſſeſſione aliena, atque ad alios mox reditura quicquid poterant ſucci exprimebant, poſtremo in acutiſſimos Othoboni vngues incidit. ceterum non vſque adeo malis diſtricti fuimus, vt non interdum eximiam erga Principes noſtros caritatem, & quidem multis documentis declarauerimus, quæ ſæpe alias nota, tibi vero inprimis ſunt notiſſima, non hoc modo tempore, quo incredibili gaudio nos clemens ac propitius Deus cumulauit, ſed tum quoque cum Vgutioni vrbem dedidimus, quemadmodum arcem quoque dedidiſſemus; ſi ut vrbs, ita arx in noſtra poteſtate fuiſſet. nec obſcura publico in tumultu animi ſtudijq; noſtri ſingularis teſtimonia tibi dedimus, cum vixdum pertenui armorum tuorum ſpe oblata tametſi vrbs validiſſimo mercenariorum militũ præſidio teneretur, fortunis omnib. ac vita poſthabita vetuſtiſſimam ac plane in naturam coalitam voluntatem nudauimus. Canoſſiæ familiæ celebrem adhuc Azonis Decimi memoriam retinentis veſtigia ſequuti complures ciues loco honeſto nati ditionis ſuæ loca vltro ijs reliquerunt, qui ſemel parta per vim facile tueri poterant. at vicit tandem cauſæ tuę æquitas alienam iniuriam,

ceſſit

ceſſit fortunæ iniquitas innocentiæ & caſtitati noſtræ; ac quando beneficio Deorum te principem optimum habemus, en venerabundi atque in verba tua iuraturi adſumus, ſimul orantes vt incredibilem lætitiam, quæ quidem ex intimis ſenſibus erumpit, pro certiſſimo fidei animique noſtri in perpetuum tibi deuincti teſtimonio accipias, & nos qui tot per annos vel ab ipſis incunabulis te vnum obſeruauimus, coluimus, in fidem ac gratiam volens propitiuſque recipias. quod vt ab clementia tua impetratum confidimus, ſic contra Deum Opt. Max. precamur, vt te ſemper incolumem, ſemper victoria opibuſque florentem præſtet ac tueatur. Pauca grauiter ſimul ac benigne loquutus Nicolaus legatos comiter acceptos, ac prope gaudio geſtientes ab ſe dimittit. poſt totius eius tranſpadanæ regionis cura Vgutioni demandata, cui nec inuitus Sfortia paruit, Ferrariam reuerſus ſacris apparatiſſime celebratis, ſummaque populi lætitia, vt tanta victoria poſtulabat, excipitur. Per hos ipſos dies Ateſtinus ex Coſſæ litteris, apud quem Antonius Baldinottus Iuriſconſultus eius nomine legatum agebat, & ſi Nicolaus Robertus, vt alibi oſtendimus, ab collegio Patrum nunquam diſceſſiſſet, cognoſcit XVI. Kal. Iul. Benedicto & Gregorio vt ſeditioſis impijſque hominibus ſententia damnatis atque exutis dignitate Pontificem renuntiatum fuiſſe Petrum Cretenſem e ſodalitio Minoritarum Cardinalem atque Archiepiſcopum Mediolanenſem, qui Alexandrum V. nomen edidit. Eadem patres renuntiauerunt cauſa etiam adſcripta, cur vtrumque Pontificem in ordinem coegiſſent: nimirum quod deprehendiſſent ambitione inflatos rem Chriſtianam ſeditione alenda peſſum dare, atque inuicem colludere: iuſtum Pontificem creatum, qui de more ſacratus ipſe & litteris, & nuntijs cuncta ordine ſignificaturus eſſet. adiecerunt hæc a ſe perſcripta, vt commune gaudium gauderet: interim etiam atque etiam hortari, vt qua via maiores ipſius iſſent, eadem ipſe inſiſteret erga Sanctam ſedem. quod eum conſtanter facturum domeſticæ vitæ conſuetudo, & familiæ ſplendor, ac denique naturæ ipſius eximia bonitas ſpondebant. Interim claſſis Neapolitana, quæ quo tempore Ladiſlaus exercitum terra promouebat, & ipſa ſoluerat Iluam, & aliquot hetruſcas naues mercibus onuſtas pretij ad centum florenorum nummûm millia cepit. rex Cortonam non magis vi quam conſilio nonnullorum ciuium in deditionem accepit. ſedenim priuſquam ille haud obſcure Italiæ regno inhians maiores opes colligeret, legatus re cum Ateſtino communicata cenſuit non ſua modo ſed omnium intereſſe, hominis audaciam

retundere, atque Hetruriæ imperio prohibitum de Romani quoque iuris oppidorum poſſeſſione vi deijcere. placitum eſt Maſſilia arceſſere Aloiſium eius nominis Secundum iam ante ab Clemente Pſeudopontifice Ladiſlai regno donatum, eique quanta maxima poſſent ſociorum auxilia adiungere. admonitus ab Legato Pontifex conſilium probauit, & ad exitum perduci imperauit. Aloiſium in Italiam complurium nauium longarum claſſe deuectum terreſtri itinere ſubſequutus eſt equitatus quam ampliſsimus ex Prouincia cogi potuit. Neapolitanus cum animaduertiſſet ſe fruſtra tempus terere, domum reuerterat: qua re incitati aduerſarij ſanctæ Sedis vexillario Aloiſio, Coſſa ad exercitum legato eſſe iuſſo, cum Pontificis & Franci copijs, nec non Florentinorum, & Senenſium equitibus bis mille & quingentis in eam Hetruriæ partem pergunt, quam Patrimonium appellant: vniuerſa nullo negotio potiuntur, capiunt etiam Marcum Corrarium Pontificis nepotem, cui Viterbij cuſtodia commiſſa fuerat. Hæc in Septembris ferme exitum cum incidiſſent omnia, Paulus Vrſinus ante a rege præfectus alæ DC. equitum grauis armaturæ circumacto militiæ tempore ad Florentinos tranſijt, quæ quidem tranſitiones emeritis ſtipendijs illa tempeſtate frequentes fuere: licebat enim ductoribus ad certum diem rogatis militare, poſt aliam conditionem quærere, aut oblata vti. proinde Vrſinus temere hoc quidem nomine a nonnullis ſcriptoribus perfidiæ damnatur. Exercitus admotus vrbi, & propinqua moli Adriani porta intra mœnia receptus Diui Petri vicum, & circumiectam regionem facile occupauit, vt pote ab Troiæ Comite deſertam. Verum obſepto quod inter arcem, & pontem erat ſpatio cum eum locum, & præterea Tranſtyberinam partem Columnenſium & Sabellorum ope tutaretur, Vrſinus alioqui regionis maxime peritus nulla non arte in aduerſam ripam euadere conatus tandem irrito incepto copias reduxit. quapropter Aloiſius Pontificem conuenit, qui contagionis metu ab Piſis Piſtorium diſceſſerat: cumq; eo colloquutus primo vere ſe ſe in Italiam venturum magno cum triremium equitumque numero recepit. Anni tempus, iam enim December inierat, nihil omnino paulo grauius ne deſtinari quidem videbatur ſinere, præſertim milite nequidquam Romæ fatigato ac multis prælijs pulſo. Coſſa tamen magnis itineribus ad Pontificem contendit, atque auctor fuit iterum vrbem tentaret. VII. Kalen. Ian. partem Leoninam, de qua multa alibi commemorauimus, Pontificij irruperunt: ibi præfectus omni ope connixus

nixus impetum ſupprimere, poſtremo anni die acerrimo certamine contracto fundirur ac fugatur: Coſſa vrbe potitur magna populi lætitia, quem militaris licentiæ ac regij imperij ſatieras iam ceperat. Alexander autem veritus vt ſatis Romanæ turbæ conquieuiſſent, Ladiſlai potius metu quam beneuolentiæ ciuium fiducia principio an-
1410. ni eius ſeculi decimi Piſtorio Bononiam proceſſit complures ibi menſes futurus. Ateſtinus cum honeſtiſſima familiarium cohorte ad Pianorum occurrens eum Bononiam vſque eſt proſequutus, quo prid. Id. Ian. peruenit. auxit Nicolai nomen atque decus, quod qui Pontificem equo oppidum inuectum vtrinque regebant pedites bini ad ipſius equi caput, totidem ad ſeſſoris latera, quique ad vnamquanque ſemitam alterni id munus ſubibant, Ateſtini ferme clientes erant. In his fuere Vgutio Contrarius, Ioannes Martinus Sanuitalis, Albertus a Sale, Gerardus Rangonus, Nannes Strorius, Franciſcus Boiardus, Petrus Rubeus, Nicolaus Obitius, & Albertus Boſchettus: Gerardus Corrigienſis, & Ioannes Mirandulanus in eundem numerum relati tametſi Nicolai imperio non ſubeſſent, eius ramen fide plurimum nitebantur, ac Principem, vt plerunq; ſolebant, eo ſequuti fuerant. itidem prætoriæ Pontificis cohorti præfuerunt Nicolaus Robertus & Gerardus Boiardus Ateſtini beneficiarij. In explicandis etiam quæ ad Pontificatum pertinerent, nihil non ex Ateſtini & Coſſæ conſilio eſt geſtum, quorum arbitrio Alexander omnia permiſerat. ſub hos dies Carolus Malateſta Ferrariam profectus ibi Nicolai aduentum expectauit, ac poſt vna Mantuam ſe contulerunt: quo iam conuenerant Pandulphus Brixiæ, & Malateſta Cæſenæ reguli cohoneſtaturi præſentia ſua nuptias filiæ Malateſtæ, quam pater in matrimonium Gonzagæ collocauerat. id perópportune in geniales ac ſaturnalitios dies incidit, quib. magnus in eam ciuitatem nobilitatis concurſus fuit. ludi equeſtres quattuor pugnantium agminibus editi: Veneto Ateſtinus, puniceo Gonzaga, albato Pandulphus, Praſino Carolus præfuerunt: palma Nicolao ceſſit. qui cum inſequenti die equites infeſtis inter ſe haſtis eſſent cōcurſuri, eiuſmodi certaminum bene peritos viros ſecum duxerat. ludicro abſoluto nunciatur Pontificios foro Popilij pulſos: ira Nicolaus ac Malateſtæ priuato periculo commoti ſuas quiſque domos e veſtigio diſceſſerunt. quare publica quoque Ferrarienſium hilaritas eſt diſiecta: nuptiæ enim etiam apud ipſos ſumptu Nicolai apparabantur coniuncta Polixena Antonij Scaligeri filia Lancelotto Anguſciolæ Placentino, quam Vgutio Ateſtini iuſſu ad Finale municipium eſt proſequutus: inde Thomas mariti frater Placentiam

 deduxit:

deduxit. Popilij forum occupauerat Georgius Ordelaſius Othobaldi filius, qui Foroliuij exul cum in Ladiſlai caſtris militaret, magna celeritate cum Petro Balnei Comite, & CCCC. equitibus patriæ fines ingreſſus ab ſuæ factionis hominibus in vrbem ſe receptum iri ſperauit. vbi comperit ab legati milite diligenter cuſtoditam, veritus ne non cōſilium poſſet exequi municipium, cuius modo meminimus, Foroliuienſibus propinquum ex tuto oppreſſit. eo deinde plures conuenere equites ac pedites maxime ex caſtellis circumiectis, quæ ab Eccleſia deſciuerant. propterea coactus eſt legatus Flaminiam maioribus præſidijs firmare. Interim Alexander arctiore in dies beneuolentia Nicolaum complexus Kal. Mart. eum Bononiam euocat; vbi poſtero die poſt factam rem diuinam roſa aurea illum donare ſtatuerat. proficiſcenti in medio itinere occurrit Gaſpar Pontificis frater. peractis ſacris munus accepit, atque ex duodeuiginti Cardinalibus, qui celebritati interetant, duo cum Pontifice remanſerunt, reliqui vſq; ad infimas ædium fores abeuntem ſunt proſequuti. eiuſmodi cum ſacrorum Principe Ateſtini coniunctione, & parto tot victorijs, tot præclaris factis nomine adducti Veneti Colornium iam ante ab Tertijs ſibi traditum dimiſerūt. quorum etiam tutelam ſexto inde menſe prorſus deſeruerunt. Vt autem planius fiat, quo pacto locus in Tertiæ familiæ primo, deinde Ateſtini poteſtatem venerit, eſt quod ſciatur Tertios proximo ſuperiore Septembre poſt quaſſatam dirutamq; tormētis ab Contrario Guardaſoni arcem, ac poſtremo ad deditionē compulſam, vnumquemq; priuatim ſibi magna cum pernicie conſuluiſſe. Ioannes Orthoboni frater vt Franciſci & Ioannis Scotti inimicorum nece ſaluti ſuæ proſpiceret, ea de re Andream ipſorum propinquum appellat. Andreas vtriuſque fortunæ ſocium futurum ſe ſimulans, minimeque eam orationem in ſpeciem auerſatus Scottis, quibus totam rem enuntiauerat, hominem in manus tradit: iſque paulo poſt veneno necatur. Iacobus e Domnini fano; quod valido præſidio firmauerat, Florentiolam tranſijt: affuit ſtatim Albertus Scottus, priuſque intro irrupit, quam ille in arcem fuga euaderet. præfectus ne Iacobi quidem in conſpectum produci precibus adduci potuit vnquam, vt arcis poſſeſſione domini ſalutem redimeret. ita nequidquam obteſtantem populus interemit. inter hęc Rolandinus Palauicinus Domninianos exercitu circumdatos arce incolumi in poteſtatem redegit. Ioanni & Iacobo totius familiæ clariſſ. ſuperſtites Antonius, Ambroſius, Nicolaus, & Gibertus quid agerent animo æſtuabant. interceſſerat quidem ſocietas Cabrino Cremonenſium regulo cum Ateſtino aduerſus

ſus Othobonum : ſed cum arcis munere ineſcari, præſidiumq; ipſius demereri poſſe confiderent, ſuper ea re hominem conuenerunt. accepta eſt conditio. iuſſus tradere arcem ſuis, ac deinde comprehenſos qui caſus abſumpſerit, incompertum. Cabrinus ad Palauicinos conciliandos oppidi potentes arcis etiam compotes fecit. poſt paulo incolæ Beluiſum, ſic appellabant oppidulum agri Parmenſis, quod Giberto parebat incerto domini exitu, quem modo in cuſtodiam datum audiuerant, accito Vgutioni tradiderunt. Tertij, ita vt diximus, peſſimo letho mactati quanquam ante illam calamitatem relicti a Venetis commoditate retentæ arcis eorum præſidium Colornio expuliſſent, mox tamen idem receptaculum amiſerunt perfidia præfecti, qui faciente animos Gregorio neſcio quo Germano cum equitibus CC. nemiui eam ſine magno emolumento tradituturus videbatur. Dum Ateſtini copiæ Pontificis rogatu apud forum Liuij diſtinentur, ille ipſe Gregorius Parmenſem agrum prope libere populatus pari audacia in Regienſem tranſit, ibiq; pedites CC. qui Parmam proficiſcebantur, opprimit. verum ſuperueniente Ferro Sanctofeliciano, qui de eius itinere per exploratores cognouerat, non captiuos modo, ſed ſuorum complures amittit, ipſeq; inter ceteros capitur. Poſt Alexandrum V. Non. Maij febri acuta Bononiæ ſublatum, ſepultumq; apud ſodales Minoritas. comitia nouo Pontifici creando habita ſunt, patribuſque ea cura occupatis præſidio fuit Nicolai equitatus. Vndecimo die, ex quo patres in comitium ſe ſe abdiderant, Pontifex renuntiatur Balthaſar Coſſa Ioannes XXIII. appellatus, quem omni officiorum genere obſtrictum, atq; ad eam dignitatem obtinendam maxime, vt fama fuit, adiutum cum Ateſtinus conueniſſet, eximia quadam ac plane ſingulari comitate eſt exceptus. Interim Aloiſius Andegauēſis regio titulo inſignis in Italiam (vti receperat) cum duabus & viginti ferme nauibus longis reuectus Piſas tenuit: Ioannes Romam abijt abducto a Florentinis Sfortia ac militiæ ſuæ adſcripto, quem Ateſtinus ante Monticulo donauerat, ſimulq; vexillo, in quo depictus cernebatur adamas acuminatus annulo illigatus. in Apulia res ſatis turbulentæ erant ob pugnam a Ladiſlao male pugnatam VII. Kal. Iun. qua victus quidem eſt, ſed victoris negligentia in medio victoriæ curſu & vitam & regnum intactum retinuit. Flaminiam quoque turbauerat Fauentia ab Ioanne Galeatio Manfredo Aſtorgij filio occupata ope Caroli Malateſtæ propinqui ipſius, ac Gregorianæ cauſæ vindicis. Ioannes, ne quid ibi nouaretur, Almerici & Ioannis ſtirpem auita ditione ſpoliatam inde exturbauerat, ipſumq; Barbianum funditus

tus euerterat. Inſubres male habebat Ticinum a Facino Cane obſidione cinctum. quate eorum temporum atque impendentium conditionem reputans Nicolaus Mutinam ac finitima loca circumiuit, ibique aliquot menſes commoratus quæ minus firma videbantur, emuniuit. comperto deinde Rolandinum Palauicinum occultis Inſubris, cuius in fidem ac clientelam ſe dicauerat, auxilijs ſubnixum Parmenſem agrum frequentibus incurſionibus vexare, poſtero anno Vgutioni dat negotium, vt cum duobus equitum millibus eum intra proprios fines adoriatur. quo terrore compulſus non ſolitis tantum populationibus abſtinuit, ſed aliquot etiam caſtella amiſit, quæ ne belli clades perpeterentur, vltro deditionem fecerunt. hac vtrinque lege tranſactum eſt, vt quæ olim in Palauicinæ familiæ ditione fuiſſent, Rolandinus ſibi haberet: Domniniani haud dubie iuris Tertiorum Nicolao parerent. atque hoc maxime modo is locus Ateſtini imperio acceſſit. Eadem tempeſtate Vidonem Taurellum in præſidium Foroliuienſium miſit, qui inter Flaminiæ motus eius poteſtati ſe permiſerant. verum diſceſſu Ladiſlai omnium prope ſeditionum auctoris cum Ioannes publicæ quieti inprimis ſtuderet, Nicolaus ipſius precibus adductus haud grauate illud oppidum Georgio Ordelafio tradidit. datum & illud Pontifici petenti, vt Cotignolam XIV. aureorũ nummûm millibus Comitatus titulo Sfortiæ concederet, quam ei pecuniæ ſummam præteritorum ſtipendiorum nomine debebat. Sfortia ex pacto conuento non modo non ferre arma contra Nicolaum, ſed eum eiuſque regnum aduerſus quoſcunque hoſtes pro virili parte tueri debuit: contra Ateſtinus Sfortiam familiamque vniuerſam in fidem recepit, atque oppidum ſaluum & incolume præſtaturum ſe illi ſpopondit. quamobrẽ ad ſupremum ius dominiumq; teſtandum ijſdem tabulis adſcriptum eſt, vti Sfortia accipitrem quotannis penderet. Hæc Sfortiæ internuntius Simon Folianus cum Id. Maij pepigiſſet Ferrariæ apud Nicolaum in ædibus Schiuanoianis, ſexto & viceſimo poſt die in Pontificijs & Aloiſij caſtris, antequam exercitus dimitteretur, Sfortia in tabernaculo habuit rata. ceteris exauctoratis ille vnus & Braccius Fortebraccius Peruſinus cum CCCC. equitum ala Pontificem Bononiam perduxerunt. a quo Andegauenſis in itinere digreſſus Piſis nauem conſcenderat eo conſilio, vt nunquam deinde Maſſilia pedem efferret. Alibi Veneti, quo ager Tauriſanus minus pateret Pannonicis incurſionibus, foſſa in longitudinem XX. M. paſſuum eum diſcluſerant; nec tamen cohibere barbaros potuerunt. quippe Sigiſmundus eodem patre, quo & Vinciſlaus Auguſto nomine exutus, 1411.

Carolo

Carolo nimirum IIII. natus cum vxoris iure Pannoniæ dominaretur Roberto Cæſare circiter Id. Iun. ſuperiore anno, mox Iodoco Brandenburgenſi Morauorum regulo Ioannis Henrici eiuſdem Caroli fratris filio intra ſex menſes pariter abſumpto, quod magno ac præpotenti viro regnum egere videretur, cuius ope loca Turcis finitima defenderentur, vnus augusta dignitate maxime dignus habitus fuerat. is tum ab ceteris curis vacuus, cauſatuſque Venetum in fines ſuos ſe inſinuaſſe, Pippum in Carnos cum ſex millibus equitum, ac paulo poſt alteros totidem miſit: contra patres ad decem armatorum millia ex agro Veronenſi, Vicetino, Patauino conſcripta Ludouico Buzacarino ciui Patauino additis legatis quinque tradiderunt, qui prouinciam tueri inſtitit, Brognatamq; & Sacile duo opportuniſſima in Carnis loca opere communiuit, non tamen vt Pippi impetum frænaret. quocirca coacti Veneti copiarum imperium Carolo Malateſtæ mandauerunt, menſtruis aureis mille ſtipendij nomine conſtitutis vna cum præfectura mille equitum grauis armaturæ; queis alteros totidem ſe ſe additùros receperunt. cum vero ipſius Cæſaris aduentus cum ſupplemento nouorum militum in metu atque expectatione eſſet, Nicolaus CCC. loricatos equites patribus obtulit: mox ſe, ſi res exigeret, auxilio venturum eſt profeſſus. ceperant hoſtes Ciuidale municipium Nicolai Corrarij, de quo alibi diximus, cuſtodiæ creditum. ea cauſa Feltriam pariter & Sarauallem attraxerat capto etiam prętore Nicolao Barbadico. Cum
1412. eius ſeculi anno duodecimo ineunte Veneti magna rei frumentarię inopia, vt pote prohibiti ex continenti quid petere laborarent, miſſa in Græciam maritimaque Apuliæ oppida ac Siciliam nauigia vix in tempore triticum aduexerunt. cum deinde in expugnatione Scalæ ac Motæ, hæc oppidulis nomina, nobilis quidam Hungarus ſagitta tranſfixus cecidiſſet, Pippus vſqueadeo excanduit, ut quoſcunque hoſtium captiuos faceret, eos manibus oculiſque plane barbara feritate multatos ſineret abire. mox cum in grauem morbum incidiſſet, quattuor agminibus ex Italia copias deduxit. Exitu Martij Triſtanus Saornianus cum quattuor millibus equitum Vtinum ingreſſus parum abfuit, quin oppidum diriperet. Senatus, quod cum barbaris non cum populis finitimis, vt commodo ſic etiam iacturæ obnoxijs in ſuamet terra res eſſet, proſpero euentu plane deſperato conditionibus finire bellum prorſus cupiebat. vbi Ioannes ſumme amicus Cæſari parum proficit, quippe qui Patribus auctor eſſet, vt quæ in Dalmatia poſſiderent, ea quingentis aureorum nummum millibus redimerent, atque ad teſtificandum ſummum ius

regis

regis Hungarici ſpadicem equum, & aquilam aucupio idoneam quotannis penderent, Ladiſlaum Poloniæ regem Sigiſmundi affinem appellant: cuius opera factæ induciæ Hungaros etiam ac Polonos diſſidentes inter ſe conciliauerunt. Pariter de menſe Iunio Ioannes & Ladiſlaus pacem inter ſe tam æquis Neapolitano, tam iniquis Pontifici conditionibus ſanxerunt, vt alter eam cultum iri non putauerit, alter ab ipſo ſtatim initio mente violauerit. pax his legibus conuenit. Aloiſij Andegauenſis nullum deinceps ius eſſet in regnum Neapolitanum: Ladiſlao Sanctæ ſedis ſignifero atque exercitus præfecto pecunia alendis mille equitibus, & amplius ducena vicena aureorum nummûm millia præſentia numerarentur. ſtipendium, quod Eccleſiæ per decennium non pependiſſet XL. millium aureorum nummûm in annos ſingulos ei remitteretur. Gregorio (is Pontifex Arimino in Carnos, atque inde a Vicetinis pulſus in Apuliam, mox Caietam conceſſerat) poſitis intra tertium menſem dignitatis inſignibus legatio Piceni, quoad viueret, decerneretur annua XL. millium aureorum ſtipe: tres ipſius propinqui in ampliſſimum ordinem legerentur. hæc ita futura Ioannes Ladiſlao caueret Beneuento, Aſculo, Viterbio, & Peruſia traditis. pacem eiuſq; conditiones, vti nos retulimus, ponunt manuſcripti Venetæ vrbis annales, qui res geſtas ad annum vſque MCCCCXLVI. exequuntur, & cum permultis ſimilibus libris in archio Ateſtinorum principum cuſtodiuntur, vt & litteræ Pontificis Ceruienſis ad Vgutionem Contrarium in eandem ſententiam ſcriptæ XV. Kal. Maij. ex quib. etiam colligitur Florentinos addubitaſſe ne non eiuſmodi coniunctio ipſis exitio eſſet. Pontifex deinde Romam perrexit, ibique ſparſo rumore nullum amplius ab rege metum imminere, concilium indixit, quod ex formula decreti Piſani tertio poſt Alexandri Pontificatum anno celebrari oportebat. interim Pannonij ad triginta millia equitum tumultuarius ac regis dicto parum audiens miles IX. Kal. Septemb. caſtra ad Motam a Veneto communita oppugnarunt. Veneti cum nulla impedimentorum ac ſarcinarum cura eo conueniſſent, & circumiectæ regionis incolæ haud ſatis mature fortunas ſuas in munita loca abdidiſſent, barbaros prædæ magis quam pugnæ intéros Craſſus primo Venetus ac Rugerius Peruſinus ſuſtinuerunt, qui, quoad ceteri arma expedirent, cum aliquot turmis procurrerant: mox ipſe Malateſta profligauit quidem ſed exigua clade, vtpote celeritate equorum periculo ſe ſubtrahentes, nec ſane incruenta victoria; quod multos e ſuis deſideraſſet: & Thadæus Vermius grauiter ſaucius, duxque ipſe tribus pariter vulneribus acceptis diſceſſiſſent.

ſiſſent. ad quæ procuranda cum domum deceſſiſſet, patres in eius locum Pandulphum fratrem ſubſtituerunt. interea ſuperuenit Sigiſmundus, atque Vtinum cum duobus equitum millibus ingreſſus triginta aureorum nummûm millia tributi nomine ciuibus imperauit: ſed plurimis dilapſis duodecim tantum millia redegit. inde cum Bononiam cogitaret ad capienda regni inſignia Ioannes, quod cum eo de concilio nondum illi conueniſſet, ab Aceſtino magna ſibi neceſſitudine obnoxio petijt, vt ea facturum iter tranſitu prohiberet. Nicolaus Cæſarem litteris edocuit ſe, quoad inuicem diſſentirent, finibus ſuis non admiſſurum: vtriuſque clientem vtrique ex æquo cupere, neutrum offenſum velle. Sigiſmundus tum Carnis, tum ipſi Pontifici in primis iratus cum fruſtra ſe in Venetia laborare intelligeret propter valida reipublicæ præſidia, per Iſtros redire domum ſtatuit. etenim profectio in Italiam tanto apparatu adornata non modo nihil adiecit, ſed multum etiam ipſius exiſtimationi detraxit. poſt graui Hungarorum & Boemorum, qui erant in exercitu, conſternatione agitatus eum ſedare eam nullo modo poſſet, itineri ſe dedit haudquaquam ſane quieto, quod ad Caſtrum nouum, & ad Plauim tormentis in ripa fluminis diſpoſitis ab Nicolao Barbadico eſſet petitus, magniſq; incommodis affectus. quippe tranſeuntes milites eum ordines paſſim deſererent vulnerati, cęſi, & flumine hauſti complures ſunt, complures etiam captiui facti. metus in caſtris ac trepidatio fuit, dum diſpalati atque errabundi, vt iter proſequerentur, ad ſigna conuenirent. ad recens infortunium accedebat memoria cladis paulo ante Cæſaris diſceſſum in agro Vicetino acceptæ. nam cum Martinus Fauentinus equites DCCCC. in Venetorum caſtra adduxiſſet, totidem pedites equorum clunibus impoſuit, miraque celeritate ad hoſtes nec opinantes noctu profectus complures ab ceteris ſeiunctos interfecit. Plauim tranſgreſſi Cæſariani nondum in ordines redierant, cum idem Martinus, qui alio itinere præuerterat, ante primos atque incompoſitos magno cum equitum numero ſe ſe oſtendit: atque in flumen compulſos mori ibi
1413. coegit. atque hæc quidem in Id. Ian. anni eius ſeculi XIII. inciderunt. Cæſar qui maiores hoſtium vires eſſe ſuſpicaretur, & vtriuſq; regni populares inuicem diſcordes atque ad arma conſternatos ſuſpectos haberet, raptim acto quam maximo potuit agmine eos, qui in Martinum inciderant, concidi atque opprimi ſiuit: nec alioqui delendæ ignominiæ auidus maius ſubire diſcrimen ſuſtinuit. digreſſo in Iſtriam Sigiſmundo Nicolaus Capellus cum magna manu Buiam, id caſtello nomen eſt, incolarum deditione cepit. Pippus

ad Collaltum caſtra habebat, ex eo loco cum expedito equitatu Tauriſanos vexabat. illi armatorum agreſtium ſubſidio in hoſtem vadunt, ac fine Martij caſtra adorti iniecto equorum tabernaculis igne grauiſſimo incommodo eum afficiunt. Cæſar parum proſpero rerum euentu cõmotus animum ad pacem inclinauit, Hermanumq; Comitem Cilienſem, cuius ipſe filiam Barbaram in matrimonio habuerat, Iuſtinopolim legauit, vti de ea re colloqueretur cum Thoma Mocenico & Antonio Contareno. ſocero comites fuerunt pari dignitate inſignis Bertoldus ac Druinenſis Comites, & Brandiſius Cardinalis. Sub hoc tempus Pādulphus Malateſta cum exercitu profectus in ſubiectam Feltriæ vallem ſub illius oppidi ac Ciuidalis etiā portis agrum effuſis populationibus vaſtauit. toto hoc bello fatetur Sabellicus veritatem ſibi ignotam, ac dum res geſtas in genere perſcribit ſe ipſum implicat, ac maxime dictu digna omittit. ſed cõmentarij, quorum paulo ante meminimus, plane omnia diſtincteq; explicant, ita ut cuncta congruant & nihil omnino a uero abhorreat. id nos conſulto attigimus, quod concordiæ ſubſequutæ interpres extiterit Nicolaus. Is cum domi otio floreret, vtpote finitimis omnibus principibus amicus ac prope ſocius vota, quibus ſe obligaſſet, vnum quidem propinquo in loco ædis Lauretanæ adeundæ, reliqua longinquis ac maxime inter ſe diſſitis regionibus ſacroſancti Domini Sepulchri in Syria in Hiſpania D. Iacobi apud Gallęcos fani adorandi tunc ſoluere conſtituit. ita imperij cura Vgutioni demandata poſtr. Non. Apr. nauem conſcendit cum Petro Rubeo, Alberto a Sale, Feltrino Boiardo, Nicolao Obitio, Thoma Contrario, & Petro Petrato: quoque expeditius & ocultius ſuſpectis locis iter eſſet, comites non amplius quadraginta aſſumpſit. trireme Venetias aduectum poſtrid. Non. Aprilis Patres rogauerunt exciperet apud ſe ſocerum Auguſti, cumque eo, cuius rei gratia veniſſet, ipſique & Cæſar cuperent, de concordia ageret. his maxime conditionibus res tranſacta eſt. Ad eum diem poſſeſſa vterque retineret. mercatores vltro citroque tuto commearent. captiui vtrinq; reſtituerentur: quibus neceſſe foret libertatem pretio redimere, ij interpoſita a Cæſare ac Senatu fide ad pecuniam expediendam dimitterentur: induciæ in quinquennium eſſent. Hæc cum publicis tabulis fuiſſent cõſignata, Ateſtinus IIII. Id. Apr. iter ſuum eſt proſequutus: Polam, Iaderam, ac Corcyram prætervectus in Ægæum vela flexit: Methonem, Stympaliam, Rhodum & Cyprum attigit. inde in Syriam cum tranſmiſiſſet ad Iopen in terram deſcendit: ab Rama Hieroſolyma petrexit, in templo, quod eſt coniunctum ſacroſancto

croſancto ſepulchro equeſtria ornamenta contulit Alberto, Rubeo, Boiardo, & Contrario: ipſeque viciſſim longe aliter quam in expeditione atque inter arma ſoleat, eodem modo eques eſt creatus ab Alberto. Volonum Ægyptiorum metu, a quibus etiam petitus eſt inſidijs, non auſus in continenti quis eſſet aperire, cum Bethleemitas attigiſſet, ac deinde ad Iopen nauem conſcendiſſet, tum demum nomen eſt profeſſus. deſcendentem in terram Cypriam magiſtratus is, qui inter ciues Venetos ius dicebat, obuiam progreſſus, ſimulque Galilææ Tetrarcha, inſulæ præfectus, & magiſter equitum regni Hieroſolymitani Iacobi Luſiniani regis fratres magno honore exceperunt. ab his Nicoſiam ad regem deductus inde perpetua nauigatione tertio, quam domo diſceſſerat, menſe Prid. Non. Sext. Ferrariam peruenit. Interim Ladiſlaus ſecus atque paulo ante placuiſſet, contempta vtrinque pace exercitum cogerat, ac Sfortiam mercede conductum iuſſerat Paulum Vrſinum in oppido, quod Roccacontratam in Piceno vocant, obſidere: ipſe improuiſo vrbem iterum aggreſſus ſine certamine in poteſtarem redegerat, cum imperio prǫeſſe iuſſo eodem Troię Comite, & direptis Florentinorum ciuium fortunis, quos hoſtium numero in primis habebat. qua re coactus Pontifex Concilium relinquere Florẽtiam pfofugerat. Sigiſmundus quoq; in Italiam profectus Mediolani argenteam coronam, quia poſtremam auream conferre ſolet Pontifex, appetiuerat: ſed quod Inſubres exules cum eo eſſent, mœnib. excluſus eſt a Philippo, qui proximo ſuperiore anno in locũ fratris conſpiratione nonnullorum Guelforum cæſi princeps ſuffectus fuerat, ac Beatricis Tindæ ante Facino Cani nuptę matrimonio magnas ſibi opes parauerat. Is erat rerum ſtatus, ac quantum quidem ex Gerardi Boiardi legati apud Vicecomitem litteris deprehendi poteſt, Ateſtino tum priuatæ tum publicæ quietis cauſa minime grata erat Philippi & Sigiſmundi ſocietas, ad eamque prohibendam nihil non eſt molitus. Auguſtus gnarus non tantum ſibi adeſſe virium, vt Philippum vlciſci poſſet, vni Concilio Conſtantiam indicto reliquas poſt habuit curas. Non eſt autem ab re tum quod ad Ateſtinum pertinet, tum quod in colloquium ob eam cauſam venere Pontifex & Cæſar, & magni alioqui momenti eſt, hoc paulo fuſius explicare. Sigiſmundus religionis diſſidio commotus, quod nomini Chriſtiano publice ac priuatim maxime officeret, ſi quidem & Boemi fœdis errorib. inquinati iam iam a fratre ſeceſſionẽ facturi eſſent, iuſto ſanctoq; patrum Concilio vnum modo ſacrorum principem creatum iri, & in eius poteſtate impiorum capita fore exiſtimauit. eo nomine ſtatim

ad imperium euectus in Galliam, inde in Britanniam tranſmiſit, ſi vtrique regi ſando perſuadere poſſet, vt tam ſalutari tam pio voto ſuffragarentur. legati de eadem re ad Ioannem iam tum ab capta vrbe Florentiæ, ſe continentem miſſi renuntiauerunt mox & ab ipſo affuturos, qui de Pontificis voluntate Auguſtum edocerent. Erant Ioanni permulti auctores verbis tantum Cæſari oſtentaret nihil ſe morati, quo minus primo quoque tempore coirent patres; re ipſa ab eiuſmodi conſilio vti nimium ipſius rationibus incommodo abſtineret. Nicolaus conſultus contra ſuaſit, iudicium ne diffugeret, id & perſonæ quam ſuſtineret, conuenire; & præterea verendum eſſe ne Cæſar æmulis ſe daret magno cum ipſius detrimento. ſi conſentiat cauſæ multum adiecturum, ſi diſſentiat multum detracturum ſine dubio eſſe. monuit tamen etiam atque etiam videret, quo placeret patres conuenire; eo & ſalutem ipſius & decus Eccleſiæ Romanæ in primis contineri. Ioannes conſilio probato Antonium & Franciſcum Cardinales ſpectatæ fidei, magnæque propter ætatem auctoritatis ad ſe vocat, præſertim vero Franciſcum natum gente Zabarella, cuius extant ad ius Pontificium egregij commentarij: coramque de ipſorum ad Cæſarem legatione cœpit diſſerere. refert Antoninus Archiepiſcopus Leonardum Arretinum, quo tum ab epiſtolis Ioannes vtebatur, rem memoratu dignam ac ſe præſente geſtam narrare ſolitum. nimirum cum ille intelligeret rem in eo verti, ſi ſuarum partium locus in Italia patrum congreſſui deligeretur, ſcripto vrbium nomina quo conueniri placeret, complexum fuiſſe, formula legatis edita quo pacto ab durioribus primo conditionibus ſenſim, ſi ſic neceſſe foret, ad æquiores deſcenderent: ſeparatim vero atq; in genere perſcripta, quæ non multum pertinerent ad ſummam rei, & dicis gratia Sigiſmundo ac proceribus ipſius enuntiata vellet. ceteriſque vno excepto Arretino iuſſis excedere cubiculo tanta animi contentione legatos alloquutum, tum ſuam in ipſos beneuolentiam prædicantem, tum opinionem de eorum prudentia, vt diceret ſe quidem oppida, quæ probaret chirographo adnotaſſe: ſed quia nō dubitaret vtrumque quid conduceret longe melius, quam a ſe exprimi poſſet diſpicere, paremque rei magnitudini adhibituros diligentiam, conſilium mutare ſe, ac libera mandata dare. hæc dicentem chirographum ignaris, quid nam contineret, legatis concerpiſſe. id illi abrogationi Pontificatus, Eccleſiæ ſaluti fuit. quippe Cardinales profecti in Germaniam comite ad honeſtandam legationem Emanuele Chiſolarenſi viro ampliſſimo, vel quod Archiepiſcopo Maguntino, qui ante cum Colonienſi ab Concilio Piſano

aduerſus

aduerſus Gregorium ſteterat, vel quod ipſi Cæſari plane confiderent Ioannis maxime opera ad eam dignitatem euecto, Conſtantiam ditionis Maguntinæ oppidum probarunt. qui locus non longinquus modo & trans alpes, ſed in Auguſti etiam poteſtate erat. ſero tandem didicit Ioannes legatos viros alioqui probos atque eruditos nō adeo rerum vſu valere, vt ijs tantum eſſet tribuendum: nec ſi leuia quæpiam ſacerdotiorum puta atque huiuſmodi controuerſias non imperite diſceptaſſent, ideo pari prudentia longe magis ardua explicare debuiſſe. ſed re amplius non integra Bononia, quo ante aliquot menſes Florentia conceſſerat, vti ſaltem Auguſtum ſibi conciliaret, ad eum perrexit. exitu menſis Auguſti cum Placentiam veniſſet, ſæpe inter ſe colloquuti Laudem, inde Cremonam vna petierunt. eodem ferme tempore Ladiſlaus Florentinis grauis atque infeſtus alterum in Flaminia exercitum comparandum ſibi eſſe ſtatuit, quo ſanctam Sedem omni profana ditione exueret Ioannis maxime anguſtijs & diſceſſu ex Italia Concilij ergô imminente adductus. quamobrem copiarum omnium, quæ trans Apenninum cogerentur, Nicolao ducatum detulit auctore Sfortia, qui & ſe Ateſtinorum alumnum profitebatur, & Franciſcum filium poſt Inſubrium principem apud Nicolaum inter ceteros nobiles pueros educandum inſtituendumque curauerát, quemque etiamnum adoleſcentem inde euocatum Neapolitanus Trecaricenſi Comitatu, alijſque complurib. caſtellis donauerat. acceptis de illo munere litteris, nec non ſtipendio ab rege conſtituto Nicolaus conditionem eſt aſpernatus, tum quod ſe minime dignam duceret, & ipſe pro vetere inſtituto ſanctæ Sedis non hoſtem, ſed vindicem ſe ſe profiteretur: tū quod propediem ſocietatem aduerſus Neapolitanum eſſet initurus cum Pontifice atq; Hetruſcis. res diutius agitata fuerat ſociorum internuntijs Spina viro equeſtris ordinis & Matthæo Vanne, Ateſtini Gerardo Boiardo, Nanne Strotio, & Iacobo Giliolo ab epiſtolis: tandemque xv. Kal. Octob. Mutinæ leges fœderis perſcriptæ. at vero vt Neapolitano & Inſubri palam fieret, Nicolaum eiuſmodi ſocietatem ac præfecturam copiarum non appetiuiſſe, Pontifex & Cæſar per litteras ab eo contenderunt, vti Ladiſlao poſthabito Eccleſiæ ac Florentinis ſeſe adiungeret. fœderis capita, quæ rem maxime continerent, hæc fuerunt. Quos Ateſtinus laceſſitus armis perſequatur, eos ne Pontifex aut Florentini auxilio ſubleuent, ſed ſimul oppugnent. Pontifex equites D. pedites CCC. mercede militaturos ei tribuat rata atq; omnino certa in annum præfectura: eadem conditio, ſi vtrique placeat, in alterum annum maneat: ex eo equitum numero CCC. quo

iuſſerit

ſufferit Pontifex proficiſcantur, per menſes tamen ſex Flaminiæ aut Bononiæ finibus vtriq; interim regioni præſidio futuri ne excedant, niſi Ateſtinus eorum ope vti velit: ſi vtatur locum, vbi commorentur, ijs ſtatuat arbitratu ſuo. ſocij ſi pluribus militibus ſit opus, plures ſubmittant, reliquos CC. equites ac pedites Nicolaus apud ſe habeat. ex equitibus trecentis Pontifici deſtinatis CC fiat copia Florentinis, vt in Hetruria eorum opera vtantur, modo ne ipſis Ateſtinus egeat. ſi quis ex Pontificijs a Nicolao diſcedat, tum ne ei ſtipendium imminuatur, modo intra alterum mēſem in eorum locum totidem milites ſubſtituat. nullum fœdus, nulla pactio inſtituatur fiatue cum Auguſto ipſo inconſulto: initis nominatim adſcribatur Ateſtinus, vtique Mutina, Regium, ac Parma ſolennibus tabulis ei addicantur. ſi contingat pacem agitari ac conuenire Pontifici & Florentinis cum Inſubre ac Malateſtis, ea tum demum rata ſit, ſi non prætermittatur Ateſtinus. Pontifex omnium, quæ pepigiſſet, publicas tabulas nulla impenſa Nicolao petenti tradat, Cardinales cuncta comprobent. idem agant Florentini interpellati. ad hæc curent vti Pontifex pro virili parte etiam ſi ob eam cauſam bellū ſuſcipi oporteret, fidem præſtet. cœnobium Pompoſianum munere Pontificis cedat Balthaſari a Sale protonotario. Ateſtinus quæ recepiſſet iſto fœdere, ea ita futura & publicis monumentis & priuato chirographo caueret. ſi conſcripti a Nicolao milites Pontifici aut Florentinis operam nauent, præfectorum imperia exequantur, ita ut ne Venetos aut ipſum Nicolaum petant: contra ſociorum auxilia Ateſtino ſubmiſſa ei omnino parcant. ſocij ſi quę manus tranſeat per alicuius fines, præbeant inter ſe vænalem commeatum præterquā ijs, qui Venetos aut quem ſociorum oppugnatum irent, modo ne ſint in eo numero exules aut hoſtes copias huiuſmodi finibus recipientis. ſocij pro ſe quiſque pacta & conuenta ſeruent. Ioannes ab Cæſare, quo cum ei de ſynodo conuenerat, cum & ille Conſtantiam abijſſet, Cremona Mantuam venit, ibique perbonam hiemis partem exegit. dum Bononiam procedit extremo Ianuario anno illius ſeculi XIV. Ferrariæ 1414.
triduo cultus eſt honorificentiſſime. Deinceps Nicolaus adito Lauretano templo oppidi imaginem ex argento donarium ſacrauit: ita alterius voti religione ſolutus eſt, quod peſtilentia in vrbe ſæuiente vouerat, reliquis ſui vnius capitis periculo ſe obſtrinxerat. ſuperera tertium, quod in Hiſpania apud Diui Iacobi ſacram ædem perſolueret. eo XIIII. Kal. Iul. non amplius quattuor & viginti comitib. commutatiſque ad celeritatem equis contendit, ex itinere Francum regem aditurus ac iuncturus amicitiam, quando Itali opulentiores

libidine

libidine proferendi imperij occæcati longinquas ſpes circumſpicere cogebant;quibus qui minus ei cuperent,ab vi inferenda abſterreret, & ſi quis vim faceret, externo auxilio ſeſe tutaretur. Sed vt Antonij Viennenſis celebrem in illis gentibus ædem inuiſeret, per eam Galliæ partem, quam Delphinatum appellant, iter fecit. Lutetiam appropinquanti regis nepotes duo occurrerunt: a quo magno honore ac comitate exceptus egregio beneuolentiæ teſtimonio trinis lilijs aureis donatur. qua re deinde factum eſt, vt gentilitium Ateſtinorum inſigne ſimplici tantum aquila eaque candida conſpicuum, duplicem ſumpſerit, quo magis apte ac ſcite adiecta lilia collocarentur. Lutetia trans Pyrenæum fanum adijt; in reditu haud procul illo ipſo ſaltu a præfecto turris cuiuſdam, Michaelis montem vocant, comprehenſus vti magnum auri pondus pro libertate extorqueret, arctiſſimam in cuſtodiam conditur. rex ſceleris indignitate commotus cum Nicolaum e veſtigio dimitti imperaſſet, præfectum imperium ac minas aſpernatum arce diruta vltimo ſupplicio affici mandauit. in Italia hoſpitio exceptus ab Iacobo Monteuici regulo perrexit in Salaſſos: ex eo loco Mulazanum, dein Meliſium: inde ab Sauona ignotus Genuam peruenit. ab Pontremulo profectus v i Id. Octobr. primos fines attigit declinato Inſubris regno, cuius fidem plane ſuſpectam habebat ob Parmam interceptam, & fœdus aduerſus eum ſuperiore anno ictum. paulo poſt Venetis ſignificauit Francum regem cum apud eum eſſet, Cæſaris nomine a ſe petijſſe, vt qui inducijs patrandis operam interpoſuiſſet, eandem paci quoque accommodaret. Patres & ipſi a pace minime abhorrentes legatos Ferrariam miſerunt, quo iam oratores Sigiſmundi duo ampliſſimo genere peruenerant. pacis cauſa nihil aliud actum, quam induciarum

1415. capita comprobata. Poſtero anno, cum proximo ſuperiore de menſe Sextili Ladiſlaus mortem obijſſet, qui Cortonam quidem Florentinis pecunia tradiderat, ſed nihilominus peſtem eis meditabatur, nec quamquam fruſtratus ſpe auxilij ab Alfonſo Tarraconenſium rege Andegauenſis æmulo regnum Italiæ non affectabat: Ioannes per Vrſinos tumultum Romæ excitauit, vrbemque ab Ioannæ imperio auertit, quæ fratri ſine liberis defuncto ac nulla reliqua virili ſtirpe ſola in regnum ſucceſſerat. Sfortia autem ab Todij mœnibus diſcedens, vbi Columnenſium ac Sabellorum ope Braccium obſidebat, & media in vrbe acie congreſſus magnam eius partem occupauit: mox veritus ne non defendere poſſet, exercitum Viterbium reduxit, & in Hetruriæ regione, quam Patrimonium vocitant, complura ignobilia oppida armis ſubegit. regina interim ex familiari

Pandulphelli

Pandulphelli Alopi iuuenis formoſiſſimi conſuetudine aduerſo de ſe rumore concitato, maximeque nobilitati inuiſa cum Sfortiam ex agro hoſtili reuocaſſet, Ioãnes Conſtantiam in congreſſum patrum ſibi eundum eſſe ſtatuit. apparebat ditioni Pontificiæ nullum periculum ab Neapolitana fœmina imminere, quæ validiore in dies popularium ſeditione diſtineretur: & Inſubris ſpes opeſque ſatis exæquare poſſe videbantur Ateſtinus, Pandulphus Malateſta, Cabrinus Fundulus, & qui Laudenſibus præerat Veneti ſenatus opera icto in biennium fœdere inter ſe coniuncti. præterea tempus appetebat, vt fidem Cæſari præſtaret, cuius teſtem haberet totum Chriſtianum orbem. Principio Octobris Bononia profectus duodetriceſimo die Conſtantiam peruenit: quo iam, vt in eiuſmodi conuentibus reges ac ceteri viri principes facere conſueuerunt, Nicolaus qui aliàs id munus Gerardo Boiardo demandaſſet, Iacobum Albertum & Federicum Spiritum oratores miſerat. Annis duobus inſequenti- 1416.
bus tum Pontificis abſentia, tum Ladiſlai morte Romana ac Neapo 1417.
litana res varijs motibus & ærumnis eſt conflictata. etenim regina ad auertendam ſuſpicionem conſuetudinis cum Pandulphello nupſit Iacobo Narbonenſi Marciæ Comiti, quem non regem ſed Calabriæ Ducem appellatum, eamque ob cauſam ſibi iniquiorem poſt in cuſtodiam tradidit. dein ſpecie capta Ioannem Caraciolum dilexit, atque ad ſummam totius regni dignitatem euexit. is vti Sfortiæ equitum magiſtri auctoritatem conuelleret, maximas turbas Neapoli conciuit. Alibi Braccius Todio primo, Aſiſio & Peruſia, deinde vrbe ipſa eodem impetu eſt potitus, ac ſe ipſius defenſorem appellauit: nihilo tamen ſecius grauia incommoda Romanis & finitimis locis Sfortia intulit. qui cum exercitu aduerſus Braccium a regina miſſus beneficio arcis Adriani, quæ ab ſuis tenebatur, hoſtem expulit, ac paulo poſt Nicolaum Picininum ab Columnenſib. cum equitatu ſubmiſſum, vti populum ad arma ſollicitaret, fuſum fugatumque cepit. In citeriore quoque Gallia res nihilo quietiores fuerunt, quod Philippus & Bartolomæus Comites Arcellenſes fœderi adſcripti Placentiam occupauerant. Inſuber contra fidem induciarum cum Veneto in alterum annum pactarum Laudem a poſſeſſore extorſit, Tritiumq; obſedit; licet Teſtinus Culleo, qui oppido præerat, & Laudenſis eadem ſocietate tenerentur. Nicolaus cum & Cabrinus CC. equites ad ſigna coactos haberet, & quingentos Arcellenſes, quos partim ipſe, partim Pandulphus Malateſta ſtipendio alebant, mille item equites Colornium miſit; quo Tritienſibus circumſeſſis ſuccurreretur: ſed cum ſocij rem minus accura-

rent,

rent, mox eos reuocauit. propterea potitus Tritio Philippus dum Malateſta in Flaminia aberat, Arcellenſes eſt adortus: quorum tutelam gnari patres Nicolaum vtpote a ceteris deſertum minime ſuſceptum, ipſi Pandulphum in ſex menſes, tamdiu enim manſura erat ſocietas, cum mille equitibus mercede conduxerunt. Vgutio Contrarius, idem Pandulphus, & Bartolomæus Arcellenſis cum apud Domninianos conſediſſent, Petro Terdonenſi & Sicco Montagnanenſi Vicecomitis præfectis pulſis aliquot loca ſubegerunt, ac deinceps exacto fœdere quieuerunt. His ipſis duobus annis Concilium Conſtantiæ ſtrenue eſt peractum, ius ſuffragij quinque tantum Chriſtiani nominis gentibus conceſſum Italis, Gallis, Anglis, Hiſpanis atque Germanis; ex ceteris nationibus patres alij alijs harum adſcripti. religioſorum vero hominum frequentiam ex eo licet conijcere, quod aduenæ numero amplius quinquaginta millia eo confluxiſſent. Hæc Concilij acta maxime memorabilia. Ioannes iureiurando adactus arbitrio Patrum pontificatu abiturum, ſi æmuli ipſi per ſe aut per procuratores idem facerent, præſentem Sigiſmundum ſuſpectum habere cœpit, atque ope Maguntini Epiſcopi & Federici Auſtriæ Ducis ex conuentu ad Schafluſenſes ſe proripuit. deſtitutum ac comprehenſum Comes Palatinus in arce Manheim appellata cuſtodiæ tradidit. Gregorius per Carolum Malateſtam dignitatem ſe deponere profeſſus purpuræ vſum retinuit, attributa Piceni legatione. ſupererat Benedictus, cuius pertinacia expugnata diſſidium religionis prorſus tolleret. Auguſtus cum Alfonſo Tarraconenſium rege, cumque ipſo Benedicto Perpeniani congreſſus hominem eſt cohortatus ad conuentum accederet; commodum totius reipublicæ Chriſtianæ priuatæ cupiditati anteferret. ille cum ſeptem continenter horas pari facundia atque eruditione, quibus egregie præſtabat, cauſam ſuam oraſſet, de ſententia dimoueri nequijt, ſed parua quadam in Inſula vſque ad ſupremum vitæ diem delituit. Sigiſmundus recipientibus Tarraconenſi rege, legatiſque Caſtulonenſis & Nauarri Hiſpanos nullo nec obſequio nec auxilio Benedictum proſequuturos, Conſtantiam reuertitur. Patres ante Auguſti diſceſſum Ioannis Vuichleffij memoriam damnauerant, eiuſdemque impietatis doctorem ac propagatorem Ioannem Huſſium Boemum viuum igne cremauerant. ipſo abſente pari ſupplicio affecerant Hieronimum Pragenſem Huſſij ſodalem. conſtantiam, cruciatus contemptum, & feritatem mirati quidam nihilo ſaniores (audaciç in obeunda morte teſtes idoneos habemus Æneam Siluium & Pogium, qui quod

 ſpectaculo

ſpectaculo interfuit, ea de re epiſtolam conſcripſit) cum cineres in flumen iactatos legere non licuiſſet, quo loco ſtatuta pyra fuerat, terræ ſuperficiem corraſerunt, ac pro ſanctiſſimis reliquijs reuerenter conditum puluerem in plures Boemiæ populos diſtribuerunt. Hinc, vt eſt auctor Bonfinius in commentarijs rerum Hungaricarum, poſt biennium mortuo Vinciſlao cum ſuffectus frater Sigiſmundus Pragam ire moraretur, eius prouinciæ ſeditio, ac prope exitium eſt conſequutum. Secundum hæc ſciuere patres, vti concilia in poſterum frequenter haberentur, ex ea quidem die primum quinto poſt anno, alterum ſeptimo, tertium ac reliqua deinceps in perpetuum decimo quoque anno. poſtremo ſeni delecti patres ex vna quaque gentium claſſe cum Cardinalibus Pontificem renuntiauerunt Odonem Columnam feſto Diui Martini die, eoque Martinum vocitatum. Nicolaus veritus ne Vicecomes regno in veterem dignitatem reſtituendo intentus Regium & Parmam repetenti ſibi impedimento eſſet, Brixiam profectus cum Pandulpho conſultauit de recõcilianda cum Philippo gratia. Ceterum anno eius ſeculi duodeuiceſimo menſe Martio cum Inſubres quidam 1418.
milites Bartolomæum fratrem ac filium Philippi Arcellenſis intercepiſſent, ſuſpicio fuit ne ipſi, ſimulque Fundulus ad Philippi amicitiam ſe ſe applicarent. quod Venetus moleſte ferens Ateſtinum atque Malateſtam mutua inter ſe ſocietate obſtringere eſt admixus. at Nicolaus tanto terrarum ſpatio vtriuſque imperio dirempto eam cenſuit ſuperuacaneam. quod autem Caroli Malateſtæ ingens erat nomen, & promptum paratumque rebus dubijs auxilium propter Flaminiæ cum eo ferme ſentientis opportunitatem, priore uxore ſine liberis defuncta Pariſinam eius filiam vxorem ſtatuit ducere: qua affinitate extra fœderis neceſſitudinem Pandulphum quoque deuinciebat Brixiæ ac Bergomo imperitantem: quæ & contra nitenti magnum faceſſere negotium, & ab alienis curandis auertere Philippum poſſent. nuptias modico apparatu celebrari imminens toto illo tractu belli metus ſubegit. Veneti irrita, quam ipſi concupiuerant ſocietate, quinimo agente Philippo Lunato de iungenda pace inter Vicecomitem, Ateſtinum, & Malateſtam, ſi quidem belli non pigeret, communi cum vtroque fœdere ſe ſe obligare conſtituerunt ſerius tamen quam oportuit, quod ſine Quintilis tres ijdem reguli inducias in biennium pepigiſſent. Martinus interim ex Germania in Italiam profectus ab Geneua in Taurinos, inde Ticinum, mox Mantuam, atque ex ea ciuitate VI. Id. Febr. poſtero anno Ferrariam peruenit, ibiq; 1419.

magni-

magnificentiſſime eſt cultus. ſedenim cum poſt Ioannis Pontificis diſceſſum Antonius Bentiuolus Ioannis filius adiutore Vidone Pepulo Bononiæ ab ſancta Sede alienatæ popularem reipublicæ ſtatum reſtituiſſet, ipſe principem locum inuaſiſſet; Martinus petijt ab Ateſtino, daret operam vti Bentiuolus volens ac ſine armorum ſtrepitu oppidum dimitteret. Nicolaus ita facturum ſe recepit, ac Pontifici in Flaminiam pergenti equitum ſuorum alam præſidio miſit. qui nonnihil de recta via declinans ne Bononienſium fines attingeret, tranſgreſſus alpes Florentiam venit. Non deſtitit Nicolaus etiam atque etiam monere Antonium patriam Eccleſiæ ademptam perbona pecuniæ ſumma, atque honeſtiſſimo inter ſuos
1420. loco mutaret. aliquot poſt menſes anno eius ſeculi viceſimo idem vehementius petere inſtitit, quod Hetruriæ pars Patrimonium vulgo dicta maxime infeſta eſſet, & Braccius in ſummas anguſtias Martinum compuliſſet. is maiore in dies nomine a conditionibus III. Id. Febr. cum Pontifice conuentis diſceſſerat. quæ cuiuſmodi forent, indicant litteræ legati Ateſtini tum Romæ commorantis: nimirum vti Braccius intra dies XV. præſens debitum obſequiū ac venerationem Pontifici exhiberet: cederet omnib. locis de Eccleſia occupatis præterquam Peruſia, Todio, Ieſio, Roccacontrata, & Montalbotto: populus tamen Peruſinus ciuem deligeret, qui cum imperio nomine ſanctæ Sedis ijs præeſſet; ipſe Vicarius in triennium ſolennibus tabulis appellaretur, ac certo annuo ſtipendio pontificiæ militię adſcriberetur. regina cognita Braccij pertinacia vt illi par bellica virtute dux opponeretur, Sfortiam Pontifici præbuit. Martinus veritus ne Caraciolus ad conuellendam Sfortiæ auctoritatem æmulum mercede ad ſe perliceret, iſque deinde Neapolitanis opibus fretus pontificiam ditionem maioribus incommodis afficeret, Aloiſium III. Andegauenſem Secundi, qui Ladiſlaum prælio vicerat, filium in Italiam euocauit. territa mulier per legatum in Vrbe ſuum Garziæ Alfonſi Tarraconenſis item legato hanc conditionem obtulit, ſi rex claſſe opem ferret, eum ſe filium adoptione aſcituram. Ex horum motuum obſeruatione haud obſcure conijciebat Ateſtinus fieri non poſſe, vt Pontifex domi occupatus Bononiam armis vindicaret, tametſi id negotij dediſſet Braccio magnis copijs inſtructo; qui circumiecta quædam ignobilia caſtella in poteſtatem redegit. Ex alia parte ſecunda Inſubris fortuna & vaſtus animus curam acuebant, ne ſui iuris Bononiam facturus Bentiuolum pertentaret ea præſcriptione, quod oppidum a parente Ioanne Galeatio partum, ac Ioanni Marię filio relictum vti regni Mediolanenſis

portionem ſub veteris imperij formulam reuocaret. hæ cauſæ Nicolaum perpulerunt, ageret cum Bentiuolo, vti acceptis florenorum nummûm decem millibus, vnaque Caſtro, quod Bononienſe vocitant, vrbem ipſam Idib. Iul. Pontifici reſtitueret. receptæ cura ac procuratio commiſſa eſt Cardinali Condolmerio Gregorij Pontificis nepoti, qui tum eamdem quam ante auunculus, Piceni legationem obibat. accedebat quod Philippus paucorum dierum interuallo Bergomum expugnauerat induſtria Franciſci Bugioni Carmagnolæ, quod vel fruſtra, vel certe diuturno labore tentatum iri conſtans opinio erat: res vero ſecus cecidit. nam qua parte rupes imminet, & propter loci naturam facillime defendi poterat, ea præſidio nudata ciuitas hoſtibus aditum præbuit. nec illud non videbat magno terrore circumfuſos Cremonenſes, aliaque ſuper alia oppida Inſubri ſe ſe permittere: atque iccirco Parmam a ſe diutius teneri non poſſe, quam vetuſtiſſimo tantum iure ſibi debitam eo minus iuſtam armorum cauſam fore cernebat. ac tum hoc nomine, tum quod vicini ad bellum ſegniores eſſent, modica inde ad ſe conuentura auxilia: Pontifici uero a ſe non alieno id quod cuperet minime præſtare licere, ſibique propterea bellum multo ægrius ſuſtinendum eſſe non ignorabat. namque Catalani, quibus maxime cupientibus Alfonſus regno aberat, ſummam diligentiam adhibuerant in maxima claſſe adornanda. rex aliquandiu ad Bonifacium in Corſica inſula fruſtra hæſit: inde cum omnibus nauibus Neapolim contendit. qua ex urbe Narbonenſis & tanto oneri ferendo, regioque nomini tuendo impar, & ſe ipſum increpans in Prouinciam profectus cucullum ſumpſerat. exin Martinus Ioannam regno indignam pronunciat, Aloiſium Andegauenſem, qui cum Sfortia Auerſam ſe contulerat, regem ac beneficiarium appellat: iamque Neapolitani terra, Tarraconenſes mari Sfortiam, qui in littore caſtra poſuerat, oppugnabant. Decreuerat multo ante Ateſtinus Parmæ iactura, quando ita neceſſitas cogebat, Regium redimere. conſilium ſemel placitum eo celerius ad rem contulit, quod ſubſidio a Carolo Malateſta Pandulpho fratri nequicquam ſubmiſſo Brixiam & ipſam in Inſubris ditionem venturam cenſuit. premebat oppidum obſidione Carmagnola, cumque campos Monteclaro ſubiectos cum quinque millibus equitum inſediſſet, aduenientes Ludouicum Melioratum Firmanorum Vicarium, & Herculem Ioannis Galeatij Bentiuoli patruum cum ter mille equitibus, peditibus mille alæ vnius incurſatione ac periculo ad vniuerſæ rei dimicationem traxit. pugna a paucis primo cœpta mox ad omnes peruenit, ac ſex horas tenuit.

hoſtes

hoſtes non fuſi modo ac fugati ſunt a Carmagnola, ſed etiam vterq; præfectus captus. ita Pandulphus inter Veneti ſenatus cunctationem ignarus quo ſe verteret, de deditione cœpit agere. ea adhuc incerta Nicolaus ratus rem per ſe vnum explicari poſſe, Philippum Mediolani conuenit, atque edocuit Regium ſine controuerſia ad Ateſtinos pertinere: quod oppidum ante annum CC. Federicus II. Aldobrandino item II. auctoritate ſua tribuiſſet, & ciues ipſi poſt Rodulphi voluntate Opizoni VI. vltro tradidiſſent. qua tempeſtate nullum erat Vicecomitum imperium: quin regnum plane inconditum necdum certis finibus circumſcriptum non hos magis, quam illos fines tanquam ſibi cōtributos poterat vindicare. Regium maioribus ſuis vi ac fraude ademptum, quod multi deinceps impotentes domini vſurpaſſent, oblata beneficio numinis occaſione ſe tandem armis recepiſſe. Parma, quæ & ipſa Ateſtinis olim paruiſſet, non grauate cedere, ius omne ſuum remittere. ſcire Inſubrem, ſi quid ex ipſo regno maiores diſtraxerint, eam rem fraudi poſteris non eſſe. magno plane opere ac labore Regium Othobono extortum; qui adhuc ſi viueret cum alijs minoribus tyrannis coniunctus fortaſſe omnium grauiſſimus infeſtiſſimuſque Inſubribus fuiſſet. Ad hunc modum Nicolaus Philippo cauſam ſuam probauit, peruicitq; vti pecuniam erogatam in recipiendo oppido agroque ſibi reſtitueret non ſane admodum grandem; tum quod ea poſſeſſio paucorum dierum fuiſſet, tum quod quam minimo parata: impenſam quidem alio tempore atque ab alijs multo maiorem facile fieri potuiſſe, ſed minus vtilem. adde quod receptam Parmam interitus ſtirpis Tertiorum Vicecomitibus maxime inimicorum erat conſequutus. ſubiecit prętermittere ſe quam prope fuerit ab Mutina amittenda, quibus caſibus reliquas fortunas ſuas obiecerit pro ſalute illorum populorum. Motus oratione Philippus ſe vero argentum numeraturum, ac omni iure in Regienſes, eorumq; agrum cautionis ergô ceſſurum ſpopondit, ne quo deinceps poſſeſſionis titulo Inſubres niti poſſent.
1421. Inſequenti anno VI. Id. Apr. id quod promiſerat ſcripto complexus rata habuit quæcunque Nicolaus in illa regione Gonzagis, Corrigienſibus, ac Mirandulanis contuliſſet. ipſe Guardaſonum ac cetera, quæ Vgutio Contrarius in agro Parmenſi obtinebat, recepit. Compoſuerat Ateſtinus proximo ſuperiore Decembri cōtrouerſias, quæ popularibus ſuis incolis Roccæ pelagi, Plebis pelagi, & Fluminis albi apud Frinianos intercedebant cum Bargenſibus municipibus iuris atque ditionis Florentinæ: ex quibus quidem controuerſijs præter mutuas vtriuſque partis vexationes grauis ſimultas inter

dominos

dominos exoritura fuerat, idq́; ſumptis arbitris Senenſibus: quorum ſententia finita diſcordia, & termini vtriuſque imperij ad Verucolam ſunt poſiti. Sub idem tempus mutatis nonnullis prædijs ad pagum Pauiolam oppido Argenta voluntate Archiepiſcopi Rauennatis ius poſſeſſionis illius ante vſurpatum in poſterum confirmauit: quod deinde cedere in euidens commodum illius Eccleſiæ declarauit Epiſcopus Bononienſis, tametſi Carolus IIII. liberaliſſimo diplomate hoc ipſum municipium Nicolao iam ante dono dediſſet. Firmãdi regni pignora Nicolao placita probarunt etiam Gulielmus Luneburgenſis & Bernardus Brunſuicenſis, qui biennio ante ſocio Henrico Sleuichio acerrimo bello Pontificem Bremenſem diſtrinxerant, mox vtriuſque partis popularibus conſulentes æquis conditionibus arma poſuerant. itaque per hoſce dies ſuperato ad Gionum Antiſtite Heldeſenſi, & caſtello capto ne bellum detrimentoſum diutius alerent, qui ius tantum ſuum perſequerentur, diſceptatorem totius cõtrouerſiæ Theodoricum Archiepiſcopum Agrippinenſem adhibuerunt, eoque quod ille decreuit, ſteterunt. Inſuber autem 1422.
annis illius ſeculi viceſimo ſecundo & tertio poſt Cremonam de Ca- 1423.
brino Fundulo, qui eam a ſe teneri poſſe diffidebat, receptam Carmagnola ad Caſtelletum cum exercitu præmiſſo Spinulæ gentis & procerum Carettenſium ope Genuam occupauit: totamque illam oram, atq; adeo ciuitatẽ ipſam factionib. ægram perturbauit. Ioanna & Alfonſus parum inter ſe concordes Brutios varijs motibus impleuerunt, quos Braccij & Sforitæ ſimultas adauxit. Sfortia regem prælio victum, atque vt ingratum a matre abdicatum Aloiſio prælato in naues compulit: is ex itinere cum in Hiſpaniam reuerteretur de improuiſo Maſſiliam diripuit, ſtatimq́; abijt. ceterum quod Neapolitani procul ab citeriore Gallia, Flaminia ac Venetia inter ſe contenderent, interim Ateſtinus nullam vexationem eſt perpeſſus. cogitabat cum animo ſuo Philippum Genuę imperio auctum claſſem 1424.
Ioannæ ſubſidio miſiſſe ad exterminandos tota prouincia Braccium ac Tarraconenſes; cuius etiam auxilio Caietani expugnati ad officiũ rediſſent. eundem præterea Franciſci, qui Sfortiæ patri in tranſitu Aterni amnis ſubmerſo in copiarum præfecturam ſucceſſiſſet, & Braccium Aquila pellere niteretur, amicitiam diligenter colere. multa quoq; a multis renunciata monebant diligenter animum aduerteret, atque immoderatæ hominis cupiditati obuiam iret. illud in primis didicit Inſubrem eo conſilio Neapolitanæ opitulatum, vt viciſſim reginæ opibus aduerſus Florentinos vteretur: quoque modo Sfortiam prouocaſſet vt ſecum militaret, eodem pellicere Frãciſcum

filium

filium clariſſimum militiæ artibus iuuenem: non alia de cauſa regnum pacatum velle, quam vt eo exercitu ad libidinem ſuam abuteretur. ſed quod animum acrius morderet, ex Gonzagæ litteris cognouit Vicecomitem Mantuæ inhiare. gnarus tam vaſtæ cupidinis ſummo opere contendit Florentinos ac Gonzagam arcto amicitiæ vinculo cum Venetis coniungere. De Ateſtino vt amico Patres egregie ſentiebant, quorum paulo ante mirificam in ſe voluntatem cum perſpexiſſet aquilis aucupio idoneis atque alijs huiuſmodi volucrib. donatus, nec ignoraret id ipſis pergratũ fore, Venetijs proprijs in ædibus liberaliſſime hoſpitio excepit Danũ regem ſacroſanctum domini Sepulchrum inuiſentem; ac paulo poſt Goritieſem, qui de ſuis ac Patriarchæ Aquileienſis rebus acturus ad vrbem acceſſerat. Dum hæc geruntur, Florentini ante ſuſpicati Philippum hoſtili in ſe animo eſſe, rem ita prorſus ſe habere compererunt violata ab eo ex profeſſo pace. qua diſerte cautum erat, intra Pontremulum & Cruſtulum agri Regienſis amnem ſe contineret: ne ve quod oppidum Flaminiæ etiam voluntaria ciuium deditione reciperet. ſed cum deceſſiſſet Georgius Ordelafius relicto filio Thebaldo apud matrem Ludouici Alidoſij Forocornelienſium principis filiam, quæ Guelfis fauebat, eoque nomine viri ſororem Gibellinæ factionis ſtudioſam offendebat, illa ad Florentinos, hæc ad Inſubrem confugit. continuo Vicecomes aliquot turmas equitum in Bononienſium fines iubet proficiſci, perq; mulieris fidem ipſius ſequutæ amicos oppidum occupat. Ateſtinus per Aldobrandinum Ioculum ciues adhortatus fuerat Philippo ſe ſe dederent, tum vt belli materiam ſubtraheret haud dubie imminentis, ſi reſiſterent, tum pupilli ipſius fidei ſuæ commendati cauſa, cui paterno etiam teſtamento tutor datus fuerat. Expoſtulantibus ea de re Florentinis affirmabat Philippus ſe nihil minus, quam bellum cupere: quod ad pacem attineret, violatam ab ipſis verius dici poſſe, qui minime ambiguo in nondum captam Genuam ipſius iure Liburnũ pecunia coemiſſent de Thoma Fregoſio tum illi reipublicæ amico: contra Hetruſci diſſerebant Liburnũ Piſanæ ditioni contributum, quam Gabriel Philippi frater magno auri pondere diſtraxiſſet. verum quietis auidi ac memores odij Vicecomitum, & quas in anguſtias compulſi fuiſſent ab Ioanne Galeatio Philippi patre, ab Ateſtino petierunt ageret cum illo, vt priſtina amicitia incolumi arma deponeret. Nicolaus, ſi quidem ferro decernendum eſſet, bellum vt nauiter gererent, hortabatur: extra eam neceſſitatem aliqua tolerabili conditione rem tranſigerent, auctor etiam vt quando ſumma in interceptam ciuitatem poteſtas

Pontificis

Pontificis eſſet, cum adirenr. id deinde fruſtra fuit; quippe Martinus Florentia profectus parum æquum ciuibus ſe ſe præbuit non eo ſolum, quod paſſim dicteria in ipſum iactari impune ſuſtinuiſſent: ſed multo magis quod cum Braccio ſenſiſſent: ac denique ſubiratus illorum ſuperbiæ, quam coerceri erat ex vſu ſanctæ Sedis. auxerat indignationem, quod appellati ſemel, dum apud ipſos eſſet, atque iterum vt arma conſociarent, id recuſauerant. quibus cauſis permotus cum Inſubre amicitiam iunxerat. ita nulla reliqua ſpe a Pontifice Nicolaus legato ad Florentinos Nanne Strotio cōſilium dedit per ſe vtile, ſed in ſpeciem parum honeſtum illi populo. quam in rem qui nimis anxie inquirunt & corticem intuentur, plerunque in grauiſſimos errores incidunt. Conſulebat Strotius, vt quando Vicecomes affirmaret Foroliuienſes ſalua pace a ſe recipi potuiſſe, ipſi negarent; oppidum alicuius interim fidei committeretur, qui pupilli nomine præeſſet: idque munus ſi Pontifex abnueret, demandaretur Nicolao vni omnium propter finium propinquitatem maxime idoneo. Ad hunc modum ſperabat Ateſtinus ſemina diſcordiarum in Flaminia ſublatum iri, quæ non erat dubitandum, quin in Hetruriam ac citeriorem Galliam propagarentur magna cum totius Italię perturbatione. ſed cum Hetruſci reſpondiſſent non eſſe id ex dignitate reipub. Philippumque haud impune laturum, niſi res in priſtinum ſtatum reſtitueret, pupillique & matris tutelam ipſe omnino expers Florentino populo relinqueret, inanis prorſus Nicolai labor extitit. quinimo illud idem præſidium Foroliuij impoſitum proditione gregarij militis Alidoſiani Forum Cornelij occupauit. Florentini per cauſam duarum vrbium interceptarum, quæ alioqui iuris Pontificij fuiſſent, a Martino ſuppliciter contenderunt, ne contra rempub. vſque adeo offirmaret animum, vt dum illi auxilium denegaret, propriam quoque vtilitatem negligeret. ille cauſatus nullum in ſe præſidium eſſe, qui nec paulo longinquiora ſanctæ Sedis oppida tueri poſſet iuſto Braccij metu, per quem ne Romæ quidem tuto eſſe liceret, id tantum operam dedit, vt legati minime offenſi huiuſcemodi reſponſo domum redirent. renuntiata publico in concilio legatione Florentini haud ignari Pontificem nullo ſuo periculo verbis tantum eos tutos præſtare potuiſſe, ac re ipſa cum Inſubre ſentire, e veſtigio copiarum ducem legerunt Carolum Malateſtam. erat ille quidem ducendis exercitibus fortunatus, paceque & de re militari diſſerendo, quam ipſo bello atque acie melior; quippe qui ad oris dignitatem ſingularem plane facundiam adiecíſſet, ſed tamen tantæ exiſtimationis atque nominis, vt honeſtiſſimus quiſq; militiæ

gradus

gradus ei deferretur. tribunos militum renunciarunt Pandulphum ipſius fratrem, Vrſum Vrſinum, Ludouicum Obitium, Nicolaum Petroncinum,& Arditionem Carrarienſem. Henricum etiam principem equeſtris ordinis, qui patronum ac tutelare numen Diuum Iacobum agnoſcit, fratrem regis Tarraconenſis aduocauerunt, vti Genuenſes ad libertatem vocatos, atque auxilio ſubleuatos ab Philippo auerteret. Henricus cum quattuor & viginti nauibus longis ad portum ſucceſſit; populus vero Hiſpanorum imperium horrens, & præſenti ſtatu contentus conquieuit. Hiſpani ea ſpe deiecti, atq; oram maritimam depopulati nauigationem etiam ciuibus infeſtam fecerunt. Interim Aceſtinus comperto Angelum Pergulanum quartuor equitum millia iuſſu Inſubris ad Zagonariam obſidendam adducere:& erat locus in ditione Almerici nepotis ſenioris Almerici, quem magiſterium equitum geſſiſſe alibi narrauimus, & Florentinorum ſocij atque amici; continuo vtrumque per litteras ad pacem quoquo modo conciliandam hortatur. fit enim plerunq; vt in maximo armorum motu priuſquam periculum virium ſit factum, minore negotio controuerſiæ tollantur. ſed duces adeo certam atq; exploratam ſibi victoriam ſpondebant, vt belli curſus ſiſti non potuerit. Pergulanus obſeſſos paciſci deditionem coegerat, niſi ad certam diem auxilium affuiſſet: proinde Malateſta nec opinantem aggredi cum ſtatuiſſet, lutulento itinere, continentique & graui imbre fatigato exercitu ad hoſtem peruenit. Arditio cum parte equitatus prælium conſerere iuſſus tanta celeritate atque impetu incubuit, vt Pergulanus funderetur. ſedenim dum victores alij ad prædam, alij ad curandum quiete corpus diſcedunt, qui paulo ante terga dederant, collecti ex fuga conglobantur eo facilius, quod reliquæ copiæ Arditionem non ſunt conſequutæ: cum & peditis nullus ferme vſus eſſet,& magna equorum multitudo ad pugnam inutilis. Angelus ſatis iam paratus hoſtem incōpoſitum, atq; ut diximus affectum adortus paruo negotio ſuperauit. Vrſinus & Obitius in acie ceciderunt; Arditio atq; alij cōplures capti, ſimul & dux ipſe, qui Mediolanum in cuſtodiam eſt miſſus. Alibi Braccius dum Aquilā obſidet, Nicolao Picinino deſerente locū, quo aduerſus obſeſſos cōſtiterat, cum & illi eodem tempore erupiſſent, prælio ab Pontificijs ac Neapolitanis victus vitam amiſit. Cum Braccianorum magna opinio virtutis eſſet, Florentini ſub eam plagam vnam hanc ſalutis expeditam viam eſſe cenſuerūt, ſi eos mercede cōducerent numero ad mille & ducētos equites, ſimul coacti ſunt (nec.n. illi alia condōne militaſſent) Odoni Braccij filio iuueni, nec rei militaris admodum perito omnium co-

piarum imperium committete: ſed quod ætati ac prudentiæ deerat, additus legatus Nicolaus patris alumnus abunde cumulauit. Ceterum Odonem per Lamonis vallem in Hetruriam habentem iter loco anguſto adorti milites, qui Guidi Antonij Fauentinorum reguli ſtipendia faciebant, licet numero inferiores victum tamen interfecerunt. nec abfuit ſuſpicio iuuenem fraude Picinini illam præfecturam ambientis in inſidias præcipitatum. certe quidem captus ac Fauentiam perductus ſuadendo Guidum Antonium a Philippo ad Florentinos traduxit, & eam dignitatem eſt conſequutus. Hetruſci quo loco res ipſorum forent, quod reſponſum poſtremo a Pontifice retuliſſent Nicolao ſignificauerunt: nimirum Braccij quidem iam defuncti demptum metum, ſed Peruſiam & finitima oppida adhuc in aliena eſſe poteſtate, quæ ille recuperata vellet; etiam atque etiam petentes vti ſe conſilio iuuaret, miſſis ad id legatis Laurentio Rodulpho & Marcello Strotio, qui ſimul nuntiarent ipſum Decemuirûm decreto exercitus imperatorem eſſe proditum. e re viſum ſocietatem cum Venetis coire, quorum opes Vicecomitis potentiam facile adæquare poterant. profecti ad vrbem Pallas Strotius & Ioannes Medices nihil impetrarunt, quod Patres dicerent certis quibuſdam de cauſis ſe ſe prohiberi, quo minus eam cauſam ſuſciperent. fruſtra deinde per Ateſtinum tentata pace Cæſari, cuius ſummam in ſe poteſtatem agnoſcerent, publicas calamitates expoſuerût orantes opem, ac magnam pecuniæ vim pollicentes ſi ad regni inſignia capienda in Italiam tranſcenderet, & rempub. ex eiuſmodi anguſtijs eriperet. Vnus Carolus VII. patre eiuſdem nominis VI. ante biennium vita functo rex Francorum appellatus, haudquaquam eſt interpellatus, cum alium neminem, qui ad id paulo magis idoneus eſſet, prætermiſiſſent. Carolus tû id agebat ſedulo, vt Anglos regia vrbe ac regni parte ante ab Henrico V. occupata pelleret. etenim Britannum fœdere coniunctum anno ante ſexto & viceſimo Philippus Burgundiæ Dux vltor Ioannis patris longe acerrimus, qui cum Carolo tum Delfino congreſſus contra iuſiurandum interfectus fuerat, regię vrbis ab ſe capræ côpotem fecerat. ita Francus totis viribus cônixus vt amiſſa recuperaret, huc oẽs cogitationes animumq; prorſus intenderat, maxime Ioannæ Lotharingiæ puellæ oratione adductus, quæ quanto obſcuriore loco nata erat, eo diuino ſpiritu magis afflari, ac regem permouere videbatur. e Gallia ergo acciſis prouincię viribus, ac ſuaſmet reliquias aduerſus Anglos exercête non erat quod Hetruſci vel exiguum præſidiû ſperarent. Veneti principio anni XXV. 1425. ſupra MCCCC. nequaquam ſecuti de Inſubre ad explorandû eius animum

mum cum Andream Mocenicum Mediolanum legaſſent, illũ egregia in rempub. voluntate, Ateſtinum & Gonzagam tutos atque inuiolatos fore cognouerunt. quorum otium commune ſibi rati quieſcere deinceps, & Hetruſci motus exitum operiri ſtatuerunt. vexabat Florentinos aſſiduo quidem bello Philippus maxima ſua impenſa, nondum tamen eos in ſalutis periculum adduxerat. verumenimvero cũ poſtero menſe Franciſcus Carmagnola miſſionem impetraſſet ab Inſubre indignatus præfectum claſſis lectum fuiſſe Taurellum, quam ipſe Neapolim ducturus erat, ſeq; cum neceſſarijs & clientibus Tauriſum recepiſſet, Veneti & Philippum in fortiſſimo viro multum amiſiſſe, & illius ſibi copiam factam cernentes, non iam de tuendo vetere imperio, ſed de augendo cogitate cœperunt. paucis poſt diebus cum trecentis illum equitibus loricatis annuo ſexaginta librarum auri ſtipendio conduxerunt ea lege, vt centum ex familiaribus ad equum reſcriberet: ea ala mille & ducentos equites expleret; quod eius ætatis inſtituto ſinguli equites ternos equos ac totidem milites traherent. Florentini, ſi Venetum ad cauſam non adiungerent hinc actum de ſe rati, quod reliqua ſibi præſidia interclusa animaduerterent, Ateſtinuſque & ceteri Itali vnam atq; eandem cum illa repub. fortunam ſubire vellent; inde quod Carmagnolam inſigni Vicecomitis dolore militiæ adſcripſiſſent ſuæ, in ſpem venerant patres non prorſus abhorrere ab iungenda amicitia. quapropter ad Vrbem iterum legarunt Laurentium Rodulphum Senatorem primarium iuris ſcientia & equeſtri dignitate, rerumq; vſu præſtantem virum. is cum in curia deteſtatus eſſet Vicecomitum ſuperbiam, & Philippi cupiditatem quo iure quaque iniuria aliena occupandi, ac ſingularem perfidiam deſcripſiſſet, eo deſcendit vt diceret, etiam atque etiam patres attenderent, liberis ſuique iuris populis infeſtum Genuenſes paulo ante ſub iugum miſiſſe; idem in Florentinos, ceteraſque Hetruriæ ciuitates nunc moliri: mox Venetos aggreſſurum eo audacius, quod maioribus opibus inſtructus cumque hoc vnum libidini ſuæ obſtare videat, omni illud ratione ſit amoliturus. ſubiecit quæcunque beneuolentiæ ac neceſſitudinis teſtimonia ſenatui præbeat Philippus, ea per fallaciam tribui omnia, vt voti compos fiat: quo artificio eo magis excellat, quo minus ius faſque cordi habeat. Hæc Rodulphus. qui cum ex Senatorum principumque vultu non perinde propenſam, ac res poſtulabat, voluntatem deprehenderet, in hæc prope verba prorupit. Veſtra P. C. cunctatio, dum alienos euentus circumſpicitis, in cauſa fuit vt Genuenſes coacti Philippum Ducem aſciuerint, nos eandem ob cau-

ſam regem faciemus; vos tandem Auguſtum, quod ad me attinet, dum mora hic nectitur, recta domum proficiſcor auctor ciuib. meis futurus, vt Genuenſium exemplo ſibi conſulant. Franciſcus Foſcarenus ea tempeſtate reipub. princeps & auctoritate, quæ locum illum comitari ſolet, & probata multis rebus prudentia inſignis, tum, quod permultum valet apud multitudinem, felici vir facundia, legato comiter appellato ſenatum habuit. ei cum ex primoribus permulti aſſentirentur alios eodem traxit ac peruicit, vt cum Hetruſcis ſocietas inſtitueretur. rem maxime inclinauit Carmagnola, cuius ſententiam priuſquam ſenatuſconſultum fieret, exquiri placuerat. ille non modo quo Philippus animo in rempublicam eſſet, ideſt peſſimo patres docuit; ſed etiam qua ratione regni parte ac ferme toto facile exui poſſet; profeſſus vtrumque ſibi eſſe compertum, quod intimos ſenſus ipſo prodente Philippo cognouiſſet; præſidiorum vim, imperijq; neruos, & popularium voluntates, principis, conſultorum ac præfectorum ingenia per ſe explorata haberet. quoniam autem Philippus paulo ante Carmagnolæ veneno inſidiatus dicebatur, & qui rem ſuſceperat facto ab ancilla indicio irritum conatum morte luerat, eo viſa eſt probabilior cauſa enunciandi arcana prioris heri. vbi conuenturam ſocietatem, ac certo prope pignore affirmatam reſpondit Princeps, Rodulphus certas conditiones ſcriptas edidit, de quibus dum deliberant patres, ipſe cuncta ciuibus ſuis nulla interpoſita mora ſignificauit. Florentini eiuſmodi nuntio excitati biremes ſedecim, paulo maiores duodecim prouehi in conſpectum portus Genuenſis iuſſerunt: vbi ad conclamatum Fregoſium nomen populus nihil mouet, claſſe totam illam oram infeſtam habuerunt. Ligures ad vim propulſandam triremes viginti ornatas e naualibus deduxerunt. concurſum eſt tanta vtrinque animorum contentione, vt duo Fregoſij Principis fratres eo certamine occubuerint ferro Antonius, alter mari ſubmerſus, tertius magno cum periculo, niſi Philippus opem tuliſſet, Sarzanæ obſeſſus fuerit. ille clauſis auxilium ſubmiſit, & ad priores ſedecim triremes addidit, tum fœdere cum Ioanna & Pontifice aduerſus Florētinos obſtrictus nouam inſtruxit claſſem; iiſque Neapolitana ditione, Flaminia, ac citeriore Gallia interdicendum curauit. Veneti priuſquam noua ſocietas in vulgus efferretur, legatos qui quoad eius fieri poſſet, aliquam concordiæ rationem inirent, Mediolanum miſerunt ſuſpicionem obiter Philippo inijcientes Italos, qui ad eam diem quieuiſſent, Florentinis nequaquam defuturos. Inſuber Lamponianum, Vicomercatum atque Ducium iuris ciuilis ſcientia claros homines

Venetias

Venetias legauit, qui docerent patres ſibi non eſſe integrum ab armis diſcedere, atque orarent ne vllo vnquam tempore cum Florentinis ſe coniungerent. interim cum Marcellus Strotius ad firmandas fœderis conditiones Florentia ad vrbem reuertiſſet, Princeps legatos Philippo iuſſit renunciare, quod ipſe bellum maluiſſet, in eo ſenatus nullam culpam extare, qui ſemper otij cupidis non potuiſſet non ſe adiungere. ſumma fœderis hæc fuit. equitum millia ſedecim, peditum dimidio minus conſcriberetur. claſſis mari ac Pado hoſtem aceſſeret: æqua eſſet vtriuſque reipub. impenſa. capta in Gallia togata Venetis, in Flaminia extra quam quæ iuris eſſent Pontificij, Florentinis cederent. Venetis in primis liceret inducias pacemve arbitrio ſuo facere: ſocietas in annos decem eſſet. Hæc geſta cum fuiſſent conſcio ac prope auctore Nicolao, qui aperte ſemper Florentinis fauerat, atque eos ab Philippi iniuria texerat, non poterat non & ipſe in eandem cauſam deſcendere. proinde neceſſario bello implicitus vti regno ſuo proſpiceret, quod Flaminia atque Hetruria domita in maximum diſcrimen incidiſſet, delatum a ſocijs copiarum imperium accepit, eandemque propriam Florentinis operam exhibuit. quorum nomine Ferrariam profectus Pallas Strotius XIII.
1426. Kal. Febr. anno eius ſeculi XXVI. has conditiones cum eo ſanxit. Ateſtinus, quoad reipub. ſocietas cum Veneto maneret, exercitui præeſſet. bello bis mille & quingentos equites, ſexcentos pedites; pace dimidio minus ſeparatim ductaret. horum militum opera cum libuiſſet in rem ſuam vteretur: vnum illum de quacunque controuerſia iudicem miles haberet: captiui ei cederent. eodem quoque tempore ſociorum imperator declaratur. quo nomine Veneti Ferrariam legarũt Antonium Contarenum & Fantinum Michaelium, quorum de manu in celeberrima totius vrbis æde imperatorium vexillum accepit: Carmagnola Veneto tantum militi eſt præfectus. Malateſtæ, ad quorum animos conciliandos Carolus cuſtodia eductus, atq; in magno honore habitus Ariminum reuerterat, Inſubris partes, has ſequutus eſt Ioannes Franciſcus Gonzaga. Pontifex Philippi beneficio Cornelij & Liuij foro potitus, itemque Cæſar & Ioanna per legatos ab Ateſtino petierunt, vt diſcordijs quoquo modo finiendis operam nauaret. Senatus & ipſe eoſdem, quorum paulo ante mentionem fecimus, Contarenum & Michaelium Ferrariam reuerti iuſſit, qui teſtarentur Patres ab decem annorum cum Inſubre foedere, quod per quinquennium coluiſſent, minime alioqui diſceſſuros a Philippo ipſo de ſententia depulſos fuiſſe. at publicæ quietis ergô ſi quidem placeat deponi arma, quæ iam prope in manib. ſint,

Genua

Genua decedat, nullum in Flaminia, nullum in Hetruria oppidum poſſideat. quod cum Vicecomes abnuiſſet, legati ſtatim domum quiſque ſuam abierunt. Martio ineunte Carmagnola exercitum aliquanto, quam fœdere continebatur, minorem in fines Brixianorum inducit. Franciſcus Bembus claſſis aduerſo Pado ſubeuntis præfectus eius ipſius menſis fine cum naues ad pontem prope Cremonam egiſſet, munitionem ibi extructam, vnaque ſeptem myoparones præſidio relictos incendit. Ex Parmenſi quoque agro pecudum ac mortalium prædam longe opulentiſſimam coegit Ateſtinus; totaque regione Pado adiacenti excurſionibus infeſta & Bembo tuta omnia præſtitit, & grauiſſima detimenta hoſtibus intulit. Philippus ab Oldrado Lamponiano Brixiæ prætore admonitus rem in anguſto fore, ſi hoſtis oppidum ab commeatu ceteriſque ad defenſionem neceſſarijs rebus valde imparatum circumueniſſet, Victorio Gonzagæ dat negotium, vti re nondum plane affecta annonam, arma, tela Brixiam importet. is quattuor millium equitum bis mille peditum præſidio commeatum cum adduceret, ſubuectionibus ac plauſtris iter tardantibus hoſtem nec opinantem opprimere non potuit. quin eum conſpicatus Carmagnola tam opportuno loco conſedit, vt vlterius progredi non auſus magnis in anguſtijs Lamponianum deſtituerit. meminerant Guelfi quam crudeliter in ſe tertio & viceſimo iam anno Iacobi Vermius & Cruceius atque Othobonus Tertius ſæuiſſent: qua deinde gratia Gibellini tum apud ipſum Principem, tum apud magiſtratus floruiſſent: vnde coacti deſperatione Patauinum etiam mœnibus recipere tentaſſent. nunc Venetorum armis freti, & prætore auxilij ſpe deiecto auctoribus maxime fratribus Aduocatis Petro & Achille eius factionis principibus oppidi Venetis tradendi conſilium ineunt, & noctu muro ſubruto Carmagnolam cum exercitu introducunt. qui ſine dubio primam eam expeditionem ſuſcepit, quod ciuitas Venetis finibus proxima ac peropportuna eſſet, & ſibi, qui ante quinquennium eam de Pandulpho Malateſta cepiſſet, plane nota. principio magnæ ſane operæ pretium effectum diceres: attamen ſi ſpectes oppidi ſitum, cuius maior longeque firmior pars a Gibellinis tenebatur clauſa & ipſa ac diſtincta ſuis mœnibus & arcibus emunita, permultum de eius pondere detrahebatur. triduo poſt Franciſcus Sfortia Pontificis opera Philippi ſtipendio obligatus Brixiam peruenit, & parte, quæ adhuc ab Inſubre tenebatur, commeatu inſtruxit. Carmagnola ante nouæ arci circumuallandæ intentus caſtriſque muniendis tum propinquis inter ſe caſtellis ex materia, tum aggere excitato, quo Sfortiæ conatus

eluderet,

eluderet, maius multoq; difficilius opus aggreditur. coactis ex montana ferme regione, quæ in ipſius poteſtate erat, non minus hominum ſex millib. latam ac præaltam foſſam ducit, terraq; egeſta propugnacula crebris atque opportunis locis ſtatuit, ibiq; grauis armaturæ milites præſidij cauſa diſponit. quo libere ac ſine impedimento agreſtes opus facerent, militum perpetuas ſtationes hoſtibus oppoſuit, noctuque duplicauit. munitione duorum menſium ſpacio abſoluta arcem Garzettam vulgo appellatam tormentis quaſſauit, eaque diruta intus qui erant milites anteuertentes vim hoſtium ſe ſe vltro dediderunt. paulo poſt idem fecere non minus acri oppugnatione ſubacti qui nouam arcem defendebant, pacti vt niſi intra octauum diem ab Philippo auxilia affuiſſent, ipſi incolumes cum ſuis rebus excederent: quod cum fide præſtiterunt. Cauſam cur obſeſſis ad diem præſtitutam non fuerit ſuccurſum, hanc reperimus, quod cum Philippus copias ex Flaminia atque Hetruria ad ferendam Brixianis opem litteris euocaſſet, (erant autem tam validæ, vt tranſitu per Mutinenſem ac Regienſem agrum vi prohiberi non poſſent) eæque ad amnem Scultennam perueniſſent, Nicolaus tanta diligentia ripam aduerſam ei, quæ ad Bononienſium fines pertinens ab hoſtibus tenebatur, eſt tutatus, vt omnem in tranſeundo flumine laborem fruſtra ſumpſerint. quippe præalta aqua, quod tradunt nōnulli ipſius induſtria accidiſſe, id modo obſeruauit ne pontem alicubi facerent. tamdiu autem ripam cuſtodiuit, quoad Carmagnola non ſolum nouam vrbis partem, de qua dicebamus, ſed etiam veterem in ditionem redigeret. qua Id. Sext. potitus turris quoque ab pila vulgo appellatæ portam, vnde obſeſſis ſubſidia facile ſubmittebantur, intra ſeptimum quoque diem obtinuit. Nec Carmagnolæ tantum dum hoſtem procul ſubmouet, Ateſtini ſolertia eam victoriam confecit, ſed Bembo etiam mirifice profuit, vti Cremonenſium regionem Pado appoſitam peruagatus Macaſturnam & Caſtrum nouum naualibus copijs expugnaret, agrumque effuſe vaſtaret. ceterum cum affecta valetudine patribus ſignificaſſet id vnum ſe ſe cupere, vt in patria liceret mori, domum reuocato datus eſt ſucceſſor Andreas Lauredanus. Amadeus, quem ſingulari virtute præditum, & familia de nomine Auguſto egregie merita natum Sigiſmundus Cæſar decennio ante Ducem appellauerat; cum ante ſubalpinorum Comes diceretur, alioqui Auguſtæ & Chablai Dux, quique cum Venetis ſemper ſenſiſſet; eorum ſecundis rebus, & Philippi leuitate permotus, quem ſuſpectum habebat, cum ſenatu & ipſe fœdus pepigit. Interim Carolus Malateſta Brixianis auxilium laturus

laturus haud procul Vineola, vbi prope ſub ipſis montibus Scultenna minores trahit aquas, ponte extructo equitum millia quattuor, pedites mille libere ac ſine impedimento tranſducit. quocirca nonnulli ſcriptum reliquerunt Ateſtinum, quod clam ſibi ipſi conſuluiſſet, conniuentem non aditum modo Malateſtæ, ſed materiam etiam in pontem præbuiſſe. verius eſt cum Florentini cernerent Carmagnolam Brixiæ aſſidentem ijs ſe munitionibus circumdediſſe, vt victoria haud dubie in manibus eſſet, Malateſtam nihili ducerent, quem ipſi cuperent longe ab Flaminia faceſſere, quando maximos ſumptus totis ſex menſibus feciſſent nullam ferme aliam ob cauſam, quam ut Venetorum potentiam augerent, eos pecuniam in ſtipendium parcius ſubminiſtraſſe, atq; ita paulatim Ateſtini copias imminui cœpiſſe. qui propterea remittere cuſtodiam, & minoribus præſidijs ripas defendere coactus diutius etiam in ea ſtatione fuit, quam fœdere iuberetur. qua de re extant adhuc ipſius litteræ ſcriptæ ad vtramque rempub. querelarum plenæ. ad exiſtimationem vero ſuam pertinere, atque in rem ſociorum eſſe duxit, non ante locum deſerere, quam res Carmagnolæ in tuto eſſent: itaque ripas ad eam diem eſt tutatus, hoſtemque ſubmouit. quod materiam ſuppeditauerit ad conficiendũ pontem, falſum eſſe liquet teſtimonio Blondi æqualis temporum illorum. nec enim arbores in eam rem ſuccidit Malateſta, quas etiam e ſociorum finibus ſumere licuiſſet, ſed dolia viginti oblonga, quib. agricolæ vindemiam plauſtris vehunt, dupliči ordine recte coniuncta ex arboribus ad vtramque ripam enatis religauit. his crates ex circumiectis villis conquiſitas non a militibus contextas ita ſuperpoſuit, vt omnium capita vlteriorem, quam petebat, ripam reſpicerent: deinde terra ex ripa fluminis iniecta ac ſabulo conſtrauit, vt equi velut per ſolum ingrederentur. ad hunc modum Malateſta, quæ vſui ad traijciendum eſſe poterant, nulla Ateſtini ope per ſe comparauit. audacter vtpote nemine prohibente progreſſus inde in Inſubris fines contracta plauſtra commeatu omnique belli apparatu onerat, atque ad obſeſſos pergit magna re bene gerendæ ſpe, quam ei armatorum millia x v. faciebant. Carmagnola e caſtris copias educit; contracto non leui certamine ſuperior circiter C C C. equites capit, complures alios fundit, hoſtemque aliter atque initio ſtatuerat carros in tutum abducere, atque vniuerſo prælio cogit abſtinere. tum plane in Venetorum poteſtatem Brixia conceſſit. arcem ſaxo impoſitam Antonius Landrianus retinuit. Carmagnola extremã victoriæ manum vt imponeret exitu Septembris cum ante Montemclarum cepiſſet, omnibus eam copijs eſt adortus.

deiecta

deiecta cum ingenti defenſorum clade, quæ in medio ſurgebat, turri continente die noctuque oppugnatione, poſtremo ad XII. Kal. Decemb. ad deditionem Landrianum compulit. qui tum crebris eruptionibus, tum emunitionibus pugnando maximam ſuorum partē amiſerat. ad hunc modum Brixia octauo, quam circumſederi cœperat menſe, partim obſidione, partim oppugnatione in poteſtatem Venetorum venit, non magis virtute Carmagnolæ & acri Nicolai vigilantia, quàm hoſtium ignauia & torpore. præterquam quod enim Philippus exiguo per ſe captu atque ingenio ſuſpicioſus, alieni conſilij contemptor erat; præfecti alter alterius odio eum male perditum cupiebant, & acerbo æmulationis fructu, quæ alioqui decus miniſtris, domino perniciem plerunque afferre ſolet, Franciſcus Sfortia & Nicolaus Picininus totius exercitus præfecturam pari ſpe affectabant; nec præſentia Caroli Malateſtæ adduci vnquam potuerunt, vt cum eo bellum communi conſilio adminiſtrarent. Dum Brixianæ arcis oppugnatio tenuit, Allobrox hortante Venetorum nomine Federico Contareno cum armatorum XIIII. millibus loca a Philippo ſibi adempta aggreſſus omnia ferme recuperauit. atque ille quidem prudenter atque in tempore, ac proſpero deinde euētu huic ſe fœderi adiunxit: Paulus vero Guiniſius Lucenſium princeps inconſulte atque infeliciter Inſubris amicitiam prætulit. ad quem cum Lancilaum filium cum D. equitum ala ſerius quam neceſſitas expoſceret miſiſſet, nec ab longinquo & magnis cladibus depreſſo ſocio gratiam iniuit, & Florentinos, quorum amicitiam cum præfectura mille equitum repudiauerat, proximos ac reſurgentes inſigniter offendit. Pontifex cognitis, quæ ad Brixiam accidiſſent, quæque Philippi exercitum contentiones diſtraherent; præterea gnarus propter hiemem gerendo bello perincommodam pugnandi ardorem vtrinque refrixiſſe, ad conciliandam pacem animum adiecit. at qui nec milite nec legatione vlla, ſed conſilio tantum, idque occulte tacitum quaſi fœdus cum Vicecomite coluiſſet, ſalua dignitate huiuſce rei tractationem ad Ateſtinum reiecit. nec ipſe ſolum Ferrariam legauit Nicolaum e cœtu Cartuſienſi in ſenatum lectum virum probitate ac rerum vſu præſtantem, ſed etiam dedit operam vti Philippus ſimulque Veneti atque Hetruſci eodem legatos mitterent; hortatus Ateſtinum vt rei vſque adeo honeſtæ operam impenderet. is tum publicæ vtilitatis cauſa, tum quod nollet Venetos ex calamitate Inſubris maiores opes colligere, munus libentiſſime ſuſcepit; ac ſeparatim cum ſingulis legatis colloquutus monuit, idē & ipſi Principibus probarent ſuis, ac ſingulos quidē pri

mo appellauit, mox cum oẽs apud ipſum conueniſſent, in hanc ſententiam loquutus fertur. Poſteaquam Pontifex communis Chriſtiani nominis parens citerioris Galliæ ſtatum ſecum ipſe volutauit, tũ communis otij cauſa, tum quod eo loco res ſint, vt neutra pars a concordia merito abhorrere debeat, qua eſt clementia, paci ſanciendæ auctoritatem ſuam ſtatuit interponere. atque hoc vno nomine internuntium delegit ampliſſimum hunc Cardinalem, quem vt conſiliorum omnium arbitrum grauem maximeque experientem hominem probabile eſt nihil non ſumma cum ratione ac fide, quod omnibus ex æquo placeat, eſſe acturum. quam in rem plura colligerem, niſi ſcirem ipſam per ſe pacem ſummeamabilem aditum ad perſuadendum patefacere: tum eam eſſe materiem, quę conditiones maxime probandas oculis ſubijciat noſtris. nec enim dubium eſt, quod Philippus armis laceſſiuerit nihil minus quàm bellum cupiẽtes, quos cunque illi propterea ſumptus fecerint, ab eo præſtari oportere. quãdo autem fortuna harum rerum moderatrix Brixiam illi ademit, aliqua acceſsione fœdere inter ſe obnoxijs ſatisfacere licebit: qui vicerunt quidem, atque eo ſuperiores ſunt; ſed tamen Inſubrium opes & Principis virtus, tum vero ipſius fortunæ inconſtantia, quam prę potentis Dei manus arbitrio ſuo ſolet repente diſpenſare, Venetos atque Hetruſcos debet nonnihil coercere: præſertim quod pax vtrique honeſta offertur. quã ſi antequã ferrum ſtringerent appetebant, nunc quoq; eſt æquũ, vt armati maiore cum fructu probent. ac ſatis fuerit Hetruſcis amiſſa recuperare; Venetis quãdo nihil repetunt, im penſæ nomine cedet Brixia, quę ſi nõ æquet ſumptus belli, atq; aliud quidpiã adijci placeat, amplius deliberandum erit. hæc quemadmodum a me cum fide dicuntur eo ſinceriore, quod nulla priuata vtilitate tangor, ſic æqui boniq; a vobis facienda ſunt, ac principibus veſtris renuntianda, ita vt in animis inſigant ſuis, quod tũ res ipſa per ſe ſine vllo verborũ fuco abunde poteſt efficere. ceterum hoc vnum non omiſerim, cũ inter fœderis capita id extet, vt liceat Venetis ſiue bellũ ſiue pacẽ malint, oĩa arbitratu ſuo moderari, hinc exordiendũ deq; omnibus Pontificẽ certiorẽ faciẽdũ eſſe, vti auctoritate ſua, quę apud Philippũ permagna eſt, ad eas illũ cõditiones, quæ magis expedire videbũtur, impellat. In eãdẽ ſñiam, ſicut ei cũ Nicolao prius conuenerat, Cardinalis multa diſſeruit: reſponderunt legati ſe pro virili parte operam daturos, vt Pontifici mos gereretur. Romam deinde perſcripta Senatus voluntate viſum eſt legatum ipſum omnium gnarum, perque multum apud Inſubrem auctoritate valiturum, eum adire hortarique, quæ ſocijs Pontifice approbante placuiſſent,

ipſe

ipſe ne aſpernaretur. Cardinalis ſæpe cũ Philippo colloquutus tandẽ
1427. Kal. Ian. anno eius ſeculi XXVII. in has leges pacem cõpoſuit. Brixiã cum vniuerſo agro, municipia, & caſtella omnia citra Ollium; item vallem Camonicam habeant Veneti. Florentinis ablata reſtituantur. Allobrox armis parta retineat. At Philippus, qui Brixiæ recuperandæ inhians pacem vellet abrumpere, cum & Venetis tantiſper verba daret, & copias occulte contraheret, Mantuanorum fines hoſtilem in modum depopulatus quid animo agitaret tandem re ipſa declarauit. cauſam tam ſubitæ mutationis veram per ſe, ſed tamen aliquanto minus propinquam referunt hiſtorici ad animi inconſtantiam: quippe cum res longe maxima ageretur, pacem hoc præcipue nomine violauit, quod delere ignominiam, & Brixiam quoquo modo cuperet recipere. certe quidem Veneti, qui eiuſmodi leuitatem nondum cognitam haberent, conditionum approbatione decepti, & grauiſſimis ſumptibus deterriti magnam exercitus partem dimiſerunt, & inſtitutum victoriæ curſum ſuppreſſerunt. quamquam autem Philippus coactus agri Cremonenſis loca dimittere, conſilium ſuum diutius tegere non poſſet, peropportune tamen cecidit, quod nemine obuio circumiectos oppido cãpos late vaſtauit. ad eum nuntium Veneti ſtatim milites cõſcribunt, nouamq; inſtituũt amicitiam cũ Ioanne Franciſco Montisferrati regulo, haud ignari Allobrogem cautũ ac prudentem hominem, & facto iam periculo minime contemnendum Vicecomiti bellum haud quaquã ei illaturum eſſe, qua ille ſuſpicione incitatus pari atq; antea ardore bellum ſtrenue apparauit. Carmagnola cum ad depellendum morbum ex nimio labore contractum ad Aponi balneas ſe contuliſſet, Patres pedeſtres copias Fantino Michaelio & Petro Lauredano tegẽdas permiſerunt. inter hæc Philippi claſſis ad Ticinum quæ erat, quippe Venetus ſub factam pacem ſuam ſtatim deduxerat, ſecundo Pado deuecta Torricellam primo nullo negotio, mox Caſale maius in poteſtatem redegit præfecto Gabriele Piſano ægre pacto, ut niſi triduo auxilium afforet, municipium dederet. poſtremo Brixillũ intra paucos dies captum eſt arce incolumi: quam dum Sfortia tormentis Cremona ſubuectis iubet quati, ſuperueniũt triginta myoparones, & cõplura alia nauigia legato Franciſco Bembo, Stephano vero Contareno præfecto. Inſubres ne prælio certare cogerentur, nauibus in tutum abductis Venetos fluminis potentes reliquerunt. eos facta in fines Cremonenſium exſcenſione, cum paulo longius dulcedine prædæ a ripa diſceſſiſſent, de improuiſo adortus hoſtis fuſos fugatoſque ad naues compulit. Sed Bembus veritus ne victor ter-

gis inhærens promiſcue claſſem opprimeret, fugientes vetuit re-
cipi. nauales copias eo caſu imminutas non paruo ſupplemen-
to auxit Ateſtinus accita Mutina atque Regio iuuentute. initio
Martij Patauio in caſtra reuerſus Carmagnola quod ſciret Brixiæ
alioqui ab hoſtibus prope circumuentæ omnia ſatis prouiſa eſſe,
ſubuenire ei neglexit: ſed Cremonenſes ab commeatu parum inſtru-
ctos, nec inter ſe plane conſentientes tentandos ſibi ſtatuit, ſi quo-
modo expugnare oppidum, vel hoſtem ex agro Brixiano abductum
ad conſerendas manus trahere poſſet. proinde Ottolengum cum
equitum millibus XV. peditum VI. proceſſit; quorum in numero
fuit cum lectiſſimorum equitũ ala ab Ateſtino miſſus Nannes Stro-
tius. verum cum ea, quæ proxime anteceſſerat, nocte cohortes ali-
quot in illud idem municipium ſe ſe intuliſſent ignaro Carmagno-
la; ille contemptu tam exigui præſidij caſtra negligenter ac temere
locata nullis opportunis firmat ſtationibus. hoſtes eam negligen-
tiam, ſimulque tempus ſpeculati, quo milites vitandi æſtus cauſa ar-
ma abiecerãt, facta eruptione quam maxime conferti ad caſtra aduo-
lauerunt. quod niſi Strotius celeriter cum ala ſua, quæ in equis ſta-
bat, ingruentibus ſe ſe oppoſuiſſet, periculum erat ne magnam pla-
gam Veneti acciperẽt. at cum primum impetum ſuſtinuiſſet, quoad
ceteri arma expedirent, compluribus ex eo numero viris fortibus de-
ſideratis ipſe a multitudine oppreſſus interijt. Carmagnola tandem
exercitum inſtructum caſtris educit: ſed iam hoſtes cum mille &
quingentis captiuis ad ſuos ſe receperant. caſtra deinde (hinc etiam
apparet veterem ducem interdum paulo quam oporteat remiſſio-
rem eſſe) diligentius ſunt communita, carris atque alijs huiuſmo-
di ſubſidijs circumdata. ex eo loco Carmagnola, vti ex propinquo
Cremonenſes premeret, ab oppido ter mille paſſus caſtra poſuit, &
caſtellum Binam nomine, quo loco Ollium celſo ponte tranſmitti-
tur, in poteſtatem ſtatim redegit. caſtello potitus mœnia alicubi di-
ruta reficit, atque idoneo præſidio relicto quo ante intenderat per-
git. Philippus de Cremona minus quam par eſſet munita ſollicitus
trium millium interuallo ab hoſte, mille ab oppido paſſus caſtra lo-
cari imperat. ipſe paulo poſt magna cum voluntariorum militum
manu in vrbem venit, eaſque copias ad ceteras adiecit: ita vt trigin-
ta hominum millia in armis ipſe haberet, totidem Veneti, & decem
amplius. & Cremonenſium anguſtiæ & commeatus minime ſuf-
ficiens alendæ tantæ multitudini Inſubrem perpulerunt, vt rem præ-
lio committeret; præſertim quod hoſtibus omnia ad victum neceſ-
ſaria abunde ſuppeditabat claſſis, Regienſiſque ac Parmenſis ager,

quem

quem Rolandus Palauicinus libere populabatur, cauſatus Domninianos imperio ſuo ſubtractos ab Inſubre teneri: eoq; nomine cum ad Venetos tranſiſſet, tota cum ſtirpe ſua inter patrios lectus omnibus caſtellis, quæ plurima in Parmæ ac Placentiæ finibus poſſidebat, inſigne martium ſuſtulit. hac neceſſitate, non vt ſcriptores ſentiunt arcanorum huiuſce belli ignari ſtudio certaminis præfecti ipſius, aut Philippus viribus longe inferior impulſus ſuis imperauit non modo vt hoſtem ad pugnam prouocarent, ſed etiam intra munitiones eum adorirentur. Carmagnolæ caſtra foſſa manu facta ac ſicubi neceſſe erat tum excauata a fronte muniebat: ei munimento carri modico ab foſſa interuallo acceſſerant. cum nō ſatis inter Philippi præfectos conueniret vtrum foret dimicādum, quod alij Sfortiæ rem ad manus deducenti, alij Pergulano cenſenti foſſam minime tranſeundam aſſentirent; vicit tandem in cōſilio ſententia Sfortiæ, quod munitiones perfringi poſſe viderentur, eoque principe conſilium audaciſſime exequente poſtremo Iunij die concurſum eſt tanta pertinacia, animiq; & corporis contentione, vt ſublatus puluis proſpectum vtriſque adimeret: qua ex re magni caſus incidere. etenim Carmagnola equo effuſus aliquandiu pedes pugnauit, Gonzaga a ſuis deſtitutus, Sfortia longiſſime inter hoſtes progreſſus, alijque complures eandem fortunam ſubierunt. ſed quæ illos cauſa in periculum adduxerat, eadem liberauit. cum pari clade aliquot horas dimicaſſent, creſcente magis magiſque puluere ſponte vtraq; pars prælium omiſit. Interim Philippus factus certior Allobrogem ac Ferrarenſem proximos ſibi fines incurſare, ad eos reprimendos Lancilaum Guiniſium cum equitatu miſit. Sfortia cum milites paulo ante diſiecti in caſtra conueniſſent, aliquot equitum turmas rapiens Binam, quam ab Veneto expugnatam ſupra oſtendimus, occupauit. Carmagnola cum expedito agmine eodem accurrit; locoque recepto milites ab Sfortia præſidio relictos in ſubiectum flumen pręcipites dedit exemplo prouocatus, quod ipſe eadem paulo ante in Venetos perpetraſſet. inde Caſale maius duxit. contemplatus oppidum ab Sfortia aggere circumſeptum, præterquam qua turris portæ ad Padum vergenti imminet, quæ deiecta foſſam ruina compleret, aditumque oppugnantibus præberet, aliquot eo tormenta direxit: nec ſua eum opinio ſefellit. namque oppidani necdum tentata oppugnatione deditionem fecerunt. Hoc ipſo tempore Chriſtophorus Auellius ea potiſſimum fiducia, quod in claſſem diſtribuiſſet ad quadringentos ex nobilitate Mediolanenſi, quorum erant complures Principis familiares, cum Bembo & Contareno conflixit, prelio

ab ſecunda

ab ſecunda in octauam diei horam extracto Inſuber cum omnibus ferme nobilibus illis captus ſex nauium iactura, quæ diu vim hoſtiũ ſuſtinuerant, reliquas ſeruauit. Carmagnola hoc vnum ſpectans, vti loco maxime æquo hoſtem ad certamen eliceret, Maclouium contendit, quod eſt oppidulum ignobile paludibus cinctum, atq; inſidijs tantum, ſi quis eum inſequeretur, peropportunum. Carolus Malateſta, cui non inuiti parebant Sfortia, Picininus, Pergulanus, alijque nonnulli primorum ordinum ductores, indignatus Carmagnolam contemptim quocunque libuiſſet concurſare, quod & milites totis paſſim caſtris ſtolide fremebant, non ſua modo ſpõte, ſed quorumdam tribunorũ auctoritate adductus poſtr. Id. Octob. ad hoſtem ducit. ſuperioribus diebus Carmagnola hoſte inſequente caſtris ſe tenuerat; ea opinione deceptus Carolus nec inſtructo, vt par erat, agmine & magna etiam equitatus parte plane inermi incedebat. itaque a peditibus primo petitus, qui inter paludum anfractus diſpoſiti baliſtis eminus rem gerebant; deinde magna a fronte multitudine vrgente profligatur. quod niſi Sfortia cum ſuis aliquandiu impetum ſuſtinuiſſet, actum ſine dubio erat de toto exercitu. Verum fuſis ac fugatis imperator ipſe & Pergulani filius in victoris poteſtatem venerunt, equitum circiter millia quattuor, peditũ par ferme numerus captiuus factus: reliqui qua cuique exitus patuit diſſipati. ceterum, mirum dictu, Carmagnola ſequutus morem temporum illorum captiuis dimiſſis exiguum victoriæ fructum tulit, ſpatiumque Philippo dedit inſtaurandi exercitus, qui Cremonenſes ea victoria maximo terrore affectos aggredi, vel certe ex tuto Abdua ponte iuncto Mediolanum ipſum tentare potuiſſet. Vicecomes vallis Camonicæ, quæ IIII. Kal. Decemb. Veneto ſe permiſerat, defectione motus maiore apparatu bellum inſtruit, magniſq; præmijs Cæſarem, vt in Italiam profectus ipſum tueatur, aduocat. Allobrogem pacta occulte in matrimonium eius filia Maria, & Vercellarum finiumque trans Seſiam amnem munere pellicit. oppidum antiquitus in fide ac ditione Ferratenſium, deinde Matthæus Vicecomes de Bonifacio III. nactus Inſubrium imperio addiderat. Hæc primo quidem Philippus ſedulo agere, parare, ſed pecuniæ egens, vnoque atque altero prælio debilitatus ac fractus, inſuper aſſiduis populariũ querelis ac pene deſperatione minime iam ambigua coactus de reconcilianda gratia ijs cõditionibus, quæ ſuperiore anno placuiſſent, Pontificem appellat. Principio inſequentis anni, qui fuit duodetrice- 1428.
ſimus a partu Virginis ſupra M CCCC. ille idem Cardinalis Sanctacrucius, omniumque Principum, qui huiuſce belli participes fuerant, legati

legati Ferrariam venerunt. Veneti longius re tracta initio Februarij ad Aceſtinum Franciſcum Barbarum miſerunt, petentes daret operam vti pax an bellum futurum eſſet, quamprimum decerneretur; eumque monuerunt quibus maxime conditionibus initam cuperēt. ille memor leuitatis, qua quidem plurimas iniurias vltro acceptas vindicandi cupidus Philippus fide deceſſiſſet, non ante negotium ſuſcepit, quam ex ipſo cognoſceret, ijs quę ſemel probaſſet, deinde ſtaturū. Pace per multos dies agitata, cum interim Aceſtinus Venetorum partes conſtanter tueretur, & ſi quid inexplicabile incidiſſet, eius cognitionem ad Cardinalem reijceret, tum legationis munere tum probitate ſua neutri ſuſpectum, tandem ad diem xiiii. Kal. Maij his conditionibus diſceditur ab armis: Brixiam eiuſque agrum omnem Veneti retineant. ijſdem tradatur Bergomum cum ijs finibus, qui pertinent ad Abduam. De oppidulo & valle Martiniana Cardinalis cognoſcat, nū ſint iuris Bergomatis Eccleſiæ: ſi eſſe cenſeat, tum ea cū fide reſtituantur. caſtella in agro Cremonenſi capta Inſuber dimittat. Rolandus & Antonius Palauicinus Venetis ſociorum numero ſint: eodem iure vtatur Aloiſius Vermius. Carmagnola beneficia poſſideat ſua. Inſuber ſi quid in ea iuris aut dominij quacunque ratione ſibi vendicet, de eo Cardinalis ſit iudicium. milites vtrique imperio ſubiecti nullo edicto prohibeantur, quo minus priuatis prædijs in alterutra ſint ditione arbitratu ſuo, vt antea fruantur. an Turricella debeatur Veneto, idem Cardinalis ſtatuat. Hetruria & Flaminia Philippus in poſterum abſtineat. Florentinis libera ſit per Genuenſes maritima nauigatio, propriaq; in nauibus inſignia ſuſtollant, qui Piſani olim claſſibus præpotentis populi vexilla geſtarent. Fliſci & Fregoſij in Florentinorum fide qui eſſent, caſtellis ſuis potiantur cū bona Inſubris gratia; de partis belli tempore Cardinalis iudicet. ab Kal. Maij induciæ ſint: qui quid ante eam diem nactus fuerit, id ſibi habeat. ſeptimo die Bergomo cedat Philippus: intra ſexaginta, amicos atque ſocios vterque profiteatur, quos pacis commodo frui velit, modo ne quem poſt cœptum bellum ſocium, aut in clientelam receptum edat. Non. Maij Cardinalis Ferraria Mediolanum profectus pacem a Philippo ratam habitam litteris ſuis ſignificauit, certumque tempus Bergomo tradendo poſtulauit. Pace xiiii. Kal. Iun. promulgata poſt triceſimum diem ſenatus miſit, qui in Palatioli poſſeſſionem ingrederetur. Paulo Corratio & Hieronimo Contareno datum negotium, vt nomine reipub. Bergomates reciperent; eamq; ob cauſam pro templo Martio in vrbe res eſt diuina facta ingenti celebritate. ita Philippi magis magisque in dies ſe ſe efferētis inquies

inge-

ingenium vires atque exiſtimationem imminuit: reipub. non niſi iuſta bella ſuſcipienti grauitas, ac ſua quaſi moles decus atque imperium terra marique immane quantum auxit. Pacem Longobardicam excepit bellum Bononienſe, quod publicis odijs paulo ante finitis domeſticis tantum copijs geſtum, intraq; eius regionis terminos coercitum ipſos tantum ciues afflixit. bellum exciuere Caneteuli, qui Romam profecto Antonio Bentiuolo poſt Caſtrum Bononienſe pontificijs traditum, eoque nomine impetratam Hernicorum præfecturam, cum factioſorum multitudine facto in prætorium impetu legatum ipſum comprehenderunt. Caneteuli verbo quidem ſtatum popularem reſtituerant; re ipſa partium ſuarum VIII. viros, quaſi per eos pace inuecta dominos conſtituerant. Ad vindicandam eiuſmodi audaciam Pontifex Bentiuolum ipſum, Michaelem Attendulum, Nicolaum Tolentinatem, aliosque nonnullos valido cum exercitu mittit, atque omnia ferme loca circumiecta in poteſtatem redigit. tandem cum bello annuo longe maxima detrimenta ciues perpeſſi eſſent III. Kal. Septemb. certis conditionibus Eccleſiæ ſe reddiderũt. Quieta ad eius anni exitum Italia Nicolaus Leonello filio non iuſtis 1429.
nuptijs quæſito vxorem dedit Margaritam Mantuanorum Principis filiam, vt vetera inter vtranq; familiã ſanguinis vincula noua hac affinitate arctius aſtringeret. Inſequenti, qui fuit annus triceſimus, 1430.
quamquam Inſuber Principem ac ſenatum Venetum per cauſam matrimonij ſui Mediolanum inuitaſſet (quod quidem viſum eſt parũ congruens eius ordinis grauitati, ac proinde negatum prętextu peſtilentiæ in vrbe gliſcentis) multisque alijs obſequijs eos permulſiſſet, dolore tamen pacis tam indignæ, tam iniquæ ſibi impoſitæ, ac deſiderio amiſſorum oppidorum incitatus dubiam ac labantem Luceſi motu Italiæ pacem maiore diſſidij mole concuſſit. Ante per aliquot dies, ſed aliquanto ſerius quam oportebat, vt pote iam tradito Bergomo conatus fuerat otium conuellere, pertinacior in aſſerendis Cremonenſium finibus: cuius controuerſiæ & ipſe & Venetus arbitrum ſumpſerant Ateſtinum. hac via, quæ plane recta videri poterat, cum res non ſuccederet, obliquam inijt vſus opportunitate tumultus Lucenſis. quippe e Gallia citeriore Florentiam reuerſus Nicolaus ſorore Braccij Stella natus, cui ex ea re Fortebraccij cognomen fuit, palam iactauit ſibi decretum exemplo auunculi cum militibus auſpicia ſua ſequutis nullo certo, ſed quocunque libuiſſet loco commorari. tum cauſatus Paulum Guiniſium ſtipendium, quod ante Braccio pendere conſueuiſſet, ſibi non perſoluere, Lucenſem agrum populationibus fœdat, vel ſponte ſua eiuſmodi ſpeciem iniuriæ imponens, vel

certe quod vulgo creditum eſt a Florẽtinis ſollicitatus. qui, vt res deinde docuit, ſtatuerant vixdum excitato incẽdio alimenta ſuggerere atq; illud quaſi in manu habere, ac pro arbitrio tractare. fortaſſe impulerat Hetruſcos ſpes propagãdi imperij ſub ea popularitate, quod vellent ciuitatem ſeruitio tyranni ſubtractã liberæ adiungere: vel priuatum in Guiniſium odium, quod Philippi amicitiam ipſorũ ſocietati prætuliſſet: vel facultas deniq; nullo negotio patrandæ rei, quod inter fœderis participes Guiniſij nomen expreſſe relatum nõ fuerat, ſed verbo tantum ac ſub fide ei cautum. ceterum quando Fortebraccius belli initium fecerat, Inſuber & ipſe Sfortiam dimiſit palam iactãtem ſe ſe patris æmulatione libertatem illibatam cõſeruare velle, quoq; modo libuiſſet ſine cuiuſquam reſpectu agere. ex Gallia in Hetruriam tranſijt inſtructus ſuiſq; & complurib. voluntarijs militib. quos prouincia quieta alere non poterat. Sfortiæ aduentu Fortebraccius ab Lucæ mœnib. in Piſanos fines conceſſit. Guiniſius aũt veritus ne deducto exercitũ ipſe prædæ eſſet cum Florentinis, qui illud bellũ ex profeſſo ſuſceperãt, clam cœpit agere de oppido ipſis pecunia tradendo. quod ſubodoratus Sfortia tyrannum cum liberis in vinculis ad Philippum miſit. libertatem ciuibus datam cum armis extorquere vellent Florentini, Inſuber eam turbandæ quietis anſam arripiens mandat Genuenſibus, vti cum ijs ſocietatem coeant; atque ab ſe Nicolaum Picininum ducem poſtulent, belli Florentini occaſionem ſociæ tuendæ vrbis præſcriptione habiturus. illi vero oĩb. de reb. Ateſtinum atq; Venetos faciunt certiores: monent præterea Fliſchis & Fregoſijs non amicis modo, ſed ẽt noĩatim fœderi aſcriptis aliquot caſtella haud ita pridem per vim adempta: quod Genuenſes ab reliquo imperio ſeiungat, ita vt quaſi ſui iuris atque liberi clientelas ſibi adiungant, fœdera, exercitus conſcribant, id vero nimis apertum ludibrium eſſe. Philippus ſatis gnarus legationem eo ſpectare, vt ijdem in perniciem ipſius conſpirarent, a quibus nuper petitus armis fuerat, tum & Iacobum Dandulum ad regem Thracium legatum in cuſtodia habitum, qui ſuper hoc teſtimonium alienati animi etiam Theſſalonicam ſuo ductu expugnauerat, Genuenſibus imperauit internuntijs Damiano Palauicino, Franciſco Lomellino, Brancaleone Maruffo, & Nicolao Iuſtiniano ea ab Venetis peterent, quibus negatis, quemadmodum non erat dubium futurum, animi vtrinque irritarentur. ſumma poſtulatorum Philipp extitit: fas vt eſſet Genuenſibus tueri Lucenſes aduerſus Florentinos: ita exiſtimauit per cauſam Genuæ, quæ in fide ipſius eſſet, pace neglecta, ex traiecto ex Hetruria in Galliam togatam belli incẽdio oc-

caſionem ſibi non defore tentandæ Brixiæ atque Bergomi. Veneti Hetruſcique cum Aeſtino omnia ſignificaſſent, priſtinam ſocietatẽ inter ſe inſtaurauerunt: hoc amplius, Metaurenſium Comitem cum CCCL. Fauentinum cum CCCC. equitibus mercede conduxerunt. Sub idem tempus Nicolaus hortantibus nonnullis, vt ad ſocios firmius inter ſe obligandos hoc quoque vinculum accederet, vxorem duxit Ricciardam Salaſſorum regulo procreatam. Nec prætermittendum eſt, ne quid ex vero depereat, Pariſinã conſuetudinis cũ Vgone Nicolai notho filio adoleſcente eximia ſpecie compertam ab eo, vnaq; adulterum ex præſcripto legis necatam eo maiore in tanta calamitate animi pręſentia, quo filiũ vehementius amabat. tantã tamque eximiam animi firmitudinem, ſimulq; ſeueritatem extollit Decembrius in eo dialogo, quem de litterarũ elegãtia conſcripſit, ſub perſona Leonelli ipſius Nicolai filij. quãquam autem tertiæ nuptiæ modico apparatu pp bellum imminens III. Non. Octobr. celebratæ fuiſſent, varię tamẽ legationes, atq; vna maxime inſignis Venetę reipub. eas honeſtauit. q̃ vt tãtiſper dato laxamẽto a curis maritimis in cõtinẽti maiores opes cogere poſſet, præ quib. rẽ naualẽ prope negligebat, in oppido Gallipoli cũ rege Thracio pacẽ fecit ſalua vt quidẽ cõſtabat dignitate, tametſi Theſſalonicã amiſiſſet; q̃d per eos dies Silueſter Maurocenus claſſis Adriaticæ pręfectus ad Helleſpontum magnis incõmodis Turcarum naues affeciſſet. Hoc ipſo tpe Aeſtini Germanicæ ſtirpis proceres non alienis, ſed domeſticis ſe ſe armis obterebant. quippe Gulielmi. v. in terra Iutia pro ijs, qui fœdere Vandalico tenebantur, aduerſus regem Danum bellum gerentis Otho XIII. eius patruelis fines hoſtiliter incurſauit. ille ad ſua tutanda reuerſus coacto ex Vueſtphalis, Turingis, & Heſſis exercitu Pathenuſſenſes primo expugnat, deinde Halleburgum obſidet. quod dũ arctius parat circumuallare, vtriuſq; popularium precibus reconciliatur gratia; facta q; regni permutatione Otho, qui Brunſuicenſibus præerat, Gulielmo ſubſtituto Luneburgenſibus imperauit. Gulielmus relicto Othone ad Roſtochum, cuius potiundi ſpes non in aperta vi, ſed in inſidijs poſita erat, quæ & ipſæ deprehenſæ exitu caruerunt, Federico Auſtriæ Duci fœdere coniunctus cum florentiſſima equitum ala tranſijt in Galliam, vt adeſſet Carolo regi tum belligeranti cum Philippo Burgundione, qui Anglos in Galliæ poſſeſſionem induxerat. namque Franci, qui pridem acie ſuperiores ad tria Anglorum millia in Belſia occidiſſent, iam aliquanto lætiore fortuna Remos deducto & coronato Carolo exterminandis toto imperio hoſtibus ſedulo incumbebant, & ſi illi accitum domo Henricum

Henrici

Henrici v. filium hoc nomine maxime fidentem, quod ex Catharina Caroli v i. filia prognatus eſſet, Lutetiæ ſacrandum regem curauiſſent; iſque rerum ſecundarum curſus Francis vel in ipſa Germania ſocios ad eam diem ſubtimidos conciliauit. Dum in Gallia Brunſuicenſis militat, quod Cæciliam reguli Brandenburgenſis filiam in matrimonio haberet, proindeque aliarum eſſet partium, Henricus frater cognomento Pacificus, cui Helena Cliuenſis Comitis ſoboles nupſiſſet, Vuelſenbuttellum locum tota Brunſuicenſi ditione maxime opportunum occupat. quapropter regreſſus in Germaniam Gulielmus fratrem bello eſt perſequutus, ac Brunſuicenſes, a quibus ſeductus fuerat, grauiter eſt vltus. tandem arce reſtituta fratri placatur, ac populares in priſtinam gratiam recipit. Annus illius ſeculi triceſimus primus x i. Kal. Mart. Martino vitæ poſtremus fuit:
1431. tertio & decimo poſt die Gabriel Condolmerius Gregorij, qui non ita pridem Pontificatu abierat, nepos a quattuordecim purpuratis patribus in eius locum ſuffectus, atque Eugenius appellatus Venetos ac ſocios magna ſpe impleuit, Inſubrem nonnihil perterruit verentem ne Pontifici ſuarum partium parum amicus ſibi ſubſtitutus fuiſſet. initio quidem Eugenius ad ſe vocatis Italicorum Principum ac liberorum populorum oratoribus oſtendit eodem ſibi loco omnes futuros, ſe ſe paterna beneuolentia vnumquemque complexurum, nec ſuaſorem modo pacis fore, ſed etiam tum ab ea alienis interminari. clam tamen cum Florentinis ſentiens & placatus Bononienſibus, qui Canetulæ aduerſæ Bentiuolis factionis opera a ſancta Sede deſciuerant, de induſtria præfectum mille pontificijs equitibus Michaelem Attendulum, vt cum Florentinis militaret, exauctorauit. quamobrem Philippus regulum Salernitanum, qui pluribus in Hernicis oppidulis dominabatur perpulit, vt cum D C C C. equitibus in ipſam vrbē ſe ſe inferret. vnde pulſus cum nihilo ſecius romanos fines infeſtos haberet, Pontificem ad pacem inclinauit. Interim Carmagnola ſpe potiundę per dolum Laudis Pompeij eo exercitum promouit: ſed retecta fraude incepto abſtitit. Philippus quo ſuis eum artibus caperet, præfecto Soncinianæ arcis imperat, quaſi cuſtodiam proditurus ad certam diem hominem euocet. quo facto exceptus inſidijs ab Sfortia & Picinino mille & quingentos equites deſiderauit. orta deinde ſimultate inter Picininum & Tolentinatem, huic mercede conducto Florentini ad cogendum equitatum vicena aureorum nummûm millia numeranda curatunt. Carmagnolam ad Vrceos habentē caſtra admonuit Nicolaus Triuiſanus, qui cum ſeptem & triginta ſociorum triremibus nothis, trib. & vi-

ginti maiorib.nauigijs VI. Kal. April.Padum inuectus Cremonã verſus nauigabat, hoſtium claſſem lectiſſimo milite inſtructam ſecũda aqua deuehi, proinde & ipſe eodem præſidio ſuam confirmaret. ille vel quod hoſtes præ ſe ferrent terreſtri tantum prælio nõ nauali certaturos, ac propterea nollet copias minuere: vel quod nihilo eſſet æquior claſſis præfecto, quam reliquis patritijs, quos odiſſe ac ferre non poſſe exiſtimabatur: vel quod propter Laudenſem cladem incertus animi hac quoque in re non minus quam in ceteris conſilium non ſatis expediret, nullum militem ſubmiſit. Ioannes Ambroſius Spinula Inſubrium præfectus, ſic enim habent vetuſti Veneti annales, Pogius, Blondus, Sabellicus Ioãnem Grimoaldum vocant, Simonetta & Corius Pacinum Euſtachium, in hoſtem impellebat duodetriginta myoparones, quorum mediam aciem vnus lõge maximus tenebat, quem Sfortia & Picininus, vnaque Traninus Tranenſis, Vido Turcius, Lancilaus Guiniſius, ac complures grauis armaturæ milites conſcenderant, perinde ac ſi in ſolido manus eſſent conſerturi. ſubſequebantur modico interuallo alij totidem paulo minores dromones, atque ex vtraque ripa aliquot cohortes conſilij quidem ignaræ, ſed quæ conſtituta prælio hora illo ipſo in loco affuiſſent. dimicatũ eſt acerrime, quod quaſi e continenti, vt pote manibus ferreis coniunctis nauibus, vulnera ingerebantur non modo ſparſis iaculis & glandibus plumbeis ex paruis fiſtulis ferreis, quarum tum primum vſus inualuerat, ſed comminus etiã haſtilibus atque gladijs. pugna IIII. Kal. April. ab octaua diei in primam noctis horam tenuit. Triuiſanus tum ex nauibus, tum ab terra vexatus nauiculam nactus fuga ſibi conſuluit: ceteræ naues prætoria derelicta cum prælium remiſiſſent, dum proras in fugam obuertunt, acriter inuehente ſe ſe Spinula captæ omnes quinque exceptis, ac Ticinum ſunt tractæ. clades accepto lata eſt temeritati præfecti ac legatorum Frãciſci Coccij & Marini Contareni, qui præ nimio ſtudio opprimendi hoſtis propius Cremonam, atque intra hoſtium præſidia claſſem egiſſent: ne illud quidem proſpicientes labore remigij in ſuperãdo fluminis curſu defeſſis rem fore cum integris atque recentibus, quia ſecundo amne naues eo minus tolerabiles propellebant. Nec minorem inuidiã ſubijt Carmagnola, quod enixe rogãti ac cauſas, vt deinde patuit ad ducenti Triuiſano opem denegaſſet. ſocij ad eam ignominiam abolendam, quæ ſuper maximam iacturam tribunorum exiſtimationẽ & priſtinam militum alacritatem maiorem in modũ imminuerat, quattuor & viginti triremes e veſtigio inſtructas præfecto Petro Lauredano aduerſus Genuenſes, atq; in oppidi cõſpectum ire iuſſerunt.

ei claſſi Franciſcus Spinula cũ totidem triremib. & ingenti oneraria naue occurrit. prælio commiſſo Genuenſes eundẽ prope atque paulo ante Veneti caſum ſubierunt, ſicuti teſtantur litteræ ſcriptæ illo ipſo die népe VII. Kal.Sept. ac ferme articulo ad principem Venetũ. namque Genuenſes prætoria, quæ cum hoſtium prætoria pariter cõcurrerat capta, itemque alijs octo in fugam ſe ſe coniecerunt. in eo diſpar fortuna fuit, quod maxima vtrinque ac prope æquata clade cũ Lauredanus præter ſaucios complures ad tria millia militum amiſiſſet, fugientes non eſt perſequutus. Carmagnola cum & bellum in Lõgobardia eſſet, Cremonam furto tentauit: miſſis fortiſſimis militib. ac ferme centurionibus, qui III. Id.Octob. turrem, quam D. Lucæ vocant, occuparunt. ij biduo audaciſſime noctu, interdiu tũ in præſidium, tum in vniuerſum populum pugnantes nemine auxilium ferente poſtremo inopia, labore, vigilia confecti omnes ad vnum in eodem veſtigio ceciderunt. quare Carmagnola ante Patribus ſuſpectus maiore ob id inuidia flagrauit; eſtque renouata memoria naualis cladis culpa ipſius acceptę & cũctationis poſt victoriam Maclouienſem. acceſſit ad huiuſmodi incommodum, quod in ipſius prope oculis nonnulla oppidula ab hoſtibus capta fuerant. at vero Picininus ſuam vnius rem agens bello in maritimam Genuenſium oram tranſlato non minus Philippo quàm ſocijs infeſtus loca temere munita Ferratenſis occupauit, eiuſque fines late populatus hominẽ Venetias compulit oratum opem ab ſenatu. Anno inſequenti, qui fuit
1432. triceſimus ſecundus, Sigiſmundus Cæſar vt Mediolani Romęque de more coronatus omnibus regni inſignibus exornaretur, in Italiam venit. profectionem hanc quando multa nec leuia ſunt conſequuta quæ cauſæ tandiu diſtulerint, non eſt animus præterire: præſertim quod Ateſtinus Cęſarem ad illa inſignia capienda nonnihil impulit, tum vt nimium ſe ſe efferentes neſcio quos hoc quaſi fræno coerceret, tum vt priuatim ſibi ipſi conſuleret, certiſque tabulis imperium conſtabiliret. Sigiſmundus fratre Vincislao Boemorum rege defuncto Turcis, qui Hungariæ imminebant, pellendis intentus parũ prudenter regni procurationem fœminis mandauit: quæ ſuopte ingenio his curis impares pro eo vt Boemiam regerent, euerterunt. ita Cæſar nec fructum, quẽ ſperauerat, eſt conſequutus; nec in tempore illata detrimenta reſarciuit. etenim Ioannes Ziſca Troſnouienſis homo ferox, atq; aſpectu plane ferus præſertim altero oculo in bello captus Huſſitis ducem ſe ſe præbuit, ea vero ſecta, de qua plura ſcribit in quadam epiſtola Ioannes Schlechta Koſtlecius, vna ex omnibus, quę Boemiam polluiſſent, maxime inualuerat: breuiq; in armis habuit

buit ad quadraginta hominũ millia validior in dies coaceruatã ex ſpoliatis templis ac piorum ædibus ingenti præda. Ziſca impoſito Pelzinæ præſidio Corandam præfecit; dein Pragenſi ponte vi poritus vrbem ipſam continentibus leuibus prælijs atque aſſultibus vexauit, ac quinto demum die cepit. Scripſit Sigiſmundus ſe auxilio affuturum, curaturumque vt qui cultus, quæ religio viuente patre Carolo fuiſſet, eandem ciues retinerent. ſeditioſi gnari ipſorum ſectam Carolo recentiorem eſſe, verba Cæſaris in illam partem acceperunt, quaſi eos exterminaturus eſſet. itaque furore amentes longe immanius debacchari cęperunt: Boemos vt ab rege deficerẽt ſollicitauerũt eo in primis nomine, quod præter libertatem aduerſus vetera decreta imminutam fidem etiam non ſeruaſſet, Ioanne & Hieronimo publice crematis in concilio Conſtantienſi. Ziſca certis conditionib. Pelzinam cum reliquiſſet, ſemel atq; iterum a pijs modo non victus ſine equitatu in loca aſpera ſe recepit: inde cum hoſtes loco fretus fatigaret ac premeret, illi dimiſſis equis pedeſtrem pugnam commiſere. ille iuſſis mulieribus, quarum ingens agmen caſtra ſequebatur, veſtimenta ac lintea paſſim abijcere, calcaribus irretitos atque hærentes pios non magno negotio ſuperauit. Sigiſmundus ad Boemiã recuperandam e Pannonia eo celeriter contendit: ſed poſt arcem captam vlterius non eſt progreſſus impar viribus tantæ prouinciæ cõficiendæ. idem paulo poſt maiore apparatu aggreditur: quippe Septemuiri Germani ab occidente, ipſe ab oriente ingruit inſtructus auxilijs Erici Dani, & Petri regis Luſitani filij Coimbriæ Ducis. Ziſca Auſcam obſedit, atque ad ferẽdam opem Fedeticum Miſnenſium principem prouocauit. accedentem magno cum exercitu ex Saxonibus, Turingijs, popularibus, atque vtraque Luſſatia contracto fundit cæſis nouem millibus militum. Elatus victoria ab Auſca ad Pragam, quæ iugum excuſſerat, ducit: dum oppidum circumſedet, opera Ioannis Cocheſanæ ex illo ipſo nebulonum grege ſacerdotis, qui ante ludimagiſter, mox ad populum concionari cœperat, fit deditio. Sigiſmundus cum totam prope Boemiam affectam, nec quo remedio ſanari poſſet videret, exigua dignitatis ratione habita, cum hoſte tranſigendum ſibi putauit. dum ille nimis duras fert cõditiones, quas tamen Cæſar accepturus erat, animã euomuit, ac moriẽs cauit vti ad hoſtium terrorem ex cute cadaueri detracta tympanum conficeretur. Boemi amiſſo Ziſca nihilo minus ſeditioſi, atque aduerſus regem ſuum contumaces fuerunt. Taboritæ quidem ducẽ ſibi legerunt Procopium Raſium, ceteri orphanos ſe ſe appellantes, quaſi Ziſca orbati rectore carerent, Procopij Minoris auſpicijs bel-

lum

lum geſſerunt: eadem omnibus mens, eædẽ in cõmune vires fuerunt. itaque reputans Pontifex errorem illum firmas radices egiſſe, quas per ſe amplius Sigiſmundus recidere nequiret, Cardinalem Vintonienſem regia Britannorum ſtirpe editum ad nouum in Boemos bellum legatum delegit: & tribus exercitibus aduerſus impios conſcriptis alteri præfuere Saxoniæ Duces, alteri reguli Brandenburgenſes, quibus ſe ſe adiunxerant Francones: poſtremum, qui ex Sueuis & Rheni accolis conſtabat, duxit Archiepiſcopus Treuirũm. cum ad Miſnam caſtra haberent, hoſtium aduentus non eos modo inde celeriter reiecit, ſed paſſim dilabi, bellumque omnino omittere coegit. Pontifex nouas copias ſubmiſit ductu Iuliani Cardinalis titulo S. Angeli: tum Septemviris Germanis, ceteriſque Cæſarianis proceribus adnitentibus conuenere equitũ quadraginta millia, par prope peditum numerus: ſed in ipſo Boemiæ limine tantus repente omnes terror inuaſit, vt incertum qua de cauſa (ea erat opinio virtutis Boemicæ ſuperioribus victorijs collecta, ea piorum formido) exercitus nemine hoſtium cõſpecto in præcipitem fugam ſe ſe effunderet. proinde Cæſar deſperans impios rebelles armis vinci poſſe, experiri ſtatuit ecquid Concilium proficeret; quod ex decreto Conſtantienſi poſt quinquennium cogi oportebat: eique negotio Ticinum primo, mox quod illa regio bello arderet, Senæ ſunt deſtinatæ, vbi etiam modicus conuentus fuit peractus. ab eo tempore cum alterum ſeptimo poſt anno, reliqua decimo quoque habenda eſſent; appetẽte cum Martinus vita exceſſit, ſecundi tempore Baſileam Concilium indicitur, qui locus Boemis alliciendis viſus eſt peridoneus. quamquam enim Cæſar ad contumaces perdomandos non omnino belli conſilia abiecifſet, nunquam tamen Synodi curam intermiſit, ac tum maxime quod illius tempus adeſſet, & fruſtra ad eam diem arma intentauiſſet. Eugenius quemadmodum Martinus viceſimo antequam obiret die legatum declarauerat Iulianum Cardinalem, ita quarto poſt menſe eundem illo ipſo munere fungi iuſſit. dein patres Baſileæ qui erant litteras ad Principes Italicos dederunt, quibus magnum Concilij vſum fore docebant: in primis ad Nicolaum ſcripſerunt & maiorum memoria, & propria eum pietate ac religionis ſtudio ſtimulantes, vti legatos, & ex popularibus ſacerdotes eo mitteret. litteræ cum Boemicis erroribus refellendis cœtum illum coactũ demonſtrabant, tum excitatas in Græcia, quæ ab Romana Eccleſia ſeceſſiſſet, turbas recenſebant. ac quoniam in calce extat mentio diplomatis, vt quod tuto illo accedere liceret, Boemis erat largiẽdum, colligitur Sigiſmundum, qui non dubitaret populares ſuos Cõcilio

affuturos,

aſſuturos priſtinum de regni inſignibus conſilium executum fuiſſe. tranſgreſſus Alpes cum bis mille equitibus partim Pannonijs & Boemis, partim Germanis recta Mediolanum perrexit: ibi nunquam admiſſus in Philippi conſpectum, qui pedem arce non efferebat, minime auguſta pompa diademate cinctus, atque illi ſubiratus oppido excedit, hoc vno officio cultus, quod per Inſubris fines iter facienti Sfortia comes fuit. apud Lucenſes deinde aliquot dies ſubſtitit expectans quo nam euaderent magnifica Philippi verba, quibus inductus in Italiam veniſſet: eaque de re expoſtulauit etiam cum Ateſtino, qui alioqui Veneto atque Hetruſco fœdere implicatus cum bona ſociorum gratia bello abſtinebat mediuſque, nec Vicecomiti ſuſpectus erat. igitur hortante Cæſare de pace agere occœpit: eaque de cauſa Ferrariã ſe contulere internũtius Pontificis, Inſubris, & Gonzagæ legati. Senatus & ipſe Venetus Fantinum Michaelium miſit, Florentini Pallantem Strotium, & Coſmum Medicem. Dum hæc geruntur immiſſo a Florentinis in Lucenſes Attendulo Cæſar exiſtimationem ſuam agi ratus equitum lectiſſimos repẽte in illum effundit: quorum impreſſione Michael magnum adijt periculum. inde Senas petijt, fuitque ibi complures dies, quod Pontifex vt eum a Concilio Baſileenſi auerteret, alias ex alijs cauſas de induſtria nectabat, ne diademate redimiret. Cæſare in Hetruria morante, quo tempore illo ipſo equitatu, qui paulo ante Attendulum male habuerat, Senenſes quoque in Florentinos ſunt vſi, tum Hetruria tum etiam Gallia togata parum quietæ fuerunt. tametſi enim per vim diducto ore ac proditionis inſimulatum Carmagnolam Veneti medio in foro inter duas columnas ſecuri percuſſiſſent; nihilo tamen minus belli ſummam Gonzagæ permiſerunt: qui traducto Ollium exercitu cũ equitum XI. peditum VIII. ſagittariorum millia IX. recenſuiſſet, præter magnam vltro militãtium multitudinem Bordelanum, quod a Carmagnola deſciuerat expugnatum, itemque Romanengum & Fontanellam diripuit. inde Soncinum duxit, quod & natura loci & virtute præſidij aliquandiu oppugnationem ſuſtinuit, ad vltimum militibus vitæ ac rerum ſuarum incolumitatem pactis deditionem fecit; nec multo poſt præfectus quoque arcem tradidit. huiuſmodi incrementa virtute & celeritate Gonzagæ Venetis parta moram paci allatura videbantur; eam tamen ipſius etiam Philippi volunrate Ateſtinus agitabat. Dum hæc Ferrariæ diſcutiũtur, Gonzaga crebris ac prope iuſtis prælijs hoſtem fatigabat: illi viciſſim in Tellina valle Georgium Cornelium legatum premebant. quo profectus imperator Venetus Guelfæ factionis ope vniuerſam vallem Camonicam ſubegit.

ſubegit. Thadæus quoque Ateſtinus eius Azonis filius, quem in Cretam relegatũ fuiſſe commemorauimus, ab Senatu multis magniſq; militatibus honoribus ornatus, ſed paterna noxa Nicolao inuiſus Dorſum cepit. Ateſtinus neutri partium ſuſpectus, alterius etiam ſocius atque amicus cũ iungendæ paci nihilominus intenderet, tum ut in vniuerſum omnibus prodeſſet, tum vt huiuſmodi incendium
1433. ab ſe propelleret, tandem ad VI. Id. April. his eam conditionibus Ferrariæ compoſuit. Philippus Fulcheria inſula Venetis cedat. quæ poſt ſancitam ſuperioribus diebus pacem in agro Brixiano & Bergomate de ijs cepetit, reddat. Ferratenſi adempta quæ in poteſtate habet ipſe reſtituat: idem vt faciat Allobrox det operam. Rolando Palauicino ignoſcat. ne quid in Lunenſi agro præter Pontremulum poſſideat. quod in citeriore Gallia regnum tenet ne alpes aut Flaminiam verſus prolatet. quæ de Aloiſio Vermio in agro Placentino occupauerit, dimittat. captiui vtrinq; in libertatem reſtituantur. Florentini & Senenſes bello vtrinque capta reddant. Lucenſes liberi ſint: ne quid, quod in Florentinorum, aut gentis Fregoſiæ ditione fuiſſet, retineant. Populoniæ regulo ne quid rei deinceps, ne qua ſocietas cum Philippo ſit, nemo denique ſociorum quidquam vi aut dolo malo partum retineat. Pace ad hunc modum Italiæ reddita Sigiſmundus Auguſtus domeſtico tantum procerum ſuorum comitatu Romam profectus ab Eugenio coronatur: inde in Germaniam reuertens & ſi multis Italorum ſubiratum ſe eſſe non diſſimularet, egregiam tamen beneuolentiam Ateſtino exhibuit, apud quem interim aliquot dies cum fuiſſet Ferraria Mantuam digreſſus XV. Kal. Octobr. eum auxit ampliſſimo diplomate eiuſdem ferme ſententiæ ac perſimili ei, quod ante Carolus IIII. conceſſerat: inſuper quattuor & viginti caſtella partim in agro Mutinenſi partim Regienſi, eo iure quam quo optimo dono illi dedit. Mantuanorũ Principem illo ipſo menſe Marchionem appellauit Ioannem Franciſcum Gonzagam, qui traditum a maioribus regnum Vicarij Cæſariani titulo obtinebat, atq; vt oſtendimus tum familiæ in Auguſtum nomẽ obſeruantia ac fide, tum propria in ducandis exercitib. peritia ac virtute eã dignitatẽ ſine dubio meruerat. Sub pacẽ Nicolai ſolertia cõpoſitã, Cæſarem domũ profectũ, Conciliumq; Baſileã indictum populi bellis feſſi vix reſpirare, & diuturnæ quietis fructũ ſpe vſurpare cœperant, cũ leues motus a Philippo exciti, qui otiũ pati neſciebat, grauiora portenderũt mala occulte primũ, mox palã eo moliẽte inuecta. nã cũ id modo ſtudioſe captaret, ne quã paulo aptiorẽ capiẽdorũ armorũ facultatẽ præterlabi ſineret, exortã vel leuiſſimã ſe ſe in Pontificios

Ppp fines

fines inſinuādi occaſionē cupidiſſime arripuit. Hoc incōmodū accepto latū eſt ignauiæ Fantini Danduli, qui iuſſus a Pōtifice Bononienſem rē curare, quippe Venetus ciuiū ſuorū opera perlibēter vtebatur, ſuperiore anno eiectis Ianbeccarijs vt aduerſus Baptiſtam Canetulū ciuitatis longe principem ſe communiret, ab Foroliuij Gattamelatam accerſiuit tum Pontificis ſtipendia merentem. Canetulus eius rei admonitus captam ciuitatis portam, cui ab diuo Stephano eſt nomen, validis præſidijs firmat, atque ocioſe vt conſueuerat vrbem perambulat. ea audacia Fantinum adeo perculit, vt nihil moratus Melatam, omnique prorſus rerum Bononienſium cura abiecta clam Venetias profugerit. quamquam autem poſtea iuſſu Eugenij Epiſcopus Auenionenſis eo veniſſet, interim tamen Philippus Antonium Bentiuolum cum Ianbeccarijs in agrum Mutinenſem præmiſit. illi quod ab factionis ſuæ hoībus in opdidum recipi nequirent, ſollicitatis ad defectionem aliquot caſtellis præter Monτemueterem nullius ſunt potiti. ſubinde Vicecomes circiter Kal. Octobr. maiora cœpit animo agitare, haud amplius inani fundamento innixus, quod ardua in primis res mouebatur. Ateſtinus inter tot diſcrimina arbiter Italiæ certiſſimis & nuntijs & legationibus de cunctis edoctus, quandō multa ipſe monuerat, & conſuluerat, more ſuo principes inuicem conciliauit reſtincto bellōrum incendio, a quo ipſe longe aberat. quippe ſupra inuidiam poſitus, nemini ſuſpectus, omnibus ex æquo fauens tranquillam agitabat vitam. Operæpretium mihi facturus videor, ſi copioſius hæc enarrem, eo magis quod & ſi ſcriptores omnes, qui iſtius facta regionis litteris mandauerunt, hæc ſint perſequuti, nemo tamen rei quaſi cardinem tetigerit: & qui maxime in hac parte ſibi placet Nicolaus Macchiauellus, is omnium longiſſime a ſcopo aberrauerit. Tria vno atque eodem tempore Philippo fortuna obtulit, queîs non ſolum perderet Pontificem, & alieno ab ſe, vt quidem ipſe cenſuit, ſub initium Pontificatus gratiam referret; ſed etiam ſanctæ Sedis imperij compos viam ſibi muniret ad Italicum regnum, quo non minore quam pater animo, ſed haudquaquā pari prudentia & fortuna ſemper aſpirauerat. Primum Nicolaus Fortebraccius Hetruriæ partem eam, quam Patrimonium appellant, vel ipſi vrbi terribilis bello vrebat: Ioanni autem Vitellio Epiſcopo Recanatenſi & Patriarchæ Alexandrino, qui legatum agebat, ſacræ potius quam militaris diſciplinæ perito coercendi hominis conſilium deerat, Attendulo facultas, maxime quod imperandi ignaro ipſe parebat. Deinde cum Apuliæ regina per Aloiſium Andegauenſem Calabriæ

Ducem

Ducem filium adoptione ſibi aſcitum Antonio Vrſino Tarentinorum Principi bellum intuliſſet, Iacobus Caldora omnibus copijs præpoſitus Franciſci Sfortiæ fortunas atque ditionem inuaſerat. Poſtremam Pontificis aggrediendi occaſionem inde cepit, quod Eugenius, cum ei primo cum patribus Baſileenſibus non vſquequaque conueniret, res deinde in apertum diſſidium eruperat, qui locum a Martino delectum probauerat, & ſuperiore anno ad Nicolaum ſcripſerat addito litterarum exemplo, quibus ſe ad priorem electionem referebat: tametſi Bononiæ tanquam oppido magis opportuno conciliũ habere ſtatuiſſet: alteris deinde litteris ab Nicolao petierat, vti iuberet eo accedere Meliaduſium nothũ ipſius filium, cui plurimum fidebat. mox cum Germanorum conſilia nonnihil ſuſpecta haberet, & coacti in illum cœtum auctoritatem neſcio quam ſibi vindicaret, diſſimulationem tandem exuit. itaq; ad Senatum retulit de tollendo Baſileenſi Concilio. hinc cum multa de Pontificis & Concilij poteſtate diſputarentur, quæreretúrque vtra maior eſſet, acta Eugenij in dubium reuocari cœperunt. Patres collocuti cum Epiſcopo Lauſanenſi, & Decano Traiectenſi, qui Roma venerant ad factum Eugenij tuendum, edixerũt intra quattuor mẽſes antiquaret rogationem de abolendo Concilio, quam Cardinalibus publice adhibitis perferendam curauiſſet, bis totidem legatos eandem rem acturos audiuerunt: circumacto tempore tres alios menſes, poſtremo duos ad illud idem Senatuſconſultum inducendum eidem ſtatuerunt. tandem Baſileenſes haud abſimili legatione cernentes hominem non iam petere, vt conuentus dimitteretur, ſed pro poteſtate imperare; decreturi in eum erant, quæ in Pontificem ſeditioſum ac ſchiſmaticum, ſic enim ipſi appellabant, decerni ſolent: ſed precibus Cæſaris adducti dies ſexaginta ad reſipiſcendum ei præſcripſerunt. interim ni ad ſanitatem rediſſet, ſacta ac profana eũ iuriſdictione arcebant: iamq; ad Principes Chriſtianos ſcripſerant ei ne parerent, aulicis vt ab eo diſcederent, romanis iudicibus, ne lites aut vllas in vrbe quæſtiones haberi paterentur. de eiuſmodi decreto vt & cæteris Ateſtinum certiorem fecerunt exemplo etiam illius tranſmiſſo, quod III. Kal. Iul. datum fuerat, additæque litteræ, quibus egregiam ipſorum, Eugenij longe aliam mentem teſtificarentur petentes & ipſe cum Concilio ſentiret, eiq; faueret. vbi dies ſexaginta præterierunt, Gulielmus Norici Dux, qui Baſileæ Cæſaris partibus fungebatur, eius litteras patribus reddidit, egitque cum illis, vt in Auguſti gratiam vnam hanc dilationem Eugenio concederent, poſt eum amplius non interpellaturum. dilatio triginta dierum indulta. ea dum pendet Philippus,

qui exploratum haberet Eugenium Patribus nequaquam conceſſurum, ac quotidie prope a popularibus, quorum plurimi Baſileæ erãt, litteras exprimeret in hanc ferme ſententiam, omnibus in ore eſſe Pōtificatus abrogationem, talem dolum intendit, vt Sfortia rumorem in vulgus ſpargeret, iturum ſe in Apuliam ad recuperanda quæ ditionis ipſius Iacobus Caldora occupauiſſet: Nicolao Picinino mãdauit, vt Franciſcum filium aliqua confiсta cauſa a Pontifice, cuius auſpicijs militabat abduceret. ille cauſatus præterita ſtipendia ſibi non exſolui, tum de induſtria contracta cum nonnullis centurionibus ſimultate in Peruſinotũ fines ſeceſſit. Sfortia tamdiu in Flaminia, quo iã peruenerat, ſubſtitit quoad abiret tp̃s a Concilio Pōtifici ſtatuiũ. Vitellius quidem Ioſiam Aquauiuenſem, vt Picentes in fide contineret, Eſium miſerat: at non tanti fuit hominis præſentia, vt ea populi coercerentur. quippe Sfortia in prouincia prius conſpectus, quam caſtra mouiſſe nũtiaretur, incolas eo magis imparatos oppreſſit, quo fuit aduentus ille minus prouiſus deceptis legati verbis, qui nuper palam affirmauerat milites in Flaminia morantes vltro Pōtificis finib. receptos eius eſſe amicos: quod ſi hoſtilia etiam cogitarẽt, nimio pauciores eſſe, quam vt tam validam prouinciam adorirentur: firmiores & quæ in eam expeditionẽ ſatis ſint, copias duriſſimo anni tempore ab huiuſmodi conatu abſterreri. Franciſcus fortunæ beneficio haud ſegniter vſus Picentibus ſignificauit, ſe quidem initio e Gallia citeriore profectum in Apuliam iter intẽdiſſe, ſed redditas ſibi a Philippo Vicario ac vindice Concilij litteras, quibus iubebatur omnia Pontificiæ ditionis oppida ab Eugenij obſequio auertere. erat id omnino commentitium, ſicuti colligitur ex legatione non a Burgundiç modo Duce, Franco rege, ac Cæſare ad Eugenium miſſa, cui interfuit Blondus Pontifici ab epiſtolis, ſed etiam ex codice actorum huius Concilij. nuntij tamen Baſilea allati de odio in Eugenium, atq; opinio apud primos patrum de ingentibus Philippi opibus ſatis probabile mendacium efficiebant, præſertim quod fortaſſe Vicecomes litteras ad Sfortiam dederat conuiciorum in Eugenium plenas, cuiuſmodi ſcriptas ad Nicolaum ſuperius fuiſſe oſtendimus: quibus litteris veri ſpecies obducebatur mandato Mediolano ſubmiſſo. ita ne diſtricto quidẽ gladio, aut vllius arcis oppugnatione tentata vndecimo quam venerat die Sfortia Picentes in ditionem accepit: ſi quæ loca paulo fuerunt pertinaciora, ea & ipſa nullo negotio obtinuit. Vitellius enim, qui nec labori nec induſtriæ pepercerat, præ beneuolentia in Recanatenſes, cuius vrbis Pontifex erat, ciuibus illis totius ferme regionis arces cuſtodiendas diſtribuit. oppido potitus Sfortia, atque

tia, atque interminatus ſe in præfectorum propinquos exempla editurum ad deditionem compulit homines gratia potius, quam virtute ei muneri præpoſitos, maximeque timentes hoſtis felicitatem, & nullum a pontificijs auxilium ſperantes. in ea rerum inclinatione Vido Antonius Manfredus, qui Vicarij titulo Fauentinis præerat, quinque oppidula in finibus Forocornelienſibus intercepit. Antonius Ordelafius Forumliuij: Malateſtæ Ariminenſes Ceruiam: Piſaurenſes Senogalliam cum latiſſimis finibus occupauerunt. Dum hæc geruntur, Sfortia multa interim clam molitus anno eius ſeculi triceſimo quarto ineunte accerſitus ab Contadino Trincio Fulginatium
1434. Vicario Nuceriam, mox Tuſcanellam, breuiq; totam ferme Vmbriã ſubigit. Fortebraccius & ipſe vicina vrbi loca nihilo magis patitur conquieſcere, Hetruriæque regionem Patrimonium vocitatam ad defectionem ſollicitat: partim armis, partim mentitus Eugenio dignitatem abrogatã homines imperata facere cogit, maiores in dies vires colligit. Pontifex multorum auctoritate adductus ex hoſtibus tam infeſtis alterum placare cupiebat, ſed quo id pacto faceret minime reperiebat. Fortebraccius amicitiam palam aſpernatus fuerat, Franciſcus aliquanto lenior accepta conditione de priſtino ardorẽ multum remiſerat: Leonemq; fratrem cum equitum ala Romam ire iuſſerat. ceterum eadem ſuſpicio hinc quoque dubia atque incerta omnia efficiebat non exiguo Philippi metu; tum quod Eugenius quæ Sfortiæ pollicitus fuerat præſtare nequibat. quippe Veneti atque Florẽtini, quos vt illum abſolueret pecuniam rogauerat, ſicuti primo argentum polliciti fuerant, ita deinde profecto Romam verſus Picinino ſententiam mutarunt affirmantes hoſtibus illam mercedem præbiturum. nec enim dubium erat Philippi fraude ea omnia fieri, qui iam tum voluntatis ſuæ minime obſcura teſtimonia dederat: cum paulo ante Melatam & Brandolinum ſtipendio ad ſe perlicere tentaſſet cum mille & trecentis equitibus ad Caſtrum Frãcum ſtatiua habentes, atque aſſiduos commilitones, quibus etiam Thadæus Ateſtinus ſi quando oportuiſſet equites ſuos coniungebat. ſed præuertentes Veneti hominis conſilium eluſerunt. at vero Inſuber quid ſentiret apertius expreſſit, cum litteris adulterinis, quaſi Eugenius Pontificatu cecidiſſet, capti Forocornelienſes ei ſe permiſerunt: ac multo maxime cum Gaſparem Canetulum Baptiſtæ, de quo ſuperius mentionẽm habuimus, fratrem iuſſu Venetorum Bononiam proficiſcentem inde auertit, & ad ſe traductum cum equitib. quingentis ad Ioannis Caſtrum ire iuſſit. re per exploratores comperta Melata & Brandolinus hominem nihil tale metuentem facile ceperunt.

runt. victoria contenti, atque ipſis prope mœnibus aſſidentes cum nihil præterea opis Bononienſibus attuliſſent, Caneculi concurſu in forum facto, & trucidatis qui arma contra ceperant aduerſarijs, oppidum tenuerunt: ipſumque præſidem, & Paulum Tronum ab Venetis, qui patrocinium Sanctæ ſedis ſuſceperant, miſſum in vincula coniecerunt. Philippus nuntio erectus, nec eſſe amplius diſſimulandum ratus e veſtigio Canetulos, & milites apud Forumcornelij vires iungere, & Pontifici eam ciuitatem iubet extorquere, quæ non ipſius ſed Vicecomitum ditionis foret: quod ſi ſpectare ad ſe Eugenius affirmaret, Concilij tantum non illius eſſe iudicium. ita dum ex profeſſo Eugenij hoſtem agit, dum Picininus ad Vetrallam Sfortiæ collata caſtra habet, pop. rom. ad defectionem impellitur. ciues ſumptus in tuendo Pontifice ad egeſtatem redacto pertæſi, miniſtriſque & ipſi parum æqui Inſubri aures præbuerunt, ac totam vrbem ſuæ poteſtatis fecerunt excepta porta Diui Sebaſtiani, quam Michael & Leo præſidio obtinebant. tum recta ad Pontificis ædes delati obſidem popoſcerunt Franciſcum Condolmerium nepotem, quem alioqui humaniter verba facientem iniecta in collum manu correptum atque ad terram datum nonnulli inde abſtraxerunt. cum ſanctum Apoſtolum, id loco nomen eſt, communiſſent per ſpeciem ut ibi Eugenius tutius habitaret, eodem ipſum compingere conati ſunt eo conſilio, quod nec ipſum fugit, vt in cuſtodia aſſeruatum vel fame necarent, vel Mediolanum, aut Baſileam traherent. Cardinales in ea conſternatione latebris quam maxime occultis ſalutem quæſiuere. Pontifex Non. Iun. vno tantum vetere atque audaci familiari comite fugæ conſilium inijt. cum monachi habitu nauiculam conſcendiſſent, ſecundo Tyberi abiere. familiaris conſpicatus terra & flumine Romanos inſtare cũ ſupinum in carina Eugenium ſtatuiſſet, ac clypeo tegeret, remiges vt quam maxime conniterentur, adhortatus ad oſtium tandem fluminis incolumis euaſit, ingenti tamẽ ex miſſilium coniectu periculo: ibique triremem Piſis ſummiſſam Pontifex conſcendit. Liburnum deuectus pedibus Florentiam peruijt, vbi poſt res ſuas paululum conſtitutas Sfortiam ſumma ope conciliare eſt adnixus. Veneti quoque ac Florentini, quibus cum fœdus percuſſerat, rem ſedulo iuuerunt. pendebat animi, nec ſatis conſilium expediebat Sfortia: prouinciam a ſe occupatam proprijs viribus tueri ſe non poſſe ſciebat, Philippo non plane fidebat multa pollicito pauca præſtanti, apud quem ſæpe in ſuſpicionem adductus ægre ſe purgauerat. itaque res ſuas agere, & ſi alienis auſpicijs occœpiſſet, fructumque tum fortunæ tum induſtriæ ſuæ aliquem tan-

dem

dem capere tam opportuno tempore conſtituit. a Pontifice in gratiam receptus impoſito annuo ſeptem millium aureorũ nummûm ſtipendio Piceni Marchio, Eccleſiæ Vexillifer, & communium cum ſocijs copiarum Imperator declaratur. Philippus tam improuiſa plaga ictus, quod quidem omnia ipſius conſilia conturbauiſſet, fretus proprijs opibus, aliena cupiditate, quod virili ſtirpe carens Blancæ mariæ ex pellice filiæ nuptijs ad Inſubris regni ſucceſſionem Fanciſcũ pellicere poſſet, minime animum deſpondit: quin cum ad Vetrallam Sfortia atque Picininus exiguo inter ſe interuallo caſtra haberẽt ſic, vt quotidie viderentur acie certaturi, vtrumque aggreſſus vt prę lio abſtinerent perpulit. deinde qui nullam proferendi Imperij occaſionem prætermitteret, Marſilium Carrarienſem paulo ante quã pater Patauio pelleretur, in Hetruriam elapſum, indeque in Germaniam metu mortis profugum clam accerſiuit, vti conſcijs aliquot ciuibus ipſam vrbem fraude occuparet. ad coniurationis vires addita ſunt externa auxilia, vt ſi primus conatus ſucceſſiſſet, præſto in tempore adeſſent: ob eamque cauſam Nicolaum Picininum reuocauit ex Flaminia: qui quod Vitellius validiſſimo ad Caſtrum Bononienſe contracto exercitu vel ſolo nomine Canetulos ſe exterminaturum, & oppidum ad priſtinum officium redacturum ſperauerat, Hetruria exceſſit; ac prius Forocornelienſium fines attigit, quam legatus maiores copias ad ſigna cogeret. Florentini cum petenti etiam atque etiam Eugenio ob expeditionem Bononiẽſem Tolentinatem conceſſiſſent, non tamen eum diſcedere ſunt paſſi, antequam Picininus viæ ſe daret; merito enim metuebant bis mille & quingentis fortiſſimis equitibus inſtructum. Nicolaus inſtanti ab tergo Tolentinati occurrit priuſquam ille haud procul Forocornelij riuum neſcio quem via, quæ Lazari appellatur, decurrentem tranſiret, & Pontificijs ſe ſe coniungeret. quamquam autem hinc ab ipſo Tolentinate, inde a Brandolino & Melata circumuentus foret, tam apte tamen ac perite paucas quaſdã cohortes inter vepres diſpoſuit, equites vero qua maxime anguſta via quaternos ſenoſue pugnantes capiebat, vt ponte tandem capto, qua Florentinis neceſſario tranſeundum erat, Nicolaum fuſum, vnaque ter mille & quingentos equites captiuos fecerit. Melata & Brandolinus, ac nonnulli alij ordinum ductores, qui Vitellij iuſſu eo proceſſerant, retro agmen verterunt. ſecundum eam victoriam Picininus Bononiæ ac Forocornelij impoſito præſidio Franciſcum filium ad Petri Fanum reliquit: ipſe ex Flaminia euocatus per cauſam hibernorum regioniſque Venetis pro-
1435. pinquæ tuendæ proximo ineunte anno in Cremonenſium fines cõceſſit.

ceſſit. id eo conſilio factum eſt, vt Franciſcus deficientibus Patauinis celeriter, atque ad diem auxilio eſſe poſſet. Fraudis hæc ratio fuit, vt Marſilius pro molitore cum aliquot coniuratis ingreſſus arcem, tum, cum præfectus triticum molendum promeret, quam ob cauſam iumenta in arcem quidam agebat, eam cæſis cuſtodibus occuparet: ſed in agro Vicetino cognitus a paternis colonis, eorumque indicio comprehenſus poſt rem omnem ordine expoſitam Venetijs medio in foro ſecuri eſt percuſſus. Inſidiæ parum proſpere in citeriore Gallia tentatæ haudquaquam alios terruerunt, quo minus & ipſi alibi dolos intenderent. Nouarienſis Antiſtes non quidem Philippi legatum Romæ agebat, ſed tamen eius nomine apud Eugenium erat, ac tractandæ paci operam nauabat. is Pontificem animi cauſa exiguo comitatu rus cogitantem excipiendum, atque ad Philippum abſtrahendum curabat: ceterum a conſcijs delatus ſine vlla quæſtione cuncta ordine enarrauit, precibuſque quorundam Cardinalium vitam impetrauit. Irrito ad Patauium conatu cum Picininus in agrũ Forocornelienſem reuertiſſet, Sfortia ad eum coercendum poſt receptam exitu ſuperioris anni Romam, & Pontificis nepotem cuſtodia eductum & ipſe in Flaminiam perrexit. cum caſtra caſtris haud procul Foroliuij contuliſſent, atque in procinctu ſtarent acies, Sfortia quodam modo contemptim ac quaſi hoſtem caſtigans rectius eũ facturum exclamauit, ſi milites, qui acie exceſſiſſent, ordines ſeruare coegiſſet. ea audacia ſic permotus eſt Ariſminus Triuultius, cuius conſilio Philippus in rebus bellicis permultum tribuebat, vt Picininum longe viribus ſuperiorem, ad quattuor enim millia equitum in armis habebat, Sfortia paulo plus duob. millibus, tametſi aliquãto æquiore loco conſtitiſſet, a conſerenda pugna uel inuitum reuocauerit. ita deinde licuit Sfortiæ Manfredum, Melatam, & Brandolinum ſibi adiungere. Æquato vtrinque periculo Ateſtinus petentibus Venetis ac Florentinis de recõcilianda inter Pontificem ac Inſubrem gratia agere cœpit, qui & ipſi occulte profitebantur gratum ſibi futurum, ſi eam rem ſuſcepiſſet. facilius autem pax conuenit, quod Fortebraccius Leonem Sfortiam ad Falcum prælio victum ceperat: quam ob cauſam ne quis Picenum præſidio vacuum inuaderet Melata, Brandolinus, ac Thãdæus eo perrexerunt. Sfortia vero fratris caſũ permotus, nec Pontifice quæ pepigerat vſquequaque pręſtante, præterea Venetis ac Florentinis ſubiratus palam iactauit velle ſe eam militiam relinquere. quare Eugenius ad pacem animum inclinans Brandam Caſtellioneum ex cœtu purpurato, ac Ioannem titulo S. Petri in Vinculis pariter Cardinalem Ferrariam legauit. nec

Sfortiæ

Sforitiæ ſocijs nonnihil infenſi promerendi ſpes vlla reliqua Inſubri erat. quippe Hetruſci ampliſſimis conditionibus eum ad ſe alliciebant. ipſe qui generum quandoque aſciſcere ſtatuiſſet, conſilium non expediebat veritus, ne poſtmodum regni cupiditate ſoceri ſaluti inſidiaretur. His adductus rationibus Philippus, & quod fortuna omnes ſuos conatus eluderet coniunctis reipub. vtriuſque virib. aduerſus quas nullo ſuo commodo, ſed magno malo ſemper bellauiſſet, ab Ateſtino contendit, vti primo quoque tempore odia finiret. erat id vtrique parti in optatis, ſed morabatur indignatio Eugenij, qui a Philippo tot calamitatibus oppreſſus, tantis periculis obiectus ægerrime ferebat id ei impune fuiſſe. ille vero ignaro adhuc Philippo factus certior de nauali Genuenſium victoria conditiones ante Philippo placitas e veſtigio, nihilque contra differens probauit. quod ſi ea vt geſta fuerant, quæ longe aliter cadere potuiſſent, Vicecomes cognouiſſet, omnem pacis mentionem ſtatim abrupiſſet. Nam cum proximo ſuperiore anno Apuliæ regina ſupremum vitæ diem obijſſet nulla ex agnatione ſtirpe reliqua, & Ludouico Andegauenſi ante aliquot menſes extincto, quem filium regnique heredem nuncupauerat; quidam proceres per ſpeciem neſcio cuius teſtamenti Renatum Ludouici fratrem euocarunt: ſed ille bello inter Anglum & Francum reges a Vallemontano captus, atque in cuſtodia a Burgundione habitus adeſſe in tempore non potuit. reliqui in Hiſpanos proniores Alfonſum Tarraconenſem acciuerunt, qui cõſcenſa cum fratribus Ioanne Nauarræ rege, Henrico equitum Diui Iacobi magiſtro, & Petro claſſe Caietam obſedit. at Philippus, aduerſus quem Andegauenſibus cupientem Alfonſus ante cum hoſtibus ſenſiſſet, Genuenſes Catalano nomini infeſtiſſimos non inuitos perpulit, vt Caietam, quo in loco Franciſcus Spinula cum permultis ciuibus erat, obſidione liberarent, nec vel hoſte ſuperiore pugnam detrectarent. illi pauciores quidem quam Alfonſus naues, adeo vt magnum ſubire diſcrimen viderentur, ſed remigibus præclariſque & nauarchis & propugnatoribus probe inſtructas eduxerunt. in ipſo certamine tres onerariæ metum ſimulantes cum in altum ſe recepiſſent, vehementiori a meridie vento concitatæ in hoſtium naues partim repentino impetu, partim fumo ac velut denſa nube ex viua calce oculis offuſa eas profligauerunt: rex, fratreſque Nauarrus & Henricus in victorum venere poteſtatem. Nicolaus ergo vbi pacis capita placere ex Eugenij litteris cognouit, qui ſucceſſu territus nullam ei moram fecit, maxime quod ſciret inter ceteras conditiones & illam adiectam, vti Philippus rebus Nea-

politanis in poſterum abſtineret; in has leges, pro ut melius æquiuſque viſum fuit, de conſilio Brandæ & Ioannis Cardinalium, quorum paulo ante mentionem fecimus, pacem Florentiæ promulgauit IIII. Id. Aug. Philippus Pontificem parentis, domini, ac venerabilis paſtoris loco perpetuo colat. Forumcornelij cum circumiectis caſtellis ademptis eidem reſtituat. Picininum, Triuultium, reliquos centuriones ac tribunos, itemque milites ex Flaminia reuocet. ex Neapolitano regno ne ipſe quidquam attingat, ne ve ab alijs accipiat: idem Genuenſibus ne faciant interdicat. Veneti caſtellis agri Bononienſis, quæ Melata ac Brandolinus obtinent, decedant ac præſidia deducant. Pontifex det operam ne quam manum Veneti in Flaminia habeant: Columnenſibus, Sabellis, & Conrado Trincio Vicarij titulo poſſeſſa oppida reſtituat. Antonius Ordelaffius Foroliuienſibus præſit: reddat & ipſe quidquid ex Pontificis, Ioannis Caffarelli Epiſcopi, & Blondi Foroliuienſis fortunis corripuerat. Huius pacis beneficio cũ vti vellet Fortebraccius, nec repulſa exaſperandus, nec propter magnitudinem flagitiorum ea dignus videretur: Areſtinus auctor fuit Pontifici, vt hominem interpoſita mora ludificaretur, negotium differret in aduentum Cardinalis Sanctacrucij, qui tum in Galliam miſſus, ſi quæ alias iungendæ paci controuerſia eiuſmodi incidiſſet, eam componere conſueuiſſet. nec erat dubium eum propter legationis pondus diutius abfuturum: quippe in Galliam perrexerat, vti Francum atque Anglum ab armis ad quietem traduceret. quæ res multas habebat difficultates, quod adhuc regia vrbs in Anglorum eſſet poteſtate, licet placato Burgundione tum latiſſimorum finium munere, tum memoriæ parentis habitis honoribus & templo, quo loco cæſus fuiſſet, ædificato hoſtes Galliæ deinde imperio prorſus excidiſſent. nam populi tumultu, qui ad impediendam fugam catenas vijs viciſque prætẽderat, ad Diui Antonij portam compulſis libera deditione pro ſingulari beneficio fuit incolumib. e Gallia faceſſere. Eugenius quamquã ei, vt prædiximus, procliue foret Fortebraccium morari ac diſtinere, peroſus tamen moleſtias, quib. ad eam diem diſtrictus fuiſſet, homini poteſtatem fecit vtendi cõditionib. pacis, modo Falcum dimitteret, ſi poſt ſancitã pacẽ locum occupaſſet. ille interminatus aliter ſe aliquando cum Pontifice pacturum, Fulgineum duxit, ac ſanctæ Sedis fines varijs incommodis affecit. inde tranſgreſſus Apenninum ad Montemfloridum conſedit: ſed ab Italiano Furlano & Alexandro Sfortia coactus pugnare funditur: dumque obſtinatius omnes ad unum milites ſuos ſeruare contendit, interficitur.

tur. Picininus filio Carolo proſpiciens ad conditiones ſemel placitas redijt, vt de omnibus iudicium Cardinalis eſſet. Ateſtinus vt rem ſuſciperet, atque iuuaret rogatus reſpondit, ſe vero longe aliud Pontifici ſuaſurum. nam cum Fortebraccius immanibus ſceleribus tamdiu in ſanctam Sedem exultauiſſet, ne filio quidem eundem veniæ ac benignitatis aditum fore, qui alias patuiſſet: vt ceteri exemplo territi deinceps ab eiuſmodi flagitijs temperarent. at vero maxime contendit Nicolaus, vti Veneti & Inſuber pacem quibus paulo ante conditionibus ſe auctore pepigiſſent, ratam eſſe iuberent. videbatur quidem credibile Philippum potius quam Venetos ei rei morã allaturos; quod alteri ex pace compendium captarent, alter ſecundo prælio magnum ſibi nomen atque vires parauiſſet: longe tamen ſecus erat. patres enim vſque adeo pro certo habebant Vicecomitem victoria inflatum ab concordia diſceſſurum, & quæ amiſiſſet repetiturum, vti nihil iam de pace ſancienda cogitarent: quin potius in ſenatum ventitando inter ſe deliberabant quibus conditionibus iterum tranſigerent. in primis vero conſultabant ecquid acturus eſſet poſt tam nobilem victoriam, poſt tam præclaram ſubigendæ Apuliæ, ac Siciliæ tentandæ occaſionem oblatam: ſeniores vero non dubitare affirmabant niſi ipſe ſibi defuiſſet, quin totius Italiæ imperium corriperet. At Nicolaus qui pro ſua conſuetudine quam maxime poterat dabat operam, vt quiſque ſuis opibus cõtentus ex aliena iniuria minime creſceret, Philippo ſuaſit, vti regibus captiuis ſuæ animi magnitudinis ſpecimen daret, quique de ipſius fide paulo grauius aliquando ſentire coacti eſſent, eos mendacij argueret, pacem ratam atque firmam eſſe iuberet. hortatio pro hominis ingenio haudquaquam fuit irrita: nam cum fortunæ aduerſæ ſuccumbere & in medio rerum gerendarum curſu interquieſcere ſoleret, tantæ felicitatis gaudio diffuſus conſilia ipſe ſua atq; cogitationes colligere non potuit. itaque in eo Philippus naturæ potius ſuæ, quam Ateſtini monitis vſquequaque obſecutus reges Genuã ad ſe adductos plane gratiæ expertibus & grauiſſimo in Hiſpanos odio accenſis, quorum ſudore & periculo tam inſignem victoriam nactus fuerat, non vt victos hoſteſque, ſed vt ſocios ac longe ſe præſtantiores magnificentiſſime coluit. quod dum facit ſtudioſius tum in hoſpitum gratiam, tum ad priuatum quodammodo ſplendorem declarandum occaſio rerum gerendarum, quam fortuna & tempus ſubminiſtrabat, e manibus effluxit. præterea Lancelotto Crotto in Flaminiam miſſo non pacem modo ab Ateſtino inſtitutam comprobauit, ſed ex eius etiam formula ex oppidulis agri Bononienſis præſidia deduxit:

quæque in eo tractu loca ditionis pontificiæ auxilio ſuo tegebat, in poſterum tueri deſtitit. Nicolaus cum Inſubris factum laudibus extuliſſet, ac pro tempore ſatageret, quo ſancta Sedes amiſſa recuperaret, egit cum Nicolao Picinino vti auctoritate ipſius permotus Carolus Fortebraccius Aſiſium Eugenio reſtitueret, ſeque & clientes ipſius fidei crederet: necnon cum Baptiſta Canetulo, vt & ipſe Bononiam eidem traderet. Canetulus, qui præſidij cauſa circa ſe CC. equites, pedites CCC. haberet, prætérquam quod factioni ſuæ confideret, non valde repugnauit Ateſtino ratus vel ciuitatem facta Pontifici deditione nihilominus fore in ſua poteſtate. illud vero in primis gratum accidit, quod Sigiſmundus Malateſta militibus præfectus vna cum præſide eo accederet. ſtatuerat enim vtrumque comprehenſum permutare cum Gaſpare fratre, qui a Pontifice in vinculis habebatur. ſed cum præſidium non dimitteret, & Sfortia Eugenij iuſſu Bononiam veniſſet, ſero intelligens ſeſe viribus longe inferiorem eſſe, ex improuiſo fugam arripuit, & Antonius Benriuolus cum clientibus ſuis permittente Pontifice domum redijt. exemplo adductus Vido Antonius Feltrius Metaurenſium Vicarius aliquot oppidula inter Piceni & Patrimonij tumultus intercepta & ipſe tradidit: dein quo ſacro interdicto ſolueretur, ac priſtinum munus ex auctoritate Pontificis obiret, eum Florentiæ conuenit. qui ordinandi regni Neapolitani curam ad ſe reuocans Vitellio impetrauit, vt ad veteres copias M. D. equites, M. pedites adijceret, eaque res iam hieme appetente in tempus magis opportunum eſt dilata. interim miſerabili ac plane acerbo caſu Bononiam prope amiſit. Balthaſar Offidanus homo factioſus ille quidem atque temerarius, ſed Pontifici apprime carus iuri inter ciues dicundo præfectus Antonium Bentiuolum priuato odio in carcerem coniectum indicta cauſa ſtatim ſecuri percuſſit. quod niſi præſes metu Canetulorum validas cohortes in oppido habuiſſet, plebs rei indignitate cõſternata haud dubie obſequium exuiſſet. Pacata Flaminia, atque Eugenio Philippi metu liberato Venetis nonnihil adhuc cum eodem controuerſiæ reſtabat de finibus Cremonenſibus; cuius vtraque pars diſceptatorem adhibuit Ateſtinum iam ante proximo ſuperiore anno pariter laudatum ea conditione, vti Venetis extra quæſtionem eſſet, quod fuiſſet ante controuerſum de Ollio, Philippo vero de Abdua. qua de re extant adhuc Principis litteræ prolixæ ad Nicolaum eodem anno VII. Kal. Ian. ſcriptæ, alteras deinde VI. Kal. Iun. miſit, quo finis tandem imponeretur quotidianis prope de finibus altercationibus. Iam legati tum Veneti, tum Inſubres Ateſtinum conuenerant, cuius fidei atq;

arbitrio

arbitrio tota res permiſſa fuerat, nec ille abnuit: eratque ex bono & æquo, vti communem amicum decebat, extra iudiciorum ambages controuerſiam ſedaturus, ſi qua animi æquitate Philippus poſt victoriam conuentis ſteterat, idem tum in animum facere induxiſſet: ſed deferueſcente lætitia, quæ illum plane ſibi obnoxium a cogitatione quæſitę potentiæ atque ingentium opum auerterat, ſupra modum ſe ſe efferre, quæque collibuiſſent non ab ratione, ſed ab vi petere cœpit. fortuna cum Ligurum defectione commutata rediit ad conditiones ab Nicolao propoſitas. qui quod ei denuntiauit eiuſmodi ingenio ac moribus magnum aliquando malum, ac fortaſſe opinione celerius ſibi conflaturum, fuit ſuſpicio conſilij Genuenſium non prorſus ignarum extitiſſe, nec tamen interceſſiſſe cupientem eo modo Inſubris vires accidi. quod nos cum inſtituto noſtro maxime coniunctum haudquaquam prætermittere, ſed quam pauciſſimis verbis exequi ſtatuimus. Lauredanus nauali inter Venetos & Genuenſes pugna, de qua ſuperius commemorauimus, victor Franciſcum Spinulam hoſtium præfectum captiuum fecit. huic ad patriam in libertatem aſſerēdam data libertate ſenator neſcio quis, qui eius animum tentauerat, vel imprudentia lapſus, vel quod etiam aliquid in eo præſidij poſitum putaret, Spinulæ cuſtodia emiſſi cauſam communicauit Blaſio Agereto, qui & ipſe inter captiuos Venetijs aſſeruabatur homo exiguis opibus ac nomine. Ageretus Genuæ cum Thoma Fregoſio de tota re colloquutus cum fidem ſuam eleuari cerneret, Mediolanum profectus conſilium Philippo aperit. is leuiore indicio, quam ut in Spinulam iure poſſet animaduertere, nec tamen metu ac ſuſpicione prorſus vacuus mediam quādam magno ſuo cum malo viam delegit. nam cum Spinulam odiſſe non diſſimularet, atque Ageretum ſummum illius inimicum maioribus quotidie honoribus efferret, ea ignominia ſtimulatus Caietam ſeceſſit. forte autem accidit, vt oppidum ab Hiſpanis obſeſſum ipſius præcipue forti ac fideli opera defenderetur, & ciues victoriam de hoſte referrent: quare arbitratus lenitam Philippi iracundiam, ſeque aliquanto minus vilem apud eum futurum domum rediit. hominem nihilo æquiorem expertus, adituque ad eius beneuolentiam prorſus deſperato, nondum tamen omni auctoritate exutus, conſilium cepit Genuæ ab eo alienandæ: inſigni in poſterum plane documento, quam grauiter errent viri Principes, dum ſuſpicione nō excuſſa ſubirati cuipiam populari ingenio & opibus pollenti non puniunt eum vel abſoluunt, vt deinceps vita aut crimine ſolutus rebus nouis non ſtudeat. Spinula, quod ſeditionum auctores ſolent, libertatis bo-

nique

nique publici præſcriptione non ſaluti modo, ſed etiam dignitati conſulturus, principemque in patria locum inuaſurus eam nactus eſt opportunitatem, quod ciues victoriæ periculo ſuo de Hiſpanis partæ, præmiorumque expertes plane fuiſſent. his alijſque talibus ſtimulis, quantum quidem viſum eſt ſufficere, plebis animos in furorem egit. ad hæc cum ſciret ciues ita credere, nullo ſe apud Philippum loco, ſed maxime contemptos fuiſſe: inſuper oblato iuſto ſummoque non defenſionis ſed tyrannidis metu eos ſtimulauit fore affirmans, vt priuatas etiam facultates ad ſe ſe traheret. commemorauit præfecti Opizonis Algratenſis crudelitatem, auctam prætorij cuſtodiam, Ariſminum Triuultium magno cum equitatu propediem affuturum: Tarraconenſem ad portum Veneris cum claſſe ſtare, quo & paulo poſt venturæ ſint Siculæ triremes. nuntiati Petrum Ioannem Paulum Vrſinum cum validis copijs ad maritimæ oræ partem iter facere, quæ in occidentem vergit. Spinula cum Thoma Fregoſio in gratiam reuerſus ea omnia in Genuenſes comparari edocet, hominem ſibi adiungit: orationem ad populum habet, præfecti ædes oppugnat, ipſumque obtruncat. Triuultium, qui paulo ante aduenerat, vnaque Ageretum in arcem compellit: præſidium numero ad duo millia militum prope occidione occidit: oppidum ab Philippi imperio auertit. creantur octouiri partim patritij, partim plebeij reipub. adminiſtrandæ, inter quos longe ipſe eminet collegis ſingulis patritijs e familia Auria, Lomellina & Marina, itemque e plebe Iuſtiniana, Nouaria, Bondinaria & Caſſina gente: ac trium dierum interuallo vniuerſa mari adiacens regio in poteſtatem redigitur extremo eius ſeculi triceſimo quinto anno. Poſtero ineūte Ateſtinus cum Venetis egit de ſubleuanda Genuenſium inopia. illi Florentinos, vti rem ſuſciperent, clam permouerunt iam expoſtulantes Philippum neſcio quid aduerſus pacta conuenta eſſe molitum. 1436.
Ligures commeatu inſtructi ac paululum confirmati Principem declarauerunt Iſnardum Guarrium: mox magiſtratu depulſo, quod Philippo fauere videretur, eiuſdem Spinulæ conſilio Thomam Fregoſium ſuffecerunt. Interim Alfonſus claſſe in Apuliam profectus Antonium Piſanum, ut cum eo copias coniungeret, expectabat. is ex itinere aliquot caſtella in Hernicis cepit. Franciſcus quoque Picininus, qui in finibus Senenſium ſtatiua habebat, ad regem & ipſe contendit. Per hos dies nutabat Flaminia, nec aberat ſuſpicio Philippo auctore cuncta fieri. proinde Eugenius ante ab Areſtino monitus, vti Bononiā accederet, & armis Forumliuij ſuæ ptātis faceret, facile tam ſalubris conſilij rationem accepit, deque medio Aprili eo
venit,

venit: Sfortia iuſſus Foroliuienſes obſidere, oppidumque pulſo Antonio Ordelaffio Eccleſiæ reſtituere. vix quidem erat dubitandum Inſubrem quidquam moturũ in ea regione, adeo iniquis cõditionibus in ſancienda pace ſe ſe obſtrinxerat; nihilo tamen ſecius Eugenius, vnaque Nicolaus eius conatibus obuiam eundum eſſe cenſuerunt. Vitellius in Piſanum duxit: victoque & capto, quod in ſubiectos ſanctę Sedi populos acerbius ſæuiſſet, laqueo gulam fregit: mox Præneſte ditionis Laurentij Columnæ obſedit. dum trahitur obſidio, Foroliuienſes intra paucos dies nempe Iulij initio vinctum Ordelaffium Sfortiæ tradiderunt; ac voluntaria deditione domeſticis malis finem impoſuerunt. Præneſtini & ipſi aquæ inopia coacti Vitellio ſe permiſerunt. is quod homine religioſo plane indignum fuit, furore præceps oppidum ſolo æquauit. Eodem tempore tam læto vbique rerum ſtatu Pontifex Barbianenſes Comites Lugo, reliquiſque Flaminiæ locis, quibus ſe tegebant, deturbauit ductu Balthaſaris Offidani, cui tamen propter exiguum in re militari vſum legatũ adiũxerat Petrum Ioannem Paulum Viſinum. Offidanus quo tempore Eugenius ex Vrbe profugit, Adriani molem vno fidei atq; conſtantiæ, nullius præterea virtutis edito documento cuſtodiuerat, ex ea re beneuolentiam heri promeritus cum cumulum ad illam addere geſtiret, nequaquam belli aut pacis artibus ſatis inſtructus cœpit neſcio quid pertexere, quo Picentes ad Pontificis imperium adduceret. quod niſi ea fuiſſet Ateſtini auctoritas apud Sfortiam, qui quaſi nutritio alumnus, vt alibi commemorauimus, ſingularem obſeruantiam exhibebat, plurimumque eius conſilio vtebatur, ſine dubio inſigni calamitate res eccleſiaſtica peſſum ibat. nactus duos ſagittarios vſque adeo peritos, vt deſtinata certo ictu ferirent, per eos Sfortiam, qui meridie vitandi æſtus cauſa ad pontem neſcio quẽ Rheno impoſitum octauo a Bononia lapide, vbi foſſa manu facta & Ferrariam ferens influit, ex proxima turri eodẽ tempore iaculis duobus ſtatuit petere, vt ſi alterum aberraſſet, alterum ſaltem incautum transfigeret. verum priuſquam cogitatum ſcelus efficeret, ſimulans Vicarios Fauentiæ, Piſauri, atque Vrbini, qui annuum ſtipendium Eccleſiæ hactenus pendere neglexiſſent, nec pollicitis ſtarẽt, vi ad officium cogendos eſſe, quam potuit maximas in Flaminia copias coegit: præterque eas aliquot cohortes, quæ in agro Parmenſi morabantur, mercede conduxit. ita ſublato duce exiſtimauit ſe ſe facile prohibiturum, ne Sfortiani in Picenum tranſirent. ſed dum apud Butrium oppidulum Parmenſes operitur copias, ſurſumque ac deorſum nuntios miſſitat, ac gloriatur propediem ſe præclara quædam acturum,

actum, Sfortia ſuſpicatus ea ad ſe pertinere, propius Butrium accedit. Offidanus ea ſpe deiectus, atque audacia fraudis conſcientiam obtegens ad Ricardinam, id pago Butrio propinquo nomē eſt, procedit. e veſtigio Sfortia hominem aggrediendum ſibi eſſe duxit, priuſquam maioribus auxilijs ſeptus vim poſſet propulſare: ille autem cū primum mouiſſe Franciſcum audijt, intra muros refugit, abiectiſq; armis ſumpto ruſticæ puellæ habitu in lectulo decubuit. Sfortia hominem ad ſupplicium ſumma diligentia quærebat. proinde territi minis incolæ eum vinctum tradiderunt; ex quo poſtea Cotignolæ veritas tormentis eruta eſt. Vix hæc fama vulgauerat, cum Hermolaus Donatus Venetus apud Pontificem orator in caſtra accurrit orans atque obteſtans, ne quid in eum grauius ſtatueret. trepidabat Eugenius metu anxius, & populus Bononienſis concitatus conuicijs eum palam proſcindebat, quod tot flagitijs coopertum miniſtrum extuliſſet: fremebant omnes ſupplicium indigniſſime ſumptum de Antonio Bentiuolo viro innocenti, optimeque de ſancta Sede merito, & recenti indignitate antiquū vulnus refricabatur. magno Pontificis timore ab Sfortia, cui quidem ſatisfieri non poterat, peruicit Ateſtinus, vt ille contemptis primorum aliquot ciuium vocibus imperium vltro deferentium cum exercitu in Picenum proficiſceretur. quo facto Eugenius imminenti captiuitatis periculo, & perpetua, quoad ſe Sfortia in Flaminia continuiſſet, formidine eſt liberatus. Dum hæc geruntur, Vicecomes per Baptiſtam Fregoſium Thomæ Genuenſium principis fratrem libertati ciuium eſt inſidiatus. itaque Nicolao Picinino, qui aliquot maritimæ oræ oppidula obſidione premebat imperauit, vti non quaſi deſperata eorum expugnatione, ſed Tarraconenſi auxilio futurus in Lucenſium fines concederet, ibique tamdiu eſſet, quoad acceſſitus a Baptiſta de improuiſo Genuæ exercitum admoueret. Sfortia aduerſa in Arni ripa caſtra poſuerat: eam moræ occaſionem nactus Picininus ſimulauit ſe ſe extra certaminis aleam id captare, vt quiete hoſtium impetus langueſceret. at vero cum hieme mitiora loca non peteret, equique inedia abſumerentur, permirum videbatur, ecquid ibi fruſtra tempus tereret tanto cum ſuorum incommodo: tandem ſimulatio eſt diſcuſſa. ſiquidem ineunte eius ſeculi anno ſeptimo & tri- 1437.
ceſimo aliquanto clementiore cœlo de improuiſo Genuam verſus perrexit, eodemque tempore affuit Baptiſta, vt cuſtodibus oppreſſis, atque introducto in oppidum Nicolao ipſe principatum inuaderet. ſed firmiore quam putaſſet aduerſario prætorio exactus, atq; in fratris gratiam vita donatus edicto publico ſolum vertit. Sfortia

per

per Picinini abſentiam aliquot Piſani agri ignobilia caſtella recepit, ac Lucenſem euaſtauit.ceterum inquietum Philippi ingenium, Sfortiæ offenſio atque defectio, bellum quod ab ſancta Sede ſine dedecore aduerſus Tarraconenſem omitti non poterat, impenſæ grauiſſimæ,maiorq; in dies ærarij inopia Pontificem ingentib.curis onerabant, omnium vero longe erat moleſtiſſimum, quod procedere atque augeſcere Baſileenſem conuentum intelligebat. quippe Non. Maij relatum ad ſenatum fuerat, vti locus habendo concilio deligeretur ad tollendam græcæ ac latinæ Eccleſiæ diſſenſionem, quem Palęologus Græcus Auguſtus potiſſimum probaſſet. quod quidem tantum dignitatis Baſileenſi cauſæ conciliabat, vt vel Eugenius ab ea alieniſſimus, nec ſine ſummo periculo ſe ipſi commiſſurus cogeretur deinde vellet nollet eo accedere. Annus tertius erat, ex quo Ioânes Demetrio propinquo ſuo legationis principe tres oratores Baſileam miſerat, qui de cogendis in concilium græcis ac latinis patribus certis conditionibus tranſigerent, Byzantiumque, quo conueniri placeret,ederent: aut ſi magis liberet Auguſtum ac Pontificem Byzantium cum ſacro ac profano cœtu e Græcia traijcere, illud tenerent, vt opportuna vtriq; nationi prouincia & locus deligeretur. in primis vero Baſileenſes viaticum præberent;in præſidia claſſemq; tuendo aduerſus Turcam regno,quoad ipſe abeſſet,ſtipendium perſoluerent. Altera iam miſſa legatione,vti certus tandem locus conuētui ſtatueretur,placuit ſi Ioannes Baſileam minus probaret, quo iam eum per internuntios patres inuitabant, Auenionem conueniri græcis propter nauigationem & latinis pp ſitum oppidum peropportunum. ſi quo caſu Auenione excluderentur, decretum eſt aliquo in ſubalpina regione cōcedere. re tantum non affecta cum nihil ferme negatū græcis eſſet, Eugenius animo angebatur, qui magnā ſpem in Nicolao ſemper collocaſſet, ac tum ab omnibus prope Chriſtianis principibus deſtitutus, quo modo ſuam ac Pontificatus maieſtatem in tantis anguſtijs tueatur,exquirit. cōmuni conſilio decernunt, vt ipſe primo quoq; tpe Ioannem Ferrariam accitū ſibi conciliet.ac Nicolaus quidem recepit ſe ad legationē ea hortamēta additurū,vt ſine dubio Græcus nullū de loco tamquā tutiſſimo verbū ſit facturus. ad hæc placuit pecuniam in Græciam portari,vt ſi cōdōnem acciperet, ſerio ſe ſe agere intelligeret,ſecus atq; Baſileenſes feciſſent,qui argenti expectatione ipſum tamdiu fruſtrati fuiſſent. quo vero inſtitutam profectionem maturaret,ne interim æmuli aut maiore pecunię ſumma eum ad ſe pellicerent, aut rem aliter diſtraherent,quinq; in Græciam longas naues, quæ illum tollerent miſerunt. poſtremo legatus

eſt decretus Chriſtophorus Garetonius Pontificis ſcriba totius rei ar biter, ac Byzantij non ignotus, qui deinde Coronçorum, id eſt oppidũ Peloponneſi, Pōtifex fuit, idemq; munus ante obiuerat: vt quid animi haberet Auguſtus ſciſcitaretur, eumque a patribus Baſilcenſibus auerteret. Garetonius ad Cæſarem introductus meditatam domi orationem in hanc ſententiam habuiſſe dicitur. Si quando ſpes fuit Imperator Auguſte græcos atque latinos homines in vnam de religione ſententiam conſenſuros: id nunc maxime ſperandum, vel potius pro certo habendum videtur, tam cupidos & idoneos iſtius fœderis auctores Pōtificem ac Cæſarem dies ipſa vtriſque ſuppeditauit. nam quemadmodum perpauci maiorum tuorum vitæ inſtituto tibi conſerantur, quibus nihil penſi fuit, qua in re Eccleſiæ inter ſe diſcordent, cognoſcere & pro viribus adiutare, vt errore abducti in viam redirent, vel quod eſſent animo inquieto, aut nullis doctrinæ præceptis inſtructi, vel quia facile ſuorum ſermonibus aures præberent, vel nimio tandem patriæ ſedis deſiderio: ita Eugenius diſceſſit a conſilijs ſuperiorum Pontificum nulli minus quam huic negotio vacantium adeo cum numinis gloria & chriſtianæ reipub. ſalute coniuncto: dum Eccleſiam orientis & ipſam Chriſti ſanguine fundatam parui pendunt, vel Germanis nimis fauent, tot iam annos vigente hac cōtrouerſia interdum ſopita, nunquam extincta cum graui animorum periculo, & chriſtianæ pietatis offenſione. animaduertit aũt ac lætatur oblatam ſibi beneficio temporis conſenſionis facultatem te, cuius virtute hic diuina res ſtat, nō minus in theologorum libris, quam ſacra hiſtoria verſato: vt neque a tuorum aſſentatione, neque a noſtrorum obliquis artibus quidquam ſit pertimeſcendum. præterea cum de profectione deliberes trans mare cogitans, tuamq; vnius manum expoſcant antiqua vulnera, quibus ex inteſtinis diſcordijs confecti ſumus non ſine Othomani communis, tuiq; præcipue hoſtis ingenti decore: haud equidem veretur ne non ad tam præclarum opus te accingas, & tecũ ſentientis omneſq; ſuas opes ad amplitudinem tuã collaturi Pontificis congreſſum certorum hoīum collo quijs anteponas, qui non publicæ aut Græcorũ, ſed priuatæ vtilitatis gratia iſtũ aduentum ſpeculantur: idq; eo magis, quia veteris diſſidij ſemina prorſus interierunt. Duobus vti credibile eſt e fontib. totius controuerſiæ origo manauit: porro vitæ mortalium ſola religio ac Principum maieſtas imperant: ea ſi miſcentur, neceſſe eſt magnam rerum omnium commutationem ſequi. mali initium a Gregorio eius nominis III. ortum, dum is Leoni item III. infenſus Romanum imperium diſtrahit, Italiam ab eo auertit. quem ſubſequutus

Stephanus

Stephanus II. cum nihil ſibi præſidij in Conſtantino v. tum hic regnante eſſe cerneret, ad Carolum Francorum regem mox in occidente Auguſtum confugit: qua dignitate ad Germanos deinde tranſlata eorum quoque proceribus Gregorij v. decreto ius creandi Imperatoris eſt tributum. hanc regni partitionem conſequuta eſt animorum diſſenſio, & religio ſimplex atque aperta eodemq; vbique cultu diuexari poſtmodum cœpta. Altera acceſſit cauſa ob varios & multiplices priſcorum patrum commentarios ad ſacra volumina. & ſi enim illi diuino afflati ſpiritu nulla in re paulo maioris momenti inuicem diſcreparent, Græcis tamen, quibus ſuus Cæſar imperitabat, quos ipſi ſequerentur ſcriptores latinis multo minus celebres ſunt viſi. nec ſemel exulcerati vtrinque animi leniebantur, quod Hieronymum, Auguſtinũ & Ambroſium viros grauiſſimos, & ad Chriſti tempora propius accedentes vetuſtas & ſingularis eruditio magnopere commendarent: præſertim vbi latini in ſcholis exercitati ex Ariſtotelicis libris de natura & motibus ad prauas opiniones confutandas arma ſumerent, contra quam ſolerent Græci Platoni addicti. quæ ſemina alendis ſimultatibus nunc penitus ſublata eſſe conſtat. etenim Eugenius cum te filium Sedis romanæ in primis carum vindicemque cuiuis Germanorum parem non diſſimulat; tum cauſam tuam ac tuorum vti par eſt complectitur fouetque: & quo eſtis magis hoſpites, eo magis exiſtimationem veſtram illibatam ſe præſtaturum pollicetur. præterea, ſi quidem ſacroſancta hæc ſynodus cogatur, te in concilio ſedente, quod votis & ſpe haud dubia concepit, græcos theologos, ac ceteros eiuſmodi ſcriptores ſactotum pattum decretis receptos latinis exæquat, iubetque communibus auſpicijs veram Chriſtianæ reipub. quietem procurari. nec omnis modo ceſſat difficultas ſi Pontifici te des, vt quæ ſit fas impetrare iam pene effecta habeas; ſed etiam amicitiam & fœdus offert, quo religionis ſemel conſtitutæ ſinceritatem conſeruare, teque & Græcorum imperium tueri queas. nam præter romanæ Sedis opes præſto erunt Venetæ regnis tuis finitimæ & opportuniſſimæ quod ſi plutis ſint Baſileenſes, quo te vertes? vnde auxilium petes? quin cum æmulatio Turcarum cauſa inter Pannonas & huic regiæ ſubiectas nationes vigeat, item & inter Principes ob communicatam cum Germanis auguſtam poteſtatem, periculum eſt ne quando inſigne aliquod malum exoriatur Sigiſmundo, qui cœtui præſidet, Pannoniæ rege, eodemque Cæſare. ìccirco facile contingat, vti maieſtas tua aliqua ex parte minuatur, aut orientalium patrum in congreſſibus duriores ſint partes: quia dubium non eſt latinos numero longe ſuperio-

res futuros: Eugenio minor frequentia æquis fere ſuffragijs rem conficiet. imo quæ eſt Pontificis prudentia & aduerſus Græcos amor, auſim ſpondere, ſi forte noſtri multis partibus exuperent, aliter concordiæ rationem poſſe iniri. hæc atque alia maiora grati ſincerique ipſius animi teſtimonia expectes licet: quippe nihil habet antiquius eccleſiarum coniunctione. idq; adeo operam dat, vt conſenſu vtriuſque partis ſic lis dirimatur, ne non ſpes ſit quod ſemel placuerit, omnibus probatum iri. quod ſi ſecus cadat, ille conuentum inanem inſigni cum ſuo detrimento habuerit: Baſileenſes vero, apud quos auctore Sigiſmundo reſpectus potiſſimum eſt habitus ad regnum Boemicum, & pro ſe quiſque ſtudio priuati commodi Pontificiam auctoritatem imminutam concupiuit, tametſi Græci re infecta abeant, quicquid ſtatuatur haud ſane in magno ponant diſcrimine. nempe ſatis fuerit orientis ſacerdotes ad ſe pertraxiſſe: eoque pacto concilium ſuum conſtabiliſſe atque illuſtraſſe, eam facultatem Eugenio ademiſſe. inde licet colligere quam ambitioſus, quam non rite ac more maiorum coactus ſit ille cœtus. Ad id non leue vitium accedit, quod Pontifex & purpurati Romani patres diſſentiūt, profitenturque ſe ſe rejectæ illius ac prædamnatæ coitionis acta omnia reſciſſuros. quod aperte indicat nullum decretum ratum eſſe poſſe, cum ſpectet ad vnum Pontificem non minus concilium indicere, quam approbare. hæc cum ita ſe habeant, ſentis opinor Auguſte, iſtos nil aliud moliri, quam vt te adminiſtro ſibi proſint, alijs obſint. Reſtat quando optime proſpicis Pontificis quam Germanorum amicitiam rationibus tuis magis conducere, intelligas quoque Ferrariam Auenioni præferendam eſſe, quo animus videbatur inclinare. locus enim hic & idoneus quæritur & tutus. quod attinet ad primum, nō ignoras vitatis Africæ pyratis Græciæ oram legenti ſinum Adriaticum occurrere, inde Padi oſtia breuiſſimo interuallo peti. de cetero quid dubites hinc ſenatu Veneto omni officiorum genere tibi cō iunctiſſimo quaſi latus tegente, illinc Pontificis fidem obſtringentis ſuam regno ſepiente. ad hæc Nicolaus Ateſtinus, qui regionem pacatiſſimam obtinet, & iampridem multo maximam eſt auctoritatem conſequutus, ſalutem in ſe tuam recipit, vt Ferrariæ æque tutus ſis ac Byzantij. & quoniam Princeps factis & genere perpetua quadam ſerie ſupra multas ætates repetita clariſſimus dignus eſt, cui fidem habeas, hac de re verbum non faciam, quod rear cognationem etiam te agnoſcere: ſi quidem proauus tuus matrem habuit Violantidem Bonifacij filiam Gulielmo Montisferrati Marchione III. oriū dam. hæc Iſabellam procreat Azoni eius nominis Quarto in matri-

monium

monium datam, Azoni inquam, vnde Velfones & Henrici primum Bauariæ, deinde Saxoniæ Duces & Cæſarum parentes profluxerunt. ex Iſabella quinto gradu originem trahit Nicolaus: qui cum hac de re alias & nunc copioſe perſcripſerit, fruſtra de ipſius in te obſeruantia & veſtra omnium promiſſa incolumitate commemorem: tantum illud addam accipiendum pro felici omine Ferrariam, quod ſpectat ad celi inclinationem, æqualem ferme Byzantio tractum ſortitam, vnamque Italicarum vrbium egregios litterarum græcarum magiſtros alere, vndique ſtudioſorum multitudine confluente. verum quod pluris eſt, vt appareat nos ſerio agere, viatici partem ego affero maiorem pecuniæ vim propediem habiturus, & ſi iubeas paulo poſt adſim cum nauibus, vt traijcias, quæ Baſileenſes tot annos iſtiuſmodi ſocietatem aucupati neutiquam effecerunt: quin pecunia in cauſa fuit, ne quid interim decerneretur, ſiue illa uera, ſeu ne tibi commodarent, extitit ficta inopia. ad extremum promiſſum neſcio quid, quod propter diuturnam moram interpoſitam metuendum eſt, ne nuda ſcriptura contineatur, re vera nunquam præſtetur. Hæc Auguſte Pontificem ſocium tibi proponunr, ſedem vero tractandis rebus Ferrariam. hoc nimirum eſt tempus, cum vtroque veſtrum, qua de re inter eccleſias parum conueniat, minime ignaro & firmæ coniunctionis auidiſſimo futurum tandem merito putemus, quod adhuc nec oculis nec ſpe vſurpare licuit. hoc tempore non eſt quod Græci timeant iudicij iniquitatem imperij doctrinæque ergô. hanc tu occaſionem Byzantij ſe ſe oſtentantem eximia vir prudentia, & Chriſtianorum omnium ac popularium vere ſtudioſus arripies, amplectere. ad tam præclarum facinus inuitat vocatque non publica modo & priuata cauſa, ſed certiſſima etiam immortalis gloriæ tuo ac Græcorum nomini propoſita præmia. Garetonij oratione permotus Cæſar ſe vero potius cum Eugenio, quam cum Baſileenſibus futurum eſſe reſpondit, vrbemque Ferrariam ſibi maxime probari, tum propter mutuam inter ſe atque Ateſtinum beneuolētiam, tum quod locus omnibus Græcis foret gratiſſimus. ea de re factus certior Eugenius XIII. Kal. Octob. publico decreto Ferrariam concilium indicit. cōtinuo Baſileenſes omnia ibi agenda conſtituendave tamquam in conuentu minus rite coacto irrita atq; inania eſſe pronuntiant: ac Pontificem coarguunt quod loco inter Venetias, vnde ipſe originem ducat, & fines Pontificios delecto priuatæ tantum ſaluti proſpexerit. commotus eſt huiuſcemodi diſſidio Nicolaus, cogitauitque contrarijs vtriuſque partis ſtudijs facile accidere poſſe, vt nouo prodito Pontifice Eugenius abdicaretur, atque ipſe ab ſuffecto

interdicto notaretur, maximeque quod Baſileenſes ea de re, alijſq; multa ad eum ſcripſerant, ipſius Concilij decretis probantes minus recte ac legitime cœtum illum ab Eugenio coactum, haud dubia affirmatione fore, vt ille omnino dignitate exueretur. Hæc Ateſtinus animaduerſione digna in memoriam Eugenio reuocauit: qui æquiſſimam per ſe cauſam foueri ab eo, & Pontificem iuſtis comitijs creatum, Chriſtique uicarium defendi docuit: ac præterea recepit ſe curante promptas parataſque ad ipſius tutelam fore ſuper Pontificias Venetorum opes, idque quod pertineret ad Rhodiginam tetrarchiã magno ei emolumento futurum. atque hac quidem oratione Nicolao abunde ſatisfecit. Poſt magnis rei nummariæ anguſtijs preſſus tum Tarraconenſi bello propulſando, tum militibus aduerſus Sfortiam & Picininum alendis, quas ſumptus Græcis in Italiam traducendis in maiorem modum auxerunt, eo neceſſatio deſcendit, vt Lugum diuenderet eo procliuius, quod periculum erat ne in Philippi hoſtis ſibi infeſtiſſimi poteſtatem quandoque veniret. oppidum itaque Nicolao tradidit, cui id maxime iucundum accidit, & præterquam quod idem poſſederat Nicolaus cognomẽto Claudus magno cum S. Sedis commodo, ipſeque plane infeliciter amiſerat, ac propterea omnibus emptoribus merito præferendus erat, eo etiam facto Põtificis inopiam ſuſtentauit. Significauerat Garetonius, idemq; affirmabat Hector Paſcalicus, qui cum aliquot longis nauibus e Grecia reuerterat, Ioannem quod initio deliberaſſet, Ferrariam venturum eſſe: eamque ob cauſam Eugenius ipſe profectionem ſuam in ante diem IX. Kal. Ian. edixerat. attamen defuncto Sigiſmundo v. Id. eiuſdem menſis, qui ſuperiore anno pacatis Boemis ac triumphãtis more Pragam cum vxore Barbara ingreſſus quieſcere in poſterum ſtatuerat; Pontifex & Nicolaus ſcribendum exiſtimauerunt ad Garetonium, quæ in eam rem vellent Palęologo renuntiata, vt in ſuſceptis ſemel partibus perſeueraret. Litteræ in hanc ſententiam conſcriptæ; omnium prædicatione Albertum Auſtriacum auguſtæ dignitatis ſucceſſorem Sigiſmundo deſtinari, non minus quam Boemiæ ac Pannoniæ regna iam obtinuiſſet. ac tametſi Auſtriaci & Lutzelburgenſes olim inter ſe pepigiſſenr, vti extinctæ ſtirpis opes alteram ſuperſtitem ſequerentur, & Sigiſmundus iam ante annum XV. Eliſabetham filiam Alberto in matrimonium collocaſſet, iſque ſocero virilis ſtirpis experte duo firmiſſima regna ad paternum dominatum adieciſſet, eam tamen hominum opinionem, quod ad Auſtriacos attineret, magis magiſque percrebuiſſe. ei familiæ non vulgus modo, ſed ipſos etiam ſeptemviros Germanos iam tum deferre

quod

quod primus eo Rodulphus intuliſſet: præſertim quod Imperatorē præualidum rempora poſtulabant. itaque vigere eaſdem cauſas ac difficultates ſublato Sigiſmundo, quæ eo ſuperſtite obſtetiſſent: quin Ioanni metuendum in primis eſſe, ne ſi patribus Baſileenſibus conſentiat, multo ac multo duriores partes ferat. Sigiſmundum animo plane compoſito, priuſquam e vita excederet, in Boemiam feceſſiſſe ocium ac quietem ſpectantem: Albertum, vt qualiſnam futurus ſit primo quaſi rudimento declaret, ſeque non indignum Auguſti ſucceſſorē oſtendat, qui aduerſis iuxta ac proſperis rebus claruiſſet, accuratius omnia inſpecturum, tantum apud Baſileenſes ſibi arrogaturum, vt Græci ſi ad eos ſe conferat, maieſtas admodum vilis ſit futura. redditæ ſunt Garetonio ea de re litteræ tum, cum in Italiam cum Cæſare nauigabat; atque illæ quidem ſuperuacuæ videri potuerunt; ſatis tamen eſt ijs factum, non vt præſcribebant, quippe re non integra, ſed vt viſum eſt opportunius, permultumque ad cetera confirmanda valuerunt. Pontifex factus certior appropinquare Cæſarem
1438. ſequenti anno, qui fuit eius ſeculi duo de quadrageſimus, x. Kal Febr. Bononia Ferrariam proceſſit. paulo poſt affuit Vitellius iuſſus parare, quæ concilio habendo opus forent. is proximis ſex menſibus non ſine aliqua Pontificis ignominia bellum geſſerat cum Tarraconēſi: quippe trans Lirem Capuam verſus cum exercitu profectus Ioannem Intemelienſem, qui Alfonſi partes tutabatur, tanta clade affecerat, vt Antonius Vrſinus Tarentinorum princeps victis auxilium ferre cogeretur. Tarentinum captiuum factum, ſibique maxime inuiſum cum benignius acceptum animaduerteret Iacobus Caldora a Pontificijs ad Tarraconenſes tranſijt. mox mutata fortuna cum ægre ferret regnum in vnius Alfonſi poteſtatem recidere, ab eo ad Vitellium transfugit. & is Salerni obſeſſus inducias cum hoſte pepigit, quo ſub obtentu cum fallere atque excipere regem ſtatuiſſet, noctu ad eum proficiſcentem lux oppreſſit. rex exutus parte impedimentorum fuga periculum vitauit: Caldora fraudis particeps eam nihilo ſecius deteſtatus ab Vitellio receſſit. Facinoris per ſe indigni inuidiam maxime auxerūt ſenatoria inſignia paulo ante ad eū tranſmiſſa, præterquam quod vt prædiximus, erat Vitellius Alexandrinus Patriarcha & Epiſcopus Recanatenſis. Confluente Ferrariam ingenti vndique mortalium turba ad conducendas inſulas, ceteraque concilio opportuna omnium prope vocibus Pōtifex lacerari, qui tantum onus longeque alia perſona dignum Vitellio iniunxiſſet. querebantur tranſalpinos homines haud ſatis æquos ſacerdotibus Romanis, atq; admodum religioſos in his, quæ pertinerent ad formandos exē-

plo

plo mores aliter alliciendos eſſe. hominem tot bellis, tam immanib. factis adhuc cruentum, nec ſine ſtomacho appellandum, qui contra iuſiurandum Tarraconenſem regem ſacra natalis Seruatoris noſtri nocte inſidijs excipere voluiſſet, nec Cardinalem cooptandum, nec eiuſmodi conuentui præponendum fuiſſe arguebant. Pontifex reprehendebatur, quod illis temporibus duo Baſileenſium decreta cõtempſiſſet alterum quarta, alterum tertia & viceſima ſeſſione promulgatum, ne quis interim in ſenatum nec niſi certo ritu legeretur, quem in Vitellio declarando neglectum cauſabantur: propterea eam dignitatem irritam eſſe iuſſerunt. illud quoq; Eugenio vitio dabatur, quod dignis præteritis indigno eum honorem tribuiſſet: quod non cogitaret quam multis ſancta Sedes ſacerdotibus virtute præſtantibus ac præmio conciliatis indigeret. denique nec veterum calamitatum, nec imminentis periculi meminiſſet. At vero indignationem, obliquoſque multorum a principio ſermones compreſſit Vitellij induſtria ac celeritas concilio apparando ſumma cum omnium admiratione ac laude ex vſu & dignitate ſanctæ Sedis, ſimulque complurium theologorum aduentus, qui freti Pontificis verbis & liberum tutumque omnibus acceſſum fore non dubitauerunt. atque hos quidem partim Ateſtini liberalitas, partim fiſcus Pontificius aluit. deinde impetus magis elanguit, omniumque ſtudia ac voluntates tota ciuitate ad conuentum peragendum inclinarunt, quo magis dies appropinquabat ſacroſanctæ Synodi. ea animorum inclinatio argumento fuit quomodo ſolertia, ac quædam quaſi virtutis vmbra grauia atque illuſtria vitia obtegat, & indulgentia ipſa flectat animos, minimeque beneuolas opiniones euellat: vt denique exiguis meritis liberali oratione ornatis maximę atque alte impreſſę labes interdum eleuantur, vel certe minus appareant. Interim Sfortia Venetis ac Florentinis pariter militans vno excepto Caſtellione oppidulo reliqua Lucenſis agri municipia ceperat. Picininus per Sarzanenſiũ ac Pontremulenſium fines profectus Bargam circumuallauerat: cumque eo Ludouicus Gonzaga Mantuani principis filius, qui in Inſubris gratiam domo profugerat. tulit id pater Venetorum Imperator moleſtiſſime, habitoque cum viris peritis conſilio num ob eam cauſam exheredare eum poſſet, quantum per legem licuit filio ademit. at cum Petrus Brunorus vir fortis cum equitum peditumq; manu Sfortiæ iuſſu hoſtem ſparſum ac pene ſecurum de improuiſo oppreſſiſſet, Picininus graui accepto incommodo, & capto Ludouico ſe ſe in tutum recipere conſtituit. Patres, quibus propoſitum erat Mediolanenſium fines omni belli clade vaſtari, vti plebs minime inopiæ aſ-

ſueta, eoque minus Principi dicto audiens futura tumultuaret, Sfortiam ab Florentinis poſtularunt affirmantes Lucenſes ita fractos, vt vel ipſo abſente nihilo plus auſuri eſſent. Hetruſci Sfortiæ manere an abire vellet optionem eſſe dixerunt. ille contra vel quod ita clam cum Florentinis conueniſſet, quo ipſius opera Lucenſes obſeſſos in poteſtatem redigerent, vel quod re vera communi ſtipendio conductus vtriſque cuperet obſequi, nihil priuato conſilio ea de re conſtituturum, ſed quod vtriq; pariter imperaſſent facturum ſe eſſe reſpondit. patres litteras extemplo ad Gonzagam dederunt, exercitum trans Abduam in Mediolanenſem agrum induceret: quod dum exequitur, forte accidit, vt præmiſſo Gatamelata repentino Larij lacus auctu amnis intumeſceret, & compluribus aqua abſumptis equis pons rueret, quo noctu pedites traducebantur. poſt dum Gonzaga oppidula neſcio quæ in Inſula Fulcheria expugnat, Picininus per Apuanos Ligures in citeriorem Galliam reuerſus Venetos inuitos caſtra mutare coegit, atque haud procul Ollio plauſtra numero ad D. commeatu onuſta intercepit, tum complura Bergomatium caſtella vi recepit. Cum res haud ſatis proſpere cederent, Ateſtinus Patres monuit Sfortiam needum plane alienatum in officio continerent; occaſione e manibus emiſſa periculum fore, ne ille aliam conditionem ſibi quæreret: ſe ſi iuberent Regij cum eo de tota re acturum. atque ita Sfortia Nicolai precibus eo venit. Nicolaus autem iam multo ante ilſiuſmodi fœderibus abſtinebat omnibus amicus, nemini ſuſpectus, atque auctoritate abunde pollens conſilio, interdum etiam re opitulabatur. quippe id ſibi propoſuerat, ne quis nimium emineret, ſed æquales omnium eſſent opes: ipſe vero potiſſimum a finitimis metueretur. nec in ſuſpicionem veniebat culta cum vtriſque maximis officijs amicitia; vere enim diſcordias ac bella ſibi profliganda ſtatuerat, vtpote conſilijs ipſius aduerſa: proinde pacem ab eo ſemper agitari omnes cenſebant. præcipue vero gratum erat Philippo, vti medium ſe gereret inter ipſum ac Sfortiam, quod eius ipſius opera hominem captabat nec dum auerſo a Pontifice animo eodem Ateſtino curante; ac ille quidem coluiſſet amicitiam, niſi Vitellius Ferraria Romam verſus proficiſcens ſuſpicionem inieciſſet Picentium ab eo alienādorum, quæ cauſa fuit vt Italianum Furlanum cum DCCC. equitibus eo mitteret. Interim Picininus Florentinis imminens cum exercitu in Lucenſium agrum proceſſit, qui confeſtim Sfortiam accerſiuerunt.

olli

ille, niſi Veneti emerita ſtipendia perſoluerent, venturum ſe negauit. Patribus recuſantibus Philippus hominem ſibi conciliare inſtitit: quod Hetruſci veriti per internuntios cum Senatu agendum ſibi cenſuerunt, ne Sfortiam repulſa irritarent. legatus eſt Coſmus Medices vir tum eximia facundia, tum ingenio ac rerum vſu plane inſignis, quippe qui cum Laurentio fratre in ea vrbe exul multos ſibi amicos parauiſſet. Coſmus Principem coram obteſtatus vti Sfortiæ vel iniuria præterita ſtipendia poſcenti ſatisfieret, atque identidem admonens terrensque, quibus eum ad ſe laqueis attrahere Philippus ſatageret, hoc vnum retulit reſponſum, nolle Senatum Florentinos aliena impenſa Luca potiri. ita re infecta præſens Pontificem orauit, ageret cum Venetis ne Sfortiam ad Philippum tranſire permitterent; vel ipſe quoquo modo odia finiret: Florentinos inopia preſſos quas conditiones aliàs repudiaturi fuerint, tum libenter accepturos. Ateſtinum quoque, vt hiſce poſtulatis adeſſet, rogauit. is tum in gratiam Florentinorum, tum quod Eugenius præ ſe ferret gratum id ſibi fore, rem ſuſcepit, Vgutionemque Contrarium ad Principem legauit irrito euentu; nec enim de primo aut ſecundo poſtulationis capite conuenire vnquam potuit. re nequidquam tentata VI. Id. Febr. Græcus Cæſar & Byzantius Patriarcha Venetias appulſi honorificentiſſime ab Senatu ad Nicolai vrbano in littore excipiuntur, ijsque Ateſtini ædes paulo ante ipſius iuſſu apparatiſſimæ ſunt præbitæ. item Nicolaus quarto poſt die ad vrbem ſe contulit tum vt Auguſtum ſalutaret, tum vt coram omnes ei fortunas opesq; ſuas offerret. poſtera die Cardinalis Sanctacrucius, vnaq; Gradenſium Patriarcha, & Cretenſium Archiepiſcopus Pontificis nomine de ſecunda nauigatione ei ſunt gratulati. inde IIII. Non. Martij Ferrariam venit comitantibus Antonio Heracleenſi, & Gregorio expiandis Cæſaris criminibus præpoſito, qui Patriarchæ Alexandrini vice fungebantur; Marcus vero Epheſius Antiochenum, Doſitheus Monembaſienſis & Dionyſius Sardicenſis Hieroſolymitanum referebant. ſubſequebantur Cæſaris Trapezuntij, Iberorum ac Myſorum legati, ac ferme nobiliſſimus quiſq; ex tranſmarinis regionibus numero ad DCC. dignitate inſigni, vnaq; Auguſti frater Demetrius Deſpotes. Nicolaus ad vicum Francolinum occurrens eum in oppidum deduxit: nec tamen Cæſar ad luculentiſſimas ædes eius habitationi deſtinatas, Paradiſum appellant, noſtra tempeſtate publicum gymnaſium, recta tetendit, ſed in ipſam Nicolai regiam ad Pontificem diuertit.

ille

ille aſſurgens paululum modo obuiam proceſſit, parātemq; procum bere vt pedibus oſcula figeret prohibuit, & familiariter complexus ad læuam iuſſit aſſidere: mox omnes eum Cardinales ſalutarunt. quarto die affuit Ioſephus Byzantius Patriarcha cum perbona parte ſacri cœtus, qui natus annos circiter octoginta, nec ſatis firma valetudine non vt ceteri ad Vicum Francolinum deſcendens reliquum iter pedibus confecerat, ſed ad Ficariolum circumuectus inde ſecundo flumine Ferrariā peruenerat. egreſſum quaterni ſenatores ſumma dignitate, ac Nicolaus, & latini x x v. patres exceperunt, atque in Pontificis conſpectum adduxerunt. Iulianus quoque Cæſarinus Cardinalis, qui ab Eugenij inimicis aperte diſſenſiſſet, Romaniſq; faueret, magna vir eruditione quo Græcorum Latinorumque diſputationibus intereſſet, Baſilea & ipſe Ferrariam acceſſit. paulo poſt affuit Iſidorus Ruthenus Epiſcopus, qui cum honeſtiſſimo comitatu terra iter fecerat. rei diuinæ ſacro Domino reſurgenti die apud eum a x v. ſacerdotibus factæ Nicolaus ac familiares interfuere: Rutheniſque græco ritu ſacroſanctum panem de manu Patriarchæ accepit. Ateſtinus deinde lautioribus epulis animum relaxauit philoſophis alijſque doctis viris adhibitis, qui ſuper menſam inter ſe diſputarent, qua ex re ingenij potius præſtantia, quam ſcientia mirificam voluptatem capiebat: atque ita ad non vulgarem beneficentiam erga viros eruditos comitatem etiam addebat. quamobrem ſcribit Æneas Siluius in Europa ſua Nicolaum exemplo maiorū doctos vehemēter dilexiſſe, atque apud ſe habuiſſe Vgonem Senenſem medicorū eius ætatis facile principem; iuris ac ceterarum liberalium artium peritos magnis præmijs Ferrariæ aluiſſe: Ioannem quoque Autiſpam Siculum humanioribus litteris excultum hominem, eoque nomine fortunis auctum ab Nicolao, & magna animi tranquillitate apud ipſum conſenuiſſe. in hunc eundem numerum refert Guatinum Veronenſem, vnde honeſtiſſima apud nos familia propagata adhuc floret; quem etiam parentem ac ferme præceptorem omnium, quicunque per ea tempora græcas litteras didiciſſent appellat, ſenē omni veneratione ac laude dignum; quique exacta tum prælegendo, tum docendo, ac ſcribendo ætate Ferrariæ vnicum ſenectutis portū reperiſſet cum primis honeſtum, & perſona virtuteque ipſius dignū. idem Siluius eſt teſtis Vgonem, de quo diximus, cum in celebri Peripateticorum atq; Academicorum conuentu quæſtiones in vtranque partem propoſuiſſet, eamque ipſe tutaretur, quam Græci oppugnarent, diſſerendi acumine ſuperiorem magnum latino nomini decus comparuiſſe. Ceterum vt concilij gratia cōcurſum appareret,

quamquam adhuc quidem principum legati ac patres occidentales in expectatione eſſent, cœtu tamen coacto quæ in rem eſſent agi cœpra. principio tenuit contentio, quem quiſque locum ſortiretur in maximo vrbis templo: ibi enim concilium habendum erat. cum principem in ipſo meditullio locum Eugenius et, ſicut conſtat ex actis huius concilij græce ſcriptis, Cæſar ſibi depoſcerent, poſt longam altercationem ſacroſancto Euangeliorum codici altari impoſito is locus eſt tributus; paulo infra Pontificem vacua Germani (vt Græci loquebantur) vt noſtri Romani Cæſaris poſita ſella: dextra læuaque Cardinales, Archiepiſcopi, atque Epiſcopi latini, contra Germani Auguſti ſellam Epiſcopus Byzantius, reliquique Græci patres ordine adſederunt. v. Id. Apr. qui dies in quartam Sacroſanctæ hebdomadis feriam incidit, cum ante in ipſo templo Deum precati fuiſſent, decretum ab ſcriba Cæſaris græce recitatur, quo ille vnaque Patriarcha concilium Ferrariæ haberi placere ſibi teſtabantur; alterum in eandem ſententiam latine ſcriptum populo pariter pronuntiauit is, qui Eugenio erat ab epiſtolis.

FINIS LIBRI SEXTI.

ARGVMENTVM
Libri Septimi.

ECCLESIÆ Orientalis atque Occidentalis mutuæ diſſenſiones & conſenſiones : poſtrema Græcorum a Romana Sede ſeceſſio : quæque ob hanc cauſam in Concilio Ferrarienſi quæſtiones diſceptandæ eſſent : Philippi aduerſus Eugenium motus : Spoletum, Flaminia, Bononia a Picinino occupata : bellum a Philippo in Venetos repetitum ; ab his Mantuano illatum ; Rhodigium Nicolao III. ab iiſdem reſtitutum : oppugnata, obſeſſa, ſimulque Thadæi Ateſtini virtute defenſa Brixia : Concilium ex vrbe Ferraria Florentiam tranſlatum : Græci Romanæ Eccleſiæ conciliati atque coniuncti referuntur. Nicolai de ferenda Brixianis ope conſilium, ſocietas iccirco inita, vtque Picininus ad id prohibendum ſe ſe comparauerit victus nihilo ſecius a Franciſco Sfortia : Verona a Picinino capta, ab eodem Sfortia paulo poſt vi recepta : Picinini in Hetruria, quo ſe contulerat, aduerſa pugna : Maſſa & Balneocaballum a Nicolao pecunia quæſita : Mediolanenſis eius profectio : Blanca Vicecomes Sfortiæ deſponſa Ferrariam deducta, Venetis id matrimonium primo improbantibus, mox probantibus propter exercitus incommoda ad Martinengum : Pax cum Vicecomite, & ſumma ab eo in gubernando Inſubriæ regno poteſtas delata Nicolao : declarati a patre adhuc viuente ſucceſſores poſt mortem Leonellus & Borſius : Neapolitani ab Alfonſo, Picenes ab Eugenio in poteſtatem redacti : nuptiæ Leonelli cum Maria Aragonia : Herculis & Sigiſmundi Neapolim, & Borſij Mediolanum profectio exponuntur. Antonius præterea Bentiuolus captus ac dimiſſus libertatem patriæ reſtituit. Thadæus Nicolaum Picininum, Sfortia Franciſcum eius filium acie fundunt. cæditur Bentiuolus ; quam rem vlti ciues Sanctum Bentiuolum ciuitati præficiunt. Inſuber Bononienſes bello petit : eius exercitus ab Thadæo Ateſtino profligatur. Nicolaus V. Pontifex & Leonellus Italos ad concordiam traducere fruſtra conatur, vtpote interim Philippo vita functo, cuius maiores ordine recenſentur. multis regnum illud ſibi deberi contendentibus Galli, Veneti, Allobrox & Sfortia de eo certant. Medıolanenſes rempub. inſtituunt : plu-

res

res ab ijs populi deſciſcunt; ipſi exercitum Sfortiæ committunt. Veneti cum eo aduerſus Medielanenſes conſpirant. ne Veneti Parma potiantur Leonellus prohibet. Mediolanum obſidetur: populo aduerſus nouos magiſtratus coorto Sfortia introductus Princeps declaratur. Leonello defuncto Borſius ſuccedit. Federicus III. in Jtaliam tranſgreſſus coronatur. idem Borſium Ducali dignitate ornatum multis alijs honoribus cumulat. Veneti ac Mediolanenſes bellũ pace finiunt, eademque mox toti Italiæ communicatur. Jacobus Picininus Senenſes, Alfonſus Genuenſes armis petit. mortuo ſuccedit Ferdinandus filius. multa eo in regno fortiter eum feciſſet Hercules cum Andegauenſi ſe coniungit. Hæc ab inſtituta diſputatione eorum, quæ propter concilium Ferrarienſe vtranque Eccleſiã attingunt, ab anno MCCCCXXXVIII. producuntur vſque ad MCCCCLVIII. quo tempore Hercules relicto Neapolitano ad Gallum tranſiuit.

IO. BAPTISTAE PIGNAE

De Principibus Ateſtinis

AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM

HISTORIARVM

LIBER SEPTIMVS.

IAM ſacroſancti Paſchatis dies præterierat, necdum Baſilea, alijſque locis qui expectabantur religioſi viri aderant. itaque patres conuentibus ex more agendis, concilioq́; auſpicando ea mora interpoſita conferre inter ſe nullo tamen decreto interim perſcripto, atque excutere inſtituerunt ea, de quibus græci atque latini diſſentiebant. quoniam autem controuerſiæ pluribus e riuis fluxerunt, operæ precium videtur, vti apertius conſter quæ cauſa ſynodum Ferratienſem coegerit, exponere ſemina diſſidiorum, quæ Orientis Eccleſias Conſtantinopolitanam, Antiochenam & Hieroſolymitanam ab Romana alienauerunt. e quibus vt nobiliſſima Byzantia poſt ſupremum Patriarchæ decus, locumq́ue Alexandrinæ præreptum ſecundum ab Romana; ita quoque ſeditionum omnium fons atque origo extitit. Diſſidium primus omnium inuexit Arius anno a parta ſalute CCCXXXV. qui patrem vt Deum filio maiorem non modo propter ſumptam humanitatem, ſed etiã propter diuinam naturam aſſeruit. Arij æmulus Euſebius Epiſcopus Antiochenus Iulio Pontifice Romano haudquaquam auctore, vti concilij Nicęni partem eam abrogaret, quæ vnam atque eandem patris & filij ſubſtantiam poſuerat, græcorum cœtum contraxerat: propterea ipſeq́; & eiuſdem opinionis aſſertores a Pontifice cõmunione piorum ſunt ſubmoti. quem errorem fouens Conſtantius ea tempeſtate Auguſtus Euſebio Nicomedienſi cum Antiocheno ſentienti ſummũ regiæ vrbis ſacerdotium Paulo necato contulit. Subſequutus

ſequutus Macedonius inſigni vir impietate, qui ſanctum Spiritum creatum defendebat, multo magis græcos a latinis diſtraxit. Altera facta ſeceſſio anno a Chriſto nato CCCCXXX. cum Neſtorius Antiochia Byzantium accitus noua doctrina in vulgus edita almum Spiritum a filio procedere negauit auctor etiam, vt Maria non Dei ſed Chriſti mater vocaretur, aſſerensque ex muliere Deum nullo modo naſci potuiſſe. quare duas per ſe diſtinctas perſonas Chriſto aliter Dei aliter Mariæ filio affinxit. quam amentiam Celeſtinus Pontifex litteris ad eum ſcriptis fruſtra coarguit. Quarto & decimo poſt anno aucta græcorum & latinorum diſcordia eſt imperitia Eutichetis Abbatis Conſtantinopolitani, cui Dioſcorus Pontifex Alexandrinus aſſenſit. Euriches ſtudio profligandi Neſtorij eo prouectus fuerat, vt ad tollendam duplicis perſonæ diſtinctionem haud contentus ſana doctrina, quæ vnicam hypoſtaſin ex diuina humanaq; natura compactam Chriſto tribuit, extremum æque impium adſtrueret; nimirum vnicam naturam humana, vt primum ſuſcepta fuiſſet, in diuinam mutata. huic cum aduerſaretur Flauianus Epiſcopus Byzantius, & Dioſcorum iudicem poſtularet, cogendum ea de re patrum conuentum ſacerdotes orientis cenſuerunt. Pontifex Leo cum pro poteſtate primas ſibi partes vindicaret, non eſt auditus. quare legati latini Alexandrino ſuperiorem non agnoſcente, vimq; & iniuriam armis tuente confeſtim inde diſceſſerunt. mortuo in cuſtodia Flauiano ſufficitur Anatolius: Antiocheno alius ſucceſſor datur Dioſcori opera, qui ex iudice tyrannus effectus omnes ſententiæ ſuæ etiam inuitos ſubſcribere vi cogebat. Pontifex concilium Epheſinum damnauit, ac Theodoſium Auguſtum eſt obteſtatus, daret operam ne Dioſcorus Dei Eccleſiam turbaret, vtque ad illius errorē confutandum generale concilium in Italia haberetur. Pontifici nullum redditum reſponſum; cum modo Dioſcorus contumelioſis ſcriptis proſcidit, atque execratus eſt omnium primus palam auſus pontificiam auctoritatem allatrare: quinimo vt oſtenderet eum immerito & communem omnium parentem, & conciliorum præſidem haberi, fœtidum caput appellauit. Anno CCCCLXXVII. Acatij Epiſcopi Conſtantinopolitani indignatione noua contentio exarſit. Alexandriæ a pijs Timotheus Faſtialus Epiſcopus, ab impijs ſtabat Petrus Mongius; quem cum Acatius a Simplicio Pontifice Romano & Zenone Auguſto ſede pellendū peruiciſſet, forte Ioannes, qui poſt obitum Timothei ſucceſſerat, litteras vt moris erat de religione populatium ad Pontificem conſcripſit, pariterque eadem de re

orien-

orientales Patriarchas fecit certiores. litteræ ad Acatium datę neſcio quo caſu intercider unt. ille id contemptu ſui factum ratus Ioanni exturbato Mongium ſubſtituendum, alijs Eccleſijs veteribus eiectis nouos Epiſcopos ſufficiendos curauit. Simplicius quidem ſæpe, ſed fruſtra per litteras Acatium monuit, ac poſtremo diris deuouit: Leo autē profanis eum viribus defendit. ita nouis ſubinde errori-bus ſuccreſcentibus cum & ſacri libri deprauarentur, & diuinam naturam mortalium iniurijs obnoxiam fuiſſe Græci aſſeuerarent, eo magis ab romana Sede deſcitum eſt. Anno deinceps DLX. Ioannis Epiſcopi Byzantij ſuperbia nouum intulit certamen. is vrbem regiam ceteris pręſtare, ac vel ipſi Romano Pontifici præſcribere iactans cum omnium Patriarcha atque Oecumenicus verbo non re ipſa vellet dici, concilium in hanc rem coegit, idque nomen ſibi vſurpauit. Pelagius hominem, quique id contra morem maiorum fieri ſuſtinuiſſent, litteris eſt cohortatus errorē abijcerent. ceterum cum poſt Iuſtiniani obitum Mauritius ab Patriarcha ſeductus de dignitate cum Pontifice romano certare in animum induxiſſet, Gregorius, qui Pelagio ſucceſſit, de Auguſta ac Pontificia maieſtate decretū promulgauit, ac tū modeſtiæ ac chriſtianæ humilitatis gratia, tum ad refellendam Ioannis vecordiam reuocauit titulum iam ante ab Damaſo vſurpatum, vt ſe ſeruum ſeruorum Dei nuncuparet: quo reliqui deinde Pontifices ſunt vſi. Patriarcha pari faſtu ac tumore nomen ſemel vſurpatum retinuit, atque ab Græcis agnoſci voluit. Octogeſimo poſt anno Sergius & ipſe turbas cōciuit, qui in Monothelitarum errorem fœde lapſus vnam in Chriſto naturā atq; actionem ſtatuit, Heracliumq; Auguſtum ante de religione recte ſentiētē in eundem laqueū traxit. paulo maiore temporis interuallo Conſtantinus regiæ vrbis Patriarcha Iconomachos ſanctarum imaginū hoſtes, ſimulq; nouū inter Græcos & Latinos diſſidium in medium protulit. DCCCXXX. anno a partu virginis Leo Cęſar eandem prope extinctā imaginum hæreſim excitauit, qui poſt Michaelis cędem imperio potitus hac vna re ſibi maxime placebat, ſi ab romana Sede, quia Auguſtā dignitatem occidenti cōmunicauiſſet, quàm maxime diſſentiret. Annis inde duodetriginta exactis Phocius quo potētior ſacram iuriſdictionem Ignatio ademptā exerceret, Nicolaū, vt falſi Pontificis norā ei inureret, fraude aggreſſus eſt. ſubiecit aūt neſcio quos conſilij nō ignaros, qui quaſi ab multis orientis Eccleſijs, atq; ipſo Pōtifice miſſi peterent, quādo ipſe oīum votis lectus eſſet iudex, de multis magniſq; Nicolai criminibus licet omnino falſis & confictis cognoſceret. nec illud non tenuit, vt qui ad iudicium conuene-

rant clamore expoſcerent hominem damnaret; ita vt Græci ab eo ſecederent, nec Pontificem agnoſcerent. quamquã autem Baſilius poſt cæſum Michaelem ad imperiũ euectus in gratiam Nicolai Phocium abdicaſſet, Ignatiumque reſtituiſſet, quod etiam Adriano II. ratum fuit, Ioanne tamen VIII. Pontifice Phocius, qui Baſilium placaſſet, defuncto iam Ignatio cum oraculum à ſe confictum ita eſſet interpretatus, vt magnam Auguſto felicitatem prænũtiaret, ſolium iterum inuaſit, & adulterinis quaſi conſentientis Pontificis litteris ſibi in pręſentia proſpexit. Phocij præter ſcelera, quæ recenſuimus, multæ ac nefariæ opiniones Baſilio tuẽte receptæ Græcos ab Latinis maxime diſtrahebant. Anno deinde M L. Siculis, quos Conſtantinus Monomachus ſacra paulo precioſiore ſupellectile Byzantium auecta ſpoliauerat, ea de re expoſtulantibus quaſi cum humani generis parente Leo IX. hominem corripuerat: ille viciſſim aduerſus Pontificem coortus quaſi ipſius opera inſularium primo conſternatio deinde rebellio extitiſſet, veterem de Pontificia & Auguſta maieſtate contentionem reuocauit. is furor vſque adeo Cæſarem exagitauit, vt accerſito ad ſe Michaeli Byzantio Patriarchæ auctor eſſet, adorandum ſe tanquam humani generis parentem exhiberet: ipſe vero in ea pompa pedes equi frænum manu prehendit, quodq; ante Pontifici Romano ſolebat obſequium ei detulit, ratus per hunc modum ſummã illam auctoritatem, quam Siculis impertiſſet, a ſe conuelli poſſe. etſi autem Conſtantinum nimio Patriarchæ cultu & veneratione territum, ad quem ex toto ferme oriente gentes certatim vti ad verum Pontificem confluebant, pœnituiſſet eadem in vrbe verſari hominem, qui ſacris interdictis, ac popularium ſtudijs fretus ipſi quandoque grauis eſſe poſſet, ac propterea eum in ordinem coegiſſet, non deſtitit tamen vt quiſque maledicentiſſimis ſcriptis Pontificem laceraſſet, ita maximis eum præmijs remunerari, legeſque ſciuit, quibus romanos ritus ab græcis diſcrepantes, erant autem ij non minus nonaginta nouem, totidem eſſe impios errores iuberet. Quæſtiones diſceptandæ priuſquam patres in conſeſſum irent, conciliumque ipſum auſpicarentur, etſi aliquid commune cum nonnullis ante aliàs agitatis haberent, ex diſſidijs tamen, de quibus ſupra commemorauimus, nequaquam manabant. quippe Arianum dogma Gregorius Nazãzenus cum primum in Conſtantinopolitano ſedit ſolio tum eruditione ſua, tum ope Theodoſij Auguſti profligauit concilio Byzantij habito Damaſo Põtifice. Gregorius quidem quaſi relicta prima Conſtãtinopolitanã ſedem cõſcendiſſet cõtra placita Nicænæ ſynodi vltro dignitate ſe abdica-

dicauit. eam vero excepit aduerſus eadem decreta vnus omnium purus atque integer ab Atiana labe repertus Nectarius needum ſacris initiatus: quæ res vtranque Eccleſiam inuicem conciliauit. Altera quoque diſſenſio intra triennium ſublata ope Epheſinę ſynodi, quæ Celeſtini Pontificis & Theodoſij iunioris temporibus eſt celebrata, damnatusq́ue Neſtorij error. Martiani Cæſaris, & Leonis Pontificis maieſtas concilio Chalcedonenſi Euthicetem & Dioſcorum tertiæ ſeditionis auctores confutauit, atque ad concordiam vtramque Eccleſiam reduxit. Acatij furorem, mutua græcorum atque latinorum diſſidia, quæ annos quinque & quadraginta religionem miſere diſcerpſerant, Ormiſdæ Pontificatus & Iuſtini imperium finiuerũt. Ioannes enim ſacerdotium Byzantij adeptus litteras ad Pontificem dedit iureiurando ſe obſtringens, quos Romana ſedes recepiſſet, ſe quoque recepturum, reiecturum quos ipſa reieciſſet: quod ſi falleret caput ſuum execrabatur. quo facto græci ad obſequium Romanæ Eccleſiæ rediere. Simultas ab Ioanne quinto loco excitata cum vita ipſius repẽte examinati finem habuit: cuius ſucceſſor Ciriacus œcumenici appellatione depoſita Patriarchæ titulo contentus Gregorio ſe dedit. Sextum diſſidium vtpote fouentibus Heraclio & Conſtantino III. eius filio duodequinquaginta annos tenuit; ſed Conſtantino IIII. ſuperioris filio Auguſto, qui ſincerã religionem coluit, ſublatum eſt ſexta Conſtantinopolitana ſynodo. Teraſij quoque Patriarchæ opera Conſtantinus V. & Irene eius mater, ex auctoritate etiam Adriani Pontificis coacto Nicææ patrum conuentu veterem Conſtantini errorem, qui veluti noxium ſemen ſeptimam in religione diſſenſionem produxerat, ſuſtulerunt. Octauum ab Leone Cæſare inflictum vulnus curauit cõcilium Methodij Patriarchæ ſtudio contractum, græcosq́ue & latinos inuicem copulauit. Nec Phocij ſcelus tam alte radices egerat, vt poſt tot ambages, poſt tot fruſtrationes, atque alia ſuper alia mendacia ſtare amplius poſſet. is quidẽ nonum in religionem Chriſtianam errorem inuexerat, ſed ſtatim atque Stephanus Baſilij Auguſti filius ſummum ſacerdotium Byzantij accepit, animi vtrinq; ſunt reconciliati. eum ab Phocio abdicato diaconũ perperam inauguratum quidam cauſabãtur, ſed interceſſit Stephanus Pontifex, permagniq́; ad tuendam Eccleſiæ dignitatem intereſſe exiſtimans, vt quibus locis quiſpiam imperaret, eius propinqui maximis quibuſque honoribus euecti ibi animorum curam gererent, Stephanum ſedem illam iuſſit obtinere: præſertim quod ſi quid in eo commiſſum foret propter leuitatem facile diſſimulari, legibusq́ue ſolui poterat. Poſtremum certamen nõ de nihilo ſuſce-

ptum: quippe Monomachus omnino ſecurus quanti commutatio ſanæ religionis eſſet, propter Siculorum deſectionem non cũ Pontifice modo inimicitias exercuit, ſed etiam ab auctoritate romanæ Sedis ex profeſſo deſciuit. Cum annos amplius centum & quinquaginta viguiſſet ea controuerſia, inita tandem eſt ratio conciliandorum vtrinq; animorum. vt enim ſi verbis nõ niſi de ſacrorum codicum interpretatione agatur, vſu compertum eſt ſanatas praue ſentientium mentes generalibus aut prouincialibus concilijs, admonitionibus, decretis, minis, interdictis Pontificijs, atque alijs huiuſmodi ſacris telis; ita pertinaciæ atq; impotentiæ vni ſibi auſcultãti, rationi obaudienti vi obuiam ire, & ad purum numinis cultum ſanamq; religionem contumaces profanis armis ſubigi par eſt. Quapropter cum Auguſti potius quàm Patriarchæ, ac ſacerdotes græci ambitione ſuperbiaque in populares ſine reſpectu publicæ quietis atque incolumitatis imperij hæreſes amplexi fuiſſent, oportuit prauis principibus ſublatis corruptam quoque ac deformatam, & viribus pollẽtem religionem excindi. accidit autem vt Balduinus e Belgio profectus cum Francis Venetisq; auxilijs ſacrum bellum capeſſeret, ac Byzantium appulſus ab Iſacio & Alexio, quos in regnum reſtituerat, inſidijs appeteretur claſſe tantum non incenſa. quam rem ille armis vltus regiam vrbem ſuæ ditionis fecit; græcis Auguſtis & ritibus exterminatis latinos reges & germanãm occidentis pietatem ſubſtituit, gentemque romanæ Sedi ſubiecit. Ceterum nulli eorum, quorum adhuc meminimus, malorum remedia concilio Ferrarienſi quærebãtur, ſed ijs, quæ poſtea ſunt ſubſequuta, nimirũ poſt regnũ quaſi poſtliminio ad græcos reuerſum. latini cũ annos quinque & quinquaginta Byzantij regnaſſent, Michael Palæologus ope Genuẽſium imperium extortum genti ſuæ reſtituit. ac ille quidem quo in inſtituta a Balduino concordia rectius perſeueraret, Gregorium x. deinde exorauit, vt concilium Lugduni cogeret, & pulſo Ioſepho prauæ religionis aſſertori ſucceſſorem dedit Ioannem Veccum, multos Epiſcopos & Abbates, qui eius concilij decreta nõ recipiebant, partim iugulauit, partim mari merſit. Michaele vita functo filius Andronicus, vt qui præ ignauia domeſticas ſeditiones ſupra modum horreret, tam cupide ad beneuolentiam græcorum promerendam veteres errores arripuit, vt ſublata voce in templo teſtaretur idem ſe cum maioribus ſuis de religione ſenſurum, patrem eiusque auctoritatem ſequutos execraretur, Vecco deturbato idem Ioſephus ſubſtitueretur. huiuſmodi contentio ab anno MCCXCII. ad ea tempora, de quibus nunc agimus, propagata græcos & latinos

inui-

inuicem diſiunxerat, & ſynodo Ferrarienſi congreſſu patrũ vtriuſq; gentis decretiſque ſedanda erat. Diſſidij præcipua cauſa ad concilium Nicænum referebatur, cuius ſymbolo græci aiebant additum ſanctum Spiritum a filio quoque procedere; contra latini defendebant non acceſſionem eſſe ſed interpretationem, nec aliud in quæſtionibus ſuperius notatis frequentius obijcebatur noſtris, quam eos violaſſe concilium Nicænum. quamquam autem hæc ipſa diſſociatio animorum, cui ſynodus Ferrarienſis occurrere volebat, e nulla decem ſuperiorum contentionum manaret, habebat tamen nonnihil commune cum quibuſdam: propterea non abre fuit eas explicare. quippe ab inſania, quæ primam ſeceſſionem inuexit, & filium patre minorem ſtatuit: itemq; ab altera duplicem in Chriſto ac diſtinctam perſonam, nec fluere ab eo almum Spiritum agnoſcente, in fraudem inductus Phocius aperte negauit ſanctum Spiritum a filio exiſtere, aut ab eo procedere. ſane ex Græcorum animis multorum errorum labe expurgatis, ac plerumque cum Latinis congruentibus nunquam Phocianæ ac Neſtorianæ impietatis propagines funditus euulſæ fuerunt. quocirca Andronicus poſtremo Lugdunẽſem ſynodum reiecit diſerte pronuntiantem almum Spiritum a patre filioq; procedere nõ tanquam a duobus, ſed ab vnico principio atq; vt ita dicam ſpiratione. cum aliæ cauſæ ſingulares pro re natę, tum vna in vniuerſum ſemper Græcis ſuppetijt, perpulitque errorem de proceſſione ſancti Spiritus tueri, quo ab Latinorum veſtigijs diſcederent, & ſummam romanæ Sedis auctoritatem declinarent, animi ſcilicet ingenijque elatio, qua ceteris omnibus præſtare, imperare, doctrinamq; impartiri voluerũt vel interdum oblique potius, quàm vt dictabat ratio alienis præceptis, aut doctrinæ auſcultare. eiuſmodi felicitatem permultum adiuuit opportunitas loci: qua licuit gentes ſupra circaque incolentes, ſi forte conſultum de aliqua religionis quæſtione in Italiam tranſmittere cogitarent, apud ſe detinere: Byzantio enim impietatem pertinaciſſime defendente Indos, Iberos, & Armenios deceptos in ſententiam trahebant. in probanda autem peregrinis cauſa ſua Latinos potiſſimum nimiæ atque exactæ diligẽtiæ arguebant, quod rem minime animorum ſaluti neceſſariam retigiſſent: eoſdem eſſe impios affirmabãt, quod decreta veterum conciliorum deprauaſſent; ſeditioſos & ſchiſmaticos, quod expetitibus latinorum conuentuũ græcis patribus ipſi diſſidij ac ſeceſſionis cauſam præbuiſſent. contra noſtri defendebant curioſos non eſſe, qui, quæ fraudem piorum mentibus poſſint obijcere, proſpiciant ac pręmonſtrent, neu quis, quod multi facturi erant, errore abducatur

ſedulo

ſedulo caueant. impiorum numero non eſſe habendos, qui ſacros codices non interpolent, ſed recondita atque implicita promant & explicent: nec ſeditioſos, quãdo ſine magno labore & periculo nullo operæ precio Græci euocari, vixq; in eundem locum conduci potuiſſent: quorum pertinacia, ſi veteres opiniones mordicus tenuiſſent, nec expugnati domum rediјſſent, magnam nomini Chriſtiano offenſionem & detrimentum erat allatura: ita potuiſſe Latinos Græcis inconſultis de religione ſtatuere. et ſi autem Patres in Franciſcanorum ędem concilij gratia contractos contentio in primis de proceſſione S. Spiritus exerceret, non deerant tamen alia controuerſa & ipſa, ne quid dubij ſupereſſet, expendenda. in diſquiſitionem veniebat, num animi corporis labe polluti atque a corpore ſeiuncti expiarentur: expiati aut per ſe puri ſanctique ſtatim in cælum euolarent: azymo ne an fermentato pane res diuina facienda eſſet: num Pontifex totius Eccleſiæ caput foret. Eugenio Ferrariæ concilium ſumme neceſſarium reipub. chriſtianæ habente Baſileenſes, qui moleſtiſſime ferrent tantũ homini tributum, decreto IX. Kal. Ian. promulgato ſacram iuriſdictionem tantiſper ei interdixerunt; mox palam profeſſi ſunt ſe dignitate exuto alterum Pontificem ſuffecturos. igitur Philippus, qui per eandem cauſam Piceutes iamdudum ad ſe traduxiſſet, tum quoque Flaminiam appetiuit: præſertim quod Eugenius Neapolitanis bellis, magniſq́ue & aſſiduis concilio ſuſtinendo ſumptibus ad egeſtatem redactus eſſet, atque in ſummo propter Offidani ſcelera Bononienſium atque aliorum populorum odio. ac quo minore negotio & infamia rem conficeret (videtur enim iniuriæ indignitas creſcere, ſi tum Pontifices lædantur, cum religioni ac bono publico ſeruiunt) per Nicolaum Picininum quaſi priuata ſimultate infenſum Pontificem dolo aggreditur. ſignificauit Picininus, quia ſancta Sedes ab Sfortia indignis modis vexaretur, ſe quoad fieri poſſet illi non defuturum, modo cum Philippo in gratiam rediret. Eugenius reſpondit; ſiquidem pax non conueniſſet, quod Philippus cum Sfortia prope transegiſſet certis quibuſdam & vulgo notis conditionibus, quibus Blanca vxor ei deſtinabatur, ex extremis Parmenſium finibus Firmum viri impenſa, vbi nuptiæ celebrarentur abducenda, ipſum ſibi priuatim conſulere, atq; ad Venetos tranſire debere; quando honeſtiſſimum vt ante locum apud Philippum deinceps habiturus non eſſet. Picininus lenibus verbis fraudem obtegens Italianum Furlanum, quem Anconem profectũ diximus, clam ab Sfortia alienat, ac Franciſco filio adiungit. is Fulginatium & Nurſinorum, qui naturali quodam odio a Spoletinis diſſi-

diſſident, iuuentute aſſumpta aliquot ciuium proditione oppido potitur. pater eodem tempore Fuſignanum & Balneocaballum occupat incolarum voluntate, quos Aſtorgius Manfredus ſollicitauerat: inde Rauénam aggreditur; pro qua Veneti in Oſtaſij gratiam primo exiguo præſidio ductu Franciſci Lauredani, dein multo maiore præfecto Ludouico Molino fruſtra pugnauerunt. Molinus ne hoſtis amnem, qui influit in mare, ponte iungeret atq; exercitum traduceret nauibus obſeruabat; ſed diſploſo maiore tormento pulueris incendio afflatus & diſceſſit ipſe, & milites vltro cuſtodiam deſeruerunt. tranſgreſſus Picininus, ac toto paſſim campo libere vagatus ciues, quos nulla auxilij ſpes ſuſtentabat, ad deditionem compulit: etſi paulo poſt Oſtaſio ſe reddiderunt, qui Venetorum opibus tutus biennio imperauit: mox cum in tãta rerum perturbatione ſufferendo illi muneri nõ eſſet, ſenatus iuſſu in Cretam deportatur. ceterum quod hic nouiſſimus Polentanorum Rauénæ præfuit, perq; auiam ab Ateſtinis originem duxit, quod in alijs familijs eiſdem coniunctis hactenus fecimus, placuit eius ſtirpis ſeriem ſcriptoribus patum notam exequi; præſertim quod Hieronimus Rubeus, qui Rauennatium hiſtoriam diligentiſſime conſcribit, eius indicem ad nos tranſmiſerit. Vido Polentanus eius nominis primus Lambertum, Hieremiam & Albericum procreauit. Albericus Vidonem, cui italica lingua ab intorto & criſpo capillo cognomen fuit, alterius Alberici ac Hieremiæ, itemque Franciſci parentem: Lambertus Vidonem II. genuit: hic Bernardinum, Lambertum III. & Oſtaſium. ex Oſtaſio nati Vido Nouellus, Hieremias III. Attho & Rainaldus Rauennatium Pontifex: ex Vidone Nouello Oſtaſius III. & Lambertus IIII. Bernardinus creauit Oſtaſium II. qui pulſis Trauerſarijs principatum ſibi aſſeruit. is tres liberos ſuſtulit Bernardinum II. qui paternum locum tenuit, Pandulphum & Lambertum III. huius filius Fulco, Fulconis Bernardinus IIII. Bernardini II. Rauennatium principis ſtirps fuit Vido V. Eliſæ Opizonis VII. Ateſtini filiæ vir: quo ex matrimonio nati præter Bernardinũ III. Oſtaſium IIII. & Opizonem ſuo quemq; tempore patriæ rectores Aldobrandinus, Azo, Petrus, & Anglicus. Opizo Oſtaſium V. de quo nunc verba facimus, poſtremum Rauennatium regulum Hieronimi patrem ſuſcepit, in quo familia Polentana prorſus defecit. Vſus fortunæ beneficio Picininus non Foroliuienſes modo volentes in poteſtatem redegit, ſed Bononienſes etiam, quod Pontificis nomen in magno eſſet complurium ciuium odio. erat ei cum Gerardo Rangono homine clientelis præpotente amicitia: per illum quod captabat paruo nego-

negotio eſt conſequutus. namque is Ferrariæ conuenit Raphaelem Foſcararum, perpulitque vt Bononiæ quos ſciret Antonio Bentiuolo fauiſſe, ad res nouandas præſens ſollicitaret. ille negotio alacrius ſuſcepto, quo minus dignitatis domi ſperabat, aliquot nobiles Antonij cædem iniquo animo ferentes ſocios ſibi adiunxit. Ex compoſito Picininus XV. Kal. Iun. caſtra ad pontem maiorem mouit: inde a prætore per caduceatorem deditionem ſibi Pontificij nominis hoſti fieri poſtulauit. reſponſum nullū redditum: tantum magiſtri collegiorum iuſſi plebem armare, atq; ad vim arcendam præſto eſſe: idem honeſtioribus ciuibus imperatum. tota denique vrbe publicæ ſalutis ergô capta arma. ſed Foſcararus egregia inter omnes coniuratos fide ac ſilentio, traductiſque in partes multis tum e Pepula ac Maluitia gente, tum ex Fantucia, Lambertina ac Poeta, alijſque eiuſdem notæ familijs altera poſt aduentum Picinini nocte ciuitatis portas Donatianam & Vitalianā vi reſtegit. copiæ ſub ſignis via Donatiana introductæ cum Pōtificijs tota nocte depugnarunt; prima luce in forum irruperunt. præſes, qui prætorium communierat, ſalutem pactus oppido exceſſit. Baptiſtæ quoque Narnienſi arcis præfecto datæ induciæ ea conditione, vt, niſi toto illo mēſe auxilium ferretur, præſidium deduceret, aureorum nummûm millia ſeptem acciperet. fides vtrinque conſtitit; diſceſſit præfectus, itemque Picininus publicarum rerum Foſcararo vnà cum octo decurionibus, & duodecim plebis tribunis commiſſa, atque Annibale Bentiuolo Antonij filio in patriam reuocato. ſed vt facti inuidiam leniret, per litteras Eugenio perpetuas inimicitias indixit profeſſus adniſurum ſe vt reliquo eum imperio exueret, quod vulgo indigniſſimam ſibi notam inuſſiſſet, quaſi ab Inſubre clam ad Venetos trāſfugere voluiſſet. Pontifici huiuſmodi curis anxio Ateſtinus auctor fuit, quando græci Auguſti copia foret, concilio peragēdo vacaret; quippe vnius diei interuallo vel ſola nominis maieſtate cuncta, quæ amiſiſſet, recuperaturus. ſic aliàs ſæpe ditionem ſanctæ Sedis a multis carptam in integrum reſtitutā fuiſſe: ad hæc profana ſacris poſthabentem magnam ſibi laudem quæſiturum, longe aliter atq; æmuli Baſileenſes cuperent, quibus maxime optatum foret illum bellis diſtineri, vti ex eius ignominia & calamitate ipſi nomen atque opes compararent. Picininus ſub diſceſſum ex Flaminia Franciſcum filiū Spoletio ad ſe accerſitum præfecit oppidis recens ſubactis, ipſe arcano quodam Philippi conſilio inde abjit. etenim Flaminiæ compos, fractoq; Pontifice illatas ſibi iniurias ab Venetis, qui ſuperioribus diebus in ipſius fines impreſſionē fecerant, armis vindicare ſtatuerat.

tuerat. ſtimulabat inſuper contemptus, quod cum Ateſtinus de pace ageret, bellũ ſe malle oſtendiſſet; quodq; ſocio atque amico Pontifice in ordinem coacto, optima cis alpes regione ſpoliato longe firmiſſimum præſidiũ amiſiſſent: deniq; quod nõ ſocietate ſolum, ſed etiam prope amicitia Florentinorũ excidiſſent Coſmo Medice nup ab ſe dimiſſo, cum nihil æqui impetrare potuiſſet. accedebat ad rei benegerendæ ſpem, quod non vulgarem ab Alfonſo gratiam ſe ſe initurum exiſtimabat; ſi quidem bellum Neapolitanum ex ſententia conficeret, quod propediem decretum iri videbatur, cum iam Renatus Andegauenſis Lotharingiæ Dux duodecim longarum nauium claſſe Neapolim appuliſſet. nec deſunt qui ſcribant, Philippũ eo promptius bellum Venetum ſumpſiſſe, quod cum ipſius in primis opera & ſuffragio Amadeus Sabaudus Pontifex Max. renuntiatus fuiſſet, beneficij memorẽ ſperaſſet. at illa dignitas Baſileenſium Patrum munus extitit, qui Eugenio abdicato propter ſuperbiã animumq; ab ſacris auerſum, & concitas in repub. chriſtiana turbas, hunc ipſum Amadeum Felicem V. appellantes ſuffecerunt. is autem ſponte filio regno cedens procul ab terrenis moleſtijs, atq; vni animi ſaluti intentus Ripaliã ſeceſſerat, qui locus eſt ad Lemanum lacũ. nec ſane erat quod Philippus in Pontifice, quẽ Itali nõ agnoſcebant, multũ ſpei collocaret. ſed quod caput eſt Amadeus XVI. Kal. Decẽb. Pontifex renuntiatus fuit: Picininus ſexto ante menſe exercitũ ad Caſale maius adduxerat, cui loco noĩe ſenatus præerat Iacobus Anton. Marcellus. aduentus minime ante prouiſus prętorem imparatũ oppreſſit, atq; Inſubris aĩum prorſus retexit. Federicus Contarenus, ac paulo poſt additus ei collega Andreas Mocenicus cũ Veneto exercitu ad Ollij ripã conſtiterãt, quibus pręliũ nõ auſis poſt diem quintũ, qui fuit ad III. Kal. Iun. oppidani deditionẽ fecerunt. E veſtigio Picininus qua Turricula additur, id loco nomen eſt, Veronenſes ingreſſus fines Aloiſium Vermium cũ ala C. equitum ad oppidi portas iubet excurrere. ſed obuio Chriſtophoro Tolentinate, qui eodem tempore vt ciuibus pręſidio eſſe poſſet, in vrbẽ peruenerat, Riuoltellã ad Picininũ ſe recepit. In hoc rerũ ſtatu Gonzaga iam tũ Inſubris amicitiam ſpectans leniter, atq; vt nobilitate ipſius dignum erat, a ſenatu miſſionẽ poſtulauit. Patres id piniquũ rati in illo articulo Mantuã legauerunt Ambroſiũ Baduarium, qui aliquot dies ibi retentus, atq; incertus Gonzaga reip. militaturus eſſet nec ne, poſtr. Non. Iul. dimittitur affirmãtibus nõnullis miniſtris Principi oĩno ſtatutũ cũ Philippo ſe cõiungere. audita legatione Senatus rei indignitate vehemẽter commotus prid. Id. illius menſis ſciuit, vti ꝙ ampliſſima oĩum, quã

quidẽ hactenus in fluminibus vſi fuiſſent, claſſis aduerſus Gonzagã pararetur, vt Pado amne ad Sermidũ prouecta Philippũ ſocio laturum opem ab Verona & Brixia auerteret, quorum oppidorũ alteri non mediocriter timebant. claſſis intra diem quadrageſimũ e naualibus deducitur. erant aũt myoparones duodeſeptuaginta, leues trìremes quinq; ac totidem celoces ſingulæ binis & vicenis minoribus tormẽtis, vna ſedecim maioribus, tres vero vnaquæq; duodecim inſtructæ. accedebãt machinæ ad trahendas cõtra fluminis impetũ naues paulo impeditiores, & myoparo immanis magnitudinis centũ & quinquaginta trabibus partim abiegnis, partim piceis contextus, ac quinquaginta maioribus tormẽtis, firmiſſimisq; anſis ferreis munitus, quo aduerſo amne attrahi, atq; ad ripas poſſet religari. prætereа antẽnæ L. laminis ferreis cõtectæ atq; vncis præfixæ fuerãt, quæ quidẽ ante claſſem anchoris ſtatutæ hamis ferreis, ſi quid ad naues incendendas flumine demitteretur, interciperent. anchoris catenæ pro funibus erant. ſumma nauigio tũ fuit CLX. prefecto Petro Lauredano: qui cũ in claſſem ad Padi oſtium, Fornaces vocant, tria millia peditũ impoſuiſſet, reliquam manũ vſq; ad millia VIII. ibidẽ operiebatur. Ateſtinus iuſtum metũ ſeſe obtendere poſſe ratus, præſertim quod quidã ſenatores palam iactabant eum, quo rempub. eo redigeret, clam Gonzagæ auctorem ſeceſſionis fuiſſe, & Veneti alioqui ſumma ope bellũ apparantes vnius Melatæ auſpicijs, nullo pretetea paulo nobiliore duce rem geſturi eſſent: ab Sfortia vero vtpote amiciſſimo nullũ non officium ſperans, Guidum Antonium Manfredũ cum mille & quingentis equitibus mercede cõduxit: alios quingentos ipſe conſcripſit: Ferrarienſium iuuentutem armauit: præſidia Mutina atq; Regio accerſiuit: poſtremo Borſium filiũ ex pellice ſuſceptum cum ala DC. equitum, qui erat apud Sfortiam, domum reuocauit, tum vt rebus ſuis conſuleret, tũ vt Venetis ſuſpicionem inijceret coniunctionis cum Philippo. quam ſuſpicionem cum ſedulo aleret, identidem Eugenio adhuc Ferrarie conciliũ habenti inſuſurrans adigi ſe ad Inſubris amicitiã, quod ſenatus nõ admodum equo animo in ſe eſſet, quantũ quidem ex aliquot ſenatorum verbis colligeret: Patres eum p Pontificem conciliandũ ſibi ſtatuerunt. Eugenius tum in Greci Auguſti gratiã, qui tot diſſidia pertęſus abiturum ſe non diſſimulabat, quæ quidem res Felicem illis forte adiunxiſſet; tum quod ſub indictũ Ferrariã ſacrorum procerũ cõuentum prolixe Nicolao fuerat pollicitus, cõmemoratione proximi periculi ppulit Franciſcum Foſcarum, vt VI. Kal. Sept. Rhodigium, totumq; illum tractum Nicolao libere reſtitueret, cuius ille noĩe, vtpote magnam

pecuniæ

pecuniæ vim ab ſenatu ante mutuatus, iam centenas auri libras ſoluerat: reliquum eſt remiſſum Patribus cenſentibus præter fructus iam perceptos abunde ſibi ſatisfactum, ſi ab Philippi ſocietate abſtinuiſſet; ex qua periculum erat ne & Sfortia Blancam vxorem duceret, & ipſi propediem complura oppida ex his, quæ in continenti poſſidebant, amitterent.. ita ſine mora Rhodigium Nicolao traditur. Interim Picininus Melatæ, qui Brixiæ erat, omnes exitus præcluſerat: ille vero oppidum egregie munitum, & ſe cum exercitu ita clauſum animaduertens, vt tritis atque vſitatis itineribus ad ferendã Veronæ opem penetrare nequiret, impedita ac difficillima tẽtare ſtatuir potius, quàm fruſtra ibi ſedere; etſi non ignoraret multorum equorum vexatione & iactura id ſibi conſiliũ eſſe conſtiturum. quippe diſcedens Brixianum agrum ſubleuabat, qui breui ad inopiam commeatus recidiſſet; & Veronenſibus proſpiciebat, quibus annonæ copia erat, militum deerat. Cum rem Brixianam Thadæo Areſtino cõmendaſſet, Tridentum iter intendit, eaq; ſupergreſſus prçruptos montes tandem cum tribus equitum, duobus peditum millibus in Veronenſium fines peruenit partim amiſſis, partim grauiter afflictis, ita vt deinde prorſus inutiles eſſent, equis non minus octingentis. Patres de Melatæ aduentu incolumi exercitu certiores facti e veſtigio imperatorem illum renuntiauerũt, conſtituto in ſingulos menſes D. aureorum nummûm ſtipendio, ipſum atq; liberos inter patritios allectum ciuitate donauetũt. qua re in ſpem adducti non vtriuſq; modo oppidi tuendi, ſed ẽt vlciſcendi Gonzagę, Lauredano imperauerunt, vt cum claſſe, quæ illum cura hactenus detinuiſſet, ſatis ſuperq; propugnatoribus inſtructa maturaret. Ea aduerſo Pado circiter exitum Septembris cum ſubiret Gõzaga, qui interim ad vim repellendã neceſſaria comparuiſſet, ad Hoſtiliam myoparones duodequadraginta diſpoſuit, flumen ab vtraq; ripa quadruplici obice ac munitione additis caſtellis egregie prçſepſit: tum ternas catenas, quæ munitioni quaſi pro vallo eſſent, prætẽdit: ad Sermidum cõplura tormenta in ripa collocauit, tũ vt claſſem arceret, tũ vt pilatum ictibus perrumpere conantẽ depelleret. erat hic magnus ſine dubio propulſandi belli apparatus, ſed ne quem locũ iniurię hoſti potentiſs. relinqueret, aggeres pluribus locis ijsq; depreſſioribus interſcidit, vt latius diffuſæ aquæ plus negotij exhiberẽt trahentibus ex vtraq; ripa naues. additæ ſunt plures rates igne græco materiaq; ad flãmam comprehendendam apta oneratæ, quas in hoſtiũ claſſem ſecundo flumine magno cũ ipſius detrimẽto immitteret. Lauredanus tanti apparatus vim præmetuens ne tentata quidẽ irruptione ad

vicum Ficariolum deflexit, corporeq; ac multo magis animo æger tradita claſſe Stephano Contareno, qui mox Clodiam conceſſit, ad vrbem delatus ſupremum vitæ diem obijt. Nicolaus vbi Venetæ claſſis nullũ eſſe vſum, terreſtres copias perinfirmas cernit, Brixiam xx. armatorum millibus VII. Id. Nouemb. oppugnare aggreditur. adiuuerat conſilium, quod Antonius Beccaria bis mille equitum raptim contractorum incurſione vallem Camonicam occupauerat, irrito plane conatu Franciſci Barbari, Ioannis Comitis, Bartolomęi Culleonis, & Leonardi Martinengi, qui potius regionem illam grauiſſime afflixerant. ipſe Picininus Montemclarum, Roam, Monriculum, Guglagum, Omianum, Brientiam, Trompiam, Iſeum atq; Vrceos in deditionẽ redegerat. Barbarus legatus Martinengos atq; Aduocatos factionum principes affinitatibus cõiunctos in gratiam reduxerat, ac nomini Veneto conciliauerat Paridem Lodronium, qui aliquot non contẽnenda caſtella in eo tractu obtinebat: proinde non fraude ac domeſticis inſidijs, ſed vi atque armis enitendum erat. aduerſus quæ Thadæus Ateſtinus oppido præpoſitus præter mercenarium militem vrbanam iuuentutem ſuccenturiauerat, murorumque cuſtodiam vtriſque ex æquo diſtribuerat. hæc agens circumfuſos complures nobiles ſimul ac plebeios his eſt verbis cohortatus. Merito, fortiſſimi ciues, Inſubris iugum excuſſiſtis, ex quo præfecti ipſius cum omnium veſtrum pernicie priuatis tantum commodis intenti dedita opera inter vos diſcordias alebant. Philippus idem ius non probat: etſi enim ſciat Carmagnolam iamdudum factione quorundam ciuium accitum, omnibus tamen quaſi noxijs, ac tum ab ſe auerſis iraſcitur grauiſſime, atque huic vni iacturæ reliqua amiſſorum oppidorum non ſane leuia incommoda, pericula, atque innumerabiles deinde exhauſtas moleſtias acceptas refert. a Philippo quid in vos ſtatuere debeat admonitus Picininus prope furore amens huc irrupit: ſuper vecordiam eſt, quod militi ſtipendij loco facultates veſtras in prædam eſt pollicitus, & vno atque eodem tempore ex ſupplicio iracundiam, ex præda ſuam atq; militum auaritiam expleat. quod ſi iuſtiſſime atque vltima neceſſitate adacti ſalutem veſtram defenſuri eſtis, vtpote ab auariſſimo infeſtiſſimoque hoſte petiti, an non ſumma vi ſummaque conſtantia fortunas, parentes, liberosq; veſtros, coniuges, famam tueamini ab libidine & cupiditate teterrimi hoſtis non mœnibus, non agris, ſed fortunis, ſed ſanguini, pudicitiæ, corporibus, ac vitæ denique crudeliſſime inhiantis? quapropter cõmilitones atrocis in nos odij conſcij hoſti ſeſe inferenti audacter obuiam eamus; præſertim cum non ignoremus

mus paucos loci, quæ huius eximia eſt, munitione fretos magnas ſæpe copias nullo negotio ſuſtinuiſſe. eſt hoc oppidum, vt ſcitis, cum opere munitum, tum omni ad arcendum hoſtem apparatu inſtructum: ſed vel huiuſmodi præſidijs deſtituto veſtra mihi virtus pulſo ab mœnibus hoſte victoriam ſpondeat. cum huc ſponte noſtra ferri oportet, tum modeſtum Veneti ſenatus imperium, ampliſſima præmia atq; honores viris fortibus propoſiti incitant, quæ recte inſtituta, grauis, potens ciuitas non ipſis modo, qui meruerunt, ſed poſteris etiam largitur. poſſem afferre exempla plurima virorum fortium Veneto atque etiam alieno imperio parentium, quos, cum fortem ac fidelem operam nauaſſent, res ipſa publica magnis beneficijs, atque adeo ciuitate ſuffragijſq; iure eſt remunerata: quos in aduerſa fortuna ſemper texit, in ſecunda ornauit, magnique & grati animi innumerabilibus teſtimonijs eſt proſequuta. ea eſt Patrum Conſcriptorum grauitas ac ſapientia, vt ſi quis forte fortuna minus recte videatur ſentire; vel boni numero præſtent, vel paucorum aut vnius tantũ oratio multorum ſententijs anteſtet. propterea quemadmodum in otio tranquillum ac fœlix Venetæ reipub. in populares eſt imperium; ſic ſuſceptos bello labores perampla atque vltro oblata præmia ſequuntur, quæ mehercule adeo prompta atque parata non temere alibi conſequeremini: quippe quia vix eſt vt, cum plerunque ſucceſſores a ſuperioribus regibus degenerent, ſana atq; incorrupta regnãdi ratio diutius pduret. quis igitur, fortiſſimi ciues, tam iuſta atque honeſta cauſa, tam violenta & crudeli impreſſione ſtimulatus, cum hoc quidem nomine interioris omnis labis expertem ſe validiſſimis præſidijs circumſeptum, & certiſſimis præmijs allectum ſentiat, non ſemilaceris Philippi reliquijs, non ſtolidis Picinini viribus ſeſe opponat? agite cõcordes inter nos omnibus locis hoſtibus occurramus, nullam rei bene gerendæ occaſionem prętermittamus, nec ceſſemus quoad ſpiritus ſuperſit. ita læti alacreſque cum æterna tam præclari facinoris memoria aut moriemur omnes, aut vincemus. hæc magno omnium aſſenſu cum dixiſſet, loca ſuſpectiora circumiuit, quidque vbique fieri vellet imperauit. At Picininus caſtra metatus ad ædes Diuorum Apollonij, Matthæi, & Andrçæ ſingula ibi caſtella communiuit, atque e fluminibus aquas deriuauit. inſuper diſiectis ad Momplanũ fontium cuniculis propugnaculum, itemque alia duo ad S. Crucem & Euphemiam, quæ loca propius oppidum erant, excitauit, colles ab oriente imminentes occupauit. Thadæus priuſquam arctius circumuallaretur, caſtellum Apollonianum, quod Italianus Furlanus tuebatur, cum erumpens

inua-

inuaſiſſet, poſt editam ingentem cædem incolumis in vrbem ſe recepit. Piciniuus paulo poſt decem maioribus tormentis quod muri Mombello & arci interiacet verberauit, reliquas partes eodẽ tempore alijs alibi diſpoſitis haud procul æde Iuliana, munitionemque e regione templi Diui Andreæ inſtitutam, Turremlongam, atque alteram Diuo Apollonio aduerſam quaſſauit: mox a Mombello crebris pilarum ictibus magno cũ periculo petitus tumulum terrenum cœpit excitare: ſed tormenta pro aggere collocata militẽ in eo opere diutius verſari prohibuerunt. Italianus interim gnarus quanta vis eſſet tormentarij pulueris, cum propius oppidum denos paſſus cuniculo ſucceſſiſſet, fulturis caſtellum ad Diuum Andream cõmunitum ſuſpendit: contra Thadęus quantum muri patet a Mombello ad Petri fanum milite firmauit, ac qui cuniculum iam ſubierant, cecidit. nec tamen ſubtractis tignis (nempe ars tum primum illa ætate in vſum reuocata rudis adhuc atque inchoata erat) murus cõruit. Iam Picininus tormentis aliquantum profecerat, cũ extremo Nouembris die aggerem Mombellianum adortus vi cepit. mox tracto in meridiem certamine ad Rauarottum, erat id præſidium turris obiectæ templo Apolloniano, quæ diu quaſſata prociderat; ibi aliquandiu irrito conatu & quadringentorum militũ cæde pugnans tandem receptui cecinit. auctus nouo ſupplemento & tormentis mœnia duodecim dies continenter percuſſit, aggeres ad aſcenſum difficiliores complanauit, foſſas oppleuit, murorũ fundamenta dolabris ſubruta ne extrorſum ruerent tignis offirmauit; quo facto quam facile in oppidum irrumpere liceret, ſatis aperte Thadæo oſtẽdit. is interim tricenos paſſus a muro receptum ſibi ac ſuis perpetuo labore parauit. tertio & decimo die xv. armatorum millia æquis partibus diſtincta ad Mombellum, Turremlongam, atq; Rauarottum multo acerrimam oppugnationem inſtituerunt. Atteſtinus primo agmini oppoſuit Iacobum equeſtris ordinis in Hiſpania natum: alteri Andream Leonem & Meinum Lugienſem: ad Rauarottam curare iuſſit Gerardum Dandulum: ipſe, quia locus maxime periculoſus erat, haud longius ab eo diſceſſit, equitatum in foro Boario continuit. legatus in ipſo pugnæ ardore loca minus tuta, qua perrumpere poſſet hoſtis, oculis luſtrabat; Chriſtophorus Donatus prętor vnde minus diſcriminis oſtendebatur, circumibat: Andreas Valerius ſtationem in foro habebat ad ſubitos caſus paratam. Picininus ad Mõbellum mœnia ſumma vi adortus non minore virtute ab ijs, qui Turremlongam tutabantur, repulſus rem omiſit. Furlanus fulturas quidem, quibus ſubruti muri nitebantur, vt in interio-

teriorem aggerem procumberent, ſubduxit: ſed oppidani contrarijs tignis oppoſitis aliter atque ipſe putauerat, eos extrorſum proiecerunt. ceterum haudquaquam animum deſpondens & ad Rauarottum conuerſus ſumma vi locum inſtitit oppugnare; quod niſi Scaramuccia Foroliuienſis cum aliquot cohortibus Bergomo ſubmiſſus eodem tempore in oppidum ſeſe intuliſſet, & cum Thadæo coniunctus hoſtem repuliſſet, in magno res diſcrimine vertebatur. Poſtera die Picininus Turremlongam egregijs propugnatoribus inſtructam non fruſtra modo, ſed etiam cum aliquo incommodo ten tauit. quippe irrito incepto milites ſegniores in poſterũ efficiebantur: & Furlano Rauarottum iterum aggreſſo principio lętior fortuna arriſit. nam cum inter ruinas & caua ædificiorum, ita vt ab obſeſſis conſpici non poſſent, D. grauis armaturæ milites iuſſos equos dimittere condidiſſet, poſt lectiſſimis peditibus locum eſt adortus, dum ciues eam vim propulſant, qui in inſidijs delituerant tegentibus latera iaculatoribus (erant tum in vſu paruæ fiſtulæ ferreæ inſtar maiorum tormentorum terebratæ, quas qui geſtabant ab ſtrepitu eiaculatę glandis italico vocabulo ſcloppettarij dicebantur) cum ad murum ſucceſſiſſent multis interfectis tum mercenarijs tum ciuibus reliquos ſparſo igne fuſili loco ſubmouerunt. Thadæus cum ijs tur mis, quas in foro Boario conſtitiſſe diximus, ac ciuium maxime im pigris eo cum accurriſſet, breui, ſed ad perſuadendum, ita vt a circumfuſis exaudiretur, accõmodata oratione omnium animos inflãmauit, in eo exitium ſalutemq;publicam verti dictitans, monenſq; conferti hoſtem a limine prope captæ patriæ proturbarent: ipſe for tiſſime prælium ciens reliquos ſic accendit, vt præter ciues ipſi mercenarij compluresque mulieres adductæ exemplo Brailæ Lodroniæ, vt eſt auctor Helias Capreolus, ne reſpicientes quidem, nedum territæ propinquorum ante pedes cadentium cæde, iaculis atque igne hoſtem per ruinas præcipitem egerint. Picininus deſperata oppidi expugnatione XIII. Kal. Ian. exercitum abduxit, ex quo bis mille & quingentos milites deſiderauit: ciues mille & octingenti, milites du centi vulnerati. caſtellis, quæ ad Momplanum, Sanctam crucem, atque Euphemiam extructa vrbem vehementius premebant, egregie munitis tormenta in proxima loca reiecit, ibique hibernare cõſtituit, vti oppidum obſideret, & commeatus intercluderet. Vndecimo die priuſquam Picininus a Brixiæ mœnibus diſcederet Thadęi maxime opera repulſus, quod ſummum decus illi peperit, Patres, qui alterum iam menſem conuentibus peragendis exegiſſent, decimum quintum habuere, quo Ferrariã relinquerent graſſante iam ob con-

uenarum

uenarum multitudinem peſtilentia, quæ & græcum ſacerdotem nõ obſcuri nominis abſumpſit. nec luem ſubſequuta hiems mitigauit vtpote fœda ventis autumnalibus. actum quoq; eſt de concilio Florentiam transferendo: poſtremo conuentu decretum tantum promulgatum, quo Pontifex & Auguſtus declarauerunt vtriq; Florentiam probari, quando iuſta in primis cauſa ſynodum aliò cogeret. Patrum vtriuſque gentis congreſſu, quod futurum præuiderat Eugenius, Græci ſunt conciliati non ab Latinis ſuffragiorum numero, quibus longe præſtabant obruti, ſed domeſticis ac familiaribus colloquijs allecti non quo quidquam in vniuerſum ſtatueretur, ſed vt controuerſiæ quaſi proludendo exagitarentur. haud ſecus priuati conuentus in Franciſcanorum ęde eo tantum ſpectauerant, vt Græci ſuorummet ſcriptorum auctoritate adducti reſipiſcerent Athanaſij, Cyrilli, Dydimi, Chriſoſtomi, maxime autem Baſilij magni tum eruditione tum ſanctitate vitæ viri probatiſſimi. Græcos III. Id. Ian. anno a ſalute parta XXXIX. ſupra MCCCC. Ferraria profectos pecunia 1439
aliјſque officijs coluit Eugenius. ipſe quinto poſt die veluti per Flaminiam iter facturus, quo ad conſilium diſſimulandum magnam priuati inſtrumenti partem præmiſerat, repente ad Finale municipium ac Mutinam ſe conuertit, perq; Frinianum in colles Piſtorio imminentes proſequente vſque ad extremos regni fines Leonello Nicolai filio euaſit. Quamquam autem Nicolaus vtrique parti amicus toto bello abfuturus, nec Rhodigium traditum eius quietem interpellaſſe videretur, coactus tamen eſt alteri ſeſe adiungere. cauſam præbuere Veneti, qui viribus nequaquam hoſti pares cum recta Brixianis opem ferre nequirent, per Benacum lacum totum prope ab Gonzaga occupatum fruſtra perrumpere tentarunt. iuſſerant Patres aduerſo Atheſi Veronam, mox ad Ternum LX. millium paſſuum interuallo ſubire longas naues duas, ſpeculatorias biremes tres, quinque & viginti diuerſi generis nauigia, inde partim ſubiectis rotis, partim vehiculis impoſita ad propinquum lacum, Diui Andreæ vocant, adduci, colleq; ducentorum in altitudinem paſſuum exciſo ad ſaxeam rupem admoueri, ea pariter ferro edomita ad pagum nomine Nagum, mox in Penetræ iugum machinis attolli, poſtremo in ſubiectam planiciem ſpatio non minus mille paſſuum demiſſa in Benacum deduci. res admodum ardua complures dies, magnáque pecuniæ vim nequicquam abſumpſit, quod Gonzagæ apparatum nullo modo æquare potuiſſet, cuius claſſis maior atque inſtructior cum ad Riuoltellam ſtaret, Veneti in hoſtium conſpectum procedere non auſi ad Turbulas reuertuntur, caſtraque naualia vallo atque ad por-

ad portam, quam in poteſtate habebant, addito caſtello egregie fir mant. apparebat vix fieri poſſe, vt ea obſidio leuaretur, omnemq; ludi operam ſine terreſtri exercitu; ac niſi Patres alia præſidia compararent, periculum fore ne Brixia, ſimulque reliquo in continenti imperio exciderent. Ateſtinus gnarus Philippi animum nunquam conquieſcere, ac ſi viciſſet, victoria de hoſtibus parta non contentum amicos quoq; agitaturum, quod ſæpe aliàs temere feciſſet; tum pro more ſuo cupidus italicæ quietis, in primis vero vt ex ijs, qui plurimum poſſent, nullius opes magnopere eminerent, Patres ſubmonuit, quod Sabellicus quoque rerum Venetarum & illis temporibus æqualis ſcriptor memoriæ prodidit, vti Sfortiam ad ſe reuocarent: quæ res ijs ſaluti fuit. id cũ ſedulo Ateſtinus eo nomine ageret, adhæc contemptus a Philippo, qui Sfortiam toties pactis filiæ nuptijs poſtremo per ipſum decepiſſet, quo res faciliorem exitum haberet, nec ſenatui modo, ſed Franciſco etiam, cuius amicitiam longe plurimi faciebat, gratificaretur, cõſilium ei ſuum ſtatuit aperire plus minuſue, pro vt hominem affectum deprehendiſſet, ea de re apud Venetum laboraturus. Extabat Inſubris contumelia in Sfortiam, ſpes prope nulla ſucceſſionis; præterea exiguo modo Florentinorum ſtipendio magnum equitatum alere, compluraq; in Piceno præſidia ſuſpectis Eugenio & Alfonſo Tarraconenſi tueri cogebatur. eiuſmodi anguſtijs circumuentum aggreſſus Nicolaus monere cœpit Philippi verbis edictas, atque apud Firmanos apparatas nuptias, vocatos amicos, eandem ob cauſam populares lautius veſtitos: quo plura atque illuſtriora egiſſet, eo teſtatius ludibrium eſſe. ad ſuperbiam accedere deridiculum minime illud quidem obſcurum modo excuſantis puellæ valetudinem, modo cauſantis anni tempus itineri incommodum, modo alias atque alias plane abſurdas nectẽtis moras. poſtremo ludere Philippum & ſimul odiſſe exiſtimantem cuius virtutem ſuſpiciat, eo ſublato longe auctius imperium ſibi futurum. Picinino Braccianorum vindici exercitus præfecturam delatam, eius auſpicijs omnia ſibi procliuia ſpondere: poſt captam Brixiam rerumque ſummam in citeriore Gallia Mantuano demandatam militum robur in Picenum mittere. id adeo vulgo percrebuiſſe, vt Picininus palam cauillatus fuerit ſe nouam nuptam, milites pompę atque apparatus teſtes ac miniſtros futuros, magno ſibi comitatu ſponſum Firmi conueniendum, vti coram oſtenderet, cuiuſmodi nuptias Philippus ei paraſſet. ſubiecit non iuſtæ modo vltionis poteſtatem fore, ſi ſe Venetorum ſtipendio

addixiſſet, ſimulq́ue alij tum liberi populi tum reguli conſpiraſſent, quo Picinino obuiam iretur, atque omnibus teſtarum foret fortiſſimum virum immerito iniuria affectum: ſed quod caput eſſet, neceſſario futurum, vt pecunia in militẽ pręſidiúq; in regnum tuendũ ſuppeteret,& a Philippo id vi exptimeret, quod viri maxime conſentaneum vltro facere abnuiſſet. addidit eo vehementius ſe inſtare, quod contumeliæ nonnihil ad ſe quoque redundaret, qui petente Inſubre de nuptijs egiſſet, ac multa Sfortiæ ipſi recepiſſet, quæ dein de culpa ipſius ad irritum cecidiſſent, ac quaſi riſu exciperentur. Nicolaus vbi conſilium Sfortiæ omnino probari intelligit, Venetis demonſtrat quantopere eo viro indigeant tum propter ſingularem rei militaris peritiam, qua haud dubie Picininum æquet,tum propter priuatum veteranum militem tot tantisq́ue victorijs inclitum: quàm denique afflicta non ſine metu maioris calamitatis ſit reipub. fortuna. erat ſane probabile Patres ab Sfortia nonnihil abhorrere, quod interdum viſus eſſet Florentinis plus tribuere. ceterum eiuſmodi depulſa cura vt hominem ad ſe perlicerent ingens neceſſitas expreſſit: ad hæc Pontificem de ineunda ſocietate per Ateſtinum compellauerunt tum mutuæ ſecuritatis ergô, tum vt ipſe Flaminiam Inſubri extorqueret, eademq́ue de re cum Florentinis egerunt. Eugenius, qui tum in ea vrbe cœptum Ferrariæ concilium petacturus nihildum de religione ſtatuerat, ſtatim conditionem accepit, idemq́ue Hetruſcis perſuaſit adiutoribus Laurentio & Coſmo Medice totius ciuitatis longe principibus, quorum opera Veneti quoque plurimum vſi ad amicitiam ſanciendam Iacobum Donatum eo legauerunt. Idib. Februarij vtraque reſpub. Pontifice atque Ateſtino ſocijs priſtinum fœdus in quinquennium renouauit, Sfortiamq́ue cum quattuor equitum, duobus peditum millibus mercede conductum omnium copiarum Ducem renuntiauit. Nicolao permiſſum, vt communi vtriuſque reipublicæ impenſa Borſium filium cum mille equitibus, Guidum Antonium Manfredum cum ſeſquialteris, & præterea trecentis peditibus apud ſe retineret. Poſt fœdus euulgatum Picininus, priuſquam Veneti maiores copias contraherent, in intimis eorum finibus magnum aliquod facinus patrare ſtatuit, vt cum ad reliqua citerioris Galliæ oppida difficilius ſubſidia dimitterent, ea deinde minore negotio in poteſtatem venirent. huc, quod ex vſu ipſius eſſet, inclinabat Gonzaga; quippe qui Veronam, quantumq; agri Atheſim & Mincium interiacet, imperio additurus eſſet. ea cauſa extitit, cur Veronam, Vicetiam, & Pata-

& Patauium tentarent. itaque duodequadraginta Mantuani nauigia in Atheſis ac Tartari ſtagna ſita Padum inter ac Lemniaeum deduxerunt de induſtria vitantes Andream Donatum & Hieronimum Contatenum, qui in Atheſi ad eam nauigationem intercludendam ſtationem habebant. id quoque vt prohiberent, ad vicum Caſtagnarium & Maloperam reſtitutis fluminis aggeribus, vnde paludes excreuerant, claſsem & ipſi celocium lintriumque complurium obiecerunt præfectis Marino Molino & Ludouico Contareno; Atheſis cuſtodiam Donato mandauerunt. Picininus ad Caſtagnarium progreſſus cum obiectas a Molino & Cōtateno munitiones expugnare non poſſet, ad Maloperam ſe conuertit, eaque Atheſim inuectus cum nauigijs octo duas cohortes ſuper ripam expoſuit. ſed ingruente ferociter hoſte Ceredam ac Sanguinetum, qua ab parte claſſem Benaco initio mouerat, redire eſt coactus. poſt Gonzagę naues in Tartarum, atque inde in paludem Buſſam nomine propelli iuſſit: coactis agreſtium ſex millibus foſſam ad Atheſim vſque perducendam curauit. quam cum Veneti identidem opplerent, veterem, cuius quidem alueus obſoleuerat, reſtituit, atq; ex torrente Panego & circumiectis paludibus aquas deriuauit. ſed ne hoſtes hoc quoque opus impedirent, ad Anglatium pagum haud procul Lemniaco caſtra poſuit, & in ripis Atheſis quadraginta tormenta collocauit. ita foſſę ac torrentis opportunitate naues deinde Atheſim ſunt inuectæ. Darius Maripetrus cum myoparonibus XXXV. ex Lauredani claſſe Id. Apr. Lemniacum venit. inde adiunctis leuioribus Molini triremibus (eius collega Cōtarenus, dum Picininum perrumpere conantem fortiter repellit, ictus ceciderat) nauigia quinque Panegi torrentis oſtium iuſſit obſeruare: quibus a Picinino captis cum in reliqua tormenta diſploderentur, ſtrepitu potius, quàm vllo territus incommodo ne hoſtis quidē conſpectum tulit, ſtatimque terga dedit. Melata receptu claſſis & ipſe cum ad ripas Atheſis equitum millia octo, peditum ſex in caſtris haberet, priusq̃ hoſtis pedem in ſicco poneret, retro ceſſit. Picininus vnàq; Gonzaga ſine certamine flumen tranſgreſſus Lemniacum in ditionem redegit captis Federico Contareno & Andrea Mocenico: mox Caſtrumbaldum. deinde caſtellis agri Vicetini & Veronenſis potitus pręſidium impoſuit Leonico, Brandulæ, ac Suauio obiectis Melatæ, qui cum exercitu ad Montagnanā intra Meduaci clauſtra ſe cōtinebat. interim Sfortia ex Flaminia Ferrariā cum ſex millibus & ducētis equitibus, mille & ſexcentis peditibus profectus a capite Gauri in

Patauinorum fines traiecerat quattuor inſtitutis pōtibus: primo ad Gaurum Padi oſtium duabus & triginta nauibus quinûm inter ſe pedum interuallo, quas quidem tabulis ac terra inſtratas anchoræ firmabant: altero ad Fornaces, id quoque Padi oſtium eſt, nauigijs quadraginta addito præſidio duodecim myoparonum: tertium pontem ad foſſiones Atheſis quattuor & viginti: poſtremū ad Brōduli æſtuaria duabus & nonaginta Clodianorum nauibus impoſuit. ab foſſa Clodia per paludes millia paſſuum octo trecentis ſcaphis ad oſtium Meduaci deuectus in agro Patauino exponitur, ſeq; XIII. Kal. Aug. cum Melata ad Montagnanam ſtatiua habente cōiunxit. inde Leonicum obſidione cinctum vltro in deditionem accepit, atque alia Vicetini agri complura caſtella ſubegit. ceterum nihilo minore Brixianorum inopia cum Suauium aliquandiu circumſeſſum, permultaque finitima oppidula recepiſſet, clauſos tandem commeatu ſtatuit ſubleuare. itaque magnam frumenti vim ad Turbulos & Penetram contraxit, & quo facilius ea tranſiret, Guerrerium Martianum, Ioannem Comitem, Deoteſaluū & Craſſum propinquam caſtello Lodrono vallem iubet inſidere. Picininus ad intercludendum iter relicto ad Ripam Gonzaga ipſe cum turma centum equitum, peditibus quadringentis per vallem inter Theniū & Lodronum poſitam profectus ſubſequente pari cum peditum numero & centum amplius equitibus Aloiſio Sanſeuerino præter incolas Inſubris ſtudioſos prima luce Venetos adoritur. pugnatum eſt aliquandiu acriter; tandem victoria ad Sforciam inclinauit. Aloiſius Modernum cum equitibus viginti profugit: Picininus a Germano famulo in Ponalem collē primo ſublatus, deinde ad Larium lacum deportatus nauicula ad Mantuanum incolumis euaſit. dein quo Sforciæ tutius obſiſteret cum maioribus copijs Thenium contendit, Carolum Gonzagā cum equitatu ad tumulos diſpoſuit, ipſe cum peditibus fauces imminentes viæ, qua aditus eſt in vallem Lodroniam, inſedit. eo cum veniſſet Sforcia periculo cōmotus Troilum Flaſcum & Nicolaum Piſanum equitum præfectos hoſtium alæ ab Ripa Thenium eunti iubet occurrere. reliquis ſubſidio accurrentibus Sforcia nudatum equite peditem inuadēs celeriter in fugā dat; equitatus pariter ſecundum prælium facit, aduerſarios fundit: inter ceteros venere in poteſtatem Cęſar Martinengus & Carolus Gonzaga, qui famulo Angeli Simonettæ Sforciæ ſcribæ ſe ſe dedidit. Picininus ex fuga Thenium elapſus, ac metuens ne exitus præcluderetur, dum quidam milites ex vulneribus defuncti ad ſepulturam efferuntur, ipſe linteis inuolutus ab illo ipſo Germano, cuius paulo ante me-

te meminimus, pro mortuo ſublatus ad Ripam peruenit. victor Sforria libero iam aditu cõmeatum Brixiam ſubmiſit ac Thenium obſedit: ibi dum hæret, Picininus & Gonzaga ab Ripa Piſcheriam nauigant, accitoque celeriter ex agro Brixiano equitatu & peditatu, qui ad Viſagum erat, ac præterea lectis Mantuæ cohortibus XIII. Kal. Decemb. noctu de improuiſo arcem veterem negligenter cuſtoditam Veronæ occupant. inde Zenonianum vicum & proxima veteri caſtello, ita aliam arcem appellant, in prædam vertunt. ac tum Aloiſius Vermius ædes ſuas ante ab ſenatu Melatæ dono datas non ſine gaudio eſt ingreſſus. prætor ac reliqui magiſtratus Veneti in arces veterem ab ſe retentã ac Felicianam, aliaque vrbis munita loca euaſerunt. cuius ex fœdere ſibi traditæ poſſeſſionem dum Gonzaga accipit, Iuriſconſultus Madius vaſtitatem ab eo eſt deprecatus. homini vero nihil fuit antiquius, quàm primo quoque tempore portas turreſque pontibus imminentes, quibus iungitur Atheſis mediam prope vrbem interfluens, in poteſtate habere, militem cogere, foſſa, valloq; veterem arcem ac Felicianam ſic circũuenire, vt foris intromitti auxilium nequiret; quibus rebus adminiſtrandis Ioannes ipſius frater mortem occubuit. Sfortia ad primum captæ Veronæ diligentiæq; ad eam tuendam adhibitę nuntium cũ expedito agmine profectus, vtpote relictis ad Turbulum impedimentis, quo loco fluminis aquæ opere manu facto ſuſtinentur, cum veniſſet intendẽte celeritatem rei magnitudine Atheſim tranſmiſit. quarto quàm vrbs capta fuerat die Felicianam arcem eſt ingreſſus ſubitario ponte; nam Gonzaga veterem cremauerat: ſtatimque aliquot cohortes ad laceſſendum ac diſtinendum hoſtem in oppidum miſit. interim Troilus Ciarbelonus & Catabriga per Epiſcopi quam vocãt portam ab ipſis ciuibus ſunt introducti. Sfortia ponte ex nauibus confecto tranſgreſſus cum nouus intercidiſſet, quo reliquæ ipſius copiæ in vlteriorem ripam traiecerant, cum ijs ſe cõiunxit. Gonzaga aliquot prælijs inferior cum ſuis in eam arcem compulſus, quam primo fuit to occupatam diximus, inde ante ſecundam vigiliam Vallegiũ profugit. ijs certaminibus deſiderauit Mãtuanos mille, auxiliares trecentos equites, pedites quingentos. Dum hæc geruntur Picininus Brixianos fines ingreſſus Valfrancam curtam euaſtat, & Sfortiam ſubigit per alpes Tridentinas cum parte exercitus eo mittere Ciarbelonum. is magna cũ montanorũ multitudine nocto caſtra Picinini adortus eũ fudit ac fugauit, multis impedimentis ac trecentis equis exuit. itaque ille quo hoſtem Brixianorũ cura auerteret, Non. Febr.
1440 anno eius ſeculi quadrageſimo Mantuano & Furlano, Vermioq; &

Sanſeue-

Sanſeuerino ad Ripam relictis cum equitum ſex millia, peditum dimidio minus Padum traduxiſſet, Bononiam peruenit ea ſuperaturus alpes, quæ Flaminiam & Hetruriam dirimunt. ſaltum vulgo Diui Benedicti appellatum præſidium obſepſerat, itaque Maratenſem ſuopte ingenio prope inexſuperabilem, ſed parũ ſtrenue defenſum perrupit, agrumq; Mugellanum Feſulas vſque tertio ab Florentia lapide eſt depopulatus. Eugenius, qui poſt cõcilium dimiſſũ, poſt Græcos, Armenios, & Iacobitas in Latinorum ſententiã traductos adhuc Florentiæ cõmorabatur, quod ante neglexerat, facere tandem in animum induxit. quippe ille vnàq; Nicolaus amicitiam quidem iunxerant, ſed præfectos aut milites aduerſus Philippum bona cum Venetorum ac Florentinorum gratia minime præbuerant. tum vero Picinini audacia ac proprio periculo permotus, quippe oppida pontificiæ ditionis in Hetruria ab ea flamma minimum abfuerant, haud parce Florentinis eſt opitulatus; qui & ipſi in finibus Aretinorum exercitum hoſtili nihilo minorem contraxerunt. dimidiæ parti præfuit Ludouicus Patriarcha Aquileienſis, reliquis Michael Attendulus Sfortiæ in Piceno legatus, necnon Petrus Ioannes Paulus Vrſinus Florentinorum præfectus. Per eos dies Borſius Atestinus Hetruſcos, vt ipſorum auſpicijs militaret, accerſentes ea excuſatione reiecit, quod iam a patre commeatum petijſſet ad Inſubrem profecturus. illi nullum amplius verbũ addiderunt, quod ante magnum polliciti ſtipendium nihil vnquam præſtitiſſent. Itaque poſtr. Kal. Maij internuntio Ioanne Tuſcanella præfecturam quingentorum equitum grauis armaturæ, & trecentorum peditum tribunatum ab Philippo obtinuit mutuatus aureorum nummûm millia viginti, cuius pecuniæ dimidia pars intra diem decimum, reliquum intra menſem numeraretur. ea vero cõditione munus illud eſt ſuſceptum, ne cogeretur non modo arma aduerſus patrem ſumere, ſed etiam ſi res poſceret, illa ipſa manu ei ſuppetias ferret: ſimul ampliſſima in milites poteſtas tributa, multaque alia eius ipſius libero arbitrio cõmiſſa fuere. Picininus Peruſia, quæ illi patria erat, Archiepiſcopum Neapolitanum Pontificis legatum exturbauerat, magiſtratus arbitratu ſuo creauerat, populatusque Tifernatium agros ad Burgenſes exercitum adduxerat: inde Iunij exitu profectus vti hoſtem ad Anglare caſtra habentem de improuiſo opprimeret, haud fefellit Attendulum, qui cum pontem neſcio quem cepiſſet, vtriq; exercitui ſpatium fuit dirigendi acies. cum dubia victoria aliquot horas dimicaſſent, tãdem Picininus haud magna clade profligatus cum aliquot turmis integris Eugubium petijt, ibique collectis ex fuga militibus ac reſti-

tuto

tuto exercitu in Flaminiam, deinde in Galliam togatam reuertit. Aquileienſis Peruſinis & Burgenſibus receptis, additiſq; ad veteres copias M D. equitibus, CCCC. peditibus III. Non. Septemb. ad Forûliuij caſtra poſuit: cum ſe ibi fruſtra aſſidere animaduerteret, quod Franciſcus Picininus ciues in fide contineret, aliò ſe conuertit; prætereq; Bagnaiam, Viuanum, Mordanum, & Caſtrumguelfum, Balneocaballum & Maſſenſes occupauit; quæ duo poſtrema oppidula Nicolaus de Pontifice illo ipſo menſe comparauit. Ateſtinus animo voluens quo alter alterum redegiſſet, & Philippo edocto quanta iactura Sfortia careret, pręterquam enim quod cum magna exiſtimationis labe fidem non præſtabat, plus incommodi ex eius vnius virtute, quàm inimicorum omnium conſpiratione capiebat, peruicit, vt non modo curam intermiſſam ſuſciperet ſed etiam fateretur ſe erraſſe: itaque eiuſdem matrimonij gratia Mediolanum accienti bona cum ſociorum, non æqua tamen omnium venia morem geſſit. congreſſus ſumma fuit Sfortiæ, quemadmodum aliàs pepigiſſet, filiam nupturam Cremona cum circumiectis caſtellis, ſimulque Pontremulo doti dicta excepto tamen Piſleone, qua eſt aditus in Laudenſem agrum. ea vti rata tum omnino fore, fraudemq; abeſſe omnibus conſtaret, puellam ſe Nicolai ipſius fidei crediturum, quo ſtatim atque nuptiæ conueniſſent eam viro in manum traderet. Nicolaus Mediolano cũ virgine profectus Mantuæ ſubſtitit, ipſam Ferrariam præmiſit, vbi ſub vmbella v. Kal. Octob. eſt excepta. interim colloquio cum Sfortia delectus locus Marmirolum Mantuanorum ciuium delitiæ, vel potius oppidulum Piſcheria, vt minore Veneti ſenatus ſuſpicione congrederentur. Ateſtino ad probandam Sfortiæ conditionem paucis opus fuit reputanti contumeliam a ſe ſatis ſuperque vindicatam: & qui per haſce nuptias ad Philippi imperium aſpiraret, quo plura inde decerperet, eo magis ſua ipſius membra cędere, & priuata iactura Venetorum opes amplificare: ita vt ſuomet ferro in proprium corpus eſſet graſſaturus. ceterum illud maxime arduũ videbatur, quo nam modo ſatisfieret Patribus, quos in maximam ampliſſimæ fortunæ ſpem erexerat. omnibus ferme locis dum abſuerat Picininus receptis tum in Venetia, tum in citeriore Gallia placitum vtrique eſt, vt cum primum Sfortia ſalua dignitate poſſet ab Venetis diſcedere, aut eum ſenatus vel vtilitate allectus vel ſponte exauctoraret, in poteſtate Nicolai foret, quem magna a ſe obſeruantia ſemper cultum fideliſſimi amici ac patroni loco haberet. ea quoque tenuit diſceptatio, quidnam agi oporteret, ſi Philippus genero herede ac regni ſucceſſore minime relicto mortem

tem obijſſet: inuicemque eo nomine data atque accepta fides eſt arctiſſimæ cōiunctionis. extat relatum apud Ioānem Simonettā, cui probabile ſit multa arcana patuiſſe; tum quia Angeli Sfortiæ ſcribæ frater fuit, tū quia ab eo in ſcribēda de heri rebus geſtis hiſtoria eius quoque ipſius cognomine inſcripta adiutus fuerit, Philippum quaſi diſſimulantem Franciſco ſignificaſſe Nicolaum agere de Blanca matrimonio iungenda Leonello filio, cuius vxor Margarita Gonzagæ filia proximo ſuperiore anno Non. Iul. vita exceſſiſſet: quoque maiorem homini ſuſpicionem, & propoſita æmulatione nuptiarū deſiderium vehementius inijceret, puellā aliquot menſes apud Ateſtinum eſſe voluiſſe. Ceterum quod attinet ad Sfortiam, haud ſane abnuerim fieri poſſe, vt Simonetta vere & cum fide memorię prodiderit indicium factum, vt cum Philippus eiuſmodi aſtu præ ſe ferret Sfortiæ cōditionem Ateſtina ſibi potiorem, animum ipſius magis demereretur; at vero longe aliter ſe res habet. præterquàm quod enim Nicolaus fidem violaſſet, ac minus iuſtas nuptias ante interpoſitis ſponſalibus iunxiſſet, arma etiam fortaſſe ab reliquis ſocijs ſumenda in ſe concitauiſſet. tum ſine dubio rem mouiſſet Philippo & ipſo ſuperſtitibus aliquo modo tolerabilem, ſed quæ regnum filijque ſalutem facile deinde potuiſſet euertere. erat quidem Leonellus patris obſeruantiſſimus idemq; integerrimus, ſed natura ad otiū & pacis ſtudia propenſus ab arduarum rerum bellicarumque in primis tractatione abhortere videbatur. ſed quod caput eſt, Nicolaus, qui proſpiceret vix fieri poſſe, vt conſilijs a Sfortia diſiūctus nō modo totum Vicecomitis imperium, ſed ne particulam quidem ad ſe auerteret, iam ante aliquot annos cum primum his de rebus agere cœpit, ac poſtremo illo congreſſu cum eo prorſus conſpirauerat, vt ſi ſocer alium heredem ſcripſiſſet, cōmunibus armis Inſubres adorirentur, Ateſtinusq; diuiſi inter ſe regni portionem magis opportunam non ſine ſpe multo lætioris in poſterum fortunę ſibi haberet. Franciſcus xv. Kal. Ian. Venetias profectus in ſenatu enixam Philippi voluntatem per Ateſtinum ſibi cognitam exponit: obteſtatur Patres pro ipſorum humanitate conſenſu potius quàm conſilio ſe iuuent: Brixianos quidem & Bergomates a ſe conſeruatos, Gonzagā Verona pulſum, tot caſtella, tam latos fines de hoſte vi receptos, vno atque eodem tempore pacem honeſtiſſimam habituros, ſibi ſpem ampliſſimam a fortuna oblatam non inuiſuros eſſe demonſtrat; ſed tamen eos ab gerendi belli propoſito nullo modo potuit abducere. quo propter hiemis aſperitatem remiſſiore Sfortia ad vrbem eſt retentus, vti proximis Saturnalibus nuptias a Iacobo Foſcaro

Princi-

Principis filio contractas cum Leonardi Contareni filia præſens honeſtaret. quæ cauſa Thadæum etiam Ateſtinum eodem euocauit.
1441 Inſequenti anno poſtrid. Non. Febr. longe pulcherrimo ſpectaculo, quo mortalium millia quadraginta confluxiſſe produnt annales Veneti, pro æde Marcia equites haſtis inter ſe concurrerunt, palmaque penes Thadæi alumnum fuit. biduo poſt ijdem equites tripartiti Sfortia, Ateſtino, & Melata ducibus iterum decertarunt. interea cũ tempus aliquanto clementius quietem interpellaret, Franciſcus, qui & Senatus voluntatem perſpexiſſet, & dignitatem ceteris rebus ſibi anteponendam eſſe ſtatuiſſet, ne patres ſuſpicione diſtringeret, puellam domum remitti iuſsit fide data, quod Ateſtinus de ipſius animo in Philippum recepiſſet, ita futurum. illa Non. April. Mediolanum, Sfortia quarto & vicesimo poſt die ad Martinengi obſidionem redijt; quem locum idoneo præſidio, teliſque, & commeatu egregie munitũ tutabatur Iacobus Gaiuanus. Picininus re frumentaria ab tergo largiter ſuppetente per ſpeciem ferendæ obſeſsis opis caſtra propius hoſtẽ mouit: ceterũ id captabat, vt diſtinendo inopia afflictum iniqua cõditione poſt cogeret pugnare. quippe ipſi ex inſula Fulcheria, & agro Cremonenſi omnis generis commeatus libere ſupportabatur: Sfortię abſumpto, quidquid circũiecta regio ferret, neceſſe erat longius pabulari, ita vt quod bene mane cõquiſiſſent milites, vix ſero in caſtra cõportarent. quæ res quo longius ab munitionibus diſcedebatur, eo maiora pręſidia pabulatoribus adiungere ſubigebat. quapropter, qui Martinengo aſsidens obſeſſo propior, quã obſidenti eſſet, ab hoſte plane circumuentus & frequentes ſtationes habere coactus conſilio aduocato caſtra inde quamprimum ſtatuit mouere. Philippus illud eſſe tempus ratus, quo nulla mora interpoſita Nicolao fidem præſtaret, & Sfortiam generum adſciſceret, cuius virtute regno incolumi trãquillam deinceps vitam ageret, Antoniũ Guidabonum Dertonenſem ad eum miſit auctore Ateſtino, ac per litteras monente præclaram illam eſſe occaſionem componendæ pacis, quod hoſtis ſumma inopia conflictaretur. conſilio non leue momentum addidit, quod Picininus Blanca iam domum remiſſa ratus Philippum ſpe prorſus cecidiſſe Sfortiæ in poſterum conciliandi ſuperbe quaſi præſcribere, ac conditiones ei ferre cœpit: Placentiamque præmium fortiter nauatæ operæ, atque ob reliqua ſtipendiorum incertoſque, ac minime præfinitos ſumptus poſtulauit. Furlanus & ipſe munus poſcebat Boſcum & Fregarolum, alij item tribuni exemplo incitati fruſtra, & quidem aſperius caſtigante Borſio ſatis impudenter, cum milites propè in procin-

ctu pugnæ ſtarent, denuntiauerunt ſe ſe, niſi præmia expedirentur, ſigna deſerturos eſſe. Igitur Philippus deſiderio adiungendi ſibi Sfortiæ, ac ſe tot moleſtijs tandem explicandi inflammatus tanta in præfectos, ipſumque in primis Picininum iracundia exarſit, vt con feſtim, quod dudum decreuerat, ad exitum adduxerit. Guidobonus clam ad Franciſcum profectus renuntiata ab Ateſtino affirmauit teſtatus illam ipſam, quam tum dixiſſent, puellæ futuram dotem. ac tametſi longe alia via ipſe inſiſteret, obiter tamen commemorauit exitum Carmagnolæ capitis ſupplicio a Venetis affecti. Sfortia de legatorum ſententia Patres certiores fecit. reſponſum eſt placere pacem, modo Aſula, Lunatum & Piſcheria de Gonzaga capta reipublicæ relinquerentur. quapropter Nicolaus alioqui interpellatus, vt hanc quoque pacem conficeret, quod Gonzagam cognatione cōtingeret, munus diffugit, & totam rem ad Sfortiam reiecit. tandem Philippo, cuius ſequi auctoritatem Mantuanus vel inuitus cogebatur, omnia ipſius arbitrio permittente Nicolaus dedit operam, vti Franciſcus poſt multa vltro citroque iactata XI. Kal. Octobr. ſententiā pronuntiaret, placere nihil vtrinq; de poſſeſſione mutari; quo facto Patres voti cōpotes ſunt facti. pactæ iam induciæ fuerant, & Sfortia Cremonæ nuptias celebrauerat. quod niſi Picininus terrore illato metuiſſet, ne Mediolanenſium atque hoſtium conſpiratione & concurſu priuati ipſius milites trucidarentur, vix inducijs locus fuiſſet, tanta ille pertinacia defendebat Philippum ignarum conditionis vtriuſq; exercitus certam atq; exploratā victoriam interpellare. Secundū pacem promulgatā Inſuber parum firma valetudine, & tot annorū curis feſſus cum genero non admodum fideret, ne forte regni cupiditate præceps ſoceri fatum nō operiretur, procurationem, atq; adeo rerum oīum poteſtatem Nicolao permittere conſtituit, haud dubitans Sfortiam æquo aīo primas partes illi conceſſurum tum propter nobilitatem ac virtutem, tū quod eum parentem ac dominum palam appellaret. procul itaque imperij moleſtijs Principis tantum nomine contentus Ateſtino liberam adminiſtrationē detulit. is Leonello filio regni cura demandata Mediolanum ſe contulit: ibi tametſi ex ſumma erga ſe Vicecomitis beneuolentia ac poteſtate conceſſa nihil non ſibi, ſi vſus veniret, de eo polliceri poſſet, oblatum tamen beneficium non repudiauit, vt Mediolanenſium opibus non minus ac ſuis vteretur tum ad vim illatā propulſandam, tum ad aueriēdum hoſtem bello in eius fines tranſlato. quamobrem tribunos ac centuriones ſacramento adegit eos ſibi potius q̃ Philippo, ſi quid ſecus imperaſſet, dicto audiētes futuros. hæc

omnes

omnes quidem in genere, qui Ateſtino vim afferre voluiſſent, complectebantur; diſerte tamen Venetos notabant, ſi nō palam ſaltem clam ęgre ferentes eam non coniunctionem, ſed vt ita dicam vnanimitatem. venerat cum Nicolao Vgutio Contrarius Philippo per ſe gratiſſimus, carior tamē poſt effectus heri opera. is vt domi, ſic peregre legati munus ſuſtinuit. Sed dum magna oīum beneuolentia ac lætitia Nicolaus Principis vicem obit, quod initium præfecturæ potius dicas, nec enim menſem exceſſit, nocte quæ diē VI. Kal. Ian. eſt ſubſequuta, vitæ finem fecit. morbi repentini ac longe grauiſſimi, ita vt ſuſpicio veneni non abſuerit, nuntius magna celeritate vſus extitit Contrarius ſub ipſum prope initium Mediolano profectus. certe quidem virum eximijs naturæ bonis præditum mors rapuit robuſto ac plane compacto corpore, ęqua capitis proportione, graui eademque hilari fronte, lætis ſimul ac modeſtis oculis non ſine magna quadam vi. facundia atq; humanitas in ſermone & congreſſu familiari excelluere: ad quas naturæ dotes alias ipſe tum aſſiduo labore atque induſtria, tum longo rerum vſu addiderat. itaq; peracerba non popularibus modo ipſius mors accidit, ſed omnibus etiam, quibus aut conſuetudine, aut de facie famaue aliquando notus fuiſſet. ac tum quidem vir clariſſimus ſublatus eſt, cū ſpes haud dubia proponebatur, fore vt familiam Ateſtinam in veterem ſplendorem reſtitueret, eamque ſibi fortunam fabricaret, vt imperij magnitudo aliqua ex parte æquaret magnitudinem animi, cuius ſemper cum incredibili prudentia certiſſima documenta dederat. quod ſi vno quaſi obtutu ipſius adoleſcentiam, necdum maturā ſenectutem, cum e vita exceſſit, ijsque interiectum tempus contemplemur, liquido conſtabit quanto cum periculo, quibus regionibus obitis egregium religionis ſtudium præ ſe tulerit: qua prudentia atq; animi robore regnum ex pluribus partibus lacerum atq; imminutum reſtituerit: nixus contra & prępfectorum exercitibus ductandis ſolertiam atque virtutem, contra Principum opes atq; inquieta ingenia, in quorum tempora incidit: quam deniq; conſulto cum omnium conſenſu apud Italos longe pręſtaret belli paciſq; artibus, eam ſibi auctoritatem peperiſſet, quæ multo maiora, quàm tempora ferrent, pollliceretur; quamque ipſe animo concipere potuiſſet. Nicolao ſuperſtites fuere præter aliquot ex pellicibus quæſitos iuſti liberi Hercules & Sigiſmundus, fœminæ Lucia & Iunipera ex quattuor, quas vnico partu Pariſina ediderat, reliquis duabus ſtatim abſumptis. earum altera in matrimonium Carolo Gonzagæ, altera Sigiſmundo Malateſtæ Pandulfi filio collocatæ iam ante patris mortem fa-

to conceſſerant: ante vero quàm corpus III. Kal. Ianuar. Ferrariam tranſlatum ampliſſimo funere ſepulturæ mandaretur apud ſodales Dominicanos in æde Mariæ Virgini dicata, quam Angelorum vocant, ab ipſo Nicolao extructa ac locupletata, Vgutio cum Leonello & Borſio, puerisq́; Hercule & Sigiſmundo in Ateſtinorum atriũ accitis ſeparatim expoſuiſſet, quæ publice differere vellet, Ioanne Valenguo Decurionum principe, alijsq́; e nobilitate plurimis adhibitis huiuſcemodi orationem habuit. Qui amor plane eximius Nicolaum Principem impulit, vt pro popularium quiete grauiſſimos labores ſuſtineret, idem nullo priuato affectu corruptus nouiſſime coegit eorum cõmodis ac ſaluti poſthabere paternam beneuolentiam, quam ſanguini propiori, ac magis tum natura, tum legibus caro acclinatiorem eſſe decuit. nam cum didiciſſet magno cum ſuo malo periculoq́ue ne regnum peſſum iret, & nos ingentibus calamitatibus opprimeremur, quod & multorum imperiorum clades docent, quàm incõmoda & per ſe & rectorum culpa pupillorum ſit adminiſtratio; primo quidem heredem ſibi ac ſucceſſorem deſtinauerat Herculem ſuſceptum, vt & Sigiſmundũ, ex poſtrema vxore: poſt diffiſus annis, alter .n. decimũ, alter octauũ agit; ex quo ipſi iuſti liberi interim p ætatẽ regni capaces non ſint, exiſtimauit perinde eſſe ac ſi, quod ad hoc pertinet, ijs careret. itaq; pro iure facultatis teſtãdi a Pontificibus atque Auguſtis ſibi conceſſæ, quorum quidem tabulæ noto atque interiore in cubiculo turri, quam Marchionum vocant, coniuncto aſſeruantur, (id conclaue a ferro munitis foribus nunc appellatum Principi pro ærario eſt) te Leonelle tantiſper Principem allegit ratus fore, vt & ipſi ſuperſtites ſuo tempore regnum capeſſant. nec ſane id eo fecit, quod metueret, etſi alioqui tot exemplis compertum eſt ex regni cupiditate plurima inuecta mala ad poſteros etiam manaſſe, ne non parentis atque legis voluntas rata ſanctaq́ue vobis foret. Hercule herede nuncupato nec tu Leonelle, vt quidem ipſe ſperabat, tuq́; Borſi non paternis mandatis paruiſſetis, quos indulgenter habuit, quoad diſciplina & pudor ſiuit, vt in educando paternam, in obſequendo fraternam adeoq́; effuſam beneuolentiam præſtaret, cui vos tum veſtra ſponte, tum ea caritate prouocati perpetuo quodam obſequij atque obſeruantiæ tenore egregie reſpondiſtis. Nicolao præſtare viſum eſt vt filij oneri, cui præſertim tam duris temporibus facile ſuccubuiſſent, impares tantiſper regno abſtinerent; is qui Principem agere poſſet, non tutores interim gubernacula tenerent. hæc ſub vitæ exitum cõmunicauit, iuſſitq́ue vt, quod tempus ac ſumma neceſſitas dictaret, vobis exponerem.

rem. quanquam autem multo grauiſſimus morbus Nicolao vitam, optimum huic imperio patrem atque Principem, omne mihi gaudium abſtulit, mentis tamen acie illius victor proſpexit vtilius in publicum eſſe, ſi tu Borſi, cuius virtuti plurimum tribueret, Leonello, vtriq; mox defuncto ſuſcepti ex Ricciarda liberi ſuccederent: idque pro ampliſſima ſibi tributa poteſtate cauit, vosque ad concordiam atque vnanimitatem eſt cohortatus: ita quidem vt, ſi belli neceſſitas exigat, alteri corpore minus firmo, & ad pacis artes accõmodato adſit alter robuſtior, & militarium laborum patiens: quæ mutua animorum conſenſio haud dubie cõmunes opes atque amplitudinẽ tuebitur. Vobis igitur rerum humanarum vſu inſtructis, ac popularium mores & ingenia callẽtibus magna ex parte diſciplinæ ipſius, humanitatis in audiendis comiterq; appellandis, a vi tegendis ſubleuandisque aduerſa fortuna preſſis ciuibus, reliquarum denique illuſtrium virtutum heredibus, vobis tibique in primis Leonelle mox futuro Principi commendat, vel potius agens animam cõmendabat populares, iuſtitiam, liberalitatem, maxime autem religionis cultum atque propagationem, quibus quaſi fulgentibus telis beata vrbium pax ſe ſe tuetur. commendabat itidem paruulos hoſce animo ſuo cariſſimos liberos eo accuratius, quo magis propter ætatis imbecillitatem parentis præſidio egent, qui & moderetur,& natura iubente opportunis præceptis eos inſtruat: etſi pueri non deerit vobis pater, ſi loco illius natu maiores fratres colueritis, ijs obtemperaueritis, ab eorum prudentiſſimis monitis, vt quidem iuſſit Nicolaus, nunquam diſceſſeritis. licet autem non dubitaret fore, vti vos domi egregium animi cultum caperetis, præ ſe tamen ferebat peregre potius ad virtutem magis inflãmatum iri accedente, quæ adoleſcentium pectora maxime exacuit, æmulatione: nec diſſimulabat placere ſibi Tarraconẽſis aulam tum propter egregia inſtituta, tum propter regem ipſum, quem magna molientem fortuna non fruſtratur, & Nicolaus, cum primum ſe ad Philippum contuliſſet, eo conciliante amicum habuit. Vos ergo qui adeſtis, & Nicolai, cuius perſancta nobis debet eſſe memoria, mandata audiſtis, Nicolai inquam Principis ac parentis indulgentiſſimi tot curis in ipſo exitu, non morbi grauitate aut mortis metu diſtracti, ſed vt moleſtijs ac detrimentis noſtris olim conſuleret, vos, vt Principis veſtri voluntati ſit locus, quod ille tum prædictis de cauſis, tum pro iure ab hiſce populis maioribus Ateſtinis ampliſſimo collato futurum eſſe nunquam dubitauit, alacres memoresque quàm clementi imperio habiti ſitis, quod & ratio & æquitas dictat, exequemini. Contrario ea nomine

Princi-

Principis renuntianti fides habita, tum quod nihil temere, ſed probabiliter diſſeruerat, vnusq; e domeſticis ac primarijs miniſtris fuerat, tum quod nulla ſuberat ſuſpicio priuatæ vtilitatis. idque ex eo in primis apparuit, quod ſtatim ad munus ſuum Mediolanum redijt: quod ſi teſtimonium ipſius leuius fuiſſet, ciues, qui olim Friſco prætuliſſent heredem a Principe ſcriptum, nunquam Herculem poſthabuiſſent: nec ille, ſi de Vgutionis fide dubitaſſet, in conſilio arcano, interq; cariſſimos habuiſſet Nicolaum atque Ambroſium ipſius filios: quippe moram in regno ſibi debito obtinẽdo factam patri acceptam tuliſſet. Ricciarda quoque eiuſmodi iniuria ſtimulata, ne filij imperij expertes eſſent, haud leues turbas dediſſet. tametſi enim plus tribuens maternæ indulgentiæ, quàm prudentiæ paternæ e veſtigio diſceſſiſſet teſtata domum ſe pergere nunquam reditura, niſi fatum Herculem aut Sigiſmundum imperio quandoque admouiſſet; mariti tamen cõſilium, quod ad ſucceſſionem attinet, æquo animo tulit, nec vnquam de Leonello aut Borſio conqueſta eſt, quaſi nihil ad ſe pertinentes opes auertiſſent, aut cuiuſquam opẽ implorauit. Aloiſius denique ipſius pater nihil vnquàm ob regnum nepotibus aſſerendum mouit. Ab Contrarij oratione Valengus ſuũ in prætorium conceſſit, eodemque conuenere Decuriones, e quibus nonnulli Vgutionem orantem audiuerant. ibi quid quaque de cauſa Nicolaus ita decreuiſſet, expoſito cum mandata exequenda eſſe diceret, idem omnes ſine vlla controuerſia ſciuerunt. itaq; ſceptrum Leonello tradidit. is ſtatim Borſium Mutinã ac Regium miſit, qui ciues ſacramento adigeret. Deinde vt inſtitutam cum Vicecomite amicitiã retineret, anno eius ſeculi altero & quadrageſimo, quibus 1442
legibus pater illam ſanxerat, eaſdem & ipſe III. Id. Ian. probauit; legati tantum dignitate caruit ætate ac rerum geſtarum fama longe inferior. munus vni tãtum Nicolao ante collatum poſt duobus eſt communicatum. Vgutioni Contrario in conſilium allecto magna apud Philippum auctoritate, quæ ad pacem attinebãt, omnia ſunt demandata, ita vt vnus tum magiſtratibus legendis, vectigalibusq; procurandis, tum iure dicundo & pœna remittenda legati obiret munia. Nicolao Picinino præſidia cõmunienda, æs militare, imperium in omnes copiarum præfectos, tota denique res bellica, atque vniuerſus armorum apparatus eſt cõmiſſus. in diplomatis hac de re prid. Non. April. conſcriptis Philippus Vicecomitem eum appellat, ac Marchionis Comitisq; titulo nobilitat. quapropter Sfortia, qui defuncto Nicolao illud munus ſibi deſponderat, cum ſocerum in Vgutionem atque Picininum propenſiorem eſſe præſenſiſſet, cauſatus ſi-

tus fines ſuos ab Neapolitano attrectari animo plane ab eo alienato e Gallia togata proficiſci ſtatuit. quam in rem ingreſſo paululū fortuna arriſit, quod Antonius Caldora regi ſubiratus ob Raimundū patruum in cuſtodiam traditum per fines ſuos tranſire eum permiſiſſet. nec tamen Philippus Sfortiam minus ſuſpexit: quinimo ex quo Nicolaus obierat, cuius prudentiæ ac virtuti totum ſe dederat, cum magis magiſque is eum metus ſollicitum haberet, Alfonſo dubitanti, ne cum Renato coniungeretur, aures præbuit, itemq; Eugenio eidem infenſo Picentium cauſa; & Picininum iuſſit Apenninum tranſcendere. Todium per agrum Peruſinum cum veniſſet Petro Ioanne Paulo Vrſino & Chriſtophoro Tolentinate aſſumptis in Piceno caſtra ad Belfortem poſuit. ducit eo Sfortia: interim Alfonſus Neapolim in poteſtatem redigit, cum quidem lectiſſimi CC. milites per aquæductum ingreſſi ac percurrentes oppidum eius rei ſpeciem præbuiſſent. Tarraconenſis mœnibus ſuccedens ciuium auxilio, qui proditionis non ignari erant, refracta porta ſine certamine in vrbem irrupit. quippe Renatus arbitratus eos, qui ex aquæductu emerſerant, porta introductos, ac res omnino perditas eſſe in arcem profugerat; quam vbi præſidio firmaſſet duas conſcendit naues. mox arces Capuana & Mantuana inopia cibariorum coactæ deditionem fecerūt. rex poſt captum Antonium Caldoram Brutios obtinuit; poſt Aſiſium a Picinino occupatum poſita diſſimulatione, qua ad eam diem Sfortiam circumduxerat, atque omni concordiæ mentione ſublata, quidquid in Apulia poſſidebat, ei ademit. In tāta regiæ fortunæ indulgentia & conſtantia non modo quod Ioannes Coſſa nouam arcem ei tradidiſſet permiſſu Renati, qui Piſis Florentiam, inde Maſſiliam abierat; ſed etiam quia Pontifex cupiditate Piceni recipiendi regnum Tarraconenſe ipſi liberiſque, ne excepto quidem Ferdinando ex pellice genito, ſolennibus tabulis contuliſſet, Sfortia ſingula ob oculos propoſuit Venetis ac Florentinis reſtatus tacitam trium potentiſſimorum hoſtium in ſe cōiurationem re ipſa & in illos redundare: quæ res effecit vt opis aliquātum ei pollicerentur. at Leonellus, qui arctiore Philippi neceſſitudine mutuā etiam concordiam tueri ſe poſſe confideret, primarij conſiliarij ab eo munus atque dignitatem Borſio impetrauit, quem ante ad populum productum idoneis ad tuēdam exiſtimationem diuitijs inſtruxerat, nempe Rhodigina præfectura, portorijsq; & caſtellis omnibus, Porto vnà cum fundis ei contributis, nec non prædijs Papotienſibus; præterea municipijs Herberia, Martini fano & Campo-Gaiano. Inſuber non conſilij ſolum principem aſciuit Borſium,

ſed

ſed etiam adoptione filium: donauitque Nouaria & Crema: tum poſtero anno poſtrid. Non. Apr. eidem largitus eſt Caſtrumnouum 1443 in agro Dertonẽſi eo iure, quo quod optimo ſalis portorio excepto: alijs quoque officijs ſuam in eum non vulgarem beneuolentiam declarauit. ac quoniam amicos, quam in partem ipſe propenſus eſſet, traducere cupiebat, egit cum Tarraconenſi, vti Mariam ſtirpis maximam in matrimonium daret Leonello, qui iam Herculem & Sigiſmundum Neapolim ire iuſſerat: rexque adoleſcentes comiter acceptos, vt eorum nobilitate ac parentis, quem ſub vitæ finem plurimum dilexerat, gloria dignum erat, in honore deinde habuerat, quæ res Ateſtinum magis ac magis Hiſpanis obſtrinxit. proinde & ſi vni publicæ res, atque omnium legationum pondus incumberet, Neapolim tamen legauit Auguſtinum Villam ſcrinij magiſtrũ: (is originem ducebat ab Lãcelotto Diſcalcio in agro Patauino apud pagum Carminianum nato, ipſique Nicolao ſcribendis epiſtolis diu tius operam nauauerat, a quo quidem Auguſtino propagata eſt pernobilis apud nos ſamilia pari cognomine) Villa pro facultate peculiati mandato ſibi tributa nuptias confecit. Eugenius Flotentia Romam perrexerat compataturus, quæ ad Picenũ recuperandum opus eſſent: eaque res nonnihil ſimultatis inter Neapolitanum & Inſubrem excitauerat, quod ille cum Pontifice ſentiret, hic cõſilio mutato palam aſſereret, ſi quis qua in re generum lęſiſſet, eum hoſtis loco ſibi futurum. Leonellus pro virili parte eiuſmodi diſſidiũ prohibuit, ita tamen vt neutri in ſuſpicionem veniret; quemadmodum ne arma ſumeret, aut ſocietatem aliquam belli cauſa iniret, Bononiẽſium eius fidei ac tutelæ non ſemel ſe ſe committere volentium motibus, qui extremos Ferrarienſis atque Mutinenſis agri fines attigerunt, omnino abſtinuit. alioqui neceſſe erat, aut Philippi exercitum oppu gnare, aut cum Venetis & Florentinis coniunctum Aloiſij Vermij conatibus obuiam ire. Superiore anno de menſe Octobri Franciſcus Picininus, cum ad Ioannis caſtrum proficiſceretur, quaſi eum itineris comitem habiturus in cuſtodiam tradiderat Annibalem Benti uolũ Antonio natum, & qui illum proſequuti fuerant Gaſparẽ Mal uitium, & Achillem eius filium: paulo poſt Annibalem e Peregrino oppidulo agri Placentini, quo illum amandauerat, Vatanum tra duci iuſſetar, qui locus ſitus eſt in amnis Tari planitie. Galeatius & Thadęus Ludouici Mareſcotti filij magna iuuenes audacia fabro du ce arcis, vbi cuſtodiebatur, perito liberandi Annibalis conſilium inierunt. Forte accidit, vt qua nocte in muros euaderent, inſignis procella & tonitruis tẽpeſtas validiſſimè obſtreperet, ac per feneſtrã in-

ingreſſi vigilem de improuiſo opprimunt: ſimul prima luce alterum fores, qua ad præfectum erat aditus, reſerantem obtruncāt: tertium ſuperuenientem metu mortis terrent ac ſubigunt, vt ad præfectum deducantur: eo comprehenſo cum Annibale nocte inſequenti Bononiam verſus ſtrenue ire pergunt interminati vxori, ſi quid turbæ conciſſet, virum ſe interfecturos; ſi quieſceret, vbi paululum proceſſiſſent, incolumem, quod mox præſtiterunt, dimiſſuros. Non. Iun. cum patrem ante edocuiſſent, inter Caſtellioneam, & Diui Stephani quam appellant viam hora noctis conſtituta in murum erepſerunt. improuiſę rei incertiſſimus euentus eſſe potuit: ſed Annibal ſimul atque vinculis ſolutus a populo conſpectus eſt, tantam ſui caritatem, tantum ſtudium commouit, vt illo ipſo temporis momento patriam in libertatem vindicare ſtatueret. Franciſcus, qui Bentiuolū metu nimiæ potentiæ procul amouiſſet, ac putaret arcta cuſtodia adhuc teneri, noua re ictus atq; obſtupefactus, cum grauis armaturæ milites paulùlum repugnaſſent, pluribusq́ue e partibus aduerſarij in prætorium penetraſſent, comprehenſus poſt paulo permutatione cum Gaſpare & Achille facta liberatur. Eodem tempore non ciuitas modo per ſe pulſo Picinino Inſubris iugum excuſſit, ſed caſtella etiam locaq́ue temere munita, atq; vniuerſus ille tractus varijs motibus eſt concuſſus. quippe incolæ octingentorum equitum, ac totidem peditum, quos Florentini duce Simone Aquilano præbuerant, itemq́ue mille Venetorum equitum pręſidio pręfectis Vidone Rangono & Tiberto Brandolino in Aloiſium Vermium conſurrexerant; qui cum circa oppidum cum tribus millibus equitum, trecentis peditibus moraretur, tandem prid. Id. Sextil. ad Petri fanum acie a Bentiuolo victus cum quadringentis equitibus ad Finale profugit. Alibi Tarraconenſis a Pontifice ſollicitatus Sfortiam vehementius vrgebat. legati ab eo Mediolanum miſſi Matthęus Malferitus & Ioannes Nucius, qui demonſtrarent regi iam non eſſe integrum bello abſiſtere: iuſſi mandata ediderunt Vgutioni Contrario, qui re cum collegis communicata cum audiſſet, ad Philippū retulit. is quod ante non ſine Sfortiæ pernicie probaſſet, tum reprehendit vel filiæ cauſa, vel ne gener vltima neceſſite cum Venetis ac Florentinis coniunctus arma ſocero inferret, vel certe quod Tarraconenſis incrementis ſuas opes imminui crederet. hoc rerum ſtatu cum nihilo minus Alfonſus inſtaret, Patres auxilio Sfortiæ miſerunt Thadæum Ateſtinum, vnàque dicto audientes Vidonem Rangonum & Tibertum Brādolinum cum equitum millibus quattuor, Florentini Simonem Aquilanū, qui agro Bononiēſi

iam tum exceſſerat. Picininus venienti Sfortiæ obuiam ire non auſus trans Foliam ad Mõtemlaurum ſe recepit; quem Thadæus prid. Non. Nou. aggreſſus deuitantem certamen ac retrocedentem profligauit, nec pluuia aut tenebris eſt prohibitus, quo minus fugientem vrgeret, atq; impedimentis exueret. Bello ptopter hiemis aſperitatem intermiſſo principio anni quarti & quadrageſimi Thadæus Rauennam cum ſua manu, Simon in Hetruriam hiematum conceſſerunt. 1444
Leonellus, cui procul ab hiſce moleſtijs maxime iucundum acciderat Inſubre conciliante Tarraconenſis filiam vxorem duxiſſe, præſidium quodam modo dubijs quandoque ipſius rebus, ad reliqua peragenda, puellamque traducendam VI. Id. Mart. Borſium Neapolim ire iuſſit. ille duabus Venetorum triremibus nauarcho Victore Capello in eam ipſam vrbem nouã nuptam reuexit procedẽtibus obuiam maxima pompa Principe eiusq; vxore. ad ipſum Padi oſtium VIII. Kal. Maij occurrit Meliaduſſes Leonelli frater cũ ornatiſſima matronarum cohorte & ſuauiſſima ſymphonia. Ferrariam cũ attigiſſet in arce noua vſq; ad XIII. Kal. Iun. extra hominum conſpectum cõmorata eſt; eo demum die vrbem inijt magnificentiſſimo ac plane regio apparatu. totos tres dies ſubſequutos nuptiæ ſunt celebratæ incredibili ſplendore: primo die complures feræ immiſſis canibus ſunt confectę; reliquis equites haſtis inter ſe ſcitiſſime cõcurrerunt. auxere lætitiam Non. Iun. quo die Antonius Feltrius & Marchettus Torcellius Iſottam Leonelli ſororẽ in matrimonium pepigere Odoni Antonio Vrbinatiũ Comiti itrito plane puellæ gaudio: interim enim iuuenis ab coniuratis quibuſdam confoditur, eique ſufficitur Federicus frater. vixdum circumacto menſe Nicolaus Picininus a Philippo reuocatus, ne Pontifici aut Alfonſo aduerſus generum militaret, cum Ferrariam veniſſet vt Leonellum ſalutaret, quæque in Piceno geſta eſſent coram exponeret, ab eo maximo honore excipitur. ibi pater haud ſatis proſpere rem geſſerat. filius Franciſcus paternum munus ac vicem ferme ſuſtinens longe egit infelicius; vtpote XIIII. vel vt ſcribit Simonetta X. Kal. Septembris ad Montem vlmeum victus captusque a Franciſco Sfortia, qui quattuor ſimul locis eum fuerat aggreſſus. victor haud ſegniter eiuſmodi occaſione vſus omnia ferme ſtatim recuperauit. idem præterea perpetua multorum dierum felicitate cum Pontifice tranſegit ea conditione, vt capta intra Id. Octobris retineret, cetera Eccleſię cederent. Nicolaus tum propria, tum filij etiam captiui clade mœſtiſſimus leui primo, deinde præ animi ægritudine ſenſim ingraueſcente morbo oppreſſus vitæ finem fecit.

Leonel-

Leonellus, qui Sfortiam identidem monuiſſet, vt controuerſias cum Eugenio finiret, Bentiuoloſque & Canetulos Bononiæ inter ſe reconciliaſſet, quo ciuitas otium coleret, cuius ipſe æque ac pater,
1445 vel etiam ſuopte ingenio magis eſſet cupidus, cum ſequenti anno quietem turbatam atque conuulſam animaduerteret, nulla neceſſitate adactus, ſed tuendi imperij tantum, non augendi gratia alieni periculi ſpectator res ſuas curare maluit. Ceterum quod Bononienſis ciuitatis ſtatum euerſum mox reſtituit Thadæus Ateſtinus, & ſubſequuta eſt indigniſſima cædes Annibalis Bentiuoli, ſeditio & rerum commutatio huiuſmodi eſt explicanda. Canetuli vt Mareſcottos Annibalis clientes extinguerent, quorum neſcio quæ iniuriæ in ipſos extabant, non aliter quàm Bentiuoli nece contumeliam expiari poſſe cenſuerunt. quod autem populi Annibalem vnice amantis tumultus immineret, proprijs viribus diffiſi rem cum Philippo Inſubrium Duce contulerunt. ille nullius turbæ, ad quam quidem vocaretur, fugiens (ſic enim aſſueuerat) recepit qua die Petri memoria a chriſtianis colitur, Italianum Furlanum ad oppidum cum mille & octingentis equitibus præſto futurum. at Baptiſta Canetulus immemor per Bentiuolum ſe patriæ redditum, & ſororem ipſius Gaſpari fratri nuptam eſſe, Franciſco Ghiſilerio ſceleris conſcio, vel quod metueret, ne inſidiæ emanarent, præſertim quia Furlano appropinquante eiues cuſtodias egiſſent, vel quod deinceps nulla eiuſmodi facultas proponeretur, cædem maturauit, auctorque fuit Ghiſilerio, quo facilius cogitata patrarent, vti eum ſibi initiationis arbitrum deligeret. die igitur Ioanni ſacra poſt filiolam de ſacro fonte ſublatam tendentem Ghiſilerio etiam comite ad Ioannis ædem adorti in anfractu viæ percuſſores pluribus vulneribus confoderunt: ſtatimque paruo diſploſo tormento, quod ſignum rei geſtæ conuenerat, tres Mareſcotti fratres in ipſo Ioannis templo a pluribus coniuratis ſunt interfecti. Annibal tum ſingulari humanitate, tum morum ſuauitate ac liberalitate, quibus accedebat inſignis prudentia ac fortitudo ſæpe patriæ exhibita, tantam ſibi populi beneuolentiam conciliauerat, vt non quidem illius munere ac decreto princeps appellaretur, ſed non minorem auctoritatem, modeſtiſſime tamen ciuibus volentibus imperans obtineret, nominis inuidia abſtineret. plebes clamore & fletu vndique perſtrepente ad Canetulorum ædes expectatione aduentus Furlani communitas aduolauit; non ignis continentibus ædificijs de induſtria iniectus, non obicibus clauſæ viæ, non minora tormenta opportunis locis diſpoſita, non denique coacti maguo

numero clientes plebis ac nobilitatis vltionis auidiſſimæ impetum frænare potuerunt. repagula, flammæ, ac cetera munimenta diſie-cta: auctores cædis & conſilij gnari, vel qui etiam leuiſſima ſuſpicione aſpergerentur, crudeliſſime trucidati. alijs cor extractum, alijs caput manusue præciſæ; alij e patibulo pedibus pependere: dirutæ Baptiſtæ Caneculi & Ghiſilerij ædes: denique quo loco ſcelus perpetratum fuerat, eo populum impotentiſſimus furor tulit: inteſtina & confuſa membra, prope vt eſſent trophæi inſtar, vicinis parietibus ſunt affixa, atque ita Annibalis funus celebratum: vſurpatum & tam pijs lacrimis, tam immanibus exemplis defletum nomen, vt vix ſimile quidquam in omnium gentium annalibus legatur. nec ciuium ſtudijs defuit equitũ ala, qui extra mœnia ſtatiua habebant. cum enim Caneculi fruſtra Inſubris nomen iteraſſent, magiſtratus vero proſpere libertatem ac ſocios Venetum atque Hetruſcum acclamari iuſſiſſent, receptus eſt in vrbem Petrus Nauarinus, qui Bononienſium ſtipendia faciebat cum CCC. equitibus, Tibertus Brandolinus Florentinorum præfectus cum CC. & Vido Rangonus cum Venetis DC. Quamquam autem Italianus nuntiata,ad Lidicem cum peruenisset, cædecũctationem ſuam execratus manus in obſcœnum modum formatas ad cælum ſuſtuliſſet, non propterea tamen Philippus conſilium ciuitatis ſubigendæ abiecit: quin vt primum Annibalis & Caneculorum miſerabilem exitum cognouit, Aloiſium Seuerinatem cum quinque armatorum millibus eo contendere iuſſit; quo cum Furlanus v. Id. Iul. copias iunxit. ea re coacti ciues iterum auxilium a Florentinis implorarunt, obtinueruntq; Simonem Aquilanum cum ala DC. equitum, & CC. peditibus. pariter ne inteſtinis ſeditionibus confecti extremum periculum adirent, Venetos orauerunt vt Inſubrem armis illatis domi diſtinerent. illi bello quidem pepercerunt, quod Philippus ætate ac valetudine affecta eſſet: Thadæum modo Ateſtinum miſerunt, cui Bononienſes ipſi atque Florentini communi conſenſu totius belli ſummam permiſerunt. Acceſſit ad Bononienſes motus Piceni tumultus, & pace turbata renata ſimultas inter Sfortiam atque Pontificem, quod Patriarcha cũ Intemelij Comite ab Tarraconenſi ſubmiſſo ſe coniunxiſſet: quocirca omnis illa regio, Firmano maxime nobili municipio excepto, ad ſanctæ Sedis imperium redijt: paulo poſt & ipſum idem exemplum eſt ſequutum. interim Sfortia Florentiam profectus agente Coſmo Medice potentiſſimo eius reipub. ciue aliquantulum pecuniæ contraxit, Piſaurumq; contendit. Anno eius ſeculi quadrageſimo ſexto cum Hetruriæ partem eam, quam Patrimonium vocant, 1446

inua-

inuaſiſſet, ne ab ipſa quidē vrbe poſt temperaturus difficultates, quas nonnulli verbis eleuabant, opinione multo maiores offendit. peracerbum fuit re infecta, ac plane aduerſa fortuna eam expeditionem ſuſcepiſſe: ſed auxit dolorem Alexandri fratris cum hoſte Patriarcha conſpiratio. Inter hos motus non defuere qui Leonelli ſocietatem atque amicitiam ambirent, maxime Inſuber. is cum Sfortiam a Picentibus tentandis nequicquam dehortaretur, ad Cremonam occupãdam, aliquo tamen adiutore, animum adiecit; ſed Ateſtinus priuatæ quieti conſulens, quemadmodum initio ſtatuerat, medium ſe ſe præſtitit. Philippus minime cōtentus Bononiæ vexatione, cuius in fines nutu ipſius Gulielmus Ferratenſis filius, & Bartolomęus Culeo peruenerant, Franciſcum Picininum, cui libertatem impetrauerat, Kal. Maij proficiſci iuſſit ad Cremonenſes ſub veterem imperij formulã redigendos. Veneti ſtatim petente Sfortia alam ſexcentorum equitũ, quæ oppido præſidio eſſet, eo miſerunt; ac quoniam intoleranda eſſet Vicecomitis importunitas non Cremonã modo, ſed ſimul etiam Bononiã tueri cōſtituerunt. decreto aduerſus Philippum bello Michaelem Attendulum tanto ante reipub. ſtipendia merentem ſummo cum imperio præfecerunt; ſed tamen eodē tempore Aloiſium Seuerinatem clam ſollicitauerunt. quod cum Philippus præſenſiſſet, cauſatus hominem ab eiuſmodi conſilio non abhorrere, ipſum cum quinque liberis comprehendi, & Montiæ in cuſtodiam dari iuſſit, Carolumq; Gonzagam bello adminiſtrando præpoſuit, qui Ioannis fanum quaſi belli arcem delegit. Thadæus Fauentini equitibus ſexcentis, qui v. Kal. Iul. in caſtra venerãt, alijsque compluribus mercenarijs ad Bononienſium exercitum adiectis vrgens hoſtem vno atque eodem tempore Gulielmum, numeratis mille & quingentis nummis aureis, ab Inſubre ad ſocios auertit, ab eoque intra Caſtrumfrancum ipſi cōmiſſum cum equitibus quingētis acceptus eſt. quapropter incolæ fani Ioannis pacti rerum omniũ incolumitatem accerſito Thadæo ſe ſe tradiderunt. Gonzaga de repente oppreſſus atque ſuperatus cum ſeptingentorum militum ſtrage, ne ſe in arcem parum tutam includeret, cum ſex tantum equitibus Mutinam profugit. Thadæum poſt reliqua Bononienſium caſtella recepta, partamq; oppido ſecuritatem Veneti reuocarũt, atq; ob egregiam virtutem publico vexillo donarunt. Dum Ateſtinus ſecunda fama bellum gerit, Franciſcus Picininus veritus, ne hoſtes poſt confectam eam prouinciam maiores vires colligerent, III. Kal. Octobr. cum Attendulo ſigna contulit, victusque quattuor millia equitum deſiderauit, continuo ille Abdua nauali ponte iuncto Fulcheriam

cheriam inſulam victricibus armis peruagatus ſui iuris fecit, atque ad ipſa Mediolano continentia ædificia excurſiones fecit. Tarraconenſis Philippo poſtulanti memor quantum ei deberet, ac metuens Venetorum opes, Raimundum eum ter mille equitibus, mille peditibus auxilio ſubmiſit, quibus in Flaminia per ſuæ ditionis loca, perq; agrum Ferratieſem Leonellus iter præbuit fortaſſe cum aliqua Venetorum ac Florentinorum offenſione, nec ſine Bononienſium detrimento. at cõqueſtus eſt nemo, tum quod ille alioqui placidus minimeque bellicoſus relictam ſibi a patre auctoritatem egregie ſuſtinebat, tum quod verebãtur, ne laceſſitus ad Tarraconenſis atque Inſubris amicitiam ſe applicaret. Dum hæc geruntur, Bononiam peruenit Sanctus Bentiuolus non minore ciuium gaudio, quam dolore cæſum Annibalem ante defleuiſſent. is Ioannem filium adhuc prope vagientem reliquerat, quem cum oẽs, quoad per ætatẽ patriæ præeſſe poſſet, educari maximo opere cuperent; nec cuiquã ea in re ſatis fiderent, ſumma diligentia perueſtigarunt ecquis puero ſanguine coniunctus alicubi reperiretur. forte erat Florentiæ Sanctus hic, de quo loquimur, vulgo Angeli Caſcetij iam defuncti filius habitus lanificio vitam tolerans, quem Hercules Annibalis frater patruelis ex puella Poppienſi clam ſuſtulerat. huius animum obiter pertentarunt quidam, an ciuitatis gubernacula & pupilli tutelam accepturus eſſet. ille ſe vero id negauit facturum continuatis trium Bentiuolorum funeribus. ſexto poſt menſe publica legatio affuit idem petens. Coſmus, cui ciuium libertas cordi eſſet, ac propterea peruellet Sanctum eam rem ſuſcipere, ita illum caſtigauit, vt diceret, ſiquidem Angelo natus eſſet, Florentiæ artificio ſuo operam daturum, ſin Hercule genitus foret, digna illa familia, illo patre auſurum. ferunt Coſmum adoleſcenti ſub diſceſſum inter cetera præcepta tria hæc dediſſe, annonæ curam ſedulo ageret, omnes nullo diſcrimine æquo iure regeret, ab alienis vxoribus abſtineret. quæ alij deinde parum honeſte expreſſa retulerunt. Leonellus miti vir ingenio, & quietis amans poſt compoſitas non ſine ipſius opera res Bononienſes Sfortiam atq; Inſubrem, quod iam ante aggreſſus fuerat, reconciliare inuicem perrexit ſuper auctoritatem, qua per ſe apud Sfortiam plurimum valebat, Mediolanenſis ampliſſimo mandato fretus prid. Id. Nouembr. exarato, quo licebat ei quos vellet clientes aſciſcere, copiarum ductores ſtipendio obligare, amicitias, fœdera, atque alia huiuſmodi Inſubris nomine ſancire. Veneti & ipſi Sfortiæ animum verſabant pollicentes ſi quid ſocero accidiſſet, ſe ad regnum obtinendum adiutores illi futuros; licere tamen Ace-

ſtini

ſtini hortatus. quamquam autem hi in gratiam rediјſſent, Philippus tamen generum ſuſpectum, ideoq; procul ab ſe habuit iuſſum eodem loco ſe tenere, quod cum Venetos bello perſequi ſtatuiſſet, Patauium primum ab eo vellet oppugnari. Sfortia niſi Leonello ſocio, qui propter Rhodigij opportunitatem tormenta eorumque apparatum, necnon cõmeatum ſubminiſtrare poſſet, eum laborem fruſtra ſumptum iri renunciauit: ſocer pauca quædam non ſatis ad rei ſummam pertinentia reſcripſit, atque ita veterem formidinem haud obſcure patefecit. leuitas Inſubri inſita ſuſpecta finitimis eſſe cœpit, metumq; incuſſit, ne Venetia & citerior Gallia nouis motibus implicarentur. accedebat ingens cupido Tarraconenſis Hetruriæ occupandæ, præſertim vocantibus Senenſibus, qui dum Florentini ſeruitute opprimerentur, propriam libertatem videbantur negligere. Hæc nouus Pontifex Thomas Sarzanenſis acerrime damnauit, qui defuncto Eugenio III. Non. Mart. ſuffectus fuerat vir vitæ innocentia & ſacris litteris egregius, rerum tractandarum plane imperitus. is cum in concilio Ferrarienſi, priuſquam conſeſſus celebrarentur, diſſerendo nomen ſibi feciſſet, ac deinde in Germaniam cum ijs venitaſſet, qui neutram in partem inclinatos proceres Eugenio conciliare potius q̃ Felici conabantur, ſingulari quadã felicitate intra biennium Epiſcopus, Cardinalis, ac tandem Pontifex renunciatus fuit. quod autem Nicolai Albergati Cardinalis titulo Sanctæ crucis liberalitate Ferrariæ atq; Bononiæ litteris operam dediſſet, eius beneficij memor Nicolaum nomen edidit. Nicolaus quod in duorum Pontificum diſſidio chriſtiani nominis prouincias quaſdam vtri accederent Baſileenſi an Romano hærere animaduerteret, italicos motus haudquaquam e re ſanctæ Sedis eſſe cenſuit: quos quidem eo magis horruit, quo minus, niſi fluctus reſediſſent, ferendo oneri vel ſubinuito impoſito parem ſe eſſe intelligebat. Ante vero quàm ſemina diſcordiarum pullularent, ita vt euelli deinde nequirent, habitis ſupplicationibus Cardinalem Motinenſem Ferrariam legauit; quam vrbem in hac ipſa re cõmemoranda Platina & Sabellicus eorum temporum æquales commune pacis domicilium, epiſtolæ aliquot editæ venerabile quietis ac libertatis Italiæ templum nuncupauerunt: quod nulla ferme pax tot annorum ſpatio non ibi conueniſſet. Cardinalis arbitrio Leonello tamen conſulto permiſſum, cum omnibus Italiæ Principibus liberisque populis pacem fœdusue inire. Ferrariam cum Kal. Iul. veniſſet, ob illam ipſam cauſam affuere Neapolitani, Venetorum, Inſubris ac Florentinorum legati. poſt multas altercationes decretum eſt, delibera-

liberaret Philippus inducias in quinquennium cum Venetis & Florentinis paciſci mallet, ita vt eadem vtriuſque poſſeſſio maneret, an pacem accipere Cremona tradita, & receptis, quæ Veneti trans Abduam occupaſſent præter Caſſanum, quod Pontifex fidei ſuæ creditum vt cōueniſſet, ei redderet, qui bello prouocatus fuiſſet. In hoc ipſo legatorum conuentu actum eſt de Bononienſibus ad obſequiū ſanctæ Sedis reuocandis; qui priuſquam vis intentaretur, Nicolao alioqui ciuitati acceptiſſimo, dum paucorum dierum interuallo ſacris apud eos præfuiſſet, parere in animum induxerunt. Pontifex ſummum tantum ius ſibi aſſerebat, libertatem illibatam relinquebat ita, vt Decuriones & Tribuni tum plebis, tū quibus legum atq; iuris cura eſſet, & XVI. viri cum legato eodem in prætorio habitātes omnibus de rebus arduis ſimul deliberarent. conditiones itaq; quinis denis capitibus deſcriptas alicubi moderatus omnes deinde approbauit. tabellario cum litteris ad Philippum miſſo, quæ poteſtatem facerent vtrum mallet inducias, an pacem eligendi, nuntiatur illum Id. Aug. mortem obijſſe tam præter ſpem, vt multi crederent graui apoplexia correptum, alij, quibus tota res exploratior eſſe poterat, mortis cauſam referrent ad lethale ventris profluuium, quod diuturnus ac perleuis morbus repente cōmouiſſet. Ateſtinus id ſibi quamprimum relatum Sfortiæ apud Cotignolam ſtatiua habenti, atque animi incerto ſtatim ſignificauit; cui percōmodum accidit, quod copias illo promouiſſet, ac rem non niſi poſt aliquot dies vulgo notam de Leonello tam opportune cognouiſſet. itaque perrexit in Galliam citeriorem ex multis partibus fluctuantem, maxime Mediolanenſium conſpiratione, quibus ſtudio libertatis fixum deſtinatumque fuit rempub. per ſe adminiſtrare, nulli deinceps parere, exiſtimantibus id & honeſtum, & omnibus vtile fore. Sfortiæ vni maxime aduerſi atque infeſti in re tam ardua extiterūt Veneti haud diſſimulantes iure belli omnia licere ſibi in hoſtis fortunas. regum duorum, quorum cauſa & ius in regnum Mediolanenſe non paulo æquius erat, Francus parum negotij, Germanus nihil prorſus exhibuit. Quoniam autem Carolus Dux Aurelianenſium Valentinæ heres extincta Vicecomitum ſtirpe regnum ſibi vindicabat, idemq; poterat iactare Cæſar, cuius foret beneficium, non erit alienum ſi propoſita familiæ ſerie doceamus, eam re vera in Philippo Maria defeciſſe. quo facto ſimul etiam breuiter recenſebimus eos, de quibus in Ateſtinorū factis explicandis neceſſario mentionem fecimus: adde quod gentis vtriuſq; non ſemel mutua extitere connubia. Aliprandus fato functus anno a Christo nato quinto & ſexageſimo ſupra

pra

pra milleſimum Othonem ſuſtulit: is Andreã & alterum Othonem: Andreas Galuanum, Otho Vbertum Mediolanenſium prætorem, & Ioanniolum procreauit. ex Vberto nati Otho III. Archiepiſcopus Mediolanenſis, Azo, Opizo, & Andriotus: ex Andrioto Thebaldus, & Petrus Bergomatium prætor: ex Petro Lodriſius & Gaſpar: ex Thebaldo Matthæus Magnus omnium primus Mediolanenſium princeps, & Vbertinus Comenſium prætor: ex Vbertino Otholinus, qui Caſtellertum poſſedit. Matthęus Magnus Galeatiũ, Marcum, Luchinum & Ioannem, qui excepto Marco poſt patrem ſuo quiſque loco imperarunt, genuit, nec non Stephanum. Galeatius Azonem III. qui & ipſe poſt Galeatium regnauit: Luchinus Luchinum, Borſium & Foreſtinum: Stephanus Matthęum & Galeatium vtrumque eius nominis Secundum, Bernabouem ſexto gradu Principes genuit. ex Bernaboue Marcus, Ludouicus, Carolus, Rodulphus & Maſtinus: ex Ludouico Ioannes: ex Carolo orti Marcus & Ioannes, qui apud Bergomates principem locum tenuerunt: ex Maſtino Bernabos. Galeatius II. Ioannem Galeatium inter Principes ſeptimum, Ducem primum ſuſtulit: ipſe Azonem, Ioannem & Philippum vtrunque Mariam cognomine Inſubrium item Duces: Philippus Blancam modo nec eam iuſtis nuptijs quęſitam reliquit. Igitur Aurelianenſis iactans regnum non ad Sfortiam, cui Blanca nupſerat, ſed ad ſe omnino pertinere, vtpote Ioannis Galeatij ex Valentina filia, quæ Ludouico nupſiſſet, nepotem ciuium ipſorum voluntate illud ſe conſequi poſſe ſperauit, fretus auxilio Caroli VII. Francorum regis patruelis ſui, qui quando Alfonſus Tarraconenſis in Italia ampliſſimas opes parauerat, ea & ipſe Francorum imperium propagari cupiebat. Rainaldus regijs in ſubalpina regione præfectus Caroli iuſſu propius Mediolanum per ſpeciem oppidi aduerſus Sfortiam tuendi copias moturus Alexandrinos fines irrupit vaſtauitque: inde alia non paulo maiora ſpe præcepit. Federicus vero Auſtriacus ſexto iam ante anno Alberto Cæſari ſuffectus, qui biennio tantum imperauerat, ſuperſtite Ladiſlao filio impubere Hungariæ & Boemiæ rege, quod pupilli tutelam cepiſſet, & de paterna hereditate cum fratre contenderet, Pannoniæ Auſtriæque motibus non ſine magna iactura exagitabatur. Etſi igitur pro regno ſui iuris bellum in Sfortiam ſumere licuiſſet, quod per occaſionem poſtea non diſſimulauit, vi tamen abſtinuit, cum ad tantam rem moliendam non ſatis paratus eſſet, vtpote alibi occupatus. adde quod qui per eos dies Galliam rogatam inuaſerant, non modo regionis, ſed etiam locorum munitorum periti erant

ti erant continentibus bellis eruditi, magnasque habebat opportunitates, quibus ipſe Federicus prorſus caruiſſet. verum priuſquam Sfortia hoſtem ſe Mediolanẽſium profiteatur ſuis, illorumq; & Venetorum viribus penſatis conſilium callide diſſimulat, ac pro Inſubribus bellum aduerſus rempub. ſuſcipit, ratus hanc vnam eſſe maxime expeditam cõſequendi principatus rationem, ſi Venetos procul arceat: interim ſe ſe vltro dedentes in clientelam ac fidem recipit. Hoc rerum ſtatu Nicolaus, ſi tum vixiſſet, propter Mediolanenſium egregiam in ſe voluntatem non par Sfortiæ, ſed longe ſuperior futurus erat. Leonellus haud perinde ijs notus, acceptusq; ſatis ſibi eſſe duxit, ſi adiutor eſſet, quo ſi non opes pararet, ſaltem gratiam apud præpotentem & omnium linguis celebratum virum colligeret; quod tantum onus, vt ipſe conijciebat, prægraue toleratu ſuſcipere non audebat, & natura ad pacis ſtudia vocabatur. itaque petentibus Ticinenſibus per Albericum Maletam oratorem, vt ciuitatis imperium acciperet, eos ad Sfortiam reiecit. atque ita paulo poſt titulo Comitis honeſtatum principem ſibi legere. exemplo moti Dertonenſes quo tutiores forent, eius & ipſi fidei ſe pmiſere. Poſt cũ Ludouicus Sabaudus in ſubalpina regione fines prolataret, domi vero Ioannes Ferratenſis, Genuenſes ex alpibus in ſubiectam planitiem ſe dimitterent, ad hæc Veneti iam Placentiam tenerent, ac certatim finitimi pro ſe quiſque ampliſſimum imperium quaſi pro derelicto habitum diſtraherent, Leonellus & ipſe occaſione allectus, quã ingenio ſuo vim attulit, non grauate Sanuitalianos audijt Parmam regno ipſius opportuniſſimam libẽtiſſimis ciuibus offerentes, Coutiagumq; & Caſtrum nouum oppidula vltro ſe tradentia in fidem recepit. Franci ductu Rainaldi Alexandrinos vexabant: Veneti pręfecto Attendulo Columbano imminentes Mediolanenſes territabant. Sfortia quod ſatis copiarum in vrbe eſſet ciuibus perſuaſit, vt p ſe vrbem tutarentur, ipſe Placentiam adoriri ſtatuit, tum ne Venetis, quos multo magis quàm Francos metuebat, ea aditus pateret, tum ne Parmẽſes a ceteris diſcluſi obſequiũ exuerent. præterea Placentiæ expugnatio ad reliqua obtinenda viam muniebat. erant in caſtris Sfortianis armatorum octo millia miles veteranus, & celebres ordinũ ductores quattuor Carolus Gonzaga, Franciſcus Picininus, Guido Antonius Manfredus, & Aloiſius Vermius, quos ſtatim poſt Philippi mortem ſollicitauerat Raimũdus Bouilus Alfonſi legatus, vt ei militarẽt, ac regnũ illud defenderent. etenim qui erant in pſidio Tarraconẽſib⁹, quos Inſubri ſubſidio veniſſe memorauimus, in arcẽ acceptis Alfonſum ipſum principem conclamauerant:

uerant: ciues tum ſuapte ſponte ambigentes regem an Sfortiam mallent, tum vtriuſq; ſtudioſis inter ſe diſſidentibus libertatem atripere ſtatuerũt, exiguaq; pecunia redẽpta arce eos præfectos ad ſe traduxerunt. Franciſcus poſt aliquot naues hoſtium ab ipſius claſſe deuictas cum Padum amnem ſuæ poteſtatis feciſſet, ita vt Attendulo intercluſo libere commeare liceret, ad Placentiam poſuit caſtra quattuor obiecta portis aduerſus ciuium, ſi fortaſſe id auſi fuiſſent, eruptiones: ipſe certo loco equitum ac peditum ſuorum robur continuit: reliquas copias Gonzagæ, Picinino & Manfredo, nec non Vermio attribuit. Thadæus Ateſtinus ſub hoſtis aduentũ cum duobus equitum, tribus peditum millibus oppidũ ingreſſus fuerat: totidem ac mille amplius milites ex delectu vrbano confecerat. cum hac de cauſa Sfortia, tum quia cõmeatus, oĩaq; ad longum bellũ neceſſaria abunde ciuibus ſuppetebant, & Octobri menſe hiems inſtabat, oppugnationem non obſidionem ſtatuit experiri. Erat quidem Ateſtinus dux vetus, ac militarium artiũ apprime peritus, munusq; ſocio Gerardo Dandulo impigre obibat; ſed ætas ingraueſcens nequaquam par tanto labori, ac multo maxime eorum pauor, qui rei militaris ignari militum numero habebantur, in cauſa fuerunt vt aliquanto intentius cuſtodiri poſſet agger ad receptum introrſus prudentiſſime excitatus, qua hoſtis in oppidum irrupit. ad id præſidij Thadæum adegit murus qua parte minus firmus erat tormentis decuſſus, ante validioris munimenti ergõ præalta foſſa ducta. quod niſi pons in opere verſantibus percommodus per obliuionem incolumis manſiſſet, fortaſſe oppugnatio eius diei, nempe XVII. Kal. Jan. irrita fuiſſet. hoſtis ſane partim vim admoueri, partim pluribus ſimul locis ſigna canere iuſſerat, ac militum promptiſſimi per ruinas, quæ facilem aſcenſum in nouum aggerem præbebãt, enitebantur. ceterum iam ſe inclinante ſole parum adhuc profectũ, exigua quoq; in poſterum ſpe fuerat: quinimo veterum militum maxime ſtrenui in eam rem delecti cum foſſæ appropinquarent ſinguli virgultorum faſciculum ad eam complendam geſtantes partim interfecti ſunt, partim repulſi. ſed locus, de quo dicebamus, haudquaquam ciuibus prouiſus, nec ſatis firmo præſidio munitus hoſtem eo repente illatum aggeris potentem effecit: oppidani paſſim diſtributi pro eo, vt cuſtodias agerent, atque vnde plus periculi offerebatur, ſe ſe opponerent, in effuſam fugã ſe coniecerunt dilapſi domos quiſq; ſuas, ac ſi deſertæ munitiones tecta & priuatas fortunas tutas inuiolatasque præſtarent. Sfortia, qui ſe tantiſper ictu maioris tormenti ſuffoſſo equo, ac tantũ non perſtricto dextro crure ex caſu cõfirmaſſet,

patentibus portis inuectus Thadęo vnà cum Dandulo in arcē elapſo ſignificauit, ni confeſtim ſe ſe dederet, poſt nō eandem facilitatem experturum. ille, qui tueri arcem nequiret, omni externa ope deſtitutus biduo poſt deditionem fecit: Dandulus ab Florentiola ex fuga retractus eſt. Sforttiæ felicitatem in potiundo oppido ſpeculatoris cuiuſdam opera, quod ad memoriam maxime eſt inſigne, longe plurimum adiuuit. agricola cum ab Attendulo ad obſeſſos litteras perferret, forte fortuna captus ab Sfortiano milite, ab eodē ſupplicio eſt ſubtractus dictitāte e re eſſe comiter haberi hominem, & copiam vltro citroq; commeandi fieri, nunquam ea vt tranſiret, quin cui id munus foret demandatum, ante conueniret. accidit aliquando vt Albertus Scottus Attendulum per litteras moneret Placentinos obſidione poſſe liberari, ſi Mediolanenſes coacti Franciſcum inde reuocarent; id vero ſtatim futurum, atq; ille in Septrienſem agrum opulentiſſimum exercitum induceret: ibi qui plurimum in repub. poſſent, maximam fortunatum ſuarum partem, magnificas ædes, amœnos hortos poſſidere, quæ diripi ac vaſtari iniquo animo laturi ſint. epiſtola, quæ alioqui Attendulo reddita omnia Sfortiæ conſilia euertiſſet, non ab eo ſolum fortunæ beneficio fuit intercepta, ſed etiam repertus ſcriba, qui occultis notis exaratam interpretaretur; præter hanc vnam reliquæ claſſis Venetæ auxilium poſcentes dimiſſæ. claſſis, ſiquidem obſidio intentaretur, ſine dubio in tempore affuiſſet; ſed cum oppugnare vrbem decreuiſſet, ad diem conſtitutam nullo modo adeſſe poterat: ita agricolæ ſolertia eo minus ſuſpecta, quoniam Attendulus pecunia clam militem donaſſet, quem ille itineris ducem laudauerat; nihil ferme paulo grauius, quod apud illum gereretur, Sfortiam latebat. oppido fœde direpto, ita vt victorum inſolentia ab ſacris rebus & virginibus vix temperarit, qui præ cupidine prædæ & effrenata libidine, quidquid animo collibuiſſet, vel manus poſſent attingere, raptabant, violabant ne cædibus quidem, dum de præda inter ſe decertāt, parcentes, multæ ob illatas iniurias controuerſiæ & contentiones, multa capitalia odia toto prope exercitu extiterunt. Franciſcus, qui Thadæi licet captiui magnam apud omnes eſſe auctoritatem ſciret, tum propter ſummum familiæ ſplendorem ac nobilitatem, quo nomine Marchionis & ipſe titulum vſurpabat; tum propter nō exiguum in re militari vſum diſcordias, quæ tribunos diſtinebant, atque ab ſe fortaſſe alienare poterant, omnes ad eum reiecit. Ateſtinus magna cum omnium approbatione finitis odijs ab Sfortia dimiſſus ad Venetos, quorum auſpicijs merebat, redijt. Alibi quoque, qua

extremi

extremi Inſubrium fines ad alpes vergunt, proſpero euentu pugnatum eſt cum Gallis, quos Rainaldus in aciem eduxerat indignatione potius quod laceſſeretur, quàm quod belli ratio ita poſtularet: ſcilicet Bartolomęus Culeo equitibus mille, Aſtorgius Manfredus quingentis inſtructi audactet vltro eum inuaſerant, cum Boſcum, id eſt oppidulum haud procul Alexandria, deditionem facturum ſperabat; Sfortia vero petentem vti cũ Franco rege ſocietatem iungeret, cõtemptim ac peracerbo reddito reſponſo ab ſe reiecerat. Galli ea quaſi ignominia irritati, ac bellum longe quàm initio putarant difficilius experti fortuna ſatis a principio læta quotquot Itali in manus venere, omnes iugulauerunt. ceterum Inſubres reſtitutis ordinibus, ac recenti ſubſidio confirmati eos ad internecionem ceciderunt, ducem ipſum ceperunt. Huius ipſius anni quadrageſimi ſeptimi exitu Veneta claſſis nauium LXX. in quibus duo & triginta myoparones numerabantur præfecto Andrea Quirino ad Caſale maius nauigauit plane intempeſtiue; iam enim matura hieme Attendulus trans Ollium, Minciumque & Atheſim exercitum in hiber-
1448 na diſtribuerat. Subſequenti Sfortiam magnopere exercuerũt cum Veneti, tum Franciſcus & Iacobus Nicolai Picinini filij, qui duces Braccianorum militum per ſpeciem amicitiæ internuntio Dandulo ad Florentiolam ab ipſis capto mox dimiſſo, non ignaris Patribus conſilia aduerſus Sfortiam coquebãt, magiſtratibus etiam Mediolanenſibus identidem occinentes, qui tria nobilia oppida in poteſtate haberet, & reliqua paulo poſt conſequuturum. at ille ſuſpectis Picininis cum amicos & obnoxios nouis in dies meritis magis obſtringeret, principio Maij cum exercitu & tormentis aliquot caſtella circumuectus Attendulum prohibuit ne claſſi ſubueniret, quæ ab Cremonæ obſidione in veterem ad Caſale maius ſtationẽ redierat: in eam tormẽtis ab terra petitam eodem tempore naues Ticino deuectæ impetum fecerunt. Quirinus victus, quo hoſtis minorem ex victoria fructum caperet, quam potuit plurima nauigia incendit. naualem terreſtris quoque clades cumulauit. quippe cum Franciſcus exercitum Carauagio admouiſſet, vti ſimul cum oppido expugnato Laudenſes per ſe exiguo labore conciderent, Patribus, quid præfectis copiarum videretur, libuit ſciſcitari. Attendulus, Gonzaga & Culeo auctores erant ne forte ſubirent caſum vniuerſę dimicationis, ſubſidio ire ſuperſederent, hoſtem, qui obſidionem diutius ferre non poſſet, aliter fatigarent. contra octo nobiles Tribuni, atq; vnus maxime inſignis Gentilis Leoneſſa affirmare aperta vi profligari hoſtem, perque obiecta munimenta ad obſeſſos penetrari oportere.

oportere. Id cum Brandolinus Patribus perſcripſiſſet indignabundus Sfortiam in oculis exercitus Veneti tantum audere, & quod alij ſimpliciter & more militari expoſuiſſent, ipſe verbis in maiorē modum amplificaret, hæc ſententia accepta eſt, altera repudiata. Patres Attendulo imperarunt in leuanda obſidione exequeretur quod Gentilis monſtraſſet. ita poſtrid. Id. Sept. Siluam verſus, ita locus vulgo appellatur, caſtra in Franciſcum mota: qui hoſtem ſe ſe inuehentem ſingulari arte inſtructo exercitu excepit atque ſuperauit. ex præfectis venere in poteſtatem ipſe Gentilis, Vido Rangonus, Robertus Montalbottus, Iacobus Catalanus, & duo Veneti legati. Culeo Bergomum incolumis ſe recepit. Attendulus & Gonzaga cum aliquandiu loco anguſto reſtitiſſent, quantumque in ipſis fuiſſet, hoſtis victoriam morati ſibi etiam conſuluerunt. confeſtim victor vltro deditione ab oppidanis facta in Brixianorum fines ducit; complura caſtella voluntate incolarum recipit, atque ad vrbem obſidendam ſe comparat. Franciſcus Picininus paternæ aduerſus Sfortiam æmulationis heres cum tantam felicitatem ferre non poſſet, Mediolanenſes ante accenſos obiter monere cœpit, ne maioribus incrementis hominis potentiam creſcere ſinerent, & qui ad exercitum reuerti debuiſſet, profectus in Laudenſium fines cum Intemelij & Sancti Seuerini Comitibus copias coniunxit. earum criminationum vim atque pondus Sfortia cognouit partim ex litteris Eraſmi Triuultij ad Vitalianum Borromeum interceptis, quibus illi mandabat vt reliquos præfectos a Brixiana expeditione auerteret; partim etiam ex Leonelli epiſtolis, qui hoc ipſo anno fœdus cum eo percuſſerat, & propter paternas Mediolani neceſſitudines, quarum etiam nonnullę poſt Nicolai obitum manſerunt, occulte magiſtratuū conſilia explorata habebat. illi vero ſtatuerant nō Brixianos modo ſeruare, ſed cum Venetis ēt pacem facere. verum cum nihilo ſegnius obſidio procederet, & Mediolanenſes ſpe obtinendæ Laudis Pōpeię prolixe Venetis polliciti eos municipes in diſcrimine verſati paterentur, Patres in agro Veronenſi delectum haberi iuſſerunt, & ab Hetruſcis auxilium petierunt. illi poſt demptum metum Neapolitani domum digreſſi, a quo in agro Volaterrano vexati, & compluribus caſtellis exuti fuerant: itemque poſt inuitatos ſtipendio Federicum Vrbinatium Comitem, & Sigiſmundum Ariminenſium regulum, tametſi ante claſſe ab Alfonſo victi neſcio quam inſulam amiſiſſent, tamen illum ipſum Malateſtam cum duobus equitum millibus, Gregorium Anglarium cum totidem peditibus ſubſidio miſerunt. Attendulo propoſitum erat per montes in Brixianum euadere, fre-

re, freto in primis vtriuſque Picinini præſidio, qui per ſpeciem redeundi in caſtra penetrare in oppidum conſtituerant. Patres minime ambigentes haſce moras de induſtria a Mediolanenſibus necti, Paſchali Maripetro aſſenſerunt ſuadenti, vt per Angelum Simonettam Sforziæ ſcribam cum eo tranſigerent. ſecundum pacem Inſubres & ipſi ante peruicaciores ad Sfortiam vel inuiti inclinare cœperunt. is Picinino tuente Laudenſes, qui poſt captum Carauagium in Mediolanenſium poteſtatem ſe dederant, ad Abduam cōtendit, quoque ibi tutum ab hoſtibus pontem efficeret, Macaſturnam tradentibus Erneſto, Onofrio & Chriſtino fratribus perantiqua familia Beuilaquia ortis recepit. mox cū profecto ex caſtris Carolo Gonzaga cum MCC. equitibus alij præfecti exemplo adducti idem facturi eſſent, Franciſcus eos in officio cōtinuit, pecuniæq; & militis egens a Florentinis, Ioanne Fregoſio Genuenſium principe, cui Druſianā filiam in matrimonium collocauerat, & a Leonello opem implorauit. Per eoſdem dies Iacobo Picinino Placentiæ mœnibus a ciuibus excluſo eò perrexit, oppidumq; Thomæ Thebaldo cōmiſit præſidio ſexcentorum equitum: inde ad exercitū reuerſus inito iam Decēbri eum in circumiectis caſtellis in hiberna diſtribuit. at vero ſub idem tempus occupata Binaſci arx vſq; adeo efferauit Mediolanēſes, vt inſuper oratione Georgij Lamponiani inflāmati nouas copias cogerent, Cæſarem, Alfonſum, Allobrogem legationibus ſollicitarent, litteras conuiciorum in Sfortiā pleniſſimas ad Francum regem, ac Delphinum & Burgundionem ſcriberent: in ſumma teſtarentur imperium ipſius morte ſibi triſtius futurum. ille interim Abbiate occupat, magiſq; ac magis in dies commeatus ſpem ciuibus præcidit. Veneti metuētes ne rex Francus, vel Aurelianēſis, aut Allobrox a Mediolanenſibus accerſiti Galliam citeriorem ſui iuris facerent, rati multo ſatius eſſe Sfortiam ea potiri, quàm vel ſinere Francos in tam opulentæ regionis poſſeſſionem venire, aut Allobrogem ad ceteras opes has quoq; adijcere, eius cauſam complexi duo millia peditum duce Antonio Marcello in caſtra miſerunt. Florētini ijſdem rationibus ac certiſſima illa regula adducti diuiſas opes minus eſſe formidabiles, Coſmum Medicem Sfortiæ amicum hominem ad eum legauerunt, qui teſtaretur ciues grauiſſimis ſumptibus bello cum Tarraconenſi geſto attritos haud quidem argenti copiam habere; ſed vt quam maximam liceret dignitatem eius cauſæ adiungerent, dum ſoceri imperium ſibi pararet, legatum decreuiſſe id munus deinceps apud ipſum obiturum. Sfortia pluribus circa Larium lacum atque in agro Nouariēſi caſtellis occupatis, quæ imitata Lancelottum Vi-

cecomitem vltro ſe ei permiſerunt, Ticinum traiecit: caſtra ad Nouariam metatus intra biduum oppido potitur, Romagneſium in prædam militi concedit, Dertonam recipit: Alexandrini vt in Ferratenſis reguli fidem ſe dedant finit; qui Parmam tenter Pado Alexandrum fratrem deuehi, ac paulo poſt ſubſequi iubet Bertoldum Ateſtinum magnæ ſpei adoleſcentẽ, qui Thadæo patre vita functo honeſtiſſimo deinde loco Venetis militauit. poſtremo Iacobũ Catalanum, Chriſtophorum Tolentinatem, Ioannem Comitem cum mille & trecentis equitibus eodem mittit; ſed cum Marcelli litteræ, quibus totam rem, ac ſimul nomina centurionum oppidum prodẽtium Patribus perſcribebat, in hoſtium manus perueniſſent, exemplo eo contenderunt, qui fraudis iam retectæ cõſcios ſuſpendio necarent: illis fuga elapſis coactus eſt Alexander ad vim inferendam ſe comparare. interim Braccianis admodum depreſſis, quorum permulti ad Sfortiam tranſiuerant, Franciſcus Picininus cum hac de cauſa, tum deſertus ab Antonio & Andrea Landriano ſe ſe & Inremelij Comitem cum eo coniunxit pactus filiam Druſianã ãnre Ioanni Fregoſio locatam, ac tum viduam Iacobo fratri vxorem. Sfortiæ eximia felicitate inuitati nonnulli ciues Mediolanenſes clam inter ſe conſpirauerunt de tradenda illi patria; ſed deprehenſis conſilij indicibus litteris, notisque a magiſtratu expoſitis Carolus Gonzaga, vel quod regnum illud volũtate ciuium affectaret, vel quod propter Mantuæ vicinitatem tantas opes homini excellenti virtute prædito deferri non ſatis probaret, coniuratos & fraudis participes vltimo ſupplicio plectẽdos curauit. Principio inſequentis anni Parmenſes 1449
hominis fortuna nonnihil territi, ac quod hactenus deditionem facere diſtuliſſent veriti ne mox duriore conditione in ditionem Sfortiæ venirent, præſtare exiſtimauerunt ſi Leonellum Principem aſciuiſſent, cuius finitimi ac prævalidi auxilium in promptu foret, imperium iuſtum & clemens Nicolai patris exemplum & Ateſtinorũ, qui olim apud ipſos magna cum laude regnaſſent, nondum intermortua memoria ſponderet. At Leonellus, qui Sfortia multo inferiore, Gallia togata vndiq; diſtracta veſtigijs inſiſtere paternis auſus non fuiſſet, ancipiti ac turbulentæ amplitudini ſtabile & tranquillum patrimonium prætuliſſet, vbi eam ſibi occaſionẽ oblatam, ſimulque Alexandrum fraternis conſilijs & auxilijs aduerſus Iacobũ Picininum ſubnixum cernit, ſi forte, a quo quidem non multum abeſſe videbantur, manus conſererent, prælij euentum ſtatuit operiri; vt ſi Alexander inferior diſcederet, ipſe fortaſſe Picinini ope oppidum vltro oblatum deinde retineret. ſæua vt cum maxime hiems

haud

haud ſane bellum laxauerat; ſiquidem Iacobus tranſgreſſus Tarum cum mille equitibus, totidem & quingentis amplius peditibus mille ab oppido paſſus circiter octingentos equites, duo millia peditum præfecto Carolo Campobaſſio ſibi adiunxit. Alexandro Filini ſe ſe continenti haud procul Colecchio, cum iter eò intenderet, Picininus de improuiſo ſuperuenit: Sfortiani complures loco ceſſerunt: dux ad vim arcendam ceteros ad ſigna coegit. Picininum, dum ille acies inſtruit, in tranſitu neſcio cuius foſſę Iacobus Salernitanus parua cum manu ſuſtentauerat: Parmenſes, ſimulque auxilia tantæ recentis multitudinis interuentu in fugam ſunt coniecta Carolo duce vix elapſo: Iacobus nocturnis tenebris tectus celeriter Florentiolam rediit. His ipſis diebus Ateſtino Venetias profecto, vti pertentaret Patres, quo animo accepturi eſſent, ſi Parmenſes deditionem pollicentes reciperet, renũtiatur Bartolomęum Culeonem cum duobus equitum millibus, peditibus quingentis cum Alexandro ad Parmã hęrenti ſe coniunxiſſe: ciues quod ſæpe antea etiam atque etiam petere. verum qui ea de re cum Patribus iam collocutus fuiſſet, ſtatuit conſilium ſuſpendere, quoad illi, quid ſibi placeret, declaraſſent. Foſcarenus princeps de Senatus ſententia, qui eius regni partẽ tranſpadanam vtpote Veneto imperio propter vicinitatem magis opportunã mallet, nec Ferrarienſem Parmæ acceſſione locupletari æquis oculis aſpiceret, reſpondit Patres fœdere obligatos Parmenſi expeditione Franciſco deeſſe non poſſe; qui municipium illud recepiſſet, eum pro hoſte Veneto futurũ. at Leonellus, qui de ciuium egregia in ſe voluntate Sfortiam feciſſet certiorem, vbi eum ſibi aditum pręcluſum animaduertit, eodem tempore & ab ipſo gratiam inire, & Parmenſibus prodeſſe voluit. quippe oſtendit eos, cum ſe in Nicolai patris fidem permiſiſſent, exiſtimaſſe paterno heredi & illam ciuitatem deberi. Itaque cum veniam & clementem ciuibus dominationem impetraſſet, Parmenſibus ipſis auctor fuit, vt primo quoq; tempore quam maxime æquis cõditionibus Alexandrum mœnibus acciperent. ſub hæc Franciſcus Mediolanenſes acrius circumuenit, qui ſtimulante Maria Philippi vxore nequicquam Allobrogem appellauerant. Interim Veneti per Sigiſmundum Malateſtam & Sacromorum Vicecomitem ab Sfortia in eandem expeditionem miſſum caſtella ferme omnia inſulę Fulcherię ceperunt Crema excepta, ac propterea obſidione cincta; cumque Sabaudus vallem Laumellinam & agrum Nouarienſem euaſtaret, Franciſcus litteris ad Felicẽ Pontificem datis de Ludouico filio expoſtulauit, qui fines alienos attingeret. reſcripſit pater imperio ſe prorſus filio ceſſiſſe, nolle

quæ ille faciat ad curam atque arbitrium ſuum reuocarè, præſertim cum acta præſcriptione fœderis Mediolanenſis defendat. Leonellus vt, quæ Sforſiæ verbis promiſiſſet, re præſtaret, officiumque in negocio Parmenſi exhibitũ nouis in dies meritis augeret, efflagitanti auxilium in tanta neceſſitate, ex qua ſi emerſiſſet, omnem deinde cum eo proſperam fortunam eſſet communicaturus, duce Alberto Pio octingenrorum equitum alam, & pedites CCCC. ſubmiſit; quæ manus vna cum Conrado Sforſiæ fratre agrum Vercellẽſem magno cum hoſtium terrore peruagata citra amnem Seſiam Allobroges prælio ſuperauit compluribus captis, in his Ioanne Campeſio Allobrogis copiarum omnium præfecto. Senatus Sforſiæ quidem, vt eſt a nobis dictum, aderat, quod ei potiùs quàm cuiquam alij Inſubrum imperium partum mallet. ceterum occaſioni intentus, ſi forte aut voluntate popularium, aut vi trahere ad ſe illas opes poſſet, Marcelli conſilium non eſt aſpernatus, qui ex caſtris ſcripſerat Franciſcum in expugnanda Marignani arce non minorem rei militaris peritiam, quàm animi corporiſque robur in perferendis laboribus præ ſe tuliſſe, ſi reliqua ſubigeret fore plane formidabilem: Mediolanenſibus in eas anguſtias redactis ſummo eſſe odio, ita vt palam affirmarent vel regi Thracio, ac malo potius dęmoni ſe tradituros. ipſum ab pecunia admodũ imparatum, milites feſſos, ac bello prope inutiles eſſe: ciues præ extrema inopia ac domeſticis diſcordijs ꝑ ſe ſtare amplius non poſſe: recte itaq; facturos Patres ſi a Franciſco ad Mediolanenſes defecerint, ac fortunam eius imperij quoquo modo occupandi tentauerint. probata Marcelli ſententia quamquam nutare iam inciperent, nihilo tamen ſecius ſpes Cremæ ꝑ obſidionem potiundæ rem aliquandiu extraxit. cum vero Carolus Gonzaga neſcio qua contumelia affectus oppido exceſſiſſet, eius opera Laudenſes Sforſiæ, Cremenſes Venetis ſe permiſerunt: nec Patres, qui nuper dedi Parmam Leonello prohibuiſſent, ipſi Crema abſtinuerunt, quam iam tum etiam affectaſſent, cum Cardinalis Morinenſis ac Leonellus de ineunda pace cum Philippo egerunt; nec porro, ſi qua præterea proferendi imperij occaſio ſe ſe offerret, videbantur finem facturi. Franciſcus Alexandrum fratrem, Angelum Simonettam & Andream Biragum Venetias legauerat cum mandatis componendæ cum Mediolanenſibus pacis: ibi quidam ſenatores in maius extollentes reipub. beneficia in Sforſiam, quibus contentus eſſe deberet tantis opibus ac dignitate auctus, ab legatis metu carceris ſubactis extorſerunt, vt pacem arbitrio ſenatus factam haberent ratam: ijque mox Ferrariam clanculũ elapſi Franciſcum de omnibus

rebus

rebus certiorem fecerunt. conſulti ea de re Ticinenſes iureconſulti reſponderunt, quoniam procuratores mandati fines exceſſiſſent, nihil ei fraudi fuiſſe, eoque in primis nomine rati habitionem minus valere, quod non voluntaria, ſed minis, iuſtoq; metu expreſſa fuiſſet. Leonellus, quo cum interim Alexander fraternam amicitiam arctius aſtrinxerat, Ferraria diſcedenti multa liberaliter pollicitus paulo poſt p Regienſium fines frumento Laudem comportato, quo quidem plurimum indigebat, Sfortiam ſubleuauit. re frumentaria prouiſa, quod ei primum ſemper ac præcipuum erat, cum bellum ab Veneto imminere ſciret, cum Allobroge, de quo maxime ſollicitus erat, pacificauit: eo leuatus onere hoſtibus Abduã verſus maiora præſidia oppoſuit. Iacobum inde Picininum cũ ijs, qui Montemealeum a ſe oppugnatum inſederant, vires iungere parantem compluribus Braccianorum ac Mediolanenſium captis fudit, fugauit. extemplo Malateſta alij montis cuſtodiam cõmiſit: ipſe trans flumen pręproperа fuga ſe recepit. victor fortunam ſtrenue vrgens
1450 anno eius ſeculi quinquageſimo Brianzæ quem vocant montẽ, atq; alios nonnullos tenuit, & Bartolomæo Culeone cum Braccianis copias coniungere prohibito, ab ea regione, que ab flumine Abdua Comum vſque exporrigitur, omne Mediolanenſibus ſubſidium intercluſit. Poſt fratris mortem Iacobus Picininus felicitate ac virtute Sfortiæ perterritus internuntio Luchino Palmerio de tranſitione ad eum conſilia cœpit agitare: mox tactus pœnitentia conficta neſcio qua fabula Palmerium, ne res eius indicio emanaret, accuſatum laqueo necandum curauit. obſeſſi intolerabili fame, atque inſuper ſuſpicione in rabiẽ verſi, ne Veneti eius imperij cupiditate tenerentur, præſertim quod Intemelij Comes Canturium ipſis tradere conatus fuerat, in libertatis vindices impetum fecerunt, aliquot interfectis Leonardum quoq; Venerium Venetum legatum peremerunt hominem quauis fortunæ iniuria imperterritum, dum in eo tumultu reipub. nomine verba apud populum facere vellet. In tanta publica calamitate Gaſpar Vicomercatus, quoniam qui de ſumma rerum in primis poterant deliberare, quo ſe verterent ignorabant, diſſerere cœpit Mediolanenſium fortunam præſenti remedio egere: ſalutis, quietis, otij, pacis deniq; lætiſſimæ ſpem in eo poſitam eſſe, ſi Sfortiam virum eximia virtute, Philippi generum, adoptione filiũ, ac prope regni heredem Principem aſciſcerent. ea oratione mitigatis omnium animis Franciſcus IIII. Kal. Mart. incredibili lætitia in oppidum recipitur. Nec id tamen Galliæ ciſalpinæ, quo quaſi ſtatutum in campum omnia Italiæ bella cogebantur, tranquillitatem

attulit: nec quod Gulielmus Ferratenſis Alexandriam Sfortiæ reſtituiſſet, qui ſacro Annuntiationis die Mediolanenſium Dux appellatus fuerat: nec item quod Mantuanus ei militare cœpiſſet: quippe Tarraconenſis & Veneti longe validiſſimi, qui eum offenderant, cũ omnes de victoria gratularẽtur, nullam ipſi legationem decreuerãt. Leonellum ea cura maxime diſtinebat, quod hinc Inſuber commemoratione veteris multisq; mutuis officijs cultæ amicitiæ, & diſciplinæ ab Nicolao ipſius parente hauſtæ ad ſe perliciebat, inde Veneti ſtimulabant, vt per illum in partes traductum Alfonſum regem ſibi conciliarent, qui filia Maria ſuperiore anno extincta nihil de paterno in generum animo diminuerat. pacem nullo operæ pretio inter omnes iungere eſt aggreſſus: ita anxium atque animi incertum vtri an neutri accederet lethalis febris, quæ ſuppurationem in capite genuerat, poſtremo Septembris die vita, & eiuſmodi curis ac moleſtijs exſoluit in ſuburbano Beriguardo, quod Nicolaum iam ante annos quindecim longe ampliſſimum, cuiq; pauca in Italia ædificia conferri poſſint, ædificaſſe narrauimus, cum Margaritam Gonzaga genitam filio vxorem daret. mortuo ea in primis eſt tributa laus, quod ciues iuſte clementerque habuiſſet, & in magnis Italiæ fluctibus ab iactatione tutos præſtitiſſet. at paternos ſpiritus minime æquauit, fortaſſe quod non vt ille militiæ, ſed humanitatis ſtudijs ab ineunte ætate operam dediſſet, tum etiam aliquanto leuioribus, quàm poſt patrum noſtrorum memoria, qui certa quadam ratione ac via oratoriam & poeticam facultatem, ſimulq; eam quæ eſt de moribus, docuerunt. huiuſce rei gratia apud ipſum diuerſatus eſt Guarinus Veronenſis, cuius in concilio Ferrarienſi mentionẽ fecimus, & Angelus Decembrius nobis pariter memoratus, qui ſermones coram Leonello habitos litteris mandauit. principis exemplo eadem ſtudia coluerunt Albertus Pius, Feltrinus Boiardus, Albertus Conſtabilis, Ioannes Valengus, Carolus Nubilonius amicorum intimi, maxime vero omnium Nicolaus & Titus fratres Strotij oriundi Strotia gente apud Florentinos pacis belliq́ue artibus iuxta nobili, cuius quaſi propago magno apud nos ſplendore adhuc viget. horum etiam in numero fuit Vgutio Contrarius biennio ante fato functus, qui cum ingens nomen ſibi peperiſſet, iam affecta ætate ac valetudine, minusq́ue tolerans laboris ad litterarum ſtudia animum appulerat. præter amicos non mediocriter dilexit Theodorum Gazam, Georgium Trapezuntium, Laurentiũ Vallam, & Antonium Beccatellum, magnaque, quod teſtantur illorum temporum ſcriptores, omnes eruditos liberalitate eſt proſequutus;

quutus; ita vt ipſius, atq; Alfonſi regis præſidio in primis niterentur. Poſtera die, quæ fuit Kal. Octobr. Auguſtinus Villa Tribunus plebis ex Nicolai formula, qui, quo quiſque ordine ſuccederet, deſcripſerat, idque populo ratum fuit, Borſium Principem appella-
1451 uit. idem inſequenti anno nimirum primo & quinquageſimo luculenta de Nicolai laudibus oratione habita, commemorataq; aduerſus hoſtes fortitudine, pietate in populares, & ſingulari apud omnes chriſtiani nominis principes exiſtimatione auctor fuit ciuibus, vt æneam ſtatuam equeſtrem inauratam ei decernerent: quæ paulo poſt permiſſu ac nutu Borſij medio in foro poſita eſt. Poſtr.
Kal. Iun. ad mortis Leonelli nuntium caſtellani paganiq; complures in Lucenſi ac Friniana prouincia animos ſuſtulerant tum mutuis odijs, tum, quæ cauſa ibi ferme ſemper viget, ambiguo finium iure irritati, eæque diſcordiæ ad ipſos quoque dominos peruenerant. proinde alijs atque alijs in dies confluentibus non exiguus motus videbatur impendere. at Lucenſes Silueſtro Trentio Ferrariã legato rebus vtrinque reſtitutis ex bono & æquo controuerſias diremerunt. Iam omnibus conſtabat Federicum compoſitis iterum Pannoniæ Auſtriæque rebus, & Felice auctoritate adducto, vti quod dignum erat homine eximia pietate & caritate nulla in tanta maieſtate ſuperbia pontificatũ deponeret; qua re in Cardinalium collegiũ lectus Germanicam deinde legationem obijt, venturum in Italiam cum Ladiſlao ad capiendum diadema de manu Pontificis, nuptiasque contrahendas cum Eleonora Luſitani regis filia. Itaq; Borſius
1452 inſequenti anno XVI. Kal. Febr. Auguſto vltra Rhodigium occurrens honorificentiſſime poſt Ferrariæ eum habuit, donauitq; quinquaginta aquilis aucupio idoneis, quadraginta quam maxime generoſis militaribus equis ornatis ſtragula auro intexta, in qua quidem ipſius Cæſaris Ateſtinæque gentis nigræ & candidę acu pictæ aquilę viſebantur. Cæſar ingenti cum totius populi lætitia exceptus, poſtea quam in celeberrimo vrbis templo Deo gratias egiſſet, orationem ab Hieronimo Caſtellio, quo philoſopho Ateſtinus vtebatur, de familiæ Auſtriacæ, ſuiſque ipſius laudibus habitam audiuit. fuit dies octo Ferrariæ lautiſſimis epulis & ſpectaculis cultus ipſe, & comitatui, qui fuit circiter bis mille equitum lautia præbita. ptidie q̃ itineri ſe daret, conuenit eum ſalutauitque patris verbis Galeatius Inſubris filius; Bononiam, inde Senas ad ſponſam proficiſcentem Borſius ac Mantuanorum regulus Gonzaga, permultique & proceres & legati aliquot millia paſſuum ad turrim, quã ab foſſa vulgo appellant, officij cauſa proſequuti ſunt. Cæſar animo reputans quam

ſplen-

ſplendide a Borſio tractatus foret, atque identidem in itinere dictitans eum regio more viuere, nobilitatemq; Ateſtinam maximis laudibus efferens cum Roma reuerteretur Mutinæ ac Regij Ducem ſtatuit creare cum ſua ſponte, tum procerum ſuaſu, vt in commentarijs teſtatur Pius Pontifex, qui & illud addit, ſibi tum epiſtolarum magiſtro datum a Federico negotium Ateſtinæ gentis, Borſijq; atq; illius dignitatis collaudandæ: quam nemo non rectiſſime collocatã affirmauerit. Eleonora regis Luſitani filia Cæſari vxor deſtinata ipſius iuſſu conſcenſa ad infimam ſinus Adriatici partem naui Venetias peruenerat: inde terreſtri Auguſtum itinere conſequuta Romæ operante Pontifice illi nupſit: ac puella quidem ad Alfonſum auunculum Neapolim perrexit; vir comite Pannonio nepote VI. Id. Maij Ferrariam acceſſit. octauo poſt die ſacro ad patrem aſcendenti Seruatori noſtro, cum Federicus medio in foro apparatiſſimo in ſuggeſtu conſediſſet ornatus veſte imperatoria, eodemque illo diademate, quod ante dies ſexaginta Pontifex ipſius capiti impoſuerat, circumfuſis omnium Italorum Principum ac liberorum populorum legatis; præterea ingenti procerum Germanorum, Húgarorum, atq; Boemorum multitudine, inter quos longe eminebat is, cuius modo meminimus, Pãnonius & Albertus Auſtriæ Dux ac Teriolis Comes Auguſti frater: quod teſtantur tabulæ illa ipſa die ad prodendã rei memoriam confectæ; Borſium Mutinæ ac Regij Ducem, Rhodigij Comitem inſtituit ampliſſimis decretis auro etiam obſignatis honeſtatum. in quibus quidem (mitto vtriuſque oppidi egregium per ſe decus) diſerte expreſſit, id ſe nobilitati Ateſtinæ tribuere, quod ante annum ducenteſimum Federicus II. Ateſtinis etiam Germanis proceribus conceſſerat; cum, vt eſt a nobis ſuo loco expoſitum, ob eandem cauſam Brunſuicum & Luneburgũ pari dignitate, ac ſi integræ prouinciæ fuiſſent, Othoni II. Ateſtino largitus eſt, quod deinde alij Cæſares imitati Ducatus inſtituerunt Lutzelburgenſem & Michelburgenſem, Iuliacenſem, Cleuenſem, Vuirtembergenſem, atq; alia Auguſti iuris atque ditionis oppida. acceſſit ad hoc ornamentum & aliud munus binæ Auguſtales aquilæ coronatæ, quæ ſucceſſerunt motis loco Gallicis lilijs, reiectiſque vbi prius argenteæ pingebantur: eas autem aquilas argenteas Nicolaus lilijs aureis apte interpoſuerat: at breuiore circulo vetus familiæ inſigne argẽtea aquila eſt incluſa. poſt Auguſti munus aquilas illas Duces tantum atque eorum filij natu maiores ſupremæ poteſtatis teſtimoniũ geſtauerũt, reliqui tranſuerſo cognationis gradu coniuncti Nicolai inſigne retinuerunt vtpote gentis, non imperij monumentum. Rhodigij

quoque

quoque Comitatum proprio inſigni diſtinxit. id autem fuit aquila diuiſa partim nigra luteo in colore, partim argentea in cæruleo depicta ad læuam alteri annexa Ateſtinæ gentis ergô; vtriuſq; tamen partis collum & caput diſtincta eminebant, videbaturque Auguſtalis inſtar vna, ſed biceps aquila coronam ſuſtinens: itidem Borſio permiſit, vti alba cera litteras obſignaret. res incredibili apparatu ad hunc modum dicitur geſta. Marchio in veſte aurea pretioſiſſimis gemmis diſtincta, inter quas duæ pileo inſertæ, vna ad læuũ humerũ ceteras longe excellebãt, ad Cæſarem proceſſit præeunte Chriſtino Beuilaqua legato, qui nudum gladium ſtrinxerat, ac ſubſequentibus ternis vexillis, primum quod ipſo inſigni Rhodiginam præfecturam indicabat Franciſco Fortiatello: alterum Mutinenſis ac Regienſis Principatus indicium Vinciſlao Rangono commiſſa fuerãt: tertium omnino purpureum ad exprimẽdam Auguſti poteſtatem ferebat Petrus Marocellus. cum in conſpectum Cæſaris veniſſet genu poſuit; ille ſurgere ac iuxta ſe conſidere, mox puniceum amiculum candidiſſimis pellibus fultum, pileumque eodem colore, cuiuſmodi Duces vti ſolent, iuſſit ſumere; tum porrecto manu gladio, quem prælatum diximus, Ducem Comitemque eorum oppidorum creauit: de qua dignitate omnes ferme tũ Principes, tum populi Italiæ liberi ei ſunt gratulati. Percuſſerant inter ſe fœdus Alfonſus & Veneti, eodemque traxerant Allobrogem & Ferratenſem eo conſilio, vt rex Florentinos Inſubri amicitia cõiunctos bello vexaret, Veneti Mediolanenſem aggrederentur. habebat ille in armis equitum millia XVIII. peditum tria: Veneti equitum XVI. peditum ſena, eratq; tota citerior Gallia in magno metu. alter ex Inſubris fratribus Gulielmum Ferratenſem haud procul Alexandria prælio vicerat; viciſſim alter ab Gentile Leoneſſa exercitus Veneti imperatore in agro Cremonenſi fuſus fugatusque fuerat. Corrigiates ab Alfonſo ſollicitati Parmenſium fines incurſauerant. contra Sfortia multa proſpere in agro Brixiano geſſit, & propinquo hoſti pugnandi poteſtatem fecit: quo quidem prælio vel tota continenti Venetos expuliſſet, vel Galliæ ciſalpinæ dominos impoſuiſſet. Gentilis, etſi Franciſcus inter Caluiſanum & Gedium aciem inſtruxiſſet, certamen tamen detrectauit vel anni tempore prohibitus, nimirum menſe Nouembri, & pluuio die, vel potius ne tantam rem fortunæ committeret. In Hetruria quoque ingentem motum excitauerat irruptio Ferdinandi Calabriæ Ducis Alfonſo nati, cui Florentini Sigiſmundum Malateſtam ſummo cum imperio copijs præfectum oppoſuerant. ijdem auctore Inſubre cum legatos in Galliam ad regem

miſiſſent, vti Renatum Andegauenſem Lotharingiæ Ducem ad recuperandum regnum Neapolitanum transmittere alpes iuberet, ipſique in eam expeditionem quotannis florenorum nummûm circiter millia CC. pollicerentur, Italiam in maiorem modum concuſſerunt, ac ne quid calamitati deeſſet, poſtero anno omnes fere exercitus auxerunt. Veneti in demortui Gentilis locum ſuffecerunt Iacobum Picininum, isq; e veſtigio Quintianum vi cepit, Ponteuicum ad tranſitum hoſti præcludendum obſidione cinxit. Nec quietiores Genuæ res erant Florentij Fano, quod eſt oppidum in Inſula Corſica, ab Ferdinandi claſſe expugnato. Mantuanus in fide & caſtris Sfortiæ erat. Pontifex tum præ virium tenuitate, tum imperitia earum rerum gerendarum ab hiſce turbis auerſus ſuæ tantum iuriſdictioni vacabat. vnus Borſius conſulto bello abſtinebat, ita vt per fines ſuos iter cõmeatumque, pro vt opportunum videretur, his illis ue modo præberet, modo negaret: nec Alexandri Sfortiæ litteris querelarum plenis de eiuſmodi propoſito depelli vnquam potuit. Sed enim Byzantio a Mahomete vi capto XIIII. Kal. Aug. quo die Venetorum & Inſubris copiæ ad Senegam acerrime dimicabant, animaduertens Pontifex, dum Chriſtiani inteſtinis ſe ſe odijs cõficerent, Turcarum opes ſupra modum excreſcere, ac miſeratus religionis cauſam Ioannem Carauagialem Cardinalem Mediolanum legauit, qui Franciſcum ad pacem hortaretur. nec deerat ſpes eam conuenturam, quod Veneti propter Mahometis victoriam magno in periculo verſarentur, ne Alfonſo quidem omnino experte. Borſius quoque eum conatum adiuuit non niſi inſequenti anno ad exitum adductum poſt Renati aduentum in Italiam: qui mox diſcedens Ioannem filium paulo poſt ſe eodem miſſurum affirmauit. Igitur hi Principes liberiq; populi adeo æquatas inter ſe vires facto periculo experti ſunt, vt neutra pars videretur poſſe concidere. Sane Pontifex ab his, qui armis contendebant, legatos, quibus cum de pace ageret, accerſiuerat, ſed fruſtra: quod Alfonſus ab Hetruſcis belli aduerſus eos ſuſcepti impenſam poſcebat: contra illi oppidulum Caſtilionum Piſcariæ vocatum, & damna illata ſibi ſarciri poſtulabant. Veneti Cremonam a Mediolanenſi, vtque Abdua & Ollium vtriuſque imperij finis eſſet petebant; ipſe viciſſim Brixiam, Bergomum & Cremam intercepta in antiquum ius repetebat. Pontifex ratus aliquid ſe profecturum, ſi Tarraconenſis animum ad concordiam perpuliſſet, legatum ad eum decteuir Dominicum Caprarium Sanctæcrucium Cardinalem Firmanum etiam, quod ſacris ibi præeſſet, vocitatum ante pacis internuntium, Borſiumq; vt & ipſe ei rei

1453

adeſſet

adeſſet per litteras rogauit. Neapolitanus cum hoc reſponſo legatum dimiſit, Pontificem quid fieri ſibi placeret de Borſio (quippe cui totam illam diſceptationem ſcriptis codicillis permiſerat) intellecturum. ea vero fruſtratio potius extitit, quàm pacis ineundæ ratio. Veneti cum & diſcrimen a barbaris victoribus reipublicæ imminens attentius contemplarentur, & Franciſcum pecuniç inopia ac ſpe Gallici auxilij irrita quietis aliquanto auidiorem fore non dubitarent, monachi cuiuſdam opera clam agitare pacem cœpere, quæ iam affecta per Paulum Barbum deinde
1454 Laudem miſſum eſt confecta anno eius ſeculi quarto & quinquageſimo. atque omnibus quidem eius beneficio vti licuit; ceterum vnius tantum priuatæ vtilitatis ratio vtrinque fuit habita. quoniam autem Ateſtinus omnium princeps eam pacem eſt amplexus, ceteroſque deinde partim monendo, partim exemplo permouit, ipſeque eam ferme confecit, non alienum videtur ab inſtituto noſtro illius capita paucis nota ordine hic adſcribere. Ea fuere huiuſmodi. Veneti atque Inſuber mutuas iniurias ſibi condonent: edicta, interdicta omnia ab anno vndequinquageſimo ad id tempus promulgata abrogent. ipſi, ſocij, ac populares ab altera parte, ſocijs, eiuſue popularibus vim ac dolum malum abſtineant. vtrius partis ad alteram tranſire qui volent, eos ne recipiant: quin id conantes viciſſim indicent. Alfonſus pacis commodo ijſdem atque Veneti conditionibus per ſe fruatur, modo intra diem quadrageſimum ratam habeat: poſt eam diem ne eadem facultas ſit, neue Senatus aperte occulteue eum ope iuuet. Florentini pari cum Inſubre iure vtantur, ſi intra diem viceſimum pacem approbent: id ni faxint, eius expertes Inſuber nullo modo ſubleuet. idem liceat Ludouico Allobrogi, dum intra dies quadraginta pacem comprobet: necnon Principi, ac populo Genuenſi Inſubris ac Florentinorum ſocijs ea lege, vt intra trigeſimum diem paci ſubſcribant: ex eo die quarto poſt menſe claſſem reuocent nulla aduerſariorum iniuria. ſi quid, quod ſolo non contineatur, poſt factam pacem ceperint, id reſtituãt: alioqui extra ipſius leges poſitos ne Mediolanenſis clam palamue iuuet. idem beneficium commune ſit Ioanni Ferratenſi regulo, necnon Gulielmo, reliquiſque ipſius fratribus: pariter & Senenſibus, qui ſi quid de Florentinis, vel hi de illis belli tempore occupauerint, quinto & decimo die poſt pacem approbatam dimittant. Ludouicus Mantuanorum Princeps, quique eius ſe-

ctam ſequantur, pari iure ſint: ipſe Inſubris partis cenſeatur: ni intra decimum diem pax placeat, Mediolanenſis quoquo modo ei ne opituletur. Mantuano Caſtilianum ac Stiberum, ceteraque bello amiſſa ſex dierum ſpatio tradantur: ipſe contra Caſalocum & Remadellum, ac ſi quid de hoſte ceperit, reddat. regni vtriuſque popularibus, quemadmodum & ante bellum, manendi, ac mutui commercij paſſim ius ſit. fruges, quæque alia data, depoſita, vendita Caſtiliani ac Stiberi incolis ſine controuerſia repetere, pretiumue auctoritate etiam Ludouici exigere liceat: contra ipſi curetur, quod Caſalocenſes ac Remadellenſes debeant. Crema cum omni agro contributo eodem quo ante iure Venetorum ditionis ſit: neue hi, aut Cremenſes ad confluentem Serrium portorium vllum exigant. Cerretum ante Kal. Maij ſolo æquetur cœnobio incolumi, ita vt reſtitui amplius emuniriq; nequeat. prædia, quæque reliqua cœnobitæ poſſideant in Laudenſi & Cremonenſi agro ſub Inſubris; quæ in Cremenſi ſub reipub. imperio ſint, vti earum regionum appendices. ſi quid Veneti aut Mediolanenſis nomine Cremam neceſſe ſit ſupportare, ijs nullum vectigal imponatur, prçterquam ſi quod ante bellum præſtari vectigal conſueuiſſet. Inſuber omnibus Brixiani ac Bergomatis agri oppidis, vicis, caſtellis, necnon Martiniana valle, niſi ſi quid ibi Culeo teneat, intra decimum quintum diem excedat: ipſe vallem Ceſtinam, Baiæ & Diancolli arces, Loncij planitiem, Arquatam, Cluſam, Biouum vtrumque & Tretiæ turriculas retineat: amnis Abdua ſine vllo tamen priuatorum incommodo Inſubris iuris ſit, ſicuti pace Cremonenſi anno eiuſdem ſeculi quadrageſimo primo XII. Kal. Decembris cum Philippo conuenit. cedat eidem pons ad Breuium extructus: caſtellum ſupra communitum, qua ſpectat ad Martinianam vallem, diruatur: idque deinde reſtituere neutri fas ſit: ſolum ad Venetos pertineat. Inſuber, ſi libeat, ad ipſius pontis caput ædificium decem militum capax extruat. ſi Culeo, aut quis alius loca a ſe poſſeſſa non dimittant, liceat Mediolanenſi, quo paci ſatisfiat, vel ipſi, vel cui negotium dederit, ante Kal. Iun. contumaciam armis vindicare: Culeo, quiq; obſequium detrectet, Inſubri ac Veneto pro hoſte habeatur. Patrum voluntate ſi Culeo quæſita poſſideat, nihil præterea ab Inſubre poſtuletur. Culeo ne quid in regno Mediolanenſi inuito Duce teneat. Carauagium, Treuium, Barlam, Brignanum, Riuoltam, ceteraque Abduæ

duæ adiacentia caſtella, Panolinum, Arquatellum, Mozanicam, vniuerſum agrum Cremonenſem, quæque bello nactus fuerit omnia ſibi Inſuber habeat, præter ſuperius excepta. Ollij ripa, quatenus fines Cremonenſium extenduntur, Inſubris propria, alueus Veneto quoq; ſine vlla populatium fraude cōmunis ſit. quatenus idem amnis p Mantuani fines labitur, eodem ille ex vtraq; ripa quo ante bellū iure vtatur: Venetis, quouſq; eorum imperiū porrigitur, cedat; nusq̃ in Cremonēſium finibus nec ab Inſubre nec a Veneto ponte iūgatur: ad Senegā, ſeu quo alio loco belli tempore ædificati prter Soncinianum omnes tollantur; isq;, quando vectigal ſemel ibi exigendum cōmune ſit, communi quoque impenſa, cum opus fuerit, reficiatur. ſi, quoad Inſuber quæ debet reſtituat, aliquo detrimento vel milites, vel magiſtratus ipſius ab incolis eorum locorum afficiantur, Veneti reddant atq; ſarciant quidquid illi vel capti, vel ſpoliati amiſerint: eadem conditione ipſi quoque vtantur, ſi quid eiuſmodi ab Inſubribus commiſſum fuerit. quibus in locis Veneti portorium exigunt, idem obſeruetur cū ſubditis imperio Inſubris, Florentinis & Genuenſibus, quod vigente pace obſeruabatur: viciſſimque Dux idem indulgeat Venetis, Tarraconenſi, Allobrogi, Ferratenſi, ac Senenſibus. locis incoliſque eorum ex pacis formula reſtituendis ne fraudi quoquo modo ſit, ſi quid in bello contra rempub. tentauerint, deliquerint. ſalem, frumentum, ſeu quid aliud Inſuber incolentibus Brixianorum & Bergomatum agrum ad inopiam leuandam mutuo dari curauerit, id volente ac iuuante quamprimum ſenatu recuperetur. exules eſſe iuſſi municipijs vtrinque reſtituendis noxia ſoluti ſi libuerit domum redeant: capti dimittantur: bello vtrinque occupata dominis reſtituantur. Inſubris cauſa vici Bartolomæi in agro Veronenſi partem Franciſcus Caſtellioneus, ædes Veronæ poſſeſſas aut pretium Angelus Simoneta recipiat. editi ab Inſubre aut ſenatu ſocij neminem, qui quidem ſub alterius ſit ditione, ſocium ſibi nominet: nec Tarraconenſis, nec Venetus Borſium Ateſtinum amicum ſibi prodat, quod attinet ad oppida ab ipſo aut maioribus poſſeſſa, quæ quandoq; Vicecomitibus paruiſſent, aut quoquo modo poſt Philippi obitum Mediolanenſi ditioni acceſſiſſent excepto tamen Regio, eiuſq; finibus. vterque duorum menſium interuallo ſocios edat: ij poſtmodū, ni intra menſem tertium pacem comprobauerint, eius omnino expertes ſint. neuter præfectum, centurionem, militemue Inſubrem Venetumue altero ignaro mercede conducat: transfugas admonitus tradat. ſimultatū reliquiæ

liquiæ in citeriore Gallia tollantur tū in Mantuano, Veronenſi agro, tum trans Ollium quatriduo, triduo vero citra. In Hetruria res cō-ponantur inter Florentinos & Senenſes intra dies quindecim; inter Tarraconenſem & Florentinos intra xxv. bellum, ſicubi in hac pace cōmemoratur,id intelligatur, quod anno primo & quinquageſimo menſe Martio geri cœptū ad hanc vſq; diem tenuit. ſi qua controuerſia in poſterum inciderit, ſalua nihilominus pace eam per ſe Veneti Inſuberq; componant. ſi conuenire nequear, ſuum vterque laudet arbitrum, cuius iudicio ſtetur. ijs inter ſe diſſentientibus & certus locus, & tertius vtrique amicus deligatur, qui quidquid pronuntiauerit, ratum fixumq́, omnino ſit. vter arbitrium diffugiar, aduerſatij ſententiæ parere cogatur. ſi quæ pacis verba minus aperta interpretatione videantur indigere, vterque ſuum edat arbitrum, vel cōmunem adhibeat amicum, qui ea de re arbitraru ſuo ſtatuat. pax proximo die reſurgenti Domino ſacro, nimirum poſtr. Id. eius ipſius menſis in celeberrimis principum ac liberorum populorum, qui ea ſe ſe obſtringant, oppidis promulgetur. quocirca Varnerius Caſtellioneus, & Nicolaus Arcimboldus ab Mediolano, ab Florentia Ianoctius Pandulphinus, & Petrus Medices Venetias ſe contulerunt, congreſſique cum Carolo Marino, & Hieronimo Barbadico, quibus Senatus id negotij dederat, paci publicis etiam tabulis confectis III. Kal. Septemb. Florentinos inſeruerunt ea conditione, vt receptis florenorum nummûm millibus xxv. quæ ante ſanctæ Sedi mutuo dederant, Biturgiam reſtituerent. quarto poſt die Borſius ad patres legauit Paulum Conſtabilem ex equeſtri ordine, & iuris ciuilis ſcientia clarum virum Ioannem Blanchinum, quorum opera Ateſtinus paci adſcribitur, ita vt ne pace vllum militem certo ſtipendio aleret, bello mille tantum equites in armis haberet, qui pro tempore ſocijs operam nauarent. Inſequenti anno qui rerum in Italia 1455
potiebantur, in primis Pontifex Max. eo fœdere probato accuratis precibus Alfonſum ad pacem perpulerunt, vt communi conſenſu chriſtiana arma in Turcam verterentur. eam Borſius publice in regno ſuo maxima celebritate XI. Kal. Maij proclamandam curauit. Poſtr. Non. Sex. Franciſcum Picum Mirandulæ, & Feltrinum Boiardum Scandiani Comites officij cauſa obuiam miſit Ioanni Andegauenſi, qui per Regienſium ac Mutinenſium fines redibat in Prouinciam, cum aliquandiu in Italia ſubſtitiſſet, vti aliquam turbam in Apulia excitaret, quam ad patrem ſpectare ne Calabriæ quidem Ducis appellatione abſtinens profitebatur. Alfonſus vt hoc quoque

præſi-

præſidio ſe ſe communiret, ad obligandum Inſubrem animũ adiecit. profectus Neapolim Albericus Maletta, ita affinitatem conciliauit, vt Alfonſus Capuæ Princeps Ferdinando patri prærogatiua ætatis in regnum ſucceſſurus ipſius Ducis filiam, viciſſimq; Sfortia Inſubris filius Galeatio fratre natu minor Eleonoram Alfonſi ſororem vxores ducerent. ea de re Tarraconenſis litteras ad Borſium dedit poſtr. Non. Octobr. alteris decimo poſt die ſignificauit labare Italiæ quietem, quod nonnulli prauorum conſiliorum auctores eſſent Calliſto eius nominis Tertio Valentiæ Borgia familia in Hiſpania nato, qui Nicolao præ nimio expugnati Byzantij dolore ante ſextum menſem vita functo Pontifex ſuffectus fuerat. Calliſtus in cõſilio Alfonſo regi fuerat non modicis ab eo beneficijs affectus: ſed Pontificatum adeptus eum ſtatim odiſſe cœpit. diſceſſerat ab Venetis Iacobus Picininus, ac Senenſem agrum hoſtiliter ingreſſus poſt Sartiranum deditione incolarum captum alia loca armis tentabat. rex nõ deſtitit monere Calliſtum pertinere ad publicam vtilitatem, in primis vero ad perſonam, quam ipſe ſuſtineret, pacem a ſuperiore Pontifice tanto labore vix compoſitam tueri; nec tamen peruicit vt ad eam flammam extinguendam ſe ſe daret, quæ maximum incendium facile excitare poterat, præſertim quod Veneti Carolum Gonzagam & Petrum Brunorium, Florentini Simonettum Senenſibus auxilio ſubmiſerant, diſcordiæque interim gliſcebant. ea ſpe depulſus Neapolitanus p Malſeritum Iuriſconſultum Picinino perſuaſit, non modo ab Senenſibus vexandis abſtineret, ſed etiam capta reſtitueret. illi officij immemores, gnariq; Pontificem ab rege alieniorem, & freti auxilio Genuenſium ad neſcio quam inſulam, Lilij vulgo appellant, merces, mortaleſque cõplures regio imperio ſubditos interceperunt. de eiuſmodi iniuria expoſtulauit Alfonſus cum Borſio, qui vnus ipſo permittente de iungenda pace egerat, denuntians ni Senenſes, quos velit monitos vt ſibi ſatisfaciant, ad ſanitatem redeant, & ſe hoſtem habere malint, armis ſe ius ſuũ perſequuturum, nec ad id ſociorum opes, qui proprijs abunde polleat,
1456 ex fœderis formula aduocaturum. Anno illius ſeculi ſexto & quinquageſimo huius tumultus finem alius aduerſus Ligures excitatus,
1457 auctusq; inſequenti anno excepit. eos Alfonſus tanquam pacis violatores fœderis expertes eſſe voluerat. iam nihil erat, quod ille Pontificem metueret profanis viribus acciſis perimbecillum ac pecuniæ egentem, quod contra regem Thracium validã claſſem magna impenſa atque exiguo fructu cogeretur tueri: quippe cum ſibi primas

eius

eius expeditionis partes vindicaſſet, Rhodumq́ue legaſſet Ludouicũ Aquileienſem Cardinalem ac quæſtorem, vel quod pares tantæ rei duces defuiſſent, vel quod nihil contuliſſent, qui ex principibus chriſtianis auxilium polliciti fuerant. Mahometes ab Pontificijs nuſquam repreſſus bellum vtcunque libuit victor circumtulit. legatus, quæ illic gererentur, omnia ad Borſium perſcripſit, culpamq́; reiecit in eos, qui ſe ſe Calliſto non defuturos verbis receperant, re ipſa bellum ne minimum quidem iuuerant. Alfonſus de Pontifice ſecurus, ac fruſtra conatus Sigiſmundum Malateſtam regno deturbare, in quem per ſpeciem iuuandi Federici Metaurenſium reguli Iacobum Picininum militiæ ſuæ adſcriptum immiſerat, aliquot caſtellis expugnatis anno eius ſeculi duodeſexageſimo principio veris 1458
magnas terra mariq́ue copias parauit quaſi auxilium laturus Ioanni Philippo Fliſco & Adurnijs, qui patriã ante ab Petro Fregoſio Franco regi traditam, atque ab eo Ioanni Andegauenſi, qui & Calabriæ Ducem ſe inſcribebat, tutelæ cõmiſſam armis oppugnabant. cum interclusos commeatu Genuẽſes acrius in dies premeret, paucorum menſiũ interuallo moritur, ſimulq́; circũuentos obſidione liberat. Rege ſine controuerſia animi magnitudine, opibusq́; præſtãtiſſimo defuncto Calliſti odium in regnum Neapolitanũ ad eam diem ſuppreſſum erupit. etenim decreto ſuo regnũ Ferdinando abrogauit, quẽ alioqui ex iniuſtis nuptijs procreatũ ac natalibus reſtitutũ Eugenius vti patri ſuccederet, legibus ſoluerat. is cũ ad futurum conciliũ prouocaſſet, etſi Calliſtum præcipitii ſenectute contemneret, varias tamen munerũ functiones inter ſuos diſtribuit, procerum animos partim liberalitate conciliauit, partim ſi quorum ſocietate fretus Calliſtus vim intentaret, bellum ſedulo apparare cœpit. ille ſtimulantibus regis inimicis edictum ita defendebat, vt diceret Ferdinandum ne ex Eugenij quidem auctoritate Alfonſo ſuccedere poſſe, vtpote non ex illo, ſed ex Valentino quopiam homine ſordidiſſimo genitum, ſuppoſitumq́ue ab Vilardona Carlina, vt ea fraude regem amore ſui magis irretiret. erat id prorſus falſum, ſed tamen Pontifici vt verum ſuggeſtum. quam ille anſam beneficij inducendi arripuit, quod Ferdinandum vti Alfonſi filium, ſed ab eo omnino alienum nominatim complecteretur. ſub edicti abrogationem nouo decreto vetuit, ne cui alij quàm Romano Pontifici Apuli, ceteriq́ue regni incolæ ſacramento fidelitatis, atq; vt ita dicam, hominio obſequioq́; ſe ſe obſtringerent, propterea quod pulſo Ferdinando peramplum in Apulia dominatum deſtinauerat Borgio nepoti ſuo in

Hiſpa-

Hiſpania ex nobiliſſima Valentiæ ſtirpe, claraque Candiæ Ducatu edito. non defuere etiam qui exiſtimarent, Pontificem id gratificatum Ioanni Tarraconenſi ægre ferenti Apuliam Hiſpanorum armis partam ab paternis regnis fuiſſe diremptam. Neapoli præclarum ſibi inter ceteros nomen fecerat Hercules Ateſtinus tum equeſtribus in ludis, aliiſque militaribus exercitationibus, quæ apud eas gentes magno ſunt in pretio; tum quod in ipſo ætatis flore ex prouocatione pugnauiſſet cum riuali Galeatio Pandonio nobili ac forti ciue Neapolitano. in deuium ſecretumque extra vrbem locum proceſſere dimicaturi: qui mos adhuc viget, tumque maxime ad eiuſmodi tollendas controuerſias viguit, & ab Neapolitanis ad alios, in primis ad Noruegios manauit, ſicuti in eorum legimus annalibus Haldanum & Siualdum extra ſuorum conſpectum in quodam ſaltu congreſſos. ex hac conſuetudine Itali quamcunque ſolitudinem ſingulari certamini delectam peculiari nomine notauerunt, ac ſi latine dicas vepribus conueſtitũ, atq; ab humano cultu maxime ſeere tum locum. tempore condicto, & vnico vterq; comite ſpectatore aſſumpto ex equis pugnauere gladio accincti. teſtatur Æquicola victoriam haud dubie ad Herculem inclinauiſſe vtpote leuiter in facie vulneratum, cum Pandonius grauibus duobus plagis eſſet ſaucius: ſed regem eius rei admonitum ſtatim miſiſſe, qui pugnantes dirimerent. itaque Hercules multis atque illuſtribus facinoribus clarus imperterriti cognomen inuenit, fuitque deinde in maximo honore apud Alfonſum. eo defuncto cum ab nouo rege non indignum virtute ſua munus ſperaret, tulit permoleſte in diſtribuendis præfecturis Apuliæ cuſtodiam ſibi commiſſam Alfonſo Daualo Inici filio collega, qui ex Hiſpania Alfonſum in Italiam ſequutus bellis Neapolitanis egregiam operam nauauerat, magnaque ab rege pręmia retulerat, nuptiaſque fœminæ Aquinatium Principis. Inico pater fuerat Rodericus Caſtulonenſis vir in illis genibus celeber: quippe qui magiſterium equitum geſſiſſet longe ampliſſima totius regni dignitate poſt præfecturam ordinis D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ. Hercules his omnibus de rebus Borſium patentis loco ſibi cultum edocet: addit Ferdinandum paternos amicos in nullo honore gratiaque habere, nec ſibi ſatis æquum atque amicum eſſe. reſcripſit frater querelam ad regem deferret, niſi familiæ virtutiſque ipſius, vt par eſſet, rationem haberet, & a patre ſperata præſtaret, e veſtigio ab eo diſcederet. Mortuo poſtr. Non. Aug. Calliſto tertio & decimo die ſufficitur Æneas Sluius Picolomineus ante pro-

pter

pter ſingularem eruditionem, rerumq́ue vſum in Cardinalium collegium cooptatus, qui Pium II. nomen edidit. is per Latinum Vrſinum Cardinalem Baroli Ferdinandum diademate donauit, regemq́ue appellauit ea exceptione, vt ne id pro pręiudicio eſſet, ſi quis quid iuris in regnum ſibi vindicaret. nec tamen non grauiſſimo bello vexatus eſt ab Ioanne Andegauenſi, qui Genuæ a Franco rege cum imperio præfectus ciuium opibus ac beneuolentia, præterea eorum querimonijs excitatus, qui Tarraconenſis nominis ſtudioſi veteres Alfonſi amicos deprimi, nouos homines attolli indignabantur, clam inita cum Tarentino Principe ſocietate Neapolitanam expeditionem a maioribus ſæpe tentatam ſuſcipiendam ſibi eſſe ſtatuit. Ateſtinus, qui Ferdinando ſine labe dignitatis militare ſe non poſſe cerneret, vocatos ad concionem, qui ſigna ipſius frequentes ſequebantur, honeſtos viros ac centuriones ſic eſt alloquutus. Maxime optandum mihi fuiſſet Alfonſi fortiſſimi piaq́ue poſt obitum memoria colendi regis alumno adulta iam ætate non in otio & quiete pacato regno, apertis occultisq́ue hoſtibus ſublatis, ſed in negotio meritam educationis gratiam referre. pacis tempora ſolam obſeruantiam, nec abſimilia animi mei teſtimonia elicuerunt. rebus aſperis longe aliter ſatis me illi facturum ſperabam; qui cum ſæpe aliàs, tum maxime cum externi belli metus immineret, dignam fide & nobilitate mea, dignam ſuo de me iudicio prouinciam ſe mihi traditurum humaniſſimis verbis eſt pollicitus. Ceterum quod fortuna ne parenti exhiberem inuidit, id ego filio poſt imperium adepto paternis quaſi meritis debitum libentiſſime præſtitiſſem. Ferdinando cupidum nauandæ operę me ſtatim oſtendi teſtatus æque me ipſius maieſtatem, ac parentis feciſſem, obſeruaturum, ſi viciſſim eodem me loco habuiſſet, eadem humanitate, qua pater comprehendiſſet; qui, ſi bellum exortum fuiſſet, honeſtiſſimum mihi ordinem ſpoponderat. Id ego vehementius contendebam non iniuria metuens ne non me præteriret, haud hercle vllo meo in ſe merito, aut quod ego videar contemnendus, ſed quod iam tum viuo patre familiaribus tantum ſuis deditum (qua in re peccare in vniuerſum conſueuerunt regum liberi ætatis ordine parentibus mox ſucceſſuri, hic vnus grauiſſime) a ceteris, qui quidem patris gratiam virtute promeruiſſent, alienum eſſe animaduertiſſem. hanc ſuſpicionem cum alia atque alia indies magis confirmarent, grauiter cum rege expoſtulaui verecunde, vt par erat, ſubmonens, ſiquidem obſequium meũ minus ei acceptum eſſet, id me

inter-

intermiſſurum, ne quam labem contraherem, ac fratris etiam principis auctoritate adductus. Deſtinauerat mihi Ferdinandus Apuliam collega atque adiutore Alfonſo Daualo. dixi me eam ignominiam pro miſſione accepturum, nec vnquam paſſurum, vt alicubi imperanti quis, vno excepto rege, non dico præſcribat, ſed ne poteſtate quidem quoquo modo exęquetur. equidem non eam meam labem agnoui, quod Daualum non amem, & propter eximiam virtutem plurimi faciam: ſed prouinciam vni mihi non mandatam ægre tuli ne alium quidem vel ſummis opibus aut dignitate præſtantem virum collegam toleraturus. Proinde cum exiſtimationem ceteris rebus anteponam, miſſionem ab rege petitam impetraui: ſimul ei renuntiari iuſſi, quoniam per eum non liceret in priſtina erga regiam familiam fide atque obſeruantia perſeuerare, abiturum me, atque alibi fortaſſe maiore cum gratia futurum. Lotharingus vulgata iam per hoſce dies profectione mea à me petijt, ſiquidem a Ferdinando diſceſſiſſem, vellem ad Ioannem filium accedere. ego ne tam nobili bello abſim, probata conditione recta ad illum pergo. Eſt certe longe moleſtiſſimum quæ arma pro patre induere tantopere cupiebam, ea mihi aduerſus filium ſumenda eſſe. ac ſine dubio ſi Alfonſus iudex inter nos ſederet, ſententia me ſua liberaret, atq; indigna filij contumelia irritatum recte mihi conſuluiſſe decerneret. quis eſt enim tam abiecto animo, qui contemptus non auide occaſionem præſertim honeſtam quamprimum arripiat regerendę in auctoris caput contumeliæ? quis non ignominiam virtute amoliatur? quid porro contemptioni magis contrarium eſt, quàm opinio virtutis? vbinam factis apertius doceamus num contemnendi ſimus, quam in oculis, & aduerſus eos, qui nulla noſtri ratione habita ſi non re ipſa, ſaltem in ſpeciem parum honorifice de nobis ſentire viſi ſunt? Ego hinc ad Andegauenſes proficiſcor, quantumq́ue ex præterita vita veſtra poſſum conijcere, minime vereor quin vos mihi non Ferdinando ſacramento obſtricti quocunq; pergam, quamcunque patiar fortunam memet ſequuturi, eiusq́ue participes libenter futuri ſitis. vobis, qui huiuſmodi vinculo non tenemini, manere aut ſequi liberum eſt. ego quidquid ſtatuetis, æqui boniq́ue conſulam, nec commilitij fideiq́ue erga me veſtræ vnquam obliuiſcar. Vix Hercules finem dicendi fecerat, cum mi-

lites

lites oratione permoti manus ſuſtulerunt pollicentes communem ſibi fortunam cum ipſo fore. itaque prompti paratiq; in omne diſcrimen, quod quidem dux propoſuiſſet, cuncti pariter corpora animosque ad nouum bellum præparauerunt.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

ARGVMENTVM
Libri Octaui.

*R*EGNVM *Neapolitanum quibus regionibus diſtinguatur: quæ eius origo tituli atq; dignitatis extiterit: quàm multi non eiuſdem omnes ſtirpis illud obtinuerint; Joannes vero Andegauenſis compluribus ex nobilitate eandem cauſam ſequutis Ferdinando armis eripere tentauerit, Hercule Ateſtino egregiam in ſubigenda tuendaque Apulia operam nauante; rege tandem ingenti ad Sarnum prælio deuicto, in quo Ateſtinus cum eo congreſſus eſt. præterea Jacobi Picinini pugna aduerſus Pontificios & Sfortianos, & Romana vrbs appetita: oppida ab Joanne Herculi dono data: tum reditus in Campaniam: Georgijq; Epirotæ ex Græcia cum auxilijs tranſmiſſio. Andria Andegauenſibus dedita. ſimultas Joannem inter ac Tarentinum orta, quidq; ſubmoneret Ateſtinus Borſio interim medium ſe gerente. Ferdinandi ad Troiam victoria; quo in prælio Herculis virtus enituit. Ferdinandus & Tarentinus reconciliati: Joannis & Ferdinandi in Aprutium atque Apuliam profectio: Martianus Picininusque in regis gratiam reducti. Joannis in inſulam Ænariam, ac mox in Prouinciam fuga: totumque regnum ab Ferdinando pacatum libro octauo continentur. His ſubnectitur Pij II. Ferrariam, atque inde Mantuam profectio, vti conſilium de bello Thracio expediret: quæq; auxilia in id Borſius fuerit pollicitus. Genuenſium ab Gallis paulo poſt victis defectio ferentibus opem Ateſtino & Jnſubre; ſimulque clades Sigiſmundo Malateſtæ ab Pontificijs illata. Borſij ad vrbem Venetias, Bertoldi in Achaiam nauigatio, factaq; & mors. Herculis & Sigiſmundi reditus Ferrariam. Ligures Jnſubris ditionis effecti. rex Francus domeſticorum procerum bello vexatus, ac mox pace liberatus. Georgij Epirotæ obitus, breuisque rerum ab eo geſtarum commemoratio: inteſtinæ Florentinorum diſcordiæ, & prælium ſubſequutum, cui Hercules magna cum laude interfuit. pax conſultore atq; auctore Borſio confecta, & promulgata a Paulo II. commune Chriſtianorum fœdus. diſcordiæ ob eam cauſam excitatæ, ac de ſententia Borſij ſedatæ. Matthiæ bellū contra Boemos.*

Catalanorum tumultus, in quos duxit Joannes Andegauenſis. Cæſaris aduerſus Jnſubrem conatus. Borſij ad Pontificem exhortatio, vt Jtalos ad concordiam redigat. Jnſubris timor paulo poſt depoſitus freto Borſij conſilijs. priſtinum fœdus confirmatum. Eubœa capta: & ſacrum bellum a Pontifice ſermonibus agitatum referuntur. ſimul Venetorum & Ferdinandi ſocietas: Borſij controuerſiæ cum Bononienſibus intra paucos tamen dies finitæ. labor ab eodem ſumptus in conciliandis inter ſe Franco, Burgundione, atq; Anglo: vtq; Ferrarienſium Dux ſit appellatus. pax eius opera facta poſt prælium ad pagum Ricardinam commiſſum. eius obitus ac quaſi morum exemplar. Herculis in regnum ſucceſſio, & Sixti IIII. tabulæ. inſignia Principum Ateſtinorum: eiuſdem Herculis nuptiæ cum Eleonora Aragonia, quæ cum ad virum deduceretur, Roma magnificentiſſime eſt excepta. Henrici XV. Gulielmi V. Bernardi II. Othonis XV. & Federici IIII. res geſtæ: fœdus inter Venetos, Jnſubrem & Hetruſcos percuſſum, cui & Hercules ipſe acceſſit. idem iratus, mox placatus Bononienſibus. pacis eo curante illata mentio inter Hiſpanum & Neapolitanũ. Burgundionis nothi cognoīe Magni aduentus in Jtaliam. Caroli eius fratris res geſtæ, & Alfonſus Herculis filius natus poſtremo loco memorię produntur. quæ cœpta ab deſcriptione regni Neapolitani, vbi Hercules Gallo militans honeſtiſſimos duxit ordines, Ateſtinorum Principum, & communi totius Jtaliæ quiete ac pace concluduntur duodeuiginti annorum ſpatio: atque ab anno partæ ſalutis MCCCCLVIII. vſq; ad MCCCCLXXVI. pertexuntur.

IO. BAPTISTAE PIGNAE
De Principibus Ateſtinis
AD ALFONSVM II. FERR. DVCEM
HISTORIARVM
LIBER OCTAVVS.

ITALIAE pars regnum Neapolitanum vulgo dicta ab Truento ad mare, ab Aufente ad Tyrrhenum cum Piceno ac vetere Latio coniuncta in plures regiones diſtinguitur. Truento ac Frentone amnibus Aprutium continetur, qua Picentum aliquot populi Marrucini, Peligni, Frentani, Præcutini, Samnites, & Hirpini incolunt. a Frentone ad Brunduſium patet Apulia interfluente Aufido in Dauniam ac Peucetiam diuiſa, nunc partim planam ac campeſtrem, partim Barenſem terram appellamus. a Brunduſio ad oppidum Tarentum habitauere Calabri & Salentini in regione Meſſapia & Iapygia, cui deinde tractui ab oppido Hydrũte nomen eſt inditũ. ab Tarento ad Lacinium promontoriũ in extremis Italię finibus celebris magna illa Gręcia fuit opulentiſſimis Græcorum colonijs frequens, noſtra ætate inferior Calabria vocata, ſuperiorem ſiue mauis Principatum ab Lai oſtio ad Tyrrheni maris oram veteres Brutij tenuerunt. huic ab Lao ad Silarum Lucania connectitur, nunc Baſilicata dicta. a Silaro ad Aufentem ſunt Leborij campi, & felix Campania Campanorum, Cumanorum, & Picentinorum ſedes. hic Neapolis ab Cumæis Chalcide profectis ſeu Rhodijs eſt condita, quæ regno ipſi nomen dedit. Seneſcente Romana maieſtate atq; imperio cum hanc ipſam regionem Gotthi vna cum reliqua Italia occupauiſſent, Beliſarius ac Narſes armis receperunt. nõ multo poſt in eandem terram ſe ſe inferentes Longobardi Beneuentanum Ducatum ibi inſtituerunt. ceterum compo-

ſitis

ſitis rebus, atq; Italia diuiſa inter Carolũ Magnum & Nicephorum Græcum Auguſtum, pars ab Neapoli & Syponto ad alpes pertinens Gallo ceſſit, reliqua Græco: qui propterea ceteris eius prouinciæ regionibus iura dedit, exceptis Brutijs ac parte Apuliæ, quam planam nuncupari diximus, Campaniæq;, & nouo Latio, quod ab Liri ad Auſentem producitur. eam oram barbari ex Africa atque Ægypto claſſe aduecti plerunque infeſtam habuerunt, interdum etiam armis tenuerunt. quos Tancredus Normannus in Italiam, vt eſt a nobis ante dictum, profectus Græcis auxilium petẽtibus bello cum vexaret, mox eos, a quibus accitus fuerat, adortus per cauſam ſtipendij intercepti Apuliæ parte Græcos expulit; poſteri prorſus exegerunt. prouinciæ vltro Romanæ ſedis ſupremum ius agnoſcentis Ducem Robertum Viſcardum appellauit Nicolaus II. idem Calabriæ deuictæ, ac pulſis veteribus colonis Normannis ſuis attributæ, qui adhuc in Piceno habitabant, Ducem ſeſe inſcripſit. Rogerij pater & filius magnis in Sicilia & Campania partis opibus Rogerio eius nominis Tertio illarum virium acceſſione tantos ſpiritus fecerunt, vt ſuperbo titulo Italiæ regnum inuaderet: quem paulo poſt depoſuit rex vtriuſque Siciliæ ab Innocentio II. appellatus. regio itaq; faſtigio nobilitatæ ſunt ſeptem paulo ante enumeratæ regiones Aprutium, Apulia, Hydrunti contributi fines, Calabria, Principatus, Lucania & Campania. at vero dignitatem, qua tres poſtremi Rogerij ſucceſſores claruere, Tancredo propter ſuperbiam abrogatam Celeſtinus III. in Henricum VI. tranſtulit fretum nuptijs Conſtantiæ regia Normannorum ſtirpe ortæ: cui deinde ſucceſſerunt Federicus II. Conradus & Manfredus, quorum ſupra mentionem fecimus. Manfredo ob ſcelera infenſi Vrbanus & Clemens vterque eius nominis IIII. Pontifices Max. ademptum regnum Carolo Comiti Andegauenſi adiudicarunt; quod ille virtute quæſitum, Sicilia tamen paulo poſt fraude amiſſa, ad poſteros, poſtremamque Ioannam II. tranſmiſit. mulier filio adoptione quæſito Alfonſo primũ Tarraconenſi, deinde Ludouico Andegauenſi factionum nomina odiaque inter Gallos atq; Hiſpanos inuexit. quamquam enim matre adhuc viua Andegauenſis fato conceſſiſſet, nonnulli tamen proceres partium ſtudio Tarraconenſibus infenſi, quaſi ita cautum teſtamento ab regina eſſet, Renatum Ludouici fratrem ad regnum capiendum euocauerunt. is Iſabellæ nuptijs, quæ Carolo Lotharingiæ Duci vnica ſtirps erat, poſt ſoceri obitum imperiũ illud obtinuit. Renatus ac Ioannes filius ab ea Dux Calabriæ nuncupatus aliquot annos parum proſpere cũ Alfonſo bello geſto deinceps, quoad

ille

ille vixit, quieuerunt. rege & victoria florente & prudentia minime inimicis opportuno defuncto complures nobiles a Calliſto ſollicitati, qui regni portionem Borgio nepoti iam animo deſponderat, etſi ab nouo Pontifice, qui Ferdinandum inaugurandum curauerat, nulla auxilij ſpes videbatur offerri; tamen & conſilij nequaquam ignaro, vel re non amplius cum Andegauenſibus integra, defectionem moliri cœperunt. cõiurationis caput extitit Ioannes Antonius Vrſinus Tarentinorum Princeps, qui ante Franci regis, Renati, atque Ioannis animo occulte pertentato vbi ab regno repetendo non abhorrere intellexit, Marinum Martianum Sueſſæ Ducem ac Rhoſanenſium Principem, Ioannem Paulum Cantelmum Soranum, Nicolaum Monfortium Campibaſſanum regulos, Antoniũ Caldoram, atque alios complures cum in eandem ſententiam traxiſſet, Gallorum aduentum expectauit eam cogendi militis occaſionem habiturus: interim Marino auctor, vt ob priuatas ſimultates bellum faceret Galeatio Pandonio, Antonius vero Centilia Crotonenſium regulus Calabros ac Lucanos a Ferdinando auerteret. ſed irrito Centiliæ conatu, ipſoq́; capto dum rex Calabriæ ac Lucaniæ pacandæ intendit, atque Alfonſus Daualus, qui diſceſſu Ateſtini collegæ ſolus regioni præerat in Apulia, vbi permulti Andegauenſibus fauebant, bellum gerit; Gallus Ioanne Coſſa claſſis præfecto IIII.
1459 Non. Octobr. anno eius ſeculi vndeſexageſimo naues ſoluit. erant autem eæ roſtratæ XXII. aliaq́; diuerſi generis nauigia, quarum XII. pater Maſſilia ad eum miſerat, reliquas Genuenſes inſtruxerant, ipſumque Ioannem mutua publica pecunia, nimirum aureorũ nummûm XL. millibus, ciues vero multo maiore ſumma priuatim iuuerant. exſcenſione in Falernum littus facta a Marino Sueſſam deductus per bonam Campaniæ partem vltro in ditionem accipit: inde ad Capuam & Neapolim vſque libere peruagatus tumultu ac terrore omnia complet. quinetiam claſſem in Neapolitanorum conſpectũ prouchi imperauit, ſi quid ea res ad cõciliandos ciuium animos valeret. id vbi fruſtra eſt, tranſit in Apuliam, multoſq́; mortales cauſæ ſuæ ab Ateſtino adiunctos reperit. Hercule cũ primo agmine præcedere iuſſo primo ſtatim aduentu Seuerij Fanum, Troia, Fogia, Manfredonia, aliaque oppida vltro imperata faciunt, atque in partes tranſeunt cum gente Caraciola nobiles cõplures. tam celeri rerum commutatione etſi Ioannes in Apulia hiemauerat, adducti tamen Daniel Vrſinus Sarnenſis, Iordanus Atripaldinus Comites, & Felix Salernitanorum Princeps a rege deſciſcũt; quorum fretus opibus Ioannes ſtatuerat, ac palam prædicabat ſe vete appetẽte Neapoli

copias

copias admoturum. Pius Neapolitano, reliquæque Italiæ tumultu ac perturbatione tum propter Philippi Allobrogis & Ferratenſis diſcordias atque inteſtina Senenſium odia, tum propter metum rerũ nouarum in Flaminia nequaquam motus, nimirum ardens cupiditate reprimendi Mahometis, arcendique periculi a piorum ceruicibus, quorum imminebat regnis; Mantuam contendit bellum communi Chriſtianorum conſenſu decreturus. Ex itinere XVI. Kal. Iun. Ferrariam venit vndecim purpuratorum Patrum, mille & quingentorum equitum comitatu. aduenientem Borſius, ad quem quidem conuenerant honoris gratia Foroliuienſium, Ariminenſium, Ceſenatum, Corrigiatum, Carpi, ac Mirandulæ Principes, obuiam progreſſus apparatiſſime excepit, habuitque apud ſe dies duodecim. ibi Pontifex cum Dominici corporis celebritas ſuperueniſſet, illo ipſo die, tametſi podagra nonnihil tentaretur, & ſacris operari voluit in Epiſcopio, & per vrbem geſtari dum ſupplicationes habentur. per eos dies multas amoris ac beneuolentiæ ſignificationes Borſio dedit, nec ſemel & quidem ſerio iactauit propoſitum ſibi eſſe Ferrariæ Ducem eum creare, ac teſtatus eſt ſe ſe libenter agnoſcere, quod ex muliere Senenſi Tolomea familia orta affine ſua, vnde nobilis apud nos Tolomeorum ſtirps propagata, Nicolaus ipſum atque Leonellũ genuiſſet. inde Mantuam profectus VI. Kal. Octobr. in maximo totius nominis Chriſtiani cœtu luculentiſſimam orationem habuit pluribus verbis numen initio obteſtatus ope ac fauore ſuo honeſtiſſimum conatum proſequeretur, idque ipſi quoque a Deo Opt. Max. precibus expoſcerent, ferrum non alteri in alterum vt ſolerent ſtringendum eſſe, ſed in Chriſti, omniumque piorum communem hoſtem: eamque orationem in tres partes diſtribuit. Primo expoſuit cauſas, quibus Chriſtianis bellum ſuſcipiendum eſſet, nempe contumelias ac vulnera religioni regniſq; piorum illata, & grauiora pericula imminentia, quæ exitio teterrimi tyranni ſanare atque abolere liceret. ſubiecit deinde, atq; accurate demõſtrauit tantas eſſe populi chriſtiani facultates, vt & bellum impio facere, & certa prope atq; explorata victoriæ ſpe perficere poſſet; enumeratis prouincijs, quæ pecuniam, equos, tela, militem præberent, multis verbis in turpiſſimos gentis mores & ritus diræ ſuperſtitionis inuectus. poſtremo recenſuit ampliſſima pro religione pugnantibus pręmia propoſita, qua terrenis opibus augendis, qua cæleſti felicitate quærenda, pro qua nõ in diſcrimen ſolum, ſed etiam ad certum interitum vita eſſet deuouenda. exitus orationis fuit, vt teſtaretur pro virili parte omnia ſe cupidiſſime collaturum, omnes ad vere pium bellum capeſcendum

ſcendum vehementer inflammaret. Pontifex a prima adoleſcentia egregie eloquens, ſententijs tamen quàm verbis melior, gnarusq́ue quàm crudeliter in Auguſtum genus, ac reliquam Græciæ nobilitatem a barbaris ſæuitum, quæ exempla auaritiæ, libidinis, omnis denique ſceleris Byzantio capto edita eſſent, quod & in eam rem edita oratione complexus fuerat; magnum inde fructum retulit vehemẽter auditorum animis commotis. nec ille, dum de bello Thracio Mantuæ conſilia agitat, Borſium interim non ſemel eo inuitauit, qui morbi excuſatione vſus Guronum fratrem cum duobus Iuriſcõſultis eo legauit. ſcribit autem Pontifex in cõmentarijs ſuis magna ſine dubio ac præualida auxilia in ſacram expeditionem ab Ateſtino
1460 promiſſa. Anno illius ſeculi LX. IIII. Id. Ian. Pius cum & bellum in Apulia vehementius exarſiſſet, & pars Hetruriæ, quam Patrimonium vocant, ſeditionibus fluctuaret, re infecta ad vrbem ſe retulit. ab religioni tantum obnoxijs decimam, ab Hæbreis viceſimam, a profanis chriſtianis triceſimam fructuũ partem eo noĩe iuſſit exigi. Ac tum oĩa prope belli Thracij conſilia diſcuſſerunt Pannoniæ motus, cuius opibus in primis aduerſus impios vti ſtatuerat. eos autẽ Ladiſlai mors exciuit, cui in Auſtriæ imperium ſuccedens Federicus, eodemq; iure Hungariam ſibi vindicans prouinciam vexare cœpit. quare commotus Matthias Coruinus Ioannis Hunniadis clariſſimi ducis filius nobilitatis ſuffragijs rex dictus & ipſe Auſtriã inuaſerat. Dum bellum Neapolitanum trahitur, Genuæ proximo ſuperiore anno cæſo Ioanne Philippo Fliſco ſub ipſis patriæ mœnibus, Petrino autem Fregoſio media in vrbe ſignis collatis quietæ res videbantur; Auſtria quoq; ad trãquillitatem ſe dedit. proinde Cæſar aliquanto ante Borſio p litteras ſignificauit cõuentus Notimbergæ & Viennæ in quadrageſimã præteritam indictos de expeditione aduerſus Turcam, quod quidem Mantuæ conuenerat, in Septembrem proximũ reiectos fuiſſe; quo pluris vero Borſium ſibi eſſe, magisq; cupere ſe ſignificauit, vt qui in eorum procerum numero haberetur, qui ſacri imperij Principes appellantur, ob illam cauſam in Germaniam ſe conferret, aut vicarium mitteret: eo acrius vt id faceret ab eo contendit. in quam ſententiam alteras ad eum litteras XII. Kal. Febr. dederat, deq́ue vtroque conuentu certiorem fecerat. Interim Ferdinandus in Aprutium cõtenderat hoſtem ab Neapoli, quo iter intenderat, prohibiturus. cum aũt Martiani fines hoſtiliter vaſtaſſet, inſidiasq́ue ſibi ab eo per colloquij ſpeciem ſtructas eluſiſſet, iuncto cũ Simonetto pontificiarum copiarum duce exercitu Sarnum verſus Ioanni obuiam proceſſit, cui Neapolim pergẽti reguli Salernitanus,

Sarnenſis & Atripaldinus, ipſeque Ateſtinus Hercules magna cum manu ſe ſe adiunxerant. ſed rege ſuperueniente numero longe inferior intra Caudinum ſaltum loco idoneo conſedit, vtpote quem Sarnus amnis bifariam diuiſus, ac paulo infra confluens ab tribus partibus cingeret, ab ſeptentrione vero mons imminens. rex in ſilua Longula ad cõfluentem caſtris poſitis, ac ponte ſtructo maximis incommodis Andegauenſes afficiebat, ita vt multi de tranſitione cogitarent: quorum e numero Felix Salernitanus ad eum transfugit. licuit tum regi, quod inter omnes conſtat, ſedenti bellum finire: ſed cõperto Pontificem Antonello Scaliono eorum, qui Ioannis rebus fauebant, legato agente ſtudiũ paulatim remittere, ac ſtatuiſſe medium ſe ſe gerere, Simonettumq; e caſtris reuocare; tum admonitus a Petro Vbaldino, quem hoſtes captũ, armisq; exutum dimiſerant, ſi montem peditatu occupaſſet, perq; immiſſum equitẽ faucium aditum in poteſtatem redegiſſet, poſſe vel Andegauenſes inſigni clade afficere, vel clauſos fame conficere: ea ſpe fretus, vt victor Pontificẽ in partibus retineret, victus ad ignominiam abolendam accederet, rem fortunæ ſtatuit committere, nequaq̃ aſſentitus Simonetto, qui vel ex rei militaris vſu, vel certe occulto imperio prælio ſuperſedendum cenſebat. iugo a pedite occupato Robertus Vrſinus cũ lecta equitum turma ad fauces in hoſtiũ ſtationem illatus, quæ quidẽ nihil ab ea parte metuebat, alios cædit, alios reſiſtẽtes loco pellit. hic dum miles quaſi prorſus victor ad prædã diſcurrit, Ioannes ſuos cogit, atq; Vrſinum ſubmouet, rex laborantibus alios equites ſubmittit: qui in anguſtijs vndiq; circũuenti vt e faucibus ſe ſe explicarent, pedẽ referre cœperunt: primis fugientibus poſtremi hoſtiũ impreſſionem fortiter ſuſtinent, quoad valida iaculatorum manu vrgente, glandesq; plumbeas ſpargente locũ deſerunt. cadit ibi Simonettus, Vrſinus vulneratur, cõplures capiũtur: peditũ nullus in prælio vſus fuit. p eos ergo ad vallis aditus obiectos continere intra fauces hoſtẽ eſt conatus: ſed cũ multi ad eiuſmodi imperium trepidarẽt, Andegauenſes ea formidine inuitati tanto impetu eruperunt, vt regij fuſi turpiſſimã in fugã ſe conijcerent. ſcriptũ eſt apud Æquicolã Herculem cũ Ferdinando congreſſum imperatorij paludamenti partẽ gladio abſciſſam facti teſtẽ ad ſuos retuliſſe. caſtra direpta, milites ferme oẽs capti, ac Maſſiliã nauibus deportati: rex cũ paucis Neapolim fuga euaſit. Ex ſententia deinde Tarentini Gallus ad finitima oppida ſubigenda cum in ea regione ſubſtitiſſet, nec confeſtim, quod Io. Coſſa monebat, exercitũ Neapoli admouiſſet, & victoriã corrupit, & vel ipſo teſte Ferdinando facultatem occupandi regni prorſus amiſit.

amiſit. Stabias Ioannes Galiardus tradidit. Robertus & Lucas Sanſeuerini, omnesq; prope Lucanorum ac Brutiorum reguli populiq; deditionem ſecerunt. Salernitanus iterum defecit, Aloiſiusque Ieſualdus, & Matthęus Extendardus. quare factum eſt vt in Samniũ atque Apuliam omnes regi aditus intercluderentur, & defectione Francisci Comitis Caſertani, ac Petri Mondragonij quæ eis Lirim Campaniæ oppida in Ferdinandi partibus perſtabant, magnum in periculum adducerentur. Interim Iacobus Picininus Ioannis auſpicia ſequutus Britonorio ex hibernis mouens ad Ceſanum fluuium cum perueniſſet, tranſitum ab Federico Metaurenſium Comite, atq; Alexandro Sfortia, qui Pontificis atq; Inſubris iuſſu ipſius iter obſeruabāt, pręcluſum reperit. proinde quaſi Saxoferratum petiturus cedere inde eos coegit, ne ei reũuenirentur; quod Sigiſmundus Malateſta Picinino obuiam progreſſus a tergo imminebat; libereq; traducto exercitu Truentum quoq; ſuperauit. oppidum S. Angeli paucorum dierũ interuallo, Pinnēſes item ac Lauretanos obtinuit: terrore atq; armis oppugnatum Franciſcum Aquinatium regulũ Gallo adiunxit: auctus deinde Caldorarum copijs ad Turdinũ regreditur, vt cum Federico & Alexandro, qui eius veſtigijs inſiſtebant, manum cõſereret. contracto certamine ex Saccagnini cum lecta manu in ſtationem hoſtium impreſſione, repulſi a Marco Antonio Taurello, vterque exercitus magna ac pari clade ad noctem vſque pugnauit, eaque dirempti dubia victoria in caſtra redierunt; etſi eam ſibi Picininus aſſeruit, quod hoſtes multis ſaucijs, atque impedimentis relictis magno ſilētio inde diſceſſiſſent. cupientem inſequi Iacobum, vt in Picenum bellum transferret, detinuere Caldorę metu Matthęi Capuani eius regionis præfecti, Alſonſiq; & Inici Daualorum, qui cum magna equitum manu ad Iſtoniũ ſtatiua habebāt. confeſtim Francauilla, Bucclanicum, Lancianum, ac tota illa ora maritima in ditionem concedit, quod Dauali ad ferendam regi opem in Campaniam feſtinauerant. fretus victoria Picininus Romam temere munitam tentandam ſibi ſtatuit: itaque per fines Pelignorum in Marſos profectus in itinere Sulmonenſes, Ioannam Celanam, & Petrum Cantelmum Comitem Populenſem Franco adiungit: inde agrum Sabinum ingreſſus Siluestrum Lucinium cũ mille equitibus, ſexcentis peditibus in Latium præmiſit, qui tumultu ac terrore ipſam vrbem compleuit. nuntio excitus Pontifex ad Romanos confirmandos magnis itineribus Senis cò properauit, & copijs contractis Antonio Piccolomineo pręfecto, cui ſubmiſſa ab Inſubre auxilia accedebant, Picinini ſpem fruſtratus eſt. ille vero eũ hiems iam ap-
 peteret,

peteret, militem partim in Marſis, partim in Marrucinis ac Theatibus in hiberna diſtribuit. Interim Ferdinandus Ioanne alibi occupato exercitum reſtituerat, quique in Campania defecerant, in primis Caſertanum, ac nonnullos alios ſub vetus imperiũ coegerat. Anno deinde primo & ſexageſimo nouis ab Inſubre copijs auctus 1461 Donato Gaiatij Comite duce Robertum & Lucam Sanſeuerinos ad ſe traxit; qui poſt captam ac direptam Coſſentiam Silanum, Martoranum, Neocaſtrum, Centiliã, & Maidam deditione, Biſinianum pugnando obtinuerunt, Lucanosq; & Calabros regi reſtituerunt. Tarentinus quo Robertorum impetum tardaret, atque hominem inde abſtraheret, Picininum ad vaſtandos agros, oppidaque, quæ Sanſeuerini in Lucanis poſſiderent, confeſtim ire iuſſit. Robertus incepto deſiſtere coactus iunctis cum Vrſino copijs repente cum in Apuliam declinaſſet, Iuuenatium ab Tarentino circumſeſſum, atq; ad vltimam cibariorum inopiam redactum fame atque obſidione liberauit. poſt cõfirmatos eius regionis incolarum animós in Campaniam redijt minime auſus Apuliam tentare, quam Hercules belli cladibus diligentiſſime prohibitam in fide Andegauenſium continuerat: quippe quem fortitudinis laude præſtantem nobiles complures collatis ad eum fortunis ſuis plane ſequerentur, vnàque viuerent. itaque Ioannes Non. Iul. multis magnisq; beneficijs, nec nõ vberiore ſtipẽdio auctum quàm fieri potuit arctiſſime ſibi deuinxit. munus extitit cum vniuerſo agro Fanum Seuerij, Sala, Dianum, Pola, Attolum in ſuperiore Calabria; Lauletta, Caianum, Pallum, Saluitellum, Salina, Fanum angeli Fracténſe, itemque alterius ad Faſſanellam vulgo dicti, præfectura complexa Octatellum, Octate, Pautolianum, Benriguardum, Poſtilionem, & Conturſium: quæ ferme iuris atque ditionis ſuæ Ioannes Herculi tradidit. Poſt Roberti ex Lucanis profectionem Picininus Tarentum ſe contulit, & Baptiſta Grimoaldus, cuius fidei Ioannes eam regionem commendauerat, complura amiſſa loca recuperauit. Ferdinandus Pontificis auxilijs, quæ Antonius Piccolomineus adduxerat, confirmatus caſtellis Almare & Scafato captis per Apenini iugum Crepacorium appellatum in Apuliam deſcendit, caſtraq; ad Troiam metatus ſubiectos campos, ipſosq; Lucerinos, qua in vrbe Andegauenſis ſe continebat, populationibus fœdauit, caſtellaque permulta tum in radicibus, tum in ipſis montium iugis ſita ad deditionem cõpulit. erat Hercules Fogiæ cum valido præſidio, crebrisq; eruptionibus diſcurſantes regios a liberis populationibus prohibebat. rex Seuerij Fano primorum voluntate ciuium recepto, quod Ateſtini ditionis haud

diutius

diutius in fide manſit, vaſtam, pabulique & aquæ iuxta indigam planitiem emenſus magna cum exercitus vexatione ad Rhodum maritimum oppidum peruenit. eo Caprinoque, & omnibus fere Gargani caſtellis ad Septentrionem vergentibus potitus de improuiſo ſub montem S. Angeli vocatum ſe ſe oſtendit, caſtellique, quod eſt in ſummo iugo, per vim expugnati prẹda militem locupletauit: finitimi enim, atque e Manfredonia locupletiſſimus quiſque eò tamq̃ in locum ſitu ac difficultate itineris maxime tutum cariſſima quæq; contulerant. rex Michaelis templum ſpoliauit, ne Ioanni haud minoribus ærarij anguſtijs preſſo direptioni eſſet; ſtatimque ne ibi ab hoſte opprimeretur, Sipontum verſus agmen mouit. Francus ſub Ferdinandi aduentum Picininum ex Brutijs in Apuliam acciuerat: dumq; ipſe in Lucanis abeſſet, miſſi ab Inſubre cũ aliquot equitum turmis Marcus Antonius Taurellus, & Petrus Paulus Aquilanus poſt aliquot caſtella man ucapta cũ Matthẹo Capuano eius regionis prætore Lauretanam arcem obſederunt. Picininus ab Caldoris Tarento accerſitus longa naui Manfredoniam cum traieciſſet, milites ex hibernis ad Moſcoſum contraxit: quo deinde ab Ioanne euocato, ac paulo poſt, vt vulgo ferebatur, affuturo; rex eo celerius Sipontũ conceſſit. Hercules vero, quod ex litteris ab eo ad Borſium ſcriptis conſtat, ſub ipſas oppidi portas ſuos non ſemel excurrere iuſſit, nec tamen hoſtium quiſquam ad pugnam potuit elici. itaq; cum magnam pecoris vim crebris ab illis populationibus partam Fogiam auertiſſet, non exiguo ex ea pretio coacto militibus præterita ſtipendia cum fide perſoluit. Accidit deinde vt, quoniam nuntiabatur Ioannem, Herculem, & Picininum coniunctis exercitibus aduentare (id autem quo inde rex cederet falſo iactatum eſt) Ferdinandus intempeſta nocte motis caſtris per oram maritimam trans Aufidum ſe ſe in tutum reciperet. regij ex terrore ad Sipontum concepto adeo obtorpuerant, vt cum rex profectus in Samnium Canuſium verſus iter faceret (id quidem ſatis indicat frangi militum animos nõ modo cum pugnare, ſed ẽt cum parum in tempore quieſcere coguntur) occurſu agminis ceruorum quaſi hoſtium metu Barolum reuerſus raptim caſtra muniri imperaret, atque in conſilio deinde palam iactaretur regi aut turpiter mari fugiendum, aut fortunam prælij tentandam eſſe: quo, ſi vinceretur, regnum ſine dubio amitteret. verum peropportune in tanto diſcrimine Barolum appulit Georgius Epirota cognomento Scander, qui annuas cum Turca perpetuo hoſte inducias pactus hortatu Pontificis atq; Inſubris aliquot cohortes & DCC. equites Epirotas in continentem traiecit, etſi Marinus Bar-

letius

letius ſit auctor Ferdinandum maioribus ab eo copijs adiutum ob Alfonſi memoriam, cuius & ipſe milite & pecunia difficillimis ſuis temporibus fuiſſet vſus. Georgij nomen ac ſumma virtutis opinio, quod tot iam annos manu atq; conſilio potentiſſimum hoſtem Turcam ſuſtineret, vſque adeo Italiam omnem perſuaſit, vt Tarraconenſibus in maiorem modum ſpiritus creuerint, Andegauenſibus ceciderint. rex cum Græcum in Apulia bellum adminiſtrare iuſſiſſet, ac Sforciam, qui Sulmonem, aliaque complura in Pelignis & Marrucinis oppida receperat, Robertumque Vrſinum ſibi adiunxiſſet, Flumarim cum permultis municipijs vltro in deditionem accepiſſet, reuerſus in Campaniam Bartolomęi Rouerellæ Aardinalis opera Beneuenti res pontificias curantis Vrſum Aomitem Nolanum iam ante Auerſanum Neapolitanumque agrum aſſiduis incurſionibus vexantem, itemq; Sarnenſem in gratiam recepit. Sforciæ mãdauit, vt Ænariæ oppugnatione Ioannem Torrellam oppido includeret; qui ante cuſtos ipſe inſula occupata, quod arx mari adiacens, cui ab ouo cognomen eſt, a Gallis tenebatur præfecto pecunia corrupto, Neapolitanam oram infeſtam habebat. obſidio loci egregie muniti, quippe quo Torrella ex arce Neapolitana pretioſam ſupellectilem, ipſiusque Alfonſi regis cadauer tranſtuliſſet, biennium tenuit. eoq; Andegauenſi poſt cladem poſtremo acceptam prælio, quod ſuo loco narrabimus, pfugium eſſe potuit. Picininus a Moſcofo profectus in Apuliam poſt Lucanorum montana euaſtata, Aquauiuam dolo captam ac direptam Tranum obſedit, aſſiduiſque excurſionibus agrum Andrienſem populatus ſæpe cum Epirotis plane iniquo pugnæ genere certauit, quod illi velocitate ſua Italum grauem armis militem eluderent. Tranenſes tãdem longa obſidione ſubacti Tarentino deditionem fecerunt: arx in fide regis manſit Georgij ſolertia præfecto, qui eam Gallis proditurus erat, aſtu capto. Hoc anno nihil præterea in Apulia eſt geſtum, quod Pontifex minus quàm cuperet auxilij ferre regi poſſet intentior Picentibus in ditionem redigendis, cuius regionis perbonam partem occupauerat Sigiſmundus Malateſta victis acie Pontificijs ad Montemleonem, ſimulque interfecto Petro Paulo Nardino eorum duce. Inſuber & ipſe parcius ſubueniebat de Genuenſium motibus admodum ſollicitus. Exarſerat ſeditio plebis ac nobilitatis ob tributa minime æqua longe plus conferentibus tenuioribus, idq; animos ciuium, quos alioqui æqualitas ipſa coniungere, atque in otio continere ſolet, maxime diſſociauerat; quod & in humanis corporibus vſu venit. fouit autem eiuſmodi diſſenſiones Ludouici Vallæ

præfecti

præfecti ſecuritas, qui quaſi in altiſſima pace minus diligenter inquirebat, quo populi ſtudia ancipitia vergerent. ac ſi enim manu teneret quæ ipſe ſibi mente finxiſſet aut cuperet, exiſtimabat Francorum opes in ea ciuitate ita coaluiſſe, vt nullum ſeditionis periculum ſubeſſet: litteriſque ad Rauennatem Cardinalem datis tuta ac tranquilla omnia eſſe ſignificauit gloriatus Adurnios a ſe in ordinē coactos, quorum tamen factio longe erat validiſſima. propterea dum neſcio quos e plebe tumultuantes oratione ſed intempeſtiua ſedare ſtuder, primis tenebris alij arma corripiunt. deinde cum Paulus Fregoſius Archiepiſcopus Petri frater, & Proſper Adurnius oppidum ingreſſi fuiſſent, Galli in arcem compelluntur, ac Pauli voluntate poſt recōciliatā gratiam ſummus magiſtratus Adurnio mandatur: qui circūuallata arce aduerſus Gallos & Fregoſios nonnihil ſibi ſuſpectos Inſubris opem implorauit. is vicinitate tanti regis minime lætus ne vt Andegauenſi contra Neapolitanum, ſic Aurelianenſi in Ligurem ius ſibi vindicanti contra ſe quandoque auxilio eſſet, Genuam cum pecunia mille militum præſidium miſit quaſi in Delphini gratiā id faceret, qui minime paternum in ſe animum cauſatus cum ad Philippum Sequanorum regulum conceſſiſſet, præ ſe ferebat non ingratum ſibi eſſe patrem etiam atque etiam diuexari. perbreui Proſperi & Pauli concordia Sfortia altero ad ſe accito cōfirmandi principatus ſpatium Adurnio dedit. Francus ad retinendam vrbem rebus Italicis opportuniſſimā copias in Delphinatibus contractas ſubſidio arci ire iuſſit, quo tempore Ioānes Lotharingus & ipſe ob eandem cauſam cum decem longis nauibus ad portum ſe ſe oſtendit: quippe ex Genuæ poſſeſſione euentus belli Neapolitani a filio moti magna ex parte pendebat. In hac Gallorum euentus expectatione Adurnius, cui quidem Inſuber, ne palam Gallum offenderet, auxilium non ſubmittebat, per legatos opem ab Ateſtino expoſcit. ille qui rempub. partim liberam cuperet, partim Carolum atque Andegauenſes eiuſmodi cauſa nollet irritatos, quibus cum Hercules frater militabat, operam dedit vt Marcus Pius cum lecta equitum ala, virorumq; militarium manu, Carpi qui erant, Genuenſium ſtipendia faceret. conſilio præterea, & quacunque re potuit clam eoſdem iuuit, ne ab ceteris præterquam ab vno Sfortia deſtituti tandem ſe ſe ei permitterent. ſub claſſis atque exercitus aduentum Paulus Adurnio reconciliatus cum iuga montium, qui ab arce ad Benigni Fanum pertinent, quaq; erat hoſtibus tranſeundum, præſidijs occupaſſet, locumq; ſtrenue defenderet, eos ad mare compulſos partim concidit, partim cepit. etenim Renatus quo ſpem ſalutis in dextris repone-

reponerent, naues ne reſpicerēt, eas ablittore propelli iuſſerat. poſt Gallorum cladem deiectis principatu a Paulo Adurnijs Fregoſii reipub. præfuerunt: ex arce Ludouico principi renuntiato tradita Renatus militem Sauonam abduxit, quæ prætore eodem Valla in Frācorum fide manſit. Altero & ſexageſimo eius ſeculi anno nutante 1462
Ioannis fortuna Herculis munus haud diuturnum extitit: quippe Ferdinandus magnis auxilijs ſubnixus ad Troiam hoſtem in certamen traxit. Tarentinus quidem cum XLIX. dierum obſidione poſt pertinacem oppugnationem, diruta ædificia, agrumq́ue fœdiſſime deformatum primo ab Franciſco Baucio Andrienſium Duce inopia coacto, ac regij ſubſidij expectatione fruſtrato deditionem expreſſiſſet, dein Mineruinum, ipſamq́ue arcem aliquot dies conſtantiſſime defenſam ab Maria Pyrrhi Franciſci ipſius filij vxore in poteſtatem redegiſſet, Canuſium circumſedit ratus, ſi eo potiri contingeret, quidquid trans Aufidum eſſet in ditionem venturum. hic ſcriptores Tarentino, aut certe Picinino inſignem notam inurunt, ne tunc quidem temperatum fuiſſe ab ſepulcro Boemundi Principis Antiochenſis, quod in Sabini templo inter tot regni turbines, inter tot bella ad eam diem intactum inuiolatumq́ue manſiſſet. Alibi Ferdinandus monitis præfectis quo pacto, qui in officio perſtabant, deinceps continendi eſſent, dubij confirmandi, qui ad hoſtem defecerant minis, impunitate, præmijs, ac pollicitationibus ad obſequium traducendi; quid denique in Pelignis, Marſis, Brutijs facto opus eſſet, profectus in Apuliā cum ſeptem & quadraginta equitū turmis, & aliquanto peditatu ad Aquam Diam caſtra poſuit. Ioannes relicto ab Tarentino Canuſio equitatu aliquanto minore quàm rex, peditum millibus ſeptem quinque ab hoſtibus millia paſſuum conſedit, oppidanosq́ue ea re præfidentes nouis quotidie ſubſidijs confirmauit, vt Ferdinandus, qui caſtellum quatere iam cœperat, de expugnatione plane deſperaret. forte autem accidit, vt cum plures equitum turmas ab ſe dimiſiſſet, quæ partim pabulatoribus, partim aliquot tormenta in caſtra trahentibus præſidio eſſent, Tarentinus hora ferme diei quarta de improuiſo inſtructas copias admoueret. rex incertus caſtra ne oppugnatum, an ad frumentatores opprimendos veniſſet, iuſſo Roberto Calatino abſentibus occurrere, ipſe peditem pro munitionibus diſpoſuit agendo, monendoq́ue cohortatus, ne Gallorum impetum reformidarent, qui laboris minime tolerantes paulo poſt faſcere, ac vinci conſueuiſſent. vbi acciti equites in conſpectu fuerunt, Ioannes Antonius pedem referre cœpit; regij abeuntium tergis inſtiterunt: ſed ſiue fortuito, ſiue de induſtria

duſtria tantus inter vtrunq; exercitum ignis extitit ex ſubuiridi ſtramine excitatus, vt Tarraconenſes tranſitu excluſi agmen retrouerterint; hoſtes ſalutem fumo ſe ſe debere non diſſimulauerint. Picinino regem intra munitiones adoriri placebat, idq; etiam Hercules ſuadebat nõ illi quidem rei militaris vſu aut ætate par, ſed prudentia haudquaq̃ iuuenili tum in concilio, tum alibi ei admodum probatus; maxime autem quod ex propinquo hoſtile vallum contemplatus cuncta ad ſuos retuliſſet. eiuſmodi conſiliũ repudiaſſe Vrſinum Hercules ægre tulit, ſcripſitq; ad fratrem conſtanti præfectorum oĩum opinione eo prælio debellari potuiſſe. cauſam ſubiecit, quod deditio Andrienſis Gallo parum accepta Tarentinum,cũ ſe illi propterea ſuſpectum cerneret, maiorem in modum alienauiſſet: quippe maluerat Andegauenſis oppidum potius non recipi; ſenex contra non niſi his cõditionibus in poteſtatẽ venturum defendebat, qđ Franciſco ſtatutũ eſſet ab rege non diſcedere, nec vnq̃ in Renati, aut Ioannis verba iurare. ita vel deditionem tractũ iri, quoad excidiũ, aut promiſſum a Ferdinando auxiliũ fortuna adduceret. Ioannis ſimultatem, nec non Tarentini, qui leui quartana tentatus, ac proinde tãtum non bello inutilis ex caſtris diſceſſerat, aliæ ẽt cauſæ auxerant. iccirco reprehendebat Hercules Andegauenſem; cui aut prorſus diſſimulãdum eſſet, aut cauendum, ne quid ei ſenis conſilia nocerent: prçſertim quod res ipſa docuiſſet,q̃ inconſulto cũ eius vnius ſententia in cõcilio viciſſet, non ſtatim ab Sarnenſi victoria Neapolim caput rerum duxiſſent. petebat a fratre miſſo ad Gallum internuntio quantũ auctoritate efficere poſſet, etiam atq; etiam eum moneret, aliter rebus ſuis conſuleret. ille Tarraconenſes atq; Andegauenſes ex æquo ſibi amicos eſſe reſpondit; quod ſi Ferdinandus Alberti fratris opera velit vti, confeſtim in regijs illum caſtris futurum, vt ipſe ſit in Andegauenſibus. nolle eo bello ſe ſe implicare, ſæpe iam Inſubris inimicitijs cõſulto declinatis,& cũ Pontifice coniunctũ, a quo poſt res Italiæ compoſitas Ferrarienſium Dux appellandus, atq; alijs non vulgaribus beneficijs ornandus eſſet: vtrunq; vero palam Tarraconenſi fauere. id & ad ipſum Herculem priuatim pertinere, ad quem tutum iſtiuſmodi artibus imperium deinde tranſmiſſurus eſſet. ipſe pro virili parte agendo monendoque quocunque loco aut tempore egregium teſtatus animum ſibi ne deeſſet, euentum fortunæ cõmitteret. Rex interim Aquam Diam tormentis quatiens turri, quæ aditũ prohibebat, diruta vndeuiceſimo obſidionis die ꝑ vim captam incendit. Vrſariam deinde totis viribus petit. oppidani ni quatriduo liberentur,deditionem paciſcũtur

rege haud abnuente, vti hoc modo hoſtem ad pugnam prouocet. quippe erat probabile, ſi tueri locum voluiſſet, qui quaſi pro munimento Troiæ eſſet, vnde in omnem Apuliā liberæ excurſiones patebant, in aciem deſcenſurum: quod ipſe auebat antequam Marinus Martianus coactis iam equitum viginti turmis, ac bis mille peditibus agrum Campanum vaſtaret, aut in Beneuentanum tranſgreſſus ab tergo inſtaret. Ioannes oppidanorum periculo commotus ad Troiā primo caſtra poſuit: poſt concilio coacto abſente Tarētino, qui per cauſam quartanæ febris Spinatiolam conceſſerat, poſt multas tribunorum hominumq; militariū ſententias varie aut probatas aut reiectas vicit tandem opinio cenſentium traducēdas eſſe copias in propinquū collem Troiam, regiaq; caſtra interiacentem, ne hoſtis aquaretur ex Chilone amne, qui trans tumulum Troiam verſus fluebat, & ſubiectos campos libere popularetur. prima luce pedites paucorum equitum præſidio collem occupant, caſtriſq;, quo ceteri ſubſequerentur, locū deſcribunt. rex ante p exploratores cognita re de tertia vigilia copias inſtructas eſſe iubet, atq; in iam tenentes iugum Robertos Vrſinum atq; Calatinum cum lectiſſima ala inuehi; ipſe modico præſidio in caſtris relicto duobus agminibus, quorum quidem alteri præfuit Alexander Sfortia, ad hoſtē pergit. Roberti Andegauenſes equites facile ex colle deturbant: mox dextra læuaq; inuecti peditē ſternūt, etſi primo impreſſionem fortiter ſuſtinuiſſet, dum equites ſubſidio venturos ſpetat, qui ad pugnam parati in vlteriore Chilonis ripa ſparſos ex fuga ſuos colligebant. regij ex ripa in torrentis alueum progreſſi duobus tantum, iiſque anguſtis & decliuibus locis peruenire ad hoſtem poterant, pro quibus valida haſtatorum & eorum, qui fiſtulis ferreis plumbeas glandes eiaculabātur, manus ſtrenue pugnabat, & e ſuperiore loco equitem facile propellebat. cum vtrinq; ſubſidia identidem ſubmitterentur, magna tum equorum tum virorum fit ſtrages. tandem regij facto cuneo, atq; hoſte pulſo ripam tenuerunt. Ferdinandus aquam tranſgreſſus latius ſe ſe aperientibus campis manus conſeruit. primæ ex regio equitatu turmæ parum proſpere congreſſæ ſucceſſit Sfortia: cum hinc rex, inde Picininus feſſis recentes milites ſubmitterent, aliiſque aliis ſuccederent, pluribus ſimul locis contractum eſt certamen. ſcribit Iouianus Pontanus regij ſcrinij magiſter, quique cum ipſi prælio interfuiſſet, totum hoc bellum litteris mandauit, cum varia vbiq; fortuna dimicaretur, globum lectiſſimorum equitum ad difficillimos pugnæ caſus reſeruatum ſecunda plane fortuna prælium iniiſſe: quamq̄ eos Galli equites præ inſita nobilitati

ferocia

ferocia primo fortiſſime ſustinuiſſent, vnaq; Hercules cum delecta ſuorum manu, quos ducis præſentia ſtimulabat, vir alioqui & corporis viribus, & animo magnus atq; excellens, quique ſemper inter primos ſtrenui militis ac fortiſſimi ducis partibus fungeretur, verbis modo, modo gladiò reliquos ad virtutem accendens: tandem ab reliquis deſertos partim ſuffoſſis, partim iugulatis equis, atq; ab hoſte circumuentos ibi aut cecidiſſe, aut in ipſa cęde ab Hercule in collem Troiæ ſubiectum deductos, vnde equitatum Tarraconenſem tergis hærentem pepulerit. eodem tempore Picininus, cum ſub ipſa Troiæ porta auſtro obuerſa cõſtitiſſet, reſtitutis ordinibus tumulum in occaſum ſolis vergentem valido præſidio firmauit certa prope abolendæ ignominię ſpe, ſi hoſtis ſucceſſiſſet. rex extremã victoriæ manũ vt adderet contempta loci iniquitate ꝑcurrens inde paruo negotio detruditur. ſed ne ea res militum aĩos frangeret, præmiſſis qui explorarent, ne poſt collem inſidiæ laterẽt, princeps ipſe ceteris ſubſequentibus in tumulum euadit. Andegauenſes impreſſionẽ fortiter primo exceperunt: mox aliquot auerſis oẽs terga dedere: pars intra mœnia, alij Luceriam verſus, aut in caſtra ad Septentrionem ſpectantia profugerunt: multi ſe in foſſas demiſerunt, vti funibus, aut ſcalis in muros ſubleuarentur. Ioannes atq; Picininus, quiq; vnà erant pauci intra portam admiſſi repente eam clauſerunt, ne regij tergis hærentes ſimul irrumperent. Ferdinandus in caſtra fugientibus immixtus, ac paulo poſt Sfortia eo penetrauit, captaque nemine reſiſtente diripuit. interim victores ab ſignis dilapſi non prędæ modo cupidine, ſed etiam quod vagi ſparſiq; fugientes perſequerentur, haud multum ab exitio abfuerunt. quod niſi rex id ſuſpicatus poſſe accidere, perinde atq; pugnę initio equites loco idoneo collocaſſet, qui hoſtem facta eruptione audacter ſe ſe inuehentem ſuſtinuerunt, quoad reliqui ad ſigna conueniſſent, Picinĩnus ſine dubio victoriam ipſi extorſerat. Hic prælij ad Troiam exitus fuit, quod proximo ſuperiore anno viſum eſt portendiſſe fœdum inter coruos atque miluios certamen Beneuentum inter & Apitium agri Brutij caſtellum bis repetitum. corui primo quidem victi, poſt victores fuerunt: quippe in aere congreſſi cum ſenſim intra vineta, quæ ſunt in ea valle, ſe ſe recepiſſent, vitiumque inflexarum ope acutos miluiorum vngues fruſtrarentur, conſilio atque arte ſuperiores diſceſſerunt. ſecundum pugnam male pugnatã Ioannes, quod Coſſa, cuius in ditione Troiani erant, alteri ciuium factioni inuiſior foret, diffiſus ſe tueri locum poſſe noctu Luceriam, inde Tranum profugit propior futurus Tarentino, eumq; recõciliaturus, quando fer-

me ex eius vnius pecunia & copijs, nec minus auctoritate pollentis nutu totius belli exitus penderet. rex admotis caſtris, tumultuque ab Coſſæ aduerſarijs excitato oppido potitur; arx Sfortiæ deditionē facit. Paulo poſt Georgius Epirota, cuius fidei Campaniam creditam alibi memorauimus, cum iam induciarum cum Thracio rege dies exiſſet, nec ipſius deinde opera Ferdinandus admodum egere videretur, eius voluntate domum redijt. rex Fogiam, Fanum Seuerij & Aſculum recepit, cumque ab Ioanne Amalphitanorum regulo obſequium expreſſiſſet, ad Aufidum proceſſit. Tarentinus qui, vt diximus, propter valetudinem Spinatiolæ agebat iam ab Gallo alienior, quod mutuæ ſuſpiciones vtrinque creuiſſent, cum & in aduerſa fortuna magno periculo, in ſecūda nullo fructu ſuis opibus Andegauenſes ſe ſuſtentaturum cogitaret, de concordia cum rege cœpit agere. pax opera Bartolomæi Rouerellæ Cardinalis Beneuento ad eum profecti, adhibitisque Antonellis Petrutio Neapolitani internuntio, Tritio vero Inſubris his cōditionibus Vigilijs conuenit, vti Ioannes Antonius quas vrbes, quæq; oppida ſub Alfonſo rege tenuiſſet, eadem præter Tranum & Salernitanam arcem ſub Ferdinando poſſideret: munere magiſtri militum vt ante fungeretur, eoque nomine ex ærario aureorum nummûm centum millia quotannis caperet: regi per eum libera poteſtas eſſet inimicos regulos armis perſequi, ipſe Andegauenſem atque Picininum nulla re iuuaret, quibus tamen tuto intra dies XL. Apulia excedere liceret. ad has & alia cauſa acceſſit, quod per idem tempus Sigiſmundus Malateſta opem implorans ad eum confugerat. is cum Franciſco Pico cōſcripto quem in Brutios traijceret exercitu cum regionis prętor Truenti ripas obſediſſet, tranſituque prohiberet, Senogalliam circumuallatam ad deditionem compulit. inde Mondulfum verſus iter facienti Federicus Vrbinas pontificij exercitus imperator occurrens captis M D. equitibus, vnàque Pico eum acie fudit, Fanoq; & agro Ariminenſe exuit. hæc Tarentinum ad pacem inclinarunt, præſertim quod breui ad Ferdinandum pontificia auxilia ventura nūtiabātur, & præfecti regij in Brutijs proſpere bellum gerebant: vbi ante Baptiſta Grimoaldus cum Antonio Crotonenſium regulo, eiusq; fratre Alfonſo Centilia, & Aloiſio Caraciolo Neocaſtrenſi Comite coniunctus equitatum Lucæ Sanſeuerini deleuerat, totumque illum tractum perpopulatus ad Cratim amnem conſederat. mox quod Antonius ſtudio ſe ſe regi conciliandi e caſtris diſceſſiſſet, ſimulans ſe arceſſitum ad ſua tutanda aduerſus Iacobum Carafam & Galeotū Baldaſinum Biſinianum ſe cōtulerat. at Coſſentini, quorum vicos

Baptiſta

Baptiſta aliquot inde ſubmiſſis militum manipulis diripuerat, tanta virtute vim propulſauerunt, vti regis iuſſu Maſius Barreſa ad populos in fide continendos cum exercitu eo contenderet, qui deditione ciuium Biſinianum recepit, quando Grimoaldus Acrim oppidum celſo in monte ſitum, ac longe munitius conceſſerat. Barreſa locum totum diem cum fruſtra oppugnaſſet, noctu aliquot peditibus vallum tranſgreſſis, portaque effracta cepit pari militum ac ciuium ſtrage. Baptiſta Themeſen haud procul a mari fuga euaſit. mox Simarim occupat: paulo poſt ad Rocellam, quam Alfonſus Centilia obſidebat, liberandam profectus ipſum prælio victum, & qui pugnæ ſuperfuerant captiuos fecit. Terram quoque nouam, Georgij Fanum, & Baldaſini caſtellum nomine Oppidũ in poteſtatem redegit. regis felicitate adductus Tarentinus aliquanto cupidius pacem cũ eo fecit. ſecundum quam Ioannes ab Trano in Brutios nauigauit ad Caldoras, ibiq; reliquias ſuorum inſtitit colligere: illi autem vehementer premebantur ab Daualis, qui incredibili celeritate ac virtute complura caſtella, in his Sangrum expugnauerant. Tarraconenſis tum ſecundis Barreſæ prælijs, tum recõciliatione Tarentini pacatis Calabris atque Apulis veritus ne Franci aduentu Dauali vtpote viribus inferiores opprimerentur, eo cum omnibus copijs maturauit. aduenienti Leſinates, Serriani, Montorienſes, atq; aliquot alia oppidula trans amnem Frẽronem portas vltro aperuere. inde Samnium ingreſſus, vti militem aliquot dierum quiete reficeret, in itinere Pontem oppidum Comitis Campibaſſani incendit. In tanta rerum perturbatione, belliſque alijs ſuper alia exorientibus Borſius populares ſuos in ſumma trãquillitate continuit hunc propenſæ in omnes voluntatis benignitatiſque fructum conſequutus. erat ei magna in primis cum Senatu Veneto neceſſitudo non ſolum ex quo die ad imperium euectus maxima celebritate ac pompa Principem ſalutatũ ad vrbem acceſſit, vbi Patrum complures aſſidua cõſuetudine ſibi conciliauerat; ſed deinceps etiam ſocius ſemper amicuſque, nec ipſe alio apud eos loco habitus. proinde controuerſia grauis quidem illa de Rhodiginis ac Patauinis finibus ab Senatu Matthæo Victori, & Paulo Mauroceno, ab Ateſtino Franciſco Aretino delegata ex æquo & bono intra paucos dies eſt compoſita.

1463 Quamobrem anno eius ſeculi LXIII. Principe, vt equeſtribus ludis vellet intereſſe, petente Venetias ſe magna cum nobilium procerum manu contulit, Bertolduſque Ateſtinus alteri turmæ præfectus palmam retulit: qui niſi fato plane infelici in ipſo ętatis flore præreptus fuiſſet, non iam ludicro, ſed maxime ſerio certamine nimirum bello Pe-

lo Peloponneſiaco aduerſus Turcas a Patribus dux lectus, quæ ipſius virtus, quoad in Græcia fuit, enituit, res præclaras, ac triumpho plane dignas ſpondebat. barbarus ſuperiore anno Mytilenen, Lemnum, ac circumiectas alias inſulas de Cataluſio ceperat: tum in Peloponneſum ab Demetrio accitus regionem imperio ſuo ſubiecit. Peloponneſi parti præfuit primo Michael Comnenus Græcus, qui poſt expugnatum a Latinis Byzantium, quo tutius regnaret, Venetis in clientelam ſe dedit. Comneni ſtirpe extincta, quibus illa oppidis imperitauerat, ea Senatus ſuæ ditionis fecit; reliquam partem tenebant Demetrius, & Thomas Palæologi poſtremi Auguſti fratres a Michaele illo oriundi, quem imperij maieſtatem Græco nomini reſtituiſſe ſupra memorauimus. Thomam Tænarum promontoriũ tentantem Emanuel Cantacuſcenus, cuius locus in ditione erat, Patris obſedit; fratrem vero Demetrium Meſſene vrbe nobiliſſima, quam Miſetram incolæ vocant. fratres aliàs inter ſe contenderant de Græcorum imperio, quod Demetrius ſibi ætatis præ rogatiua deberi aſſerebat, ac propterea Deſpotæ modo titulo contentus obſignabat annulo Auguſtali aquila inſculpto: cumque internuntio Athanaſio Laſcare Borſium ea de re cõſuluiſſet, ipſius auctoritatem ſequutus eum fratre in gratiam redierat: itaque ratus id & propriæ, & fratris ſaluti maxime profuturum, Mahometem filiæ nuptijs conciliatum auxilio aduerſus Cantacuſcenum aduocauit. affuit ille, ſed ſibi, non ſocero rem geſſit, multiſque Peloponneſi captis oppidis Emanuelem, ac Demetrium regno excedere coegit. Thomas aliquandiu repugnauit, ſed tandem hoſtilium virium mole oppreſſus Andreæ Apoſtoli capite, rebusq; cariſſimis raptim in naues impoſitis Romam enauigauit. ſacroſanctas reliquias ſibi traditas Pontifex in Diui Petri æde condidit. ſubinde Mahometes LIII. dies Pylum fruſtra obſedit defendente Palæologo Gritienſi. dum in Thraciam reuertitur Franco Acciaiolo Athenarum regulo defuncto oppidum occupauit. Pyli ab Gritienſi Venetis conceſſæ exemplo permotus Nicolaus quoque Palæologus Epidaurum iiſdem tradidit. Patres ad ea loca tuenda, in primis vero Nauplium vrbem egregie munitam, rebuſque maritimis maxime opportunã propter ſinum maris ex aduerſo Cretæ inſulæ, ſenatuſconſultum fecerunt, vt primo quoque tempore exercitus in Græciam portaretur: ſimul vt experirentur ſi qua proferre imperiũ ibi poſſent. ſtimulabat etiam Argos proditione interceptum, qua quidem re barbarus ingens vulnus reipub. inflixerat, atque alia porro in eam moliebatur. adde quod cum per fœderis a patre Amurathe percuſſi, atque ab ipſo poſt

confir-

confirmati conditiones non liceret Helleſponto claſſem educere, Leſbum Genuenſibus ademerat. Patres ad Victoris Capelli non cõtemnendam claſſem, quæ illis in locis ſtabat, aliquot triremes, nauigiaque compluta adiecerunt præfecto Aloiſio Lauredano, Petro Palmerio Epirotarũ turmæ eo ducendæ datæ: Bertoldus vero ſummæ rerũ præpoſitus. ille tribunis adlectis Betino Calcinacio, Franciſco Brandolino, Ioanne Atellano, Roberto Thenio, atque alijs præſtantibus viris Nauplium deuectus inde pedibus recta Argos contendit, oppidoq; ſtatim potitus ad cetera recuperanda, ac deinde retinenda hanc ſibi viam patefecit. Pelopõneſus anguſto aditu, Iſthmum vocant, continenti iuncta, qua ſita eſt Corinthus, ſenſim in mare aperitur; ab Corintho, quod oppidum barbari belli arcem legerant, in omnes partes liberæ excurſiones patebant. Bertoldus expeditiore conſilio, non vt quidam Iſthmum fodere, atque ita arcere hoſtem, ſed vt Xerxis in Græciam aduentu factum fuiſſet, muro illas anguſtias intercludere conſtituit. redacta in poteſtatem Argiuorum arce, quæ poſt oppidum amiſſum aliquandiu vim ſuſtinuerat, monachoque proditionis auctore reſte ſuſpenſo congreſſus cum D. equitum ala, qui Martinum Epirotarũ turmæ præfectum interfecerant, Nauplium reuertitur, monitoque Lauredano vt claſſem ad Iſthmum appelleret, ipſe eodem progreſſus Baſilium caſtellum expugnat, & caſtra contra Saronicum ſinum metatur. Erant in exercitu armatorum millia quindecim, qui & aliàs, ſi opus foret, acie certarent, & in opere, cuius gratia XXX. operarum millia conuenerant, verſantibus præſidio eſſent. tanto autem labore ac diligentia Ateſtinus munitioni incubuit, vt intra XV. diem pro Iſthmi latitudine non minus VI. M. paſſuum tranſuerſum murum ſatis firmum extrueret, dupliciqúe eum foſſa altera interiore, exteriore altera firmaret. in operi intẽtos Turcæ ad quattuor millia, qui circa Corinthum conſtiterant, quorumque e numero quingentos excurriſſe diximus, cum impetum feciſſent, tantum abfuit vt intra præſidium aliquod ſe reciperent, vt etiam re infecta pulſi regione prorſus excederent. Interim Benedictus Culeo arce incolumi Meſſenen in poteſtatem redigit, ipſe cadit. Ioannes quoque Magnus ad arcem Megalopitanam hæſit, cum cetera armis expugnaſſet. Bertoldus opere effecto ad Corinthum colli applicatam, ac pro eorum temporum cõſuetudine ſummo in iugo munitione ſatis tutam oppugnandam maturauit. ipſe ab occaſu ſolis, Atellanus ab ortu, a ſeptentrione Lazatus Pantolianus cum ſuis cohortibus rem geſſerunt. Atellanus compulſis ad interiora vrbis, quæ ante communi-

uerant,

uerant, hoſtibus ea irrupit. ſimul Bertoldus muro ſuccedens tam graue in tempore vulnus lapide ictus accepit, vt ſopiretur. cum ad ſe rediſſet, tanta pertinacia Turcis inſtitit, vt ex oppido in Acrocorinthũ, id arci editiſſimo ſitæ loco nomen eſt, confugerent: compluresque, ne obſidione clauderentur, inſequenti nocte e rupe pręcipites ſe ſe darent; quos aut caſus ipſe, aut milites deprehenſos ferro conficiebant. in ea oppugnatione Bertoldum, cum nec prælio excedere, nec vulnus percurare ſuſtinuiſſet, animus reliquit. In eius locum ſuffectus eſt Bettinus, qui, cum nunciaretur Turcarum LXXX. millia breui in Pelopõneſo futura, ad Iſthmum progreſſus vbi comperit rumorem non omnino vanum eſſe, nullo ad munitionem præſidio relicto Nauplium conceſſit. poſt Bertoldi mortem immaturam, cuius virtutem alioqui funere publico elati in concione laudauit Bernardus Petri Bembi pater, relictamq; barbaris Pelopõneſi poſſeſſionem Senatus diſcrimen inde imminens acrius expendere cœpit, quod Mahometes victoria non ſegniter vteretur. Borſius, qui cum republica admodum coniunctus eſſet, quo illa maiore in periculo verſabatur, idque ſibi perincommodum fore cernebat, eo diligentius attendere augeſcere Inſubris opes, qui ceteroqui in componenda cõtrouerſia de finibus Parmenſis agri impotentius ſe cum ipſo geſſerat, quàm Nicolai patris egregia in eum merita poſtularẽt: iccirco omnia illius incrementa finitimis nimis formidoloſa eſſe. hæc cauſa perpulit, vt Herculem & Sigiſmundum ex Apulia domum reuocaret iam animo proſpiciens Andegauenſium conatus deinceps irritos fore, quod priuatim ſibi quiſque conſuleret: Alfonſus vero Calabriæ Dux Ferdinandi filius Rocellam in poteſtatem redegiſſet, & Ioannes ex Brutijs in Campaniam abijſſet exigua ſpe Martiani, qui nutare videbatur, in officio cõtinendi. adhæc eam fratrum indolem exiſtimauit Borſius, vt multa tuto ijs committi poſſent: & ſane æquum erat paterni regni non omnino expertes eſſe. proinde cum alteri Mutinenſium præfecturã, Regienſium alteri commiſſurus eſſet, ab Ioanne petijt iuuenes ab ſe dimitteret; quippe ætatem ingraueſcentem his vicarijs, ac quaſi adminiculis ſubleuari oportere. Gallus, qui ante Ateſtino ſignificaſſet, ſibi propoſitum eſſe bellum conditionibus, aut quoquo alio modo quamprimum finire, haud grauate illi eſt obſequutus. nihilo tamen ſecius ipſe ac Martianus rebus gerendis intenti ad prohibendum tranſitu regem cis Gaurum munitiones excitauerant, montemq; præſidijs inſederant eo alacrius, quod Pontifex impenſæ pertæſus, atque auctore Borſio a belli conſilijs alienior parcius opitulabatur contentus modo

Celanen-

Celanenſem, Soranum, atque Arpinatem agrum Romanæ Eccleſię vindicaſſe. At Ferdinãdus Roberti Calatini opera ac virtute depulſo ex montis vertice hoſtium præſidio Anechinum Mormillium cum turma equitũ eniti in collem, ac mox decurrere iuſſit, qui prorutis operibus aditum ceteris copijs patefecit. regij Sueſſanos campos late populati Draconis montem oppidum inter Gaurum & mare poſitum tormentis quatere cœperunt: equitatus ad ipſius radices montis in vico eſt collocatus; peditatus ex aduerſo in colle interiecta conualle ab ipſo monte dirempto. Andegauenſis nocturna ad tormenta irruptione irrita Sueſſam ſe recepit. rex quoque cum oppugnatione parum proficeret, quod tormentis altius libratis pilæ muros ſuperueherentur, demiſſius vero in ipſas cautes impingerent, facile in conditiones deſcendit, ac Ioanni fide ſua permiſit, vt in Ænariam traijceret. inſula ab Torella, vt diximus, occupata erat tum in poteſtate Tarraconenſium, a quibus ipſe in arce circumſedebatur. at Ioannis aduentu non ſine ſpe Tarentini & Sueſſani iterum ad arma concitandi mutata eſt belli fortuna, & qui obſidebant obſeſſi, omniq́ue auxilij ſpe interclusi. quippe Torellæ frater Carolus eo cum octo triremibus, alijsq́ue diuerſi generis nauigijs aduectus Campanię oram infeſtam habebat, neue quid auxilij in caſtra ſupportaretur, ſedulo dabat operam. Pace tandem cum Martiano rex inita, & conciliato Picinino, qui voluntate ipſius Sulmonem, Pinnas, atque alia in Brutijs capta oppida retinuit, profectus in Apuliam S. Angeli arcem recepit, inde Manfredoniam obſedit: quam, dum de deditione agitur, inter pacata colloquia miles fraude irrumpens fœde diripuit. mox defuncto Tarentino (nec abfuit ſuſpicio Ferdinandum mortis conſcium extitiſſe) confeſtim omnes populi, quibus ille imperabat, in Campania ac Lucania, ipſumq́ue Tarentum regis fidei ſe permiſerunt. quæ res ingenti, vt tum opinio fuit, congeſta ab eo pecunia Ferdinandi inopiam non parum leuauit. Poſtero anno, qui
1464 fuit quartus & ſexageſimus eius ſeculi, Franciſcus Sfortia permultum ad priſtinas opes addidit ab Ludouico XI. Francorum rege beneficij iure Sauonam, ac quidquid iuris in Genuenſes ipſe ſibi aſſereret, conſequutus: quo nomine cum Obiectum Fliſcum, Spinetam Fregoſium, & Proſperum Adurnium ad ſe pellexiſſet, Albenga, & ora in occidentem verſa potitus Gaſparem Vicomercatum cum modicis copijs Cornelianum miſit. Inſubribus multi deinde Sauonenſes atq; Genuenſes acceſſerunt ducibus Paulo Auria, & Hieronimo Spinula, quos imperij Pauli Fregoſij tædebat. is orientalis

quoq; oræ defectione territus Bartolomæa, quæ Petrini vxor fuerat, in Caſtelletti arcem reiecta, additoq; fratre Pandulpho præſidio D. militum, cū quattuor nauibus e portu ſoluit: ſtatimq; ſub Fregoſiæ gentis fugā ciues Sforciæ ſe tradiderunt. arx quadrageſimo, quàm circumuallata fuerat die deditur: mulieri eius rei gratia Nouium oppidum redditur, ac præſentia aureorum nummûm XIIII. millia numerantur. Atque huius victoriæ lætitia non exultaſſe Franciſcus, ſed modeſtiſſime vti viſus eſt, quantum quidem ex legatis, litteriſq; ad Borſium miſſis eſt compertum. Genua regno addita, ac ſocietas inter Inſubrem atque Francum contracta, ad hæc mors Tarentini omnem Ioanni ſpem belli reparandi, fortunæque reſtituendæ incîdit ita, vt in Prouinciam enauigandum ſibi eſſe ſtatueret. diſcedens magnum ſui deſiderium amicis reliquit: fuit enim lenibus maximeque compoſitis moribus præditus, fide integra, iuſti ac religionis tenax, ac vel Italorum teſtimonio ſupra eorum opinionem grauis, ſeuerus, prudens. inſigne quoque ad memoriam exemplum prodidit, ex deſertorum ſtudijs atque opibus pendenti inter magnos conatus raro proſperum exitum proponi. Ferdinandus cauſatus Martianum iterum cum Ioanne conſpiraſſe aſtu hominem comprehendit, breuique eius oppidis potitus in Brutios tranſijt. ibi ferme quidquid Caldoræ poſſidebant, armis domuit: Vaſtum Amonis obſedit: cum vi parum proficeret, oppidanos diſpoſitis per finitima loca præſidijs commeatu prohibitos ad deditionem compulit, quo tempore Reſtainus agebat de Antonij patris reconciliatione, qui & ipſe in regis poteſtatem venit. Alibi quoque Sfortia & Capuanus Aquilanos in Ferdinandi ditionem adduxerunt, tametſi complures ciuium Andegaueuſibus plurimum fauentes Pontifici quàm Regi mallent ſubijci. At Torrella in inſula Ænaria celeriter ad veteres anguſtias eſt redactus: ſiquidem Ioannes Pous trecentis peditibus in terram expoſitis, dum ille ad munitiones acriter pugnat, nec opinantem adortus in oppidum repulit: Galcerandus vero Hiſpanus Carolum eius fratrem ac naues cepit, eaque re coactus inſulam reſtituit; ipſe incolumis in Siciliam eſt tranſportatus. Pio poſtr. Id. Sext. fato functo Patres Roma litteras VII. Id. Septembr. humaniſſime ſcriptas ad Borſium dederunt ſignificantes renuntiatum Pontificem Max. Petrum Barbum patritium Venetum, ac Paulum II. nomen edidiſſe. is Pium imitandum ſibi propoſuit, qui cum Ancone, quem in locū innumerabiles prope copias ad bellū Thracium coegerat lecto iam imperatore Matthia Coruino, Veneti Principem

Senatus

Senatus operiretur, ex animi ægritudine deceſſerat: quod alioqui militibus abundanti naues, commeatus, pecuniaque deeſſent: incredibili conſtantia de rebus diuinis ſemper collocutus cum Laurẽtio Rouerella Ferrarienſium Epiſcopo theologo ſuo. cum Byzantij de barbaris recuperandi cupido, tum ſecundæ res incrementaq; Mahometis Pontificem ad eam expeditionem inuitabant: quippe qui ſuperiore anno Raſciam & Seruiam veteres Dardanorum ſedes partim vi, partim incolarum voluntate occupaſſet: male enim Lazarum principem oderant, quem fama eſt regni cupiditate impulſum matrem veneno necaſſe. Paulus igitur & ipſe initio bellum moliri cœpit; mox priſtinas difficultates non de nihilo veritus de induſtria ſpatium interpoſuit conſultando potius, quàm agendo
1465 Turcam debellaturus. Paulo Pontifice annus inſequens ſatis quietus Italis Gallos grauiſſimo motu concuſſit. erat apud regem Ioannis pater Renatus in magna gratia: filius in Lotharingiã cum veniſſet ægre ferens Ludouicum ab Italicis rebus auerſum Sauonam Inſubri tradidiſſe, regnique Neapolitani cura abiecta Tarraconenſes atque Andegauenſes controuerſias neglexiſſe, per Borſium primo regi percarum ad res in Italia nouandas auxilium poſtulauit. vbi id fruſtra eſt, Carolum Carcellenſem Comitem Philippi Burgundionum Ducis filium aggreditur, qui ſuſpicatus a Franco miſſum in Hollandiam nothum Rubriprati filium ad ſe comprehendendum, animo ab illo erat alieniore. Carolo nupſerat ſoror Ioãnis Borbonij, cuius item in matrimonio cum eſſet Ludouici ſoror, nondum dotali auro appenſo perfacile fuit regi infenſum in partes traducere. Franciſcus quoque Britannorum Dux iratus fratri prohibenti, ne deinceps ſcriberet Dei gratia Britanniæ Dux, quodque ſibi ex Britannia vectigal cogi, ac ſe denique ſacerdotiorum patronum agnoſci iuberet, haud grauate nomen dedit. Carolus regis frater Ducatu Biturigum vt tenui dominatu contentus eſſe non poterat, eaque illum cauſa ab rege diſtraxit. hos vt capita rerum nouandarum multi proceres, in primis Dux Nemorenſis, Comes Armeniacus, atq; alij ſequebantur in magno apud ſuperiorem regem honore habiti, ab hoc exauctorati. Ludouicus aduerſus conſpirantes exercitum conſcribit, Lutetiam tenet. ſemel, iterum, tertio cũ Burgũdione congreſſus pacem iungit, quam Paulus Æmilius Confluentinam, quod ad pontem Charantonem, vbi Sequana & Matrona coeunt, conueniſſet; Vicenniam Argentonus ex arce propinqua in ſilua, & regis paradiſo extructa appellat. rex fratri Normaniam, Caroleſio Ambianos, Abeuillam, Quintianos, aliaq; ad So-

monam oppida conceſſit, quæ ante Philippus pater ab Carolo VII. tradita poſſederat ea conditione, vti CCCC. aureorum nummûm mil libus quandoq; pignus diluere liceret. Anno eius ſeculi LXVI. poſtr. 1466
Non. Mart. Franciſcus Sfortia mortem obijt. ita bello concordia finito fruſtra ſuſceptum eſt iter a Galeatio ipſius filio, qui mox patri ſucceſſit, & tum mille & quadringentos loricatos equites ad Ludouicum ducebat. Nicolaus Strotius Borſij nomine ea de pace gratulatum regi in Galliam, Hercules Mediolanum ad ſalutandum nouum Ducem perrexit; apud quẽ aliquot dies quaſi animi cauſa fuit, reuera vt ſpecularetur in primo regni limine ad otiũ ne, an ad negotium ferretur. Haud multo poſt Ateſtinus ex Cardinalis Rauennatis, ac mox ipſius Pontificis litteris cognoſcit Senatum ab illo habitum, relatumque de Dyrrachio, Croia, atque Epiro a barbaris ſubacta, abductiſque in ſeruitutem chriſtianorum capitum L. millibus, nec non de auxilijs in Dalmatiam mittendis, vbi Turca bellum proſpere gerebat, ſi quid ea res hominis frænate poſſet impetũ. premebat Dalmatas Mahometes, quod huiuſce anni initio obijſſet Georgius Epirota a prima pueritia Turcica lingua Alexander appellatus ab Amurathe. is pluribus tum in Aſia, tum in Europa expeditionibus ingens nomen virtute cõſequutus tandem occaſione victoriæ, quam de Turcis ad Morauam retulerat Ioannes Hunniades, clam domum elapſus Croia & paterno regno de impijs recepto Epirum vniuerſam ſuæ ditionis fecerat, fuſis interim fugatiſque Haleo, Feriſio, & Muſtapha regijs purpuratis. quin ipſam quoque regionẽ ab irruptione Amurathis, Croiamque ab eo circumuallatam fortiſſime defenderat; Sinamum, Inſumbegum, Caratiabegum, Seremetium, Ballabanum, Iagupum regis præfectos profligauerat, Mahometem Croiam iterum obſidentem cum ignominia diſcedere coegerat. duce longe clariſſimo extincto euentus Lechæ Ducagini Epirotæ vaticinium plane confirmauit, qui ad eius mortis nuntiũ barbam & capillos vellens nunc inquit Epiri & Macedoniȩ fauces apertæ, oppidorum muri, gentis vires deiectæ, imperij ſedes proſtrata, omnis ſalutis ſpes ſublata eſt. etenim licuit barbaro Croiam primo paruo negotio, mox totam prouinciam occupare, in Dalmatiamq; & circumiectas Ionij maris inſulas penetrare: quæ ſunt deinde accuratius ad Borſium pſcripta ab Ferdinando. is autẽ poſt duos longe acerrimos belli auctores de medio ſublatos, Crotonenſem regulũ in cuſtodiam traditum, hoſteſque ex regno penitus exterminatos pace fruebatur. nam Agathenſes, qui vni Andegauenſis partes ad extremum conſtantiſſime defenderant, hortatu Baptiſtæ Grimoaldi teſtantis

ſtantis id quoque Ioanni placere, fruſtra adhuc quidem ab Alfonſo oppugnati ea conditione deditionem fecerunt, vt eſſent in poteſtate Bartolomæi Rouerellæ: isque tantiſper fratrem ibi Florium cũ imperio præeſſe iuſſit. Ferdinandus de rebus domeſticis atque externis paulo grauioribus Borſium certiorem faciebat, in quem alioqui cũ Gallis maxime cõiunctum nihilo ſecius egregia voluntate erat; idq; miſſis ad eum muneribus non ſemel declarauit, pręſertim ſub huius ipſius anni exitum. cũ enim intelligeret ludos celebrare velle, multorumq; animantium & curſorum certamen inſtituiſſe, equos perniciſſimos ad eum per Marinum Caraciolum adducendos curauit. Pontifex, vt qui Chriſtianos, in primis Italos conciliare inter ſe ad bellum Thracium ſatageret, alteras de eadem conſociatione litteras ad Borſium dederat. ſed ex pernicioſis Florentinorum factionibus
1467 eæ curæ in ſequentem annum ſunt propagatæ, quæ priuatæ rei gratia ab longinquis ad propinqua omnium animos conuerterunt. Deceſſerat Coſmus Medices relicto pari potentia ac dignatione Petro filio; nec deerant præſidia potentiæ, alterum quidem ampliſſimæ diuitiæ conflatæ, vt fama obtinuit, ex fortunis Balthaſaris Coſſæ, qui Pontificatu abrogato carcere elapſus Florentiæ Cardinalis mortem obierat: alterum magnus rerum humanarum vſus ac prudentia. verum Deoteſaluus Nero, quo cum ante monitus a patre filius omnia communicabat, haudquaquam paſſurus hominem in repub. excellere, ac quaſi dominari, factorum conſiliorumque eius gnarus cũ Luca Pitio, Angelo Acciaiolo, & Nicolao Soderino clam in ipſius perniciem conſpirauit. forte per legatos a Florentinis petebat Galeatius Mediolanenſium Princeps fœdus, quod cum patre pepigiſſent, iiſdem conditionibus ſecum renouarent. hanc illi occaſionem ſeceſſionis nacti aperte interceſſerunt dictitantes Franciſci morte ſocietatem ad heredes non tranſire, quorum nulla facta eſſet mẽtio. cum de eo potiſſimum certaretur, quod Inſuber aureorum nummûm LX. millia poſtulabat, fruſtra monente Petro ne ab eo diſcederent, cuius opes Venetorum æmulatio neceſſarias efficeret, res nullum habuit exitum. gliſcente controuerſia Petri æmuli præſidia contrahere cœperunt; & ille, cum de induſtria iactaretur Mutinenſium Ducem cum copijs auxilio ijs affuturum, clientes armauit, & magiſtratus populumque in aduerſariorum exitium oratione concitauit. Deoteſaluus alijs alio dilapſis Venetias profugit, ac Principem primo repulſus vix tandem exorauit, vt domum Senatus opibus reuerteretur, cũ quidem fando exaggeraſſet, quod Franciſcus Sfortia Inſubrium imperium Venetis cõtra tendentibus con-

ſilio

ſilio atque ingenii Florentinorum pecunia obtinuiſſet, Coſmi Medicis opera accidiſſe. Galeaij, ſi Petrum amicum habeat, aduerſarijs exulibus Florentiam in poteſtate futuram. Quod autem bien nio ante Iacobum Picininum ab Franciſco Sfortia nuptijs Druſianæ non iuſtæ filiæ generum lectum, moxque cum ſocer ei parum fideret, ad ſe conſulto allegatum Ferdinandus, vt tum rumor percrebuit, in Sfortiæ gratiam necauiſſet, vnius ferme Bartolomæi nomen vti viri militarium artium peritiſſimi in omnium ore erat. huic Venetorum ſtipendia merenti Patres liberum arbitrium ſe ſe permittere ſimulauerunt, vt cum exules ducem clariſſimum mercede conduxiſſent, illius virtute in patriam reſtituerentur. Botſius pro ſua in Coſmum primo, deinde in Petrum beneuolentia cum toto eo bello exitus ignarus abſtinere decreuiſſet, non tamen exulibus nō aliquid tribuit paſſus Herculem fratrem reipub. militare præfectum M CCCC. equitibus annuo ſtipendio, dum pax maneret, XV. millium aureorū nummûm, atq; ita vt Patres cupiebanr, cum Culeone in Hetruriam proficiſci. erant in exercitu præter exulum magnam manum atmatorum millia XIIII. partim equites, partim pedites: proceres vero Hercules, cumque eo Pinus Ordelaffius, Marcus Pius, Fauentiæque ac Mirandulæ Domini; iidem Alexander Sfortia, cuius ſigna ſequebantur Conſtantius filius, Sforzinus Cotignolenſis, & Silueſter Comes. cum his copijs paulatim auctis, vti aditum in hoſticum ſibi patefaceret, Culeo Martio ineunte per Ferrarienſem agrum progreſſus ad Caſtrocarum conſedit. Interim Florentini ſocietatē coiuerant cum Neapolitano rege, Inſubreque, & Ioanne Bentiuolo, qui ab Sancto educatus tantis iam opibus pollebat, vt omnium con feſſione, citraque inuidiam Princeps haberetur: præſertim quod eū Pontifex ſuperiore anno præſidem perpetuum, & vt produnt eius ciuitatis annales, Ducem ac principem Decurionum, quos numero viginti publicam rem gerentes, ac genere maxime claros ipſe legerat. Hetruſci, ſocijque Vrbinatium regulum Federicum omnibus copijs præpoſitum in Flaminiam iubent ducere, tū vt hoſtem tranſitu prohibeat, tum vt Thadæo Alidoſio ab Sfortia apud Cornelij forum circumuallato opem ferat. Metaurenſi ad Lidicem, vt ante, caſtra habenti coniunxit ſe Alfonſus Ferdinandi filius cum equitum VI. millibus, Inſuber XI. Kal. Apr. XXII. turmas, peditum millia V. adduxit. Culeo & Sfortia ex ijs locis, in quibus conſtiterant, profecti exercitus & ipſi iunxerunt, & caſtra inter Fauentiam & Cotignolam poſuerunt. paulo poſt Inſuber cum omnibus copijs ad vicum agri Forocornelienſis, Proſperi Fanum appellant, conſedit,

ceden-

cedentiq́ue ex ſtatiuis emunitis Culeoni in Fauentinorum fines iiſdem veſtigijs, ac totidem caſtris inſtitit. ibi Bordanum nulla interim memorabili re geſta aliquot dies obſeſſum incolarum deditione obtinuit. inde Florentiam ſe contulit vel Petri precibus adductus, vt eius præſentia atque auctoritate opes ſuas magis confirmaret; vel ſponte, vt cum exulibus de concordia ageret; aut certe vt, dum neceſſitas vrgeret, reliqua ſtipendiorum ſibi ex veteribus fœderibus debita a ciuibus exigeret. poſt eam profectionem cum forte fortuna Culeo VIII. Kal. Aug. caſtra ad vicũ Molinellam cõmuniret militibus alioqui longo itinere defatigatis, quemadmodũ ad Pontificem ſcripſit Borſius, cum inſequente hoſte certamen contraxit: quod a ſexta diei hora plerunque anceps in veſperam tenuit. ad extremum M M. equitibus partim cæſis, partim captis inferior diſceſſit magna etiam cum hoſtium clade propter aliquot minora tormenta tum primum in aciem producta, cum hactenus tantum quatiendis muris maiora adhibita fuiſſent. Hercules in ipſo prælio pilæ ictu pede, vt quidem res poſt docuit, grauiter ſaucio ante vulneris curationem cum militum pugnaciſſimos conglobaſſet, pugnam virtute reſtitutam in ſeram noctem traxit: tandemq́ue auerſo in fugam Alfonſi agmine ipſum Ducem inſequutus chlamydis partem ſingulari plane fato, quando & id Ferdinando patri acciderat, dum ictum intentat gladio abſcidit. ſecundum prælium, quo fœdere coniuncti alterum tantum equitum deſiderauerunt, Metaurenſis ad vicum Salettum exercitum reduxit prope pontẽ Poledranum, quem deinde Ioannes Bentiuolum de familiæ noĩe appellauit, quod eius ac turris cuſtodiam ab Sixto IIII. cõſequutus magnificas ibi ædes extruxiſſet. Iam ad Alfonſum miſſæ X X. equitum turmæ collem Floridum, id loco nomen eſt, attigerant, & Inſuber coactis Genuæ aureorum nummûm millibus XXX. eas copias in circumiectos Abduæ campos pergere iuſſerat, quo mox in caſtra tenderent, & Mantuanorum Princeps in partes tranſiuerat. At vero Hetruſci, qui nullo operæ pretio, atque exigua in poſterum ſpe magnos quotidie ſumptus facerent, nec ignorarent Philippum Allobrogis fratrem Ferrarenſem atque Inſubrem bello premere, vſque adeo pacem cupere cœperunt, vt cum eam per Ateſtinum confici poſſe exiſtimarent, tametſi exules Ferrariæ frequentes eſſent, enixe ab eo peterent totam rem complecteretur; ſociosq́ue tædio belli affectos, idem vt vellent, ꝑpulerunt, præſertim quod Neapolitanus haudquaquam alacriter partes obibat ſuas. egerat ſane Francus cum Allobroge internuntio Vaſtineto Comingio, vti fratrem coerceret; attamen Galeatius diſcedere

ex ca-

ex caſtris ad ſuos & Ferratenſis fines tuendos cogebatur. quo factum eſt, vt cum Florentia reuertens ſtatuiſſet colloqui cum Borſio de concordia quoquo modo incunda, præ nimia feſtinatione congreſſum omitteret. Vrbinas, cuius ſtabiles eſſent opes, pacis mentionem non reformidauit: Sforcia & Manfredus pluribus exemplis edocti præpotentes tenuiorum oblitos rebus tantum ſuis in conditionibus paciſcendis proſpicere, Venetias perrexerunt, ſi quid dignitatis patrocinio Senatus cauſæ ſuæ poſſent adiungere. Deoteſaluus, ad quem exulum cohots omnia referebat, ſurſum ac deorſum modo Venetias, modo Ferrariam curſitabat: Culeo ingens auri pondus impenſæ & muneris ergô poſcebat. Pontifex in ſpeciem pacis cupiens re vera, quod Principes populosq; Italiæ liberos, quibus non plane fidebat, belli iam tædere cerneret, ſeq; propterea ab omnibus magis expeti, erat ab ea alienior, quemadmodum ſæpe non obſcure affirmauit Iacobo Trocto Borſij ad vrbem legato, qui pari prope familiaris amicitiæ iure ac maxime apud Pontificem aſſidui, omnibus de rebus cum ipſo agebat. vbi vero vrgentibus Florentinis res ad exitum ſpectare cœpit, ille, ad quem quidem pro ſacroſancto paſtoris munere tam pium opus pertineret, multorum precibus fatigatus, vt huiuſmodi curam exorato Ateſtino delegaret, in hanc ſententiam litteras ad eum dedit; at aliter cum legato loquebatur: quod alioqui callide diſſimulatum multis tamen indicijs erupit. tandem partim promiſſis allectus, partim minis territus pacem & ipſe probauit: Borſius tum ab Trocto factus certior de Pontificis ingenio, tum a multis magniſque ſacerdotibus, quibus illud etat exploratum, admonitus cum procul a finibus ſuis turbas faceſſere, ac rem componi cuperet, quo Pontificis animum demereretur, ne quod iungendæ paci in dies ſtrueretur, ipſe euerteret ſignificauit Romæ, atq; ipſo auctore cōditiones perſcriptum iri. igitur quæ concordiæ obſtare poſſe videbantur ad ſe reuocans, quamque maxime liceret ſubmonens, pro poteſtate vtriuſque partis conſenſu ſibi tributa viginti dierum inducias edixit, vt interim de pace diſceptaretur. Cognitis Deoteſalui & Culeonis poſtulatis, quo cum ad vicum Traiectum nomine eſt congreſſus, rem in eo verti animaduertit, ſi alteri ſalus atque dignitas in tuto eſſet, argentum alteri numeraretur. nam quod ad cetera attinebat, nulla extabant oppida, quæ de his illiſue capta reſtituere neceſſe eſſet: quodq; omnia turbare poterat, cum Veneti Foroliuienſes, Fauentinos, atque Piſaurenſes; Inſuber Bononienſes ac Forocornelienſes non ſine Pauli offenſione, & grauiſſima ſanctæ Sedis iactura tegere in animum induxiſſent,

xiſſent, ſublaturum ſe non diffidebat dempto metu ijs, qui ad eiuſmodi præſidia confugiſſent. hac adhibita cautione tum vero non dubitabat Venetum atque Inſubrem ſummo in eos populos iure prorſus temperaturos. Quod autem nouiſſimus induciarum dies erat ad V. Kal. Septemb. aliquanto prius quàm ille exiret, litteris factus certior Petrum Medicem præ ſe ferre concordiam modo non deploratam eſſe,eamq; tractationem prope abieciſſe Franciſco Naſello,qui tum Florentiæ legationis munere fungebatur, ac paulo ante Ferraria reuerſus omnia callebat, mandauit vt conuentis magiſtratibus obiecta refelleret, & quæ viderentur opportuna ad ſpem pacis alendam promeret. is huiuſmodi orationem habuit. Quanto herus meus ſtudio communem Italiæ quietem fuerit complexus de huius in primis reipublicæ ſalute ſollicitus; quantum in conficiendis primo, deinde tuendis hucuſque inducijs laborauerit, vos ipſi tum ex legati veſtri litteris, tum re ipſa quotidie intelligitis: vt nõ ſit opus ipſius erga vos egregiam voluntatem oratione teſtari. nec illud nõ videtis,qui bello contendant,& expertes pacis magnam poſſint iacturã facere, eos pacis commoda maxime ſentire: qui vero vt ipſe in neutrã partem inclinet, nec ad id compelli queat, illius minimum oĩum referre pax an bellum ſit. itaque fruſtra nunc perſuadeã Ateſtinum ex concordia non eum fructum ſperare, vt priuato compendio ad id ducatur, de quo ego ſuperioribus diebus vobiſcum ſum loquutus.certe quidẽ Italiæ totius, veſtrę́q; in primis vtilitatis cauſa iubet me,quæ aliàs concordiæ obſtare dixiſtis,ea ſigillatim refellere. Primum quod attinet ad Culeonem, is ſane hoſtiũ imperator in inducijs agnoſcitur ſine vlla Venetorum mentione;& illi,ſi ita libeat, ea pactione minime obſtricti res turbare poſſint; nec inficiantur hominẽ reipub. auxilijs inſtructum, atq; ideo ſi concordia ineatur, ſui quoq; rationem habendam; idq; apertiſſime fatentur. ceterum quo tantiſper ab armis ceſſaretur, ſatis fuit ducẽ ipſum inducias proprio chirographo ſancire:quarum exitu iam imminente non eſt quod ad eas confirmandas Senatus conſenſus atque auctoritas deſideretur. Altera difficultas in ipſius formula cõpromiſſi poſita,quod niſi certis legibus coercitum neutri fortaſſe placeat,facile tollitur. non ſuſtineret Princeps Ateſtinus præſcribi ſibi, quo minus pro dignitate rem tractaret;ſed.n.multis ab hinc annis,quod & nobis pro exemplo eſt, ea fuit arbitrorũ conſuetudo,vt contendentium inter ſe animi propoſitis,quę ſcire neceſſe eſſet,prius tentarẽtur;ſi quid cõtra afferrent audirentur;deniq; quã in partẽ victoria inclinaret, ipſi per ſe præciperẽt. nec arbitri ſententiam vnquam pronuntiauerunt,quin quis eos ſum-

pſerunt, omnino, aut magna ex parte præſciuerint quidnam eſſet decernendum. permagni enim intereſt viri ne Principes, qui ad id, quod ipſorum arbitratu licet ſtatuere, æquum bonumq; adhibere ſolent, iudicent de rebus ad regnorum ſummā pacemq; componendam pertinentibus, an recuperatores de priuatis litibus cognoſcāt. propterea nō eſt quod vereamini, ne non vobis conſultis, atq; ad arbitrium prope veſtrum, quantum ius ſinat, controuerſia inſtituta finiatur: nec pater fraterue illa ætate omnium prope Italicarum diſcordiarum arbitri ſumma ac libera poteſtate ſtatuendi, quidquid libuiſſet vel ipſis partibus ignaris, aliter vnquam ſe geſſerunt. Inſubris autem, cuius impulſu eadem cum ipſo poſtulatis, cū Franciſco patre maximis occupationibus diſtricto adoleſcens etiam tum eſſet, non is eſt huiuſmodi rerum vſus, vt percipere queat, quæ vos alioqui viri prudentiſſimi intelligitis. Quod tertio loco obijcitur; videri Pontificem Maximum a concordia abhorrere, proindeque ab exteris, vbi exercitus dimiſerint, tutum ipſum illis vicisſim fore metuendum, permultūm ſane vrget, multoq; magis, niſi id ipſum argumentum retorqueretur: quippe aliorum inter ſe aīs reconciliatis ipſe pacis expers fœdere coniunctis prædæ eſſet, cuius prçſertim opes eorū, qui nunc armis certant, potentiſſimus quiſq; æquet. ita probabile eſt & ipſum a cōmuni multorum ſocietate nequaq̄ abfuturum. quamq̄ aūt citra nomen atq; auctoritatē Pontificiam odia finiri poſſint, quod aliàs tertio & decimo abhinc anno contigit, nec ideo minus minore tum ſanctæ Sedis veneratione concordia non arbitro ſacrorum Principe rata atque ſancta extitit; Borſius tamen clam ſubodoratus Paulo id petenti pergratum fore, pacem Romæ ſe auctore confici, libenter hunc laborem ſuſcipiet, fructum & gloriam ipſi condonabit. Poſtrema exulum cauſa accuratius excutienda eſt. vos quidem, quod fortaſſe primum putatis, tutos eos inuiolatosque non eſtis præſtaturi: at ſi reliqua placeant, id etiam quoquo modo ſine dubio moderabimini: ſin minus, inconſultis vobis nunquam iudicio definietur. Quoniam autem Ateſtinus integra cum omnibus fide,in primis vero cum hac repub. agere cōſueuit libere, nec vt ipſe exiſtimat, inuitis vobis enuntiat nō propter ea, quæ ſunt cōmemorata, pacē repudiari, ſed qđ Pontificē nonnihil vobis blandientem,Venetis parum cupientem veſtræ cauſæ acceſſurum ſperetis. quod quidem primo magnā ſpem oſtentet; ſed qua eſtis ſapientia non ignoratis mente efficta ac deliniata non ſemper in tabella commode perſcribi, potentiumq; promiſſa, prçſertim ſacerdotum profanarum ſtipulationum vinculis non teneri,

etenim

etenim Pontifices Max. cum pacta & conuenta negligunt, mitto quod ob inteſtinas noſtrorum diſcordias non deſunt, qui aut iuſti boniq;, aut priuati commodi præſcriptione eorum acta defendant, ipſi multas ſemper cauſas in promptu habent interdũ parum ęquas, veras interdũ ac probabiles: quippe qui ſpecie religionis, vt cõmodum eſt, a profanis diſcedãt, ſecuri quid imperio fiat, partim quod ipſorum opinione honeſtũ ceteris rebus anteponãt, partim quod he redũ opes nulla ſanguinis caritate moti contẽnant, partim quod oppugnare Eccleſiã per ſe ſemper eſt malũ atq; inutile: ſiquidẽ illi erepta tandem reſtituantur. Quod vero Pontifex a Venetis alieniorem præ ſe ferat videamus, ne cum in ea vrbe patritia familia ſit natus, id de induſtria fingat; re ipſa ciues ſuos non oderit. at vera ſimultas intercedat, nunquam tamen apertas inimicitias cum patria gerat, hoc potiſſimum tempore, quo Turcæ illius ceruicibus imminent. nam ſi hinc Chriſti hoſtes, hinc ipſius Vicarius arma inferãt, & ipſe & eius amici maxima apud reliquos Chriſtiani nominis Principes inuidiæ flamma ardeant. porro quis credat infamiam oppugnatæ patriæ, propinquorum & affinium calamitatem, quos poſtremo ſquallori & certiſſimo exitio dedat negligere, & Chriſti crucem ſibi cõmiſſam aduerſus impios ijs ipſis ad piorum interitum cõſociare? quis credat denique auſurum ſe ſe apertum Italicæ quietis paciſq;, & Chriſti hoſtem profiteri? Sed fiat ſane, quod fieri non poſſe euincit ratio, quam gloriã ex hoc dedecore, quem fructum conſequemini, ſi alioqui immerẽtes ex huiuſmodi labe pudoris pietatiſq; veſtræ incomparabilem iacturã facietis, ſi oĩum odia atq; execrationes in vos remq; iſtam publicã prouocabitis? Ceterum hæc neq; indigna Pontifice, nec vobis incõmoda ſint; ſemper id ille ſpectauit, vt ſe quieſcente alij bello, quod ipſe, ſi ita fas eſt dicere, aleret, agitarẽtur: eo præterea ingenio eſt, vt interdum audax ac turbarum auidus, minus tamen audeat, quàm tanta res poſtulet. magnum interdum ſpirat, ſed ſtatim trepidat. auget a natura inſitã timiditatem edictum Franci regis, quo Epiſcopi ante ſueti ſacerdotia, pręter aliquot opima ar birratu ſuo conferre, abſtinere in poſterum iubentur ab huiuſmodi diſtributione. id ille munus ſibi vindicat cauſatus Pontificẽ ſtertentem Mahomete opes in immenſum augente ſumma diligentia Italię diſcordias fouere. At nihil hæc obſtent: fœdus inter vos ſanciatur, quæſo quæ erit eius formula, ſi vnicuique propoſitum eſt Flaminiã defendere, eiuſque dominos in poſſeſſione tueri: contra Pontifex Forumliuij & Fauentiam repetit, atq; ad Bononiam aſpirat metuẽs ne Inſuber Bentiuolum affinitate ſibi coniunctum regat. Quod ſi

hac vna de cauſa ſocios ad bellum conquireret, vt in antiquam Eccleſiæ ditionem oppida a quibuſdam occupata redigeret; quid eſt quod vos huiuſmodi ſocietatem affectetis, quorum ope ea prȩda retinetur? cauete potius ne oblata priuati compendij facultas, patriæ caritas, magnum ſanctæ Sedis cum Neapolitano, quo cum amicitiam iunxiſtis, diſſidium cum Venetis adiũgant: veſtra autem pertinacia adigat nonnullos ad ea, quæ hactenus contempſerunt: prȩſertim quod Ioannes Andegauenſis vobis ſocijsque veſtris infenſiſſimus Bartolomæo atque alijs longe potentioribus renuntiat, ſe ſe propediem in Italia futurum. Hæc cum ita ſe habeant, vltroque Borſius cõficiendæ pacis onus ſubeat, ex omnium vſu, veſtroque in primis fuerit, eam rem ad exitum quamprimum adduci. quapropter cum Pontifex Cardinalem Sancti Angeli appellatum hominem virtutis merito ſibi probatiſſimũ legati munere functurum Ferrariã miſerit, Senatus Venetus oratorem legerit Andream Venderminiũ templi Martij procuratorẽ, Bononienſis vero populus Paulum Voltam, & Virgilium Maluitium; & Mantuanus ſignificet Ferdinandum ſtatim atque de concordia agi cœptum fuerit, oratorem ampliſſimum virum miſſurum: decet vos aliorum exemplum ȩmulari, quos priuato fructu adductos oportuit nemine præeunte vltro hanc viam ingredi. Reliquum eſt, vt purgem duo crimina, quorũ Princeps meus apud Galeatium & Decemuiros veſtros inſimulatur, quo perſpecta animi ipſius ſinceritate id, quod verbis oſtentat, re ipſa vobis ſpondere poſſitis. Primum eſt, quod proceres Carpenſis, Mirandulanus, & Corrigias ipſius voluntate milites conſcribant, quos ad Culeonem adducant Parmam fortaſſe tentaturi, perinde atq; ante inducias eum commeatu iuuerunt. verum non eſt quod Aeſtinus hoc nomine arguatur, cuius in oppidis, quæ illi beneficio ipſius poſſident, nullæ copiæ coguntur, nec frumentũ in caſtra hoſtium conuectum fuit. ſed quæ pridem, & nunc fiunt, omnia in finibus Aeſtini imperio ſolutis acciderũt: nec par eſt Borſium curare, quæ ipſius ditionem nõ attingunt. Altera eſt expoſtulatio, quod Deoteſaluus uanioribus litteris eſt profeſſus, omnem ſalutis ſuæ exulũq; ſpem ex Borſio pendere: quod hoc vno facile refellam; nimirũ proprijs cupiditatibus indulgentes ac miſeros, quorum e numero ille eſt, vt quoquo modo vulgi opinionem retineant, ex ſuo commodo omnia in maius tollere. quod ſi blandius interdum fuit appellatus, ea ratione factum eſt, ne deſperatione coactus vir alioqui in dicendo vehemens, & Venetis acceptus ſemel placitam quietem clanculum euerteret. quæ cum primum conſtitui cœperit, tum demum

experie-

experietur quàm nihili Ateſtinus faciat homines ſeditioſos atq; vagos præ florentiſſima repub. ſibi & maioribus ſuis finibus, fide, omnique officiorum genere coniunctiſſima. Naſelli orationem humaniſſimis verbis excepit dictator: Petro deinde Medici negotium datur, vt quæ populus iuberet, coram exponeret. hæc deliberatio dum tenet Ioannes Pitus, Franciſcus Inghirlanus, & Ioannes Guiciardinus ciues clariſſimi Naſello conuento affirmauerunt laborem a Borſio ſuſceptum in cōcilianda pace populo Florentino gratū accidiſſe, gratiſſimum quod per eum magiſtratibus renūtiari iuſſiſſet, quemadmodum poſt reipub. nomine intelligeret. Thomas Soderinus, cuius ſecundum Medicem pacis ſtudioſiſſimum longe maxima erat auctoritas, probato Ateſtini conſilio ad Decuriones retulit, ac peruicit, vti Petrus Naſello reſponderet concordiam ciuibus placere, quæque eam nonnihil morari videbantur, ſublata eſſe. at vero exules aliquanto quàm antea minus viles inſtitutas Ferrariæ amicitias colebant. nec defuerunt qui patriæ dominationem Borſio offerrent. ille ne ad vltimam neceſſitatem eos adigeret, & facilius incepta patraret, diem de die ducere, tacitus quæ exules differebant ac benigne audire. itaque Florentinorum optimates, in primis Petrus ipſe Medices Borſij probitate, egregiaque in rempub. voluntate adducti bona cum fide agentes nihil eum celabant, quod quidem ſuppreſſum mutuam lædere neceſſitudinem poſſet. Pontifici vel Florentinis parum cupienti, vel ſibi ipſi metuenti ea coniunctio magnopere diſplicebat: proinde vt illis, ſuæque dignitati, cui neſcio quid labis aſpergi videbatur, conſultum velle declararet, ita eſt cū Nicolino eorum legato loquutus, vt vtrūque animi affectum nō obſcure indicaret. quippe dixit ſex de cauſis vehementer dubitare ſe, ne Borſius omiſſa ceterorum mentione Venetos cum Inſubre in gratiam reconciliaret. cauſæ hæ erant. Ferdinandi, qui experte Inſubre pacem cum Venetis facturus fuerit, conſilia a Borſio diſcuſſa, pluris eidem hoſtium, quàm ſociorum copias tumultu Bononienſi fuiſſe. Inſubrem maiora in dies præſidia cogere, arctiore cum Borſio amicitia coniungi, crebraſque Venetias ac Ferrariam legationes commeare. accedere iracundiam in omnes fœderi adſcriptos conceptam ex ſimultatibus exortis inter aliquot ipſius militū tribunos, & nonnullos, qui in ſociorum exercitu ordines ducerent. matrem aſſidue inſtare ac monere ſecuritatem ac magnitudinem ipſius in Venetorum atq; Ateſtini amicitia poſitam eſſe: Borſij etiam intereſſe Mediolanenſe regnum potius quàm Neapolitanum incolume eſſe, propterea que eas partes facile reſpecturum æque ac Venetum,

quod

quod plus incommodi ac periculi Inſubris ſimultas, quàm Ferdinādi ſit allatura. illud quoq; Nicolinum monuit, obſeruarent Hetruſci Borſij conſilia, qui ſi cum Senatu conſentiat, Italiam ſit cum eo ex æquo quandoque diuiſurus, pluſque agat re ipſa, quàm oſtentet. Ateſtinus gnarus eiuſmodi ſuſpicionis ex probabilibus quidē coniecturis iniectæ, ſed tamen a vero abhorrentis, tum vehementius q̄ par eſſet cupere Pontificem pacem in vrbe celebrari, renuntiari iuſſit ſe, quod nuper profeſſus fuiſſet, in eo operam ac laborem ſibi ſumpturum, gloriam confectæ Pontifici relicturum. Hæc ſub anni exitum ſunt geſta; quo tempore Florētini Thomam Soderinum Ferrariam, atque inde Venetias proficiſci iuſſerunt, vt pax tot verbis tam ſæpe agitata tandem conſtitueretur. ceterum quod Galeatius proprio periculo excitatus verebatur, ne Patres Culeoni proſpectum vellent, quo paulo poſt eius in ſe opera vterentur, atque aliàs reipub. parum amicus Thomæ legationem valde reprehendit dictitans Florentinos pacem emendicare, ſe ad Senatum miſiſſe Ioānem Gonellam ſcribam ſuum non vt pacem peteret, aut ſe eius cupidum oſtenderet, ſed vt teſtaretur ni Patres ante circumactam proximam hiemem certum reſponſum reddidiſſent, ſe rem ad arma deducturum, nec argentum, aut locum alicubi, quo in hiberna concedere poſſet, Culeoni præbiturum. Hetruſci factum excuſantes ſimul Inſubrem pupugere, docuereque id ſe de Borſij ſententia, nec ſine dignitate feciſſe, qui vtriuſque ciuitatis inter ſe conciliandæ onus ſuſcepiſſet. Patres non Soderini oratione animos ſuſtuliſſe, ſed ipſius verbis in ſociorum caſtris nuper profuſis; finem ſe certamini velle facere: per ſe licere, ſi quis vellet belli incommodis conflictari. Ateſtinus cognitis huiuſmodi altercationibus, quibus Galeatij animus æſtuabat, Vgolotto Facino internuntio apud eum ſuo mandauit obiter, ac quaſi aliud agens iuuenem moneret, quantum ex verbis tam magnificis ac minis iacturæ poſſet facere, quibus non niſi pro re ac tempore Franciſcus pater tantas opes ſola virtute conſequutus vſus fuiſſet. Tum initio inſequentis anni ad Patres mitigandos, & 1468.
conditiones pacis excutiendas Venetias miſit Paulum Conſtabilem ex equeſtri ordine, & Antonium Guidonium Iureconſultum. Interim Alfonſus Calabriæ Dux Ticinum venit: quo vnàque Federico Metaurenſium regulo, ac multorum adhibitis legatis Inſuber vti ſe purgaret, orſus ab fœdere inito quæcunque hactenus egiſſet, multis verbis expoſuit; ac docuit ſe Venetorum iniuria Culeonem in ſe irritantium coactum bellum ſuſcepiſſe, vi fractis eorum conatibus nemini deinde iniurium fuiſſe, vtpote contentum tutela rerum ſuarum:

rum: pacis mentionem nec ante repudiaſſe, nec nunc bellum deprecari, ſed vltro etiam depoſcere, ſi quis ſub honeſta verborũ ſpecie pacem venditans re ipſa illud moliatur. præſidia ſe dubijs temporibus futurorum ignarum comparare velle conſcio atque auctore Ferdinando: ſe & oblatam pacem libenter, ſi ea non conueniſſet, non minus alacriter bellum accepturum. Ateſtinum ſe volente de concordia acturum, dum Veneto perſuadeat, vt quam primum & ſine vlla tergiuerſatione det ſe ad æquitatem; Pontifex vero aliquanto parcius ciuibus ſuis faueat: interim propoſitum ſibi eſſe regio cũ adoleſcente animi cauſa ex oppido cedere, conſilio vtrique conſtituto, curisque ac moleſtijs ad alios relegatis aliquot dies ſe ſe hilariter acturos. ſed cum reuocato Vrſino Ferdinandi equites numero ad v. millia, qui in Hetruria conſtiterant, ab ſignis paſſim dilaberentur, coactus eſt Alfonſus voluptates intermittere, quas ſaturnalibus apud Borſium producere ſtatuerat. itaque XVII. Kal. Febr. per litteras excuſauit nõ potuiſſe ſe, quod maxime cupiebat, Ferrariam accedere, quoniam res militaris præſentiam ipſius poſtularet. Paulum iam iam extremam paci ab Ateſtino affectę manum additurum idem multa monuit, atq; illud primum ac præcipuum, magnoq; ſanctæ Sedi commodo futurum, vt priſtinum fœdus renouari iuberet: nec eo auctore Pontifex, tametſi de omnibus rebus certiorem faceret, Culeonem maxime reſpexit; imo affirmauit ſi quæ capita minus probarentur, cetera etiam facile reiectum iri. Paulus pace tandem conſtituta Cardinali Senenſi imperauit, vti decretum quaſi pro tribunali IIII. Non. Febr. quo die cereæ candelæ in templis de more in populum diſtribuuntur, pronuntiaret de multis Chriſtianorum Principum diſſidijs atq; controuerſijs. decreti capita huiuſmodi fuerunt. Qui reges in Italia, ac populi liberi inter ſe contendebant, ab armis diſcedant. pax Nicolao Pontifice inita renouetur: proximum fœdus ijſdem cõditionibus reſtituatur: ſummum ſocialis exercitus, omniumque Italiæ copiarum imperiũ penes Culeonem ſit in Epiro, aut quocunque alio loco Pontifici ac ſocijs placuerit Turcæ bellum illaturis, eique ſtipendij nomine annua centena aureorum nummûm millia pro portione ſocij perſoluant, intra dies tamen XXX. ijs, vt aſſolet, ſacramentum dicat. Florentinis Douadulam, Fauentino exigua duo præſidia intercepta reſtituãt: ipſi militibusque trans Padum in Venetorum finibus terna hiberna ac ſtatiua deſcribant, pars in Ferrarienſi agro, pars in Fauentino, Foroliuienſi ac Rauennate collocetur. pecunia in ſtipendium tribus penſionibus Aprili, Sextili, ac Decembri menſe numeretur. pax intra dies

tra dies xxx. rata habeatur; eius beneficio qui velit vtatur. qui Pontificio decreto non pareat, communione piorum arceatur. quid quid ex ipſa ſententia dubitationis oriatur, interpretetur idem Pontifex. Poſt pacem diuulgatam legati quamquam Romæ, atque in ea Hetruriæ parte, quam Patrimonium vulgo appellant, pyræ flammæq; paſſim excitatæ lætitiam teſtarentur, nulla tamen re factum ſibi probari aut improbari oſtenderant. quin ſubodorati neſcio quas particulas, quæ minus placerent, profecto ad Minoritarum ædem Pontifice, vti promulgationi intereſſet, addubitauerũt taciti ne decretum audirent, an quid coram contradicerent. tandem placuit heris incõſultis nihil mouere, ita monentibus regios Cardinale Tranenſi, & Neapolione Vrſino Ferdinandi perſtudioſis. quorum deinde exemplum vt dignitate præcellentium, quemadmodum in hiſce rebus fieri ſolet, reliqui ſunt imitati. Pauli iudicium omnes in vniuerſum, exceptis Venetis ac Borſio, maxime autem Florentini damnauerunt gnari ex ſuperiore fœdere adempta ſanctæ Sedi reſtitui oportere, ac propterea eorum ſibi tutelam atque patrocinium eſſe dimittendum, qui Pontificijs in oppidis dominarentur. Ferdinãdus quidem vbi pacis a principio ſibi placitæ conditiones deinde exactius cognouit, eã deinde non minus quàm Galeatius eſt deteſtatus. ſed ne alij aliud ſpectare viderentur, maioreq; cum dignitate & minore negotio certa pacis capita peroſi quod cupiebãt efficerent, ne eam chirographo confirmarent, conſultus Borſius reſpondit, iniquum plane eſſe, ac minime ferendum oppidis ſanctæ ſedis non excedi; rectius imperatoris exiſtimationem admorderi poſſe. omnibus ferme ſedit ſẽtẽtia cauſari ducem haud quaquam parem tanto muneri delectum, quod Pius II. terra Pannoniæ regi, mari Sequanorum regulo deſtinaſſet profeſſus ſe expeditionis comitem, alioqui ſenex ac perimbecilla valetudine. obſtare Culeoni nouitatem generis, affectam ætatem, nec eum rei militaris vſum ſuppetere, vt illis locis aduerſus talem hoſtem tantum exercitum poſſit regere: centena vero aureorũ nummûm millia, quod illi annuum ſtipendium fuiſſet conſtitutum, tam graui bello intra menſem abſumptum iri. At Borſius, qui ſciret Pontificem id potius oſtentationis cauſa, atque in Venetorum gratiam egiſſe, quàm quod re vera tranſire in Epirum ſtatuiſſet, nullam ea de re querimoniam Romæ propoſuit, ceteroſq; vt quieſcerent admonuit. Inſubri non erat ferendum, quod argentum Culeoni ad bellum Thracium cœptum eſſet numerari, id aduerſus ſe ab Senatu impendi poſſe. Hetruſci tum hac de cauſa, tum quod quæ vrbes, quique populi olim ditionis Pontificiæ in ipſorum clientelam

ſe

ſe dicaſſent, eos omittere neceſſe eſſet, eo deſcendebant, vt ſe cū primum imperator hoſtium fines attigiſſet, ſtipendium pro virili portione collaturos pollicerentur. Ad extremum conſilio cum Galeatio communicato internuntijs Antonio Rodulpho & Thoma Soderino ad futurum concilium prouocauerunt dictitantes immoderatas Pontificum cupiditates, ſi quæ interdum eorum animos occuparēt, nullo fræno æque coerceri ac concilij metu. tulit permoleſte Paulus non accipi pacem a Florentinis: quo permoti exemplo Senenſes ac Lucenſes eandem & ipſi repudiauerunt. auxit indignationem, quod recuſarent ſtipendium quo tempore pepigiſſent præbere; at vero ad prouocationis mentionem vſque adeo exarſit, vt ſi Eccleſiæ facultates id tuliſſent, extemplo eos armis perſequuturus fuerit. Quapropter Hetruſci Caſtrocarum commeatu, armis, telis, milite firmarunt, & Robertum Sanſeuerinum expleto militiæ tempore apud ſe retinuerunt cum mille & quingentorum equitum ala, atque aliquot militum tribunos mercede conduxerunt. Lætiſſimo ſub Martij finem vere cum Ferdinandus equitatum ex Hetruria in Flaminiam tranſire iuſſiſſet, Galeatius copias in dies adaugebat. Veneti & ipſi equitibus cogendis intenti vicena quina aureorum nummûm millia ad Marcum Cornelium in Galliam togatam miſerant. In tam propinqui belli metu tametſi Borſius omnibus carus, nemini ſuſpectus delectum non habuiſſet, non defuere tamen qui Pontifici inſuſurrarent; velle eum Fauentiam ſui iuris facere. id quidem a vero non vſquequaque videbatur abhorrere, quod erat tum in oppido Andreas Gualengus, cuius conſilio vxor Eſtoris, qui moriens fortunas ſuas Borſij fidei commendauerat, regnum filijs impuberibus debitum adminiſtrabat. Veneti, ſimulq; Ateſtinus Hetruſcas artes agnouerunt, quo Pontifex ea re perculſus in partes deſcenderet; præſertim quod reſpub. territa Pauli minis iactantis ſe & communem omnium parentem, & conciliorum præſidem eſſe, nec id inultum paſſurum, & ſi ad vim arcendam præſidia auxiſſet, poſita tamen ferocia demiſſe in vrbe quæ ad ciuitatem pertinebant, tractanda curabat. Hæc cauſa Venetos ac Borſium arctius adſtrinxit, qui Pontificem eiuſmodi ſuſpicione liberarunt, interim ſedulo cauentes ne belli initium facerent. cognouerant enim Neapolitanum, Inſubrem, atque Hetruſcos eo armorum apparatu id modo quærere, vt ipſi alicubi offenderent. ceterum Ateſtinus ne quid publicam quietem interpellaret, egit cum Pontifice, qui ſuperioribus bellis abfuiſſet, ſineret ſuo quemque arbitratu priuatas cupiditates mo-

derari, modo pax Italiæ maneret, neminemq; ad fœdus inuitum adi geret. nec illud non præmonuit Inſubrem amicitiam Allobrogis affectare, quo eius permiſſu Francũ in Italiã euocaret. is tum rebus in Gallia compoſitis facile Andegauenſibus, quod ante fuerat pollicitus, ad bellum Neapolitanum opem laturus videbatur. Confluentinam quidem pacem Normani ac Britãni diſſidium ſuſtulerat, vnde rex ſuſpecta Britanni ac Picardi vicinitate fratrem Normanię dominatu exuerat: attamen quietę res fuere Caroleſio fidem ab Franco haud quaquam exigente, ac poſt recepta, quæ pepigiſſent, oppida toto in obſidionem Rinani auerſo, cuius mox excidio vaſtitatem finibus ſuis, maxime vero Bouinenſibus in Comitatu Namurſij illatã egregie eſt vltus, dum Eburones ad Pontificis ſui obſequentiam reuocat. cum hoc iuuene Philippi patris Burgundiæ Ducis ſucceſſore, ac finitimorum longe potentiſſimo, maximeq; idoneo rebus in Gallia nouandis rex Peronæ congreſſus gratiam reconciliauit, ac prope veterum malorum ordo eſt repetitus: quod ille ſub idem tempus Eburones ſollicitaſſet, vt Pontifice comprehenſo ab Duce & conditionibus ſemel placitis deſciſcerent: ſed pecunia emercatus intimos ipſius amicos ſalutem ac pacem obtinuit. Biturigi pro Normania vt daretur Comitatus Campaniæ Briæque conuenit; quæ quod magna ex parte Caroli regnum attingerent, cũ Aquitania ſunt permutatæ. rex in Eburones ſimul duxit. ciuitas expugnata, direpta, incenſa eſt. Ludouicus partam Galliæ quietem inſtituto paucos poſt menſes equitum Diui Michaelis ordine confirmauit, ac pene dicam obſignauit, quo quaſi fraterno nomine Principes procereſq; nobiliſſimos, quantum quidem ipſius ſodalitij leges ſinebant, ſecum cõſociauit. propterea verendum erat, ne quis otij impatiens domeſticis curis vacuum ad turbandam Italiæ tranquillitatem impelleret. Hæc patres atque Ateſtinus ad Pontificem detulerunt; ſimul Pannonios nullo ab Turcis metu arma nihilominus parare, ac vulgo ferri in Carnos impreſſionem facturos. quæ quo facilius intelligantur operæ pretium eſt geſta poſt Ladiſlai Alberti II. filij mortem paucis explicare. Ladiſlao in Boemia veneno intercepto Matthias Coruinus ſingulari plane fortunæ beneficio e cuſtodia eductus Hungariæ rex eſt ſalutatus, quo ferme tempore Mahometes poſt Byzantium expugnatum Dauidem Cogninum Trapezunte auguſta, inter græcos vrbe pulſum, Peloponneſum ſubactam, Mœſiam & circũiectas prouincias victricibus armis peruagabatur propinquior in dies atq; haud dubie imminẽs Pãnoniæ; q̃ cum Matthias virtute defenderet, barbarus coactus eſt ex Europa in Aſiã bellũ trãsferre. interim ea

cura liber Pannonius Boemiam vindicandam ſibi ſtatuit ab tyrannide Georgij Podebraceij, qui cum per Ladiſlai pueritiam regnum adminiſtraſſet, veneficio, vt tum rumor fuit, eo ſublato impiorum ſocietate in dies firmior ſine certamine prouinciam occupauerat. propterea Matthia validas copias cogente, necdum ſe Georgij hoſtem profeſſo, ac ne leuiter quidem conſiliũ aduerſus eum oſtentãte Veneti tantum apparatum nõnihil reformidauerant. proinde vnà cum Borſio eiuſmodi ſuſpiciones Pontifici propoſuerunt, vt exaggerarent incõmoda, quæ videbantur impendere, ſi pertinacius promulgatam pacis formulam retinuiſſet. ille haud amplius dubitans, quàm moleſte id ferrent Itali, eoque fieri poſſe, vt præ indignatione tranſalpinos in Italiam euocarent; ſimulq; animaduertens rem eiuſmodi eſſe, vt ſine ſanctæ Sedis iactura facile tranſigi poſſet, & Pontificiã poteſtatem, ſi modo quis ea recte vtatur, longe maximã, controuerſiam nõ ſacram, ſed profanam exiſtere, acta tandem retractauit: ac quaſi ſententiam moderaretur nulla mentione publici fœderis, cuius ferme cauſa id munus ſuſceperat, pacẽ inter eos ſolum, qui in armis erant, promulgauit: Borſio ſua ſponte, non alio ducente ad cõcordiam aditum reliquit. Nec Veneti eum neglexerunt; quippe Chriſtophorus Maurus tum princeps litteris ſignificauit alienum a vicinitate & mutua beneuolentia patribus videri, ſi pacis ſocium non haberent. Cardinales Ateſtini ſtudioſi Pontifici gratius futurum cenſebant, ſi ipſe per ſe, non alterius acceſſio pacem complecteretur. id eius inſtituto magis conuenire, qui medius eſſe conſueuiſſet: itaq; monere, ſeiungeret ſe ab Venetis: cum his cõiunctum amicum ſe ſe aut fœderatum fateri, quorum alterum ſit parum honorificum, alterum nullam vtilitatem, ſed detrimentum potius afferat: quod multa mutuo quidem, ſed plane iniqua conditione, ob aſſiduum bellorum metũ, quo Veneti magis quàm ipſe diſtineãtur, præſtanda eſſent. ceterum aliquot Florentinorũ optimatũ oratione pmotus Borſius iactantium plus ab eo tribui Venetis quàm Hetruſcis; tum Inſubre Pontifici denuntiante fœdere, quod priuatim cum Franco pepegiſſet, prohiberi ſe, quo minus pacem vſquequaque probaret, & clam ab Apulo petente, vt quoquo modo cum Andegauenſibus tranſigeret, quo vterq; ſimulq; Florentini inter ſe cõſpirantes Gallos in Italiã aduerſus æmulos traducerẽt, de induſtria Veneti ſenatus aluit credulitatem, exiſtimantis eum quaſi ſocium, ac maieſtatis reipub. obſeruantem paci adſcriptum iri. ille vero conſulto moras interponebat, vt ex Italicarũ rerum motibus, quibus alij agitarẽtur, deliberaret progrediendũ ne, an ſubſiſtendũ eſſet: interim

conſtituerat nihil noui conſilij capere. effecit tamen vt pacis commodũ manaret ad Galeottum, & fratres Picos Mirandulanos, Marcum & Ioannem Marcum Pios Carpenſes, nec non Manfredum & Antonium Corrigiates, Nicolaumq́ue eorum nepotem, qui in ipſius fide erant: itemq́ue prædia atque oppidula poſſeſſa in agro Regienſi. Quamquam autem ex tota Italia legationes Romam confluerent ad concordiam firmandam, Galeatius tamen ante fruſtra expertus certis eam conditionibus coercere, paulò poſt ſimpliciter probauit; verum ſeparatim tabulas conſcribi voluit, quibus diſerte caueretur, conuenta ſibi cum Franco rege ſalua fore. quin vt aliquo propinquitatis vinculo eum haberet implicatum, Bonam Philippi Allobrogum Principis ſororem vxorem petebat, cuius altera ſoror Carlotta in ipſius regis erat matrimonio. Inſuber omiſſa Pontificis contentione, qui ab omnibus, quorum intereſſet, vel ſine chirographo pacem ratam eſſe diceret, Brixillum ditionis Corrigiatum fratrum Non. Iun. obſideri imperauit. Ateſtinus auxilium rogatus reſpondit ex deditionis formula ea ſibi minime tuenda, quæ Regienſium finibus nõ continerentur. nec Paulus in ſpeciem maxime intentus publicæ quieti exiguo huic motui occurrit, tum quod Inſuber oppidum ditionis eſſe Mediolanenſis affirmaret, nec Ateſtini, cuius opera paci inſerti fuiſſent, patrocinium extra ipſius regnum porrigeretur; tum quod metus Neapolitani regis, & periculum ab Turca imminens, quod quidem ſine magna dignitatis labe diſſimulare nõ poterat, potiusquam ſpes chriſtiani imperij proferendi eum maxime ſollicitum haberent. Pontifex duabus grauiſſimis animi perturbationibus vehementer commotus quaſi in contrarias partes agitabatur. Ferdinandus bello Andegauenſium ſanctæ Sedis opibus adiutus, eiusq́ue rei parum memor coercendus, Ioannes in Italiam rurſus euocandus erat; quippe Neapolitanus orta de finibus controuerſia cũ ante Columnios atq; Vrſinos, aliosq́; romanos proceres in gratiam reconciliaſſet, validum ad eos fines equitatum continebat, ac de Pontifice parum reuerenter loquebatur palam expoſtulans, quod propenſior in Francos Galeatium de ea denuntiatione, nolle ſe vel minimũ inſtitutam cum Franco amicitiam violare, ne leuiter quidem caſtigaſſet; Florentinos vero obiecta formidine cum Venetis coniungeret. alteram curam excitabat ingens Turcarum apparatus non adeo Aſiaticis rebus vacantium, quin pijs mari præſertim minitarentur. itaque ſacrum bellum moliens Venetias cogitabat, vt Pij Pontificis exemplo claſſe in Græciam traijceret. His de cauſis in dies magis magisq; Borſio ſe ſe permittere,

tere, haud ignarus poſtremo ab Ioanne allata ad eum mādata, quibus pactiones atque fœdera expeditioni Italicæ opportuna curaret, atque conficeret. præterea ſi chriſtianorum armis Mahometes vexaretur, Areſtinum prouecta ætate, multoq; rei militaris vſu ei muneri haud dubie parem, atque omnibus probatum ducem deſtinabat. nec vero Pontificis opinionem, ipſiusque Borſij exiſtimationem minuebant certorum hominum calumniæ in vrbe paſſim iactantium, id eum occulte cum nonnullis agere, vt proditione portæ Bononiam occuparet. Paulus omiſſo ob inteſtinas piorum diſcordias bello Thracio Ioannem accire inſtitit: qui poſt res in Gallia compoſitas cum inde in Hiſpaniam trāſcendiſſet, Italiam rurſus ſpectare videbatur. Huiuſce rei cauſas libet paucis ſubijcere. Ioānes, qui poſt Tarracone imperauit, Nauarræ regnum conſequutus fuerat vxoris iure Caroli ab Philippo IIII. Franco rege oriundi filiæ vnicæ atque heredis. Carolo Bianenſium Principi matri ſuperſtiti nouercam induxit ſobolem præfecti maris apud Caſtulonenſes, ex qua Ferdinandum cognomento Catholicum futurum Hiſpaniæ regem ſuſtulit. Bianenſis a Cantabrorum nobilitate ſollicitatus, nec Caſtulonenſe ignaro, atque ab cauſa alieno regionem armis tentauit: verum exiguo operæ pretio ad Alfonſum propinquum ſuum nauigauit in Italiam. eo defuncto reuerſus in Hiſpaniam Cathaloniam ab obſequio patris Tarracone regnantis auertit, eumq; quoad vixit bello fatigauit: qui deſciuerant ſupplicij metu regem ſibi legerunt Iacobum Vrgellenſem Comitem regio Tarraconēſi genere natum. Iacobo hoc ipſo anno mortuo imperium vltro detulerunt Renato Andegauenſi Lotharingiæ Duci materna ſtirpe ab ijſdem regibus originem ducenti. ille ætate ab eiuſmodi conatu deterritus Ioanni filio rem commiſit, qui Cathalanorum ope Gerundam obſedit, Tarraconenſemq; auxilium ferentem prælio ſuperauit: inde Peraltum verſus ab Ioanne rege circumſeſſum cum mouiſſet, diuturnam obſidionem eum relinquere coegit. nihilo tamen ſecius amicis ſignificabat, ac Pontifici ipſi renuntiari iubebat, ſtatutum ſibi eſſe ex Hiſpania in Italiam proficiſci. ſed cum non eæ hominis opes eſſent, vt ſine Franco rege tantā rem poſſet aggredi, ſub idem tempus Veneti, quo ille proprio periculo coercitus alienam quietem nō interpellaret, cum Burgundione fœdus percuſſerunt. ad hæc Culeonem omnium reipub. militum præfectum contractas ex agro Patauino & Bergomate, vbi hibernauerant, copias in Flaminiam ducere iuſſerunt; maxime quod Alfonſus Ferdinandi filius tum Florētiæ ſe continens comparabat ſe ad ferendam opem Vrſinis pulſis a

Pontifice; idemque videbantur facturi Florentini, quibus petentibus pergere in Hetrutiam militem a ſe conſcriptum Metaurenſis imperauit, iam tum exacto præfecturæ tempore, nec niſi poſt ſcriptas conditiones gnaro atque ægre ferente Pontifice annuis XXXVI. aureorum nummûm millibus ſocijs deinceps militaturus. ſocietate, quæ Pontificem petere videbatur, armiſque Inſubris Franci amicitiam colentis aduerſus Allobrogem ſine vllo affinitatis reſpectu paulo poſt intentandis permoti Veneti Pontifici tuēdo acrius animum intendere cœperunt. quibus in anguſtijs Borſius ſe opeſq; ſuas omnes promptiſſime obtulit ingenue, ac pro illorum temporum conſuetudine libere teſtatus non edictorū, ac ſacroſanctæ crucis id eſſe, ſed gladiorum atque haſtarum. Ferdinandus ante ſuſpicatus ab Inſubre Franci amiciſſimo Andegauenſem æmulum ſuum in Italiam acciri, eoq; nomine illi infenſus iterum cum eo inſtituit amicitiam cognitis Venetorum atq; Ateſtini non pollicitationibus modo, ſed etiam præſenti auxilio, quando Culeo in Flaminia exercitum augeret, Borſius equitum grauioris armaturæ aliquot turmas contraheret præfecto Alberto fratre, quem Pontifex ratus ſuas atque vtriuſq; eorum coniunctas vires inimicorum viribus non paulo ſuperiores futuras, in vrbe habere apud ſe ſtatuerat. itaque cum Patribus egit ne qua re Allobrogem ſubleuarent, ac Venetias legauit Epiſcopum Sueſſanum, qui ſpecie tractandæ pacis ſuam in Pontificem Romanum obſeruantiam atque obſequium, ſtudiumque publicæ quietis teſtaretur, incolumi Inſubris cum Franco ſocietate: nec ſane ea niſi vnum Allobrogem reſpiciebat. quem cum & vetere beneuolentia Borſius complecteretur, & eiuſmodi moleſtijs pro virili ereptū vellet, Patres internuntio Petro Valerio poſtulauerunt, id a Franco impetraret, de quo ipſi fruſtra Galeatium rogaſſent. Ateſtinus audita legatione non per Lotharingum modo de concordia mentionem fecit, ſed etiam cum Mediolanum legaſſet Nicolaum Strotium, & Paulum Conſtabilem equeſtris ordinis viros, vt filium de morte matris conſolarentur, quam ipſe vxore ducta publicarum rerum adminiſtratione deiecerat, ita vt mulier contumeliæ impatiens Cremonam dotalem in vrbem profecta cum eam Venetis traditura videretur, non ſine veneni ſuſpicione ibi vitam finiret. iiſdem imperauit, vti diligenter hac de re cum Galeatio agerent. Ex eo tempore cuntari Mediolanenſis, reſque Allobrogis aliquanto meliore ſtatu eſſe cœperunt. Interim Metaurenſis cum decem Inſubris armatorum millibus coniunctus Brixillum oppugnabat. Borſius vero Herculi, & Sigiſmundo fratribus Mutinæ atque Regio præfectis mandauerat

eo

eo bello neutrum iuuarent. III. Id. Nouembr. litteris Manfredi Corrigiatis fit certior milites pactos incolumitatem arcem dediſſe. eædem petebant vellet reliquas eius familiæ fortunas in fidem ac clientelam recipere. in hoc rurſus fides data, ac vetus amicitia tutelaq; confirmata; ita vt ſi Galeatius aut Vrbinas, quod ſe facturos minabantur, cetera eorum oppida tentarent, continuo ipſe auxilio afforet. ſed Brixillo tenus bellum conſtitit, quieſq; deinceps Corrigiatibus fuit, præſertim quod Borſius vtriuſque oppidi præſidia auxiſſet. Pontificis quoque & Ferdinandi diſcordiæ ſub anni exitum ſublatæ videbantur cum, quod vnum animos diſſociabat, ex bono & æquo controuerſias de finibus diſceptaturi eſſent. cum aliàs contentionis exitus non reperiretur, præ ſe vterq; tulerat placere communis amici arbitrio totam rem permittere: ſed qui ambobus pariter probaretur, nullus omnino erat. icirco is labor irritus extitit. acceſſit quod Neapolitanus loca ditioni Pótificiæ finitima maioribus, quam ante, præſidijs firmauerat; & Paulus ipſe Cæſaris in Italiam aduentu noua conſilia animo volutabat. Federicus quo voti religione ſe ſe liberaret, Romam venit; eaque fuit erga Deum pietas, vt inſolitis Boreæ flatibus gelidiſſima hieme Venetias tranſmitteret. In-
1469 de principio inſequentis anni Borſio occurrente cum aliquot egregie ornatis nauibus Ferrariã deductus regio apparatu, ac paulo poſt ex vrbe rediens pari cultu excipitur. Auguſto Pontifex auctor fuit agendi conuentus, quo Pannonio auxilium decerneretur aduerſus Georgium, quem, vt ſuperius commemorauimus, Boemia fraude potitum ob impietatem idem Pontifex ſacro interdicto regno exuerat. inde elapſi cõplures nihilo ſaniores eoſdem errores finitimis in Germaniæ locis diſſeminabant, reſq; minime negligẽda videbatur. gnarus Federicus eundem eſſe procerum Germanorum ſenſum recepit cõuentum ſe in proximos anniuerſarij ieiunij dies Ratisbonam indicturum. Laurentius Rouerella Epiſcopus Ferrarienſis ante Pio perfamiliaris Germanicarum ac Boemicarum rerum peritus lectus ad Matthiam internuntius, iuſſuſq;, quod mox ille facile præſtitit, facto per Bauariam atque Auguſtam itinere Ducem ac populares inter ſe conciliare. Pontifici tum concordia Germanos inter ac Pannonios feliciter parta; tum Rouerellæ induſtria, ſed multo magis Hungari victoriæ de ſinceræ religionis deſertoribus partæ, ſpiritus nonnihil in Ferdinandum addiderant, auctoritatis vero plurimum apud Venetum pepererant: ita vt quo magis ab illo diſcederet, eo magis ad hos accederet. reipub. ſocietatem, & Ioannis Renati filij tranſitum in Italiam affectanti ad id exequendum viſus eſt idoneus Ateſti-

nus partim vt maiore cum dignitate res adminiſtraretur, partim vt ipſe in partes deſcenderet: quod plerunque accidat, vt qui ſe huiuſcemodi negotijs interponant, ipſi ijſdem implicentur. ceterum vixdum icto fœdere multæ vtrinque incidere difficultates, quo modo quę pepigiſſent alter alteri præſtarent: ſed eo vſq; ſe ſuſtinuerunt, quoad ſciretur quid Ioannis oratores clam in vrbe non ignaris tamẽ aliorum principum legatis obuerſantes efficerent. pollicebantur illi, quod Andegauenſis miro deſiderio arderet repetendæ Italiæ, propediem cum viginti longarum nauium claſſe Maſſilienſi in portu futurum. erat item in expectatione quidnam impetraret Proſper Molgius Cæſari ab epiſtolis, qui ſub idem tempus Romam profectus Pontificem ſollicitabat, vti ad recuperandum regnum Mediolanenſe Federico legibus debitum ſocia arma iungeret: qua quidem de re ipſemet haud ita dudum cum Pontifice in vrbe egiſſet. ſenex inter varios animi motus cum & multa ſimul agitaret, & cuperet, conſilium non explicabat: maxime vero Ioannem in Italia conſpicere auebat, idq; ſedulo curabat Cæſaris negligens; quamquam hic nihil temere ſponderet, ille magnifica modo verba oſtentaret, ea ad rem quam minime conferret. etenim ingens cupido Ferdinandi in ordinem cogendi, quem Pontificiam maieſtatem parum reuerenter habuiſſe cauſabatur, totum eum dedebat Andegauenſibus rebus in Hiſpania proſpere geſtis tum maxime ad hominum commendationem florentibus. Cæſari nullum certum reſponſum reddebat, ne ea res Ioanni alpes traiecturo moram afferret: a Borſio petebat, vti Venetos in officio contineret. nec illud non ſacrorum Principem in Neapolitanum vehementiſſime accendit, quod Ariminum palam in fidem ſuſceptum tegeret: quod oppidum vel cõditionibus auctore Inſubre, vel armis, quæ pro ſancta Sede iam cepiſſet Alexander Sfortia Piſaurenſium regulus, eoq; bello patrando valde idoneus breui in poteſtatem venturum haud temere ſperabat. nam cum deceſſiſſet nulla iuſta ſobole relicta Sigiſmundus Malateſta, ſolidum ius Eccleſiæ deberi æquum cenſebat. Ille quidem plures vxores aliã ſuper aliam duxerat, primo Franciſci Carmagnolæ filiam, deinde Nicolai Ateſtini, poſtremo Franciſci Mediolanenſium Ducis; quarum omnium conſuetudine, vt eſt auctor Paulus Clericus Veronenſis Carmelita in annalibus diligentiſſime conſcriptis, atq; in tabulario Ateſtino adhuc aſſeruatis, repudio, veneno, laqueo ſe ſe expediuit, eo illuſtrior tot ſceleribus, quo magis integra illibataq; vnicuiq; pudicitiæ fama conſtitit: vir alioqui bello egregius. ex his nullos liberos genuit: Robertum ex pellice prognatum heredem, re-

gniq;

gniſque ſucceſſorem reliquit, quod ille poſtmodum Iſabellæ Federici Feltrij filiæ matrimonio conſtabiliuit. eam inſtitutionem Pontifex irritam, minimeque ſanctæ Sedi officere cenſebat, ad vim ſpectabat Gallis in Italiam accitis; qui ſi ceſſaſſent, ſtatuerat Italorum inter ſe coniunctorum opibus nō illud modo oppidum ab his, quorum in fide eſſet, deſertum facile ad Eccleſiæ imperium traducere, ſed Ferdinandum etiam, ne ſociorum odia armaque in ſe irritaret, a vexandis Pontificijs finibus deterrere. placebat quidem Italicum fœdus, ſed aliquanto magis Gallorum aduentum affectabat; quippe qui ipſius votis cumulate ſatisfaceret. vtroque de conſilio multa, ſed de primo, quo irrito alterum exequi decreuerat, accuratius ad Borſium perſcripſit ſimul querens, quod duabus ſellis (hoc enim plerunque indignabundus in eum vſurpabat) ſederet, & moleſtiæ, periculique ſemper expers alienas calamitates quaſi in theatro propoſitas ſpectaret. inter hæc monebat atque obteſtabatur, ſi Lotharingus, aut Ioannes filius regnum Neapolitanum armis repeterent, fidem daret promptam paratamque pecuniam fore: poſſe vt nihil Veneti conferrent, ea quæ in dies colligatur, audacter belli initium fieri. Ateſtinus pro vetere inſtituto tuendæ paci intentus Iacobo Trocto ad vrbem internuntio ſcripſit, vbi cauſam ſuam excuſando egiſſet, Pontificem ad quietem illis ipſis firmiſſimis argumentis impelleret, quæ ipſe litteris diligentiſſime complexus fuiſſet; idque Troctus vir eruditus atque experiens in hanc ſententiam præſtitit. Egregia tua in ſe, Beatiſſime Pater, minimeque fucata voluntate impulſus herus meus muneris omnino ſui eſſe ſtatuit libere; proque vetere erga te obſeruantia ſignificare, quæ in mentem ei, qua ego de re ad illum nomine tuo ſcripſi, cogitanti venerunt. atque vt tu quoque pari ingenuitate quod ipſe proponit expendas, neceſſe eſt mihi prius animum illius ita teſtatum atq; expreſſum apud ſe relinquere, vt ſi cuius ſuſpicionis illecebra cōmunis otij hoſtes eo te trahere conati ſunt, vnde probitas ac prudentia tua q̄ longiſſime ſemper retrahat, id procul faceſſat atq; depellatur. Ateſtinus ſi temere bello abſtineat, vel priuatæ vtilitatis ignoratione, vel timore id agat. ac quod ad vtrūq; attinet, ſi quid rebus dubijs conſilij ceperit, ſi eximiā aggrediendis ac ſuperandis arduis virtutem; ſi deniq; ꝑpetuum vitæ ipſius tenorem contemplemur, ſine dubio conſtabit, quam immerito hoc noīe arguatur. ſed quando magna apud oēs, ac te præſertim de prudētia ipſius opinio vetat diutius in primo crimine purgādo immorari, alterum tantū paucis attingam illud profeſſus, cui ſtatutū fuerit in negotio maxime ſibi iucundo, potius quàm in otio ab ve-

ab vetere educatione prorſus abhorrenti vitā exigere; cum ſe ſe moleſtijs facile implicaturum fuiſſe, niſi aliud quàm labores ac pericula ſpectaſſet · præſertim qđ quieta atq; in ſpetiem otioſa ipſius vita multo re ipſa laborioſior eſt aliorū concurſatione atq; negotio. quemadmodum .n. qui ſic ſe comparat, vt quaſi in procinctu nunq̄ aciem reformidet, plus curarū ac ſollicitudinis aīo ſuſtinet, quàm ſi re ipſa inter arma verſetur: ita qui bello vndiq; ardente priuatis ſtat opib⁹, maioribus conflictatur anguſtijs, quā ſi accendendo igni alimēta & ipſe ſuggerat. Id cum oībus ferme eſt difficile, tū Ateſtino multo difficillimum efficiunt partim aliena inuidia, ac finitimorū potentia, partim horum temporū conditio. quantum ille ꝑ deos immortales audiendis mittēdisq; aſſidue legationibus moleſtiæ exhaurit? quantū laborat, dum internuntios apud reges populosq; liberos, quorū copia maiores oēs ſuos longe ſuperat, non patitur obdormiſcere, omnibusq; de rebus diligenter facit certiores? quid relatas ad ſe tot cōtrouerſias componere, patris ac fratris exemplo ab oībus promiſcue arbitrum ac diſceptatorē adhiberi quantū affert ſollicitudinis, vt vel ingenium in oēs partes verſare, dū ęqua vtriuſq; partis gratia ſimultates tollantur, vel alterutrā offendere, dum ei minus placeat, neceſſe ſit. quod ſi ingenij felicitas, & aſſiduo parta vſu celeritas in explicādo conſilio in cauſa eſt, vt negotiorū mole leuatus honeſtis, ac ſe dignis voluptatibus aīum recreet, id non leuitati aut ignauiæ tribuere oportet: ita ſingulari prope ipſius virtuti iniuriā facit, qui putat alterius partis ſtudiū prę ſe ferentem ad alterā declinare. nec .n. ille, ꝙ quidem appareat, aut amicos fallit, aut contra quam receperit, inter tot ac tantarū rerum tractationē commodi quidq; priuatim aucupatur. ſatis ſit ei ſi bona fide mediū ſe gerat, nec ita ſe cuiq̄ dedat, vt ceteros alienet maiorū exemplo, qui multis ab hinc ſeculis maxima cū prudentiæ laude idē pręſtiterunt. id inſtitutū Foſcarenus Venetorū princeps, cuius conſilio ſemper plurimum tributū fuit, affirmabat ſumme conducere ad Italicos fluctus vel arcendos, vel ſi fortaſſe cōmouerentur, ſedandos: quippe inimici aut otioſis fidē habeant, aut neutram in partem inclinent, maxime ſi ingenio ac rerum vſu, nobilitate, opibus valeant, nec minus his ipſis principibus id vtile prędicabat pp gloriam nomenq; nulla populatium iactura partum, atq; vbiq; celebre. idem confirmabat ac monebat Coſmus Medices homo, vt ſi quis alius, gubernādæ reip. peritus. hac via dum herus meus incedit, nulla alia in relabi atque errare potuit, niſi dum ſanctæ Sedis tuamq; vtilitatem ſociorum cōmodis anteponit. conſtantiſſimum aī propoſitum, vt cōſilia ſua a tuis nunq̄ ſepararet, in

 cam

eam opinionē te debet adducere, vt ſi forte e re duceret Gallos in Italiā euocare, quorū opibus cū Pontificijs cōiunctis multos magnoſq; fructus ſperaret, id non magis ipſius, quàm rationibus tuis conducturum. ſed vt tu quoq; recte noſti, extra Venetorum ſocietatem, quando ceteri propter mutuum præſidium ac defenſionem inter ſe conſpirent, id ne ſperare quidē licet. ac ſane iamdudum tecum fœdere illigari non ſine querela eiuſmodi vinculo ſolutos ſe ſe profitentur. præterq̃ quod .n. grauate pro rata portione conferunt in ſtipendium ſex M. equitum, quattuor peditum, quæ pecuniæ ſumma annua ducena aureorū nummûm millia abſumit, id ēt dolent, quod Neapolioni Vrſino copiarum tuarum pręfecto quotannis belli tempore vicena quina millia, pace vicena prębere coguntur, ſimulq; priuata claſſe ditionis pontificiæ portus ab iniuria defendere. huiuſmodi querelas ipſis deferentibus cognouit, & ſedare fruſtra eſt adnixus Borſius. quin illud vſurpant, quod tu nuper Petro Mauroceno & Ioanni Superantio legatis reſpōdiſti, vnde arguerunt, ſiquidē bellū ex vnius Veneti ſenatus vſu ſuſcipiēdum eſſet, ab eo te temperaturū; haud diſſimulātes ſe quoq;, ſi quid auſpicijs tuis geri oporteat, quieturos. Sed inter vos ſane conueniat, vel quod illi aliter atq; nunc pugnēt, impenſam nō diffugiant, vel quod tu id eis remittas, nō facile tamen Patres ad Apuliam vexandā impellas. age ēt propoſitis æquiſſimis cōditionibus, aut qua alia adducti cauſa tecū arma conſociēt, certe tot ac tantæ ſeſe obijciunt difficultates, vt nō minus ſit futurus irritus conatus, q̃ ipſa cogitatio atq; cupiditas. Burgundio .n. Lotharingum facile diſtineat; Venetos equitū millia IIII. ab Galeatio cū Ferdinando ad vim propulſandā fœdere iuncto cōtracta, cui Hetruſci ſtatim atq; cognouere te cū ea repub. cōſenſiſſe, oēs ſuas opes vltro obtulerunt. Turca quoq;, quod multo eſt grauius, ducentarū & viginti nauiū claſſe Ægæum inuectus, atq; ęquitū XX. millibus ad ipſos vſq; Tergeſtinorum muros populabūdus negotium faceſſet, & ab hac cura ad domeſticas auertet. Hungarus & ipſe Morauorū ac Sleſiorum victoria fretus poſt res Boemiæ cōpoſitas in Carnos fortaſſe irrumpat, iſq; metus & neceſſitas exercitū domū retrahat. hæc incōmoda multo grauiora efficit, quod nō vis propulſatur, ſed ante illata ab Ferdinando iniuria armis vltro vindicatur; quodq; multo videtur ęquius aduerſus Chriſti, cuius tu vicem in terris ſuſtines, & cōmunem oīum piorum hoſtem eū tela intendere, qui pro ſuo munere obſtringatur impios a chriſtianorum ceruicibus, ipſoq; Italiæ haud dubie periclitantis limine potius arcere, quàm ſanctæ Sedis beneficiarium bello pſequi. nec eſt quod putes Francos ita fore in tua potesta-

poteſtate, vt illis pro arbitrio vtaris, iiſque Ferdinandum ex præſcripto oppugnent, mox ad ſacram expeditionem te conuertas. Verum perbreue ſit bellum Neapolitanum, quod fortaſſe diuturnum nullum fructum afferat, non perinde facile eſt ex alienigenarum in Italiam tranſcendentium viribus ſe ſe explicare, quod non liceat euocanti finire numerum copiarum, remorari, domumue remittere, aut armis eos finibus exigere. non aqua ex riuo ad hortos agros ue rigandos deducitur, vt quantum libeat vel tranſmittatur, vel contineatur; ſed quaſi rapidum flumen maxime abundans, ripiſq; coercitum aggeres impetum morantes præceps amoliatur, & circumiectos campos quàm facillime inundet. Nota ſunt (vt Mahometem omittam, qui ab Demetrio Pelæologo paulo ante auxiliũ rogatus eum Pelopõneſo expulit) exempla Gallorum Aſiaticorum, Germanorum, Anglorum Saxonum, Hungarorum, & Turcarum in Bythiniam, Galliam, Britanniam, Germaniam, & Thraciam allectorum, qui tecturi opem implorantes antequam domum demigrarent vel eas regiones hoſtiliter diripuerunt, vel incolis oppreſſis ipſi tenuerunt. idem cum aliarum prouinciarum, tum noſtræ inprimis clades reſtantur; quippe Gotthi aduerſus Herulos ab Zenone Auguſto in Italiam miſſi cũ omnium populorum ſeruitute eas opes ſibi pepererunt; quæ toties tot cladibus concuſſæ vix tandem conciderunt. Longobardi a Narſete acciti pulſis nobiliſſimis familijs ſedes ibidem ſuas, adeoq; ſuperbum imperium conſtituerunt, vt Narſes, ſi diutius vixiſſet, ſub ea mole expiraturus fuerit. Normani Græcorum precibus in Apuliam profecti eorum ope Saracenis primo, deinde Græcis ipſis eiectis celeriter eam regionem ſubegerunt. Nec leuia detrimenta nullo ſuo merito accepere Pontifices Max. ab Anglis & Britonibus, cum eos mercede conductos bellum aduerſus Romanæ ditionis occupatores gerere iuſſerunt; ſcilicet tam validis barbarorum copijs, vt, quocunque loco conſtitiſſent, impune debaccharentur, amicis plerũque quàm hoſtibus grauiores, et promiſcua prędа raptoq; viuentes, nec niſi ſero, ac magna cum difficultate deleti. Eiuſmodi exempla ſapientis neſcio cuius dicto fidem prorſus adſtruunt. narrabat ille (liceat autem mihi tãtiſper, dum hæc diſſero, aures tuas aliquanto pluribus verbis detinere, quando tu pro tua humanitate tam benigne audis verba facientem) equum ne ceruum eiuſdem paſcui conſortem haberet, hominis imperio ſe ſe vltro ſubieciſſe; atque illum quidem prato abactum, hunc ex eo tempore vindici ſubiectum fuiſſe. ſed obijciat quis id ex eo contingere, quod cum prętet minores aſciſcere, alienæ vires proprijs longe maiores

iores adiungantur. atqui non licet eundem modum perpetuo tenere, & tranſalpinæ gentes ſemel patefacto aditu fluminis inſtar, vt paulo ante admonui, impotentius deinde, quàm vt ſuſtineri poſſint, agros illuuie fœdant atq; populantur. præterea eæ ſunt Apuliæ facultates, ea regis ipſius virtus, vt ſi externa ope vtrumque euertere coneris, qui auxilio adſit, multo firmiorem a te ſocijſque contracto exercitum adducat. ita quem par eſſet cauſæ ſalutiq; ſuæ cõſulentem alijs leges dare, is eas ab alijs cogeretur accipere. atque id quidem exploratum eſt: nam ſi Ferdinandus poſt mortem patris regno nondum confirmato nobilitati vilis, plebi inuiſus ſic reſtitit Andegauenſibus, vt eos tãdem finibus eiecerit; nunc otio opibuſq; florens, qualem ſe præbeat in propulſanda atque inferenda iniuria? quod ſi Ioannis apparatus tum modicus eſt habitus, quantum auctoritatis atque ponderis hoc tempore afferat? præterea hæc vna ratio euincit, nec ipſum, nec Renatum patrem ſine magnis Franci regis auxilijs in Italia quidquam operæ pretium facturos: quin pene dicam de tota hac re ipſe Ludouicus compellandus, atque ad bellum Neapolitanum ſuo ductu auſpicijſque gerendum eſſet incitandus. Hæ cauſæ, Beatiſſime pater, admonent quàm inconſulte Andegauenſes & Franci in Italiam euocentur. Succedit alterum ſine dubio præclarum, maximeq; dignum pontificio munere propoſitum trãquillitatis & libertatis Italiæ tuendæ, fœdus inquam a te expetitum, quo Principes noſtri, liberique populi conſocientur, vt inteſtinarũ diſcordiarum ſeminibus extinctis firmiores cõmunibus armis barbarorum irruptiones coerceant, & ſi quis vexare Italiam conetur, eum intra clauſtra alpium contineant. id quidem Ateſtinus longe præſtantiſſimum tempus poſtulare exiſtimat: quam moram duo maxima commoda ſequantur, animi primum varijs adhuc curis diſtracti ad id comparentur; quippe ſatis liquet Inſubrem aliquanto in Ludouicum propenſiorem, Hetruſcos in Flaminia protegenda pertinaces Ferdinandum & Venetos mutuæ ſecuritatis gratia iungẽdæ amicitiæ non admodum eſſe cupidos. Sane quicunque fœdere iunguntur, id vnum ſibi proponunt, vt per eiuſmodi ſocietatem aut mutuo auxilio alienam vim repellant, aut ipſi alijs inferant, certis quibuſdam legibus obſtricti tum in arcenda iniuria, armiſque parandis, tum in impenſa facienda, expeditionibus ſuſcipiendis, imperioq; proferendo. ſed horum nihil pactione diſtingui poteſt, niſi amicitiã inſtituentes ipſi prius inter ſe animis cõſentiant. quamquam autem præter voluntaria fœdera, cuiuſmodi vtilitas vel ipſa per ſe æqualis, vel pactis & conuentis adæquata coniungit, extant

nonnul-

nónnulla percuſſa ab inuitis, quoties hoſtes inimicitias deponunt, ſpe magni emolumenti, aut metu detrimenti. tamen hoc, quod neſcio quomodo vim appelles, impetus quidam eſt celeriter ad concordiam adigens. ille vero remittit, cum primum ſocietas coire cœpit in odij locum ſubeunte amore eo ardentiore, quo maior vis affertur. Fruſtra ergo, ſanctiſſime Pater, placitum fœdus attentetur, priuſquam ineatur ratio, quo nam pacto ſublatis odijs ac diſſenſionibus, qui rerum in Italia potiuntur, eo ferantur. nam qualibet ſocietate quibuſcunque legibus adſtricta prior eſt animorum conſenſio. hunc ego primum ex duobus eximijs fructibus paulo ſuperius poſui, qui minus celerem Gallorum aduentum conſequatur. Alter erit, vt quam commodiſſime ijs ſatisfiat, qui ne ius ſuum obtineant, hoc fœdere ſe ſe prohibitum iri profitentur. Cæſar tum maieſtate nominis, tum aliquot Germanorum procerum vocibus adductus Inſubres ab alio oppreſſos in ditionem reuocat. quod ſi dum ardet animus, & ſanctæ Sedis fœdus appetit, te adnitente Itali inter ſe conſpirent, ille vero nihil prætermittat, quo ſuas, amicorumq́; vires in nos effundat. quod ſi nunc expers ſocietatis tuæ clamat Pontificium eſſe, ſedulo curate necubi iuſtitia hæreat atque offendat, quæque Cæſaris ſunt Cæſari vt reddantur, auctoritatem in controuerſijs profanis, vt ex æquo ius omnibus promatur, interponere, vt idem ipſe præſidium in ijs, quæ ad religionem pertinent, promereatur: ac proinde Sanctitatem tuam recte facturam, ſi amicitiam cum ipſo iungat, iunctamq́ue poſtmodum colat: quid ille dicet, ſi pro eo, vt id omnibus votis expetitum conſequatur, ad ſuum ipſius ac romani imperij ius aſſerendum audiet te cum imperij, priuatisq́; hoſtibus coniuraſſe? audiet Inſubrem ſummam Auguſti poteſtatē agnoſcentem contra ius faſq́ue non ſolum in fidem a te receptum, ſed etiam totius Italiæ opes in vnum contractas, quo difficilius eam prouinciam ſub imperium ſubiungat ſuum? quid communi fœdere allato inquiet, ſi incerta adhuc ſocietate tua Concilia iactat, ſi Eccleſiæ tutelam ſe deſerturum denuntiat? quid Francus, quàm ægre feret hoc ipſo fœdere Andegauenſem verere regni Neapolitani iure depelli? quàm indignetur Tarraconenſium & Siculorum rex illud idem affectans armis opibusq́ue Hiſpanorum ab Alfonſo partum, ac propterea ab eodem teſtamento Ferdinando non iuſto filio relictum? id quidem certe Gallos cum Hiſpanis aduerſus Neapolitanū facile coniunget, ac fortaſſe eo res procedet, vt Cæſar quoque eodē tempore ſocio atq; adiutore Pannonio Italiam armis inuadat. Ceterum ſi fœdus Sanctitati tuæ optatum differatur, Italorum animi

partim

partim permulcebuntur pari ingenuitate inter ſe conciliati magisq; concordes, partim alienigenarum conſilia licebit obſeruare, qui Inſubres atq; Apulos inhiant. Reliquum eſt, quando nec bellum in Italiam transferre, nec expedit tot rerum capita hoc vinculo inter ſe obligare, vti pax, quæcunq; illa ſit, maneat, atq; arctius obſtringatur, ita vt recenti poſſeſſione, ac ſuo cuique iure ſaluo eadem adoleſcat, re ipſa multo quàm in ſpecie videatur firmior. etenim neceſſitudo, quæ Sanctitatem tuam cum Venetis atq; Ateſtino connectit, & cuiuſque veſtrum regni copiæ, ac dicam etiam bellicarum artium rerumque humanarum vſus, queis ille egregie præſtat, ſine dubio terreant hoſtes iſtiuſmodi coniunctionis multo magis metuendæ, tum propter ipſius Principis eximiam virtutem, tum propter regni ſitum extremis finibus Italiā interſecantis, viris atque frugibus opulentiſſimi, & vt ita dicam, lacertos in Flaminiā, Venetiam, Galliam togatam, atque Hetruriam protendentis. ac quemadmodum diſſitas illas regiones vexare, auxilioque ſubleuare, ita ab vtroque Italiæ capite licebit amicos inter ſe copulare, inimicos ſeparare: in primis vero ſit facultas ꝑ te ac tempore Pontificias & Venetas opes vel omnibus inuitis coniungendi, præſertim Bentiuolotum factione, quæ Bononiæ longe eſt potentiſſima, & finitimis proceribus cū illo ſentientibus. Itaque bono ſit animo Sanctitas tua, vatiet, moueat nihil, noua conſilia, vnde aliæ porro moleſtiæ ſuccreſcant, ne circumſpiciat, in Principis mei vigilantia, & aduerſus ſanctam Sedem, ipſiusque pręſidem obſeruantia conquieſcat. etenim ſi Inſuber haud ſane impulſus amoris in Ateſtinum abundantia palam ſæpe ſolitus eſt prædicare, eo ſocio nihili ſe externas atque Italicas opes facere, quàm te nihil omnino timere par eſt cum Borſio & Venetis coniunctum? pristino quidem fœderi inter ſenatum & Eccleſiam obſtant cauſæ initio orationis a me expoſitæ, ſed tamen Patrum ſtudia in te tuendo planè ſunt egregia, quod aliàs ſæpe renuntiandum tibi curauerunt, & ipſimet Borſio receperunt. Nec ſane cura Ariminenſis publicam quietem interpellet, aut Allobrogis & Ferratenſis diſcordiæ aliquid commoueant; quando præſens ſtatus nec cōmutandus eſt, nec conuellēdus, ſicuti ego hactenus diſſerui, & tu pro tua prudentia optime nouiſti, quod ſi Sfortia Ariminum premente parum honeſtum cenſes incepto abſiſtere, parui id refert: quippe cum oppugnationem nihil incommodi ſubſequatur Metaurēſi ſine dubio generum protecturo, Apuloque & Florentinis parce opitulantibus; qui ſe profitentur lege fœderis potius, quàm beneuolentia id facere. Itaque cum poſtero anno Martij exitus Florentinorum tutelæ finem

afferat,

afferat, prope eſt vt liceat affirmare Robertum ab alijs deſertum iri. ſane Alfonſus Calabriæ Dux ſexaginta equitũ turmas ad Truentum admouit, & parer Sanſeuerinum obſeſſo auxilio futurum delegit, nihilo tamen ſecius, quantũ quidem Areſtino ſignificat, haudquaquam promiſſis eſt ſtaturus, fidemque vel priuato chirographo obſtringit nihil ſe aduerſus ſanctam Sedem tentaturum. quin ſi ſe ille commoueat Neapolione cum Sforria copias iungente facile eiuſmodi conatus eludatur. itidem Borſius Herculem fratrem quaſi ſua ſponte Rauennam iubeat proficiſci, vt quam ampliſſimum poſſit equitatum ad præfectos tuos perducat. id complures quidem male habeat: ſed ea eſt hominis exiſtimatio, vt pro certo ducat, ne quod offenſionis indicium erumpat, Herculi potius quàm ipſi id factum adſcripturos eſſe. huic officio exigua neceſſitas pondus detrahit: ſed ſi ex condirione temporum æſtimetur, non perinde leue eſt. Eccleſia ſi maiore virium mole oppugnetur, fratres, ac totius regni opes, ipſe denique Princeps pro illa propugnent, nec re minus præſtetur, quàm verbis tum oſtentatum fuit, cum Vrſinos armis perſequenti tibi Ferdinandus atq; Hetruſci ſuſpecti fuere. quod ſtudium Beatiſſime Parer, ad tuendã maieſtatem Pontificiam herus meus ante vltro tam liberaliter derulit, idem ſemper atq; vbique in ſanctam Sedem, ac te in primis eſt exhibiturus. Pontifex, quæ Troctus Areſtini nomine expoſuerat, & libenter audiuit, & poſtea multum ſe ei debere tum nonnullis Patrum, tum frequenti ſenatu ſæpe eſt profeſſus. omiſſa tamen Lotharingi mentione cum ea vna difficultas ſupereſſet, vt Iralorum Principum animi lenirentur, Borſius non modo non ignaro, ſed etiam vltro petente Ferdinando Inſubrem cũ Pontifice reconciliauit. ceterum quod Ariminenſis obſidio ſuſpicionem inijceret, ne vindices illius ciuitatis fines Pontificios inuaderent, præſertim cum Metaurenſis Sforriæ copias, auxiliaq; a Veneto ſubmiſſa iam profligaſſet, Borſius, quod etiam ab legato Pontifici renuntiari iuſſerat, fidem interponẽdam curauit, eos receptis Ariminenſis agri caſtellis nemini deinde iniuriam facturos. quin fratrem Herculem in caſtra Pontificia miſit: eoq; propter valetudinem intra paucos dies diſcedere coacto continuo quidam criminari cœperunt morbum de induſtria confictum, quod Paulus neglexit multis magniſque documentis Areſtini beneuolentia teſtata, quo etiam auctore Veneti aliquot longas naues auxilio Pontificijs ire iuſſerunt, qui pulſi a Federico ſecundum littus maris in tutum ſe recipiebant. Per eos dies Areſtinus ita ſe in Inſubris amicitiã inſinuauerat, vt confideret illum atq; Allobrogem bona cum Franci regis

venia

venia ad concordiam adduci poſſe: ſed Allobrox hoc ipſo tempore nimirum ſub Nouembris exitũ e vita exceſſit, cũ paulo ante equitum circiter duo, peditũ millia quattuor ex alpibus demiſiſſet, ac tantum virium aĩq; ad vim propulſandam prætuliſſet, vt Galeatio expediret deinceps quieſcere. per hunc Ateſtinus oppidum Põtificis imperio adiungere ſtudebat vel aliqua facta permutatione, vel ſi id non ſuccederet, Malateſta Vicarij noĩe magno impoſito ſtipendio regnare iuſſo. Cum autem ſuperioribus diebus obijſſet Petrus Medices, & Thomas Soderinus reſtitutione exulum Laurentij & Iuliani adoleſcentũ ſummæ ſpei Petri filiorũ rationibus conſultum vellet, idemq; Pontifex cuperet potius vt illam familiam deprimeret, quàm ſubleuaret, Florentini inter eam ciuiũ cunctationem Malateſtam ſegnius iuuerunt. quocirca Ateſtini conatus atq; induſtria procedebat, præſertim quod ſubalpini motus videbantur reſediſſe, & Francus reconciliatus fratri Aquitaniæ Duci regno gubernando aĩum intenderat, agebatq; popularibus ſubinuitis de collocanda filia ſtirpis maximo Ioannis II. Tarraconenſis filio: idq; regiæ vtriuſq; conſpirationem in Ferdinãdi perniciem oĩno ſuſtulerat. ad hæc ne verbum quidem de Lotharingi aduentu, cuius ardor ac cupiditas pellẽdi Neapolitani plane refrixerat. Cæſar domeſticis rebus intentus fœdus aduerſus Inſubrem haudquaq̃ appetebat: propterea Pontifex nõ Ariminẽſis modo controuerſiæ facilem exitum, ſed etiam totius Italiæ conſenſum ſibi ſpondebat, quando ciſalpini magis magiſq; in dies ad concordiã ſe ſe darent, & trãſalpinos ſuæ curæ domi diſtineret. qua in re cũ Borſij optimorum ſibi cõſiliorum auctoris prudentiam ſuſpiceret, complecti atque ornare præſentem concupiuit, in primis vero Ferrarienſium Ducem creare: quod Pius Pontifex cum maxime optaret, Italicis diſſenſionibus, vel potius fati celeritate impeditus efficere non potuiſſet. nec Pauli congreſſum minus petebat Borſius, ſed crebris litteris ſignificabat, non prius ſe communi voto ſatisfacturum, quàm publica prouinciæ coniunctio ac ſocietas inchoaretur. Hæc agente Ateſtino tam grauis atq; improuiſa ſuſpicio Inſubris animum occupat, quem quidem in cauſa Ariminenſi haud obſcure nudauerat, vt egregia beneuolentia in apertum prope odium verteret. exiſtimabat ille, idq; partim Ferdinandi miniſtri, partim Florentini callide fouebant, quod ad pacem attineret, verba ſibi dari, vt Veneti occulto ac mox erupturo fœdere Pontifici Borſioq; coniuncti adorirentur ab ſocijs deſertum, qui pacis & communis conſenſionis, belliue aduerſus Turcas toties fruſtra illata mentione feſſi, vel ſpe publicæ quietis ſecuri atq; negligentes, aut deniq; ſimultate

diſſociati ab ſe quandoq; diſceſſuri eſſent. Certe quidem Galeatius adeo in Borſium exarſerat, vt quadã die cum p regiam vrbem equo vectaretur, proſequente Chriſtophoro Rangono ipſius legato aĩm potens in hæc verba prorumperet: dũ per ſocios in amicitia pſeuerantes liceret ſtatuiſſe ſe inimicos puertere, in primis eum, qui oĩum turbarũ caput, & quidem ceteris inuiſum eſſet; ſubijciens haudquaquam amplius ferendum, quod Ateſtinus ipſe immunis litteris miſſitandis, multiſq; ad arbitrium ſuum reuocandis rebus oẽs terreat. illud præterea cauſatus eſt, neſcio quas Trocti litteras a monacho interceptas, ijſque, cum notis perſcriptæ eſſent, interpretatis compertum, quo pacto Borſius ſocios, ſe nimirum, Neapolitanum, atque Florentinos in ordinem coactos vellet, idq; ſedulo curaret, ne eminerent ſine vllo odij inteſtini ac bellorum ob eam fortaſſe cauſam imminentium reſpectu. præbebat aures Galeatius cupide ijs, qui præ ſe obſequium amoremq; ferentes aliquid ad gratiam loquerentur: opes vero ſuas ſupra modum extollebat, ac minitabatur vel potentiſſimis regibus, quorum aliquam in ſe iniuriã agnoſceret; idq; ingenuitati, vel ætati potius, qua regnum occœpit, tribuas, quodq; viuo patre publicæ gerendæ rei omnino expers fuiſſet. eo fiebat, vt cõſiliorum ipſius initium ac finis ſimul cognoſcerentur. accedebat ad linguæ intemperantiam væcordia, atque inconſultus animi impetus ad bellum incerta adhuc timoris cauſa. longe aliud vitæ inſtitutum, ſi vtrunque inter ſe conferres, maximeque diuerſum Borſius colebat. nam nec leuiſſima quaque ſuſpicione permouebatur, nec quem finem ab initio propoſitum haberet, alteri quàm ſibi notum eſſe volebat. oratio per ſe grauis, nec ſine aculeo oĩ prorſus contumelia carebat: quin eorum aĩos captabat, quos aſperioribus interdum verbis caſtigari iuberet. quodcunque ille diſſidium, quamcunq; controuerſiam ex bono & æquo finiendam ſuſcepit, ea ſemper leniſſimũ exitum habuit. cuius felicitatis multis alijs leuioribus in rebus, ſed quæ nihilo ſecius graues turbas facile concire potuiſſent, Galeatium ipſum teſtem citarem, niſi pleraq; huiuſcemodi conſulto prętermittenda mihi ſtatuiſſem. cum autem, ſi tum quoq; iuuenem pmulſiſſet, magnæ alicui diſſenſioni ſe ſe occurſurum intelligeret, eoq; ſublato, quod vnum conatũ ipſius poterat fruſtrari, omnia publici otij impedimenta facile remoueri, Ioãnem Compagnum epiſtolarum magiſtrum Mediolanum miſit, qui aliàs ad eum proſpera legatione non ſemel functus fuerat. atq; illud quidem primum in mandatis dedit, vt ad diluendas cõmemoratione præteriti temporis Galeatij ſuſpiciones oĩa latius exequeretur; ac primo re-

ſelleret

felleret, quæ Rangonus ſcripſiſſet. Compagnus ita eſt orſus dicere; Areſtino pmoleſtum eſſe, quod qui potius alienæ quàm propriæ vtilitatis, maximeq; amicorum cauſa tantũ exhauriat laboris, indignã plane gratiam ferat: id eo acerbius eſſe, quod Borſius exiſtimauerit Inſubtem aliàs in eandem opinionem adductum errore verbis ac re ipſa deinde refutato rurſus in illum impingere non debuiſſe: præſertim quia epiſtola intercepta, vel non eſſet a Trocto ſcripta, vel aliter accipienda, quàm æmuli calumniarentur, & ipſe, eum primum habuiſſet, apertiſſime demonſtraturus: ac iam tum pro certo affirmare longe aliam eſſe illius epiſtolæ ſententiam. tantam eſſe Galeatij virtutem atque animi præſentiam, vt non Ferdinandus, non Hetruſci, ſed quidam nimio plus priuatis affectibus indulgentes, ac nouarum rerum cupidi, regnique, & eius ciuitatis fluctus compendij ergô aucupantes falſa pro veris illi ſuggerant, atque ad bellum incitent, quo ſocij pariter ad arma proſiliant. eadem fraude ante irrepſiſſe arguentes Borſium Inſubri obtrectaſſe, quo tempore Veneti atq; Florentini inter ſe diſſidere cœperunt, actumq; eſt de ſtipendio & cõmodis Culeonis, ac denique Brixillienſi obſidione. poſt euentũ cognitum eam diſcordiam de induſtria alitam ad auertenda pericula impendentia: eo depulſo metu neminem latere, quos labores ſuſceperit Borſius, quàm nihil intentatum reliquerit, quo vtrunque populum inter ſe conciliaret. Pontificis conſilium ſine dubio ſemper damnaſſe pacis leges ad vtilitatem decuſque illius præfecti exigentis exitum, quàm parum Ateſtinus Brixillienſibus aduerſus Inſubrem fauiſſet, quàm vere affirmaret, id ius clientelæ finibus tantum Regienſibus concludi: Corrigiates vero ſi monentem audiſſent, non modo calamitates illatas vitaturos, ſed oppido etiam non ſine fructu ac dignitate ceſſuros fuiſſe: ſolidam plane atque egregiam Borſij in eum eſſe voluntatem, quam nec iracundia, nec paulo aſperior oratio ipſius Inſubris deterat. eiuſmodi liberas voces tribuere Ateſtinum quaſi filij erga patrem affectui. quod & ſi propter vulgi opinionem potius, quàm rei ipſius pondus aliquanto ferat ægrius, nolle tamen de priſtina ſententia decedere: nec in animum vnquam inducturum, vt credat metuenti ſibi ab Inſubre, ſed ad eius dignitatem tuendã arma ſumenda eſſe. illud vehementiſſime cupere, ne prauorum hominum calliditate compellatur, quam concordiã inter Pontificẽ ac ſenatũ Venetũ aluerit, vti pari vinculo reliquam Italiam copularet, ab ea præſidiũ petere. id ſi contingat, Borſiũ ne ſemper animi pendeat, conſilium quàm maxime opportunum ſibi capturum, ac pro virili bellum

 longe

longe à proprijs finibus prohibiturum: cum conſtanti ſimul atque ingenuo animo præditū verba ad rem conferre, pariq; in amore & odio perſeuerantia eſſe. pro paterna beneuolentia monere quàm multa regij miniſtri, atq; Hetruſci quidam ſenatores, quàmq; prolixe fuerint polliciti, quàm pauca atq; illiberaliter præſtiterint. quoties ipſe Galeatius de his rebus expoſtulauerit, quàm nihil Borſium celauerit profeſſus ſtatutum ſibi eſſe, ne alienam opem implorare cogeretur, in neutrius deinceps partis fauorem inclinare. Galeatius eodem, quo primum veſtigio ſtetiſſet, ac vultu quàm maxime compoſito cum ad Compagni verba, quæ multa alioqui interſerto alijs de rebus idoneo ſermone facta fuerant, crebro capite annueret, tandem quaſi interfatus reſpondit, iam ſe legationem Ferrariam deſtinaſſe veritum, ne oratio nuper cum Rangono, ac nonnullis communibus amicis habita aliquid Borſio admirationis attuliſſet; ſe officio victum. & ſi ſecus fuerit renuntiatum, exiſtimare tamen epiſtolam ſub Trocti nomine vulgatā confictam ab ijs, qui Italiæ quietem oderint; ſibi vero cumulate ſatisfactum fuiſſe. idem ſe Ateſtino, quod Franciſco patri obſequium, dum viuat, præſtiturum. ſubiecit Compagnus herum omnia ſibi officia ex Inſubris beneuolentia polliceri. extare quidem illuſtria Nicolai primo, deinde Leonelli merita in parentem ipſius, maxime cum propter rei frumentariæ inopiam exercitū, qui Mediolanum circumſedebat, dilabente eius impenſa ac præſidio commeatus eſt in caſtra conuectus, eoque tracta obſidione paucis poſt diebus facta ab ciuibus deditio; nullam ſibi gratiam reponi poſtulare pro his alijsque beneficijs Sfortię familiæ tributis, atque ipſi etiam Galeatio, quo tempore fratrem Herculem pari prope, ac ſi ipſemet affuiſſet, maieſtate regnum auſpicari præſto eſſe, ac Mediolani aliquandiu iuſſit ſubſiſtere. quæ res eorum conſilia diſcuſſit, ſi qui vt recenti adhuc imperio, externæque & domeſticę vi obnoxio rebus nouis ſtudebant. obſeruantia atque amore in eum plane ſingulari, pro quo opes ſuas in omne diſcrimen libenter expoſiturus eſſet, digna officia Ateſtinum expectare, nec putare ſe ſe opinione deceptum iri. Paucis poſt menſibus pactionibus ac iureiurando Borſio ſe obſtrinxit, atque ab eo impetrauit, vti Rangonus ipſius nomine alterum filiolum recens ſibi natum e ſacro fonte tolleret. Ateſtinus viciſſim litteris cauit eum ſe nulla in re læſurum: ac poſt eiuſmodi reconciliationem auctor fuit, quo facilius Italiæ quies coaleſceret, vti fœdus ante quinquennium percuſſum renouaretur. Id ſequenti anno Romæ apud Beſſarionem 1470
Cardinalem Nicænum tribus alijs ſenatorij ordinis ampliſſimis vi-

ris S. Marci, Neapolitano & Tianenſi ſæpe adhibitis tanta diligentia eſt curatum, vti ad XI. Kal. Apr. illa ipſa ſocietas ſit confirmata, vnde inter totius prope Italiæ Principes ac liberos populos tacitum fœdus, paxq; conſtitit. Pariter Galliæ motus magna ex parte conquieuerunt, in primis eius ſodalitij, cuius ſupra meminimus, ac militiæ equeſtris vinculo conſociatis procerum inter ſe animis. quæ quidem rametſi nullidum externo conceſſa, imo Britanno Duci negata fuiſſet, ac quattuordecim nobiliſſimis Galliæ viris ſanguine aut dignitate regi proximis communicata; Ludouicus tamen perrentato prius Ateſtini animo, quod ſciret ita eum conſilium ſuum diſſimulare, vt palam neutram in partem admodum ꝑpenderet, per Gulielmum Francum oratorem ſuum obiter eius inſignis ſumendi poteſtatem fecit: is ne onus ſponte, aut odium Ferdinandi, aliorúmque Italorum ſubiret, qui conſentire inter ſe tum videbantur ad arcendos Italia Gallos, ceteraſque tranſalpinas nationes, totum illud prudentiſſime diſcuſſit. Quieta Italia eo magis, quod reſederat ardor vexandi Gallicis armis Ferdinandi Ioanne Andegauenſi defuncto Barchinone, quod oppidum aduerſo Catalanorum prœlio ad vetus imperium redierat, Pontifex, quod ante ſtatuerat, palam edixit, velle ſe ſe Borſium Ferrariæ Ducem inſtituere. nemo tota Italia Cæſaris iudicium non vehementer probauerat, a quo Mutinæ atque Regij Dux ante fuiſſet appellatus; pariter de eadem dignitate in illum collata omnes Pontificem laudauerunt. at vero ingenti Turcarum aduerſus chriſtianos apparatu territus id aliquanto ſerius eſt exequutus. Veneti acerbioribus in dies nuntijs turbabantur: quippe cum ex continenti belli metus ingrueret, & in Ægæum valida claſſis educenda eſſet, terreſtris naualem apparatum, vireſq; eo conuerſas debilitabat. huiuſmodi ſuſpicionem, quæ quidem grauem prope motum in Italia exciuit, Patribus iniecit Franciſci Iuſtiniani ad vrbem legati ingens deſiderium viſendæ patriæ. forte vt atram bilem paulo ante inualeſcentem ſuorũ aſpectu leniret, Franciſcus Patribus ſignificauit, conſilia aduerſus rempub. a Borſio, Inſubre, ac Mantuano iniri, breuique niſi cauerent exitum habitura: id ſibi de Pontifice cognitum, mandatumque ne litteris committeret, ſed aliqua probabili cauſa reditu impetrato coram enuntiaret. Patres crebris legati idem flagitantis litteris commoti ſenatum non ſemel habuerunt; tandem intellexerunt eum haudquaquam integra valetudine hanc ſibi cauſam diſcedendi cõfinxiſſe. Interim Mahometes nec Perſarum quieté agitantium, nec Pannonicis armis, quæ bello Boemico diſtinebantur, laceſſitus claſſe CC. nauium III. Non.

Iulij

Iulij in Eubœam traiecit; quam tandem in poteſtatem redegit feſſis propugnatoribus cęde innumerabilis multitudinis vltro ad interitũ expoſitæ continenti duorum dierum totidemq; noctium oppugnatione, cũ quidem Veneta auxilia non perinde firma ægre in terram poſſent deſcendere. capta inſula puberes ſupra viceſimum annum omnes ad vnum trucidati: Paulus Ericius præfectus, qui oppidum ſtrenue defenderat, ac poſtremo in arcem confugerat, contra fidem datam medius ſerra diſſectus improbe cauillãte tyranno, iureiurando ſe capiti cauiſſe, non trunco. His ipſis diebus ad tollendã controuerſiam, quæ Cæſari cum Venetis intercedebat de aliquot caſtellis agri Tergeſtini, ad vrbem venit Federicus Lodronius; cumque non eoſdem vterque iudices probarent, actum eſt vti ſtaretur eo, quod Borſius decreuiſſet. ſed tum aliud multo grauius differendo modo, ac conſultando Romæ eſt agitatum, nimirum expeditio aduerſus Turcas, in quam Itali, ceteriq; chriſtiani Principes nomina darent, vti noſtri exteris exemplo eſſent, ijsq; Neapolitanus atque Inſuber non modico apparatu. nec deerat ſpes Florentinos, qui nuper priuatum cũ vtroque fœdus percuſſiſſent, pecunioſos homines eandem cauſam amplexuros. permagni quoque videbatur intereſſe, quod Allobrox atque Inſuber inter ſe conſenſiſſent: timoris ex eã cõcordia Ferrarenſi iniecti vix ratio habebatur. Ceterum cum Latini varijs cupiditatibus diſtracti non idem omnes ſentirent, belli Thracij conſilia celeriter conſenuerunt. id quidem Venetorum cauſa in primis ſuſcipiebatur, & Ferdinandus priuata vtilitate adductus non grauate opem laturus erat: quippe qui mutuũ beneficium ſperaret, ſi Francorum aut Hiſpanorum armis peteretur. at Galeatius patribus infenſus ob quædam oppida olim Mediolanẽſis ditionis intercepta, ab ijs vel leuiter iuuandis prorſus abhorrebat: nec Ateſtinus ſollicitantibus alioqui Venetis, ſi Inſubris amicitiam ſaluam vellet, id profiteri poterat, ne illius amicitiam quoquo modo violaret. iccirco Galeatius Pontifici affirmabat ſe cum Ferdinando conſenſurum; contra occulte ſollicitato Franco in ſpem veniebat regem in Italia propediem futurum, vt eius ope, quæ olim iuris Inſubrium fuiſſent, ſub veterem imperij formulam redigeret. Anno huiuſcemodi conſilijs diſcutiendis abſumpto, iam enim December inierat, cum Galeatius intelligeret Ludouicum Henrico eius nominis VI. Britanniæ regi aduerſus Eduardum affuturum, tantum Ateſtini auctoritati tribuit, vt omnem controuerſiam ſublaturus eſſet, niſi Apulus ac Veneti modo non priuato, ipſique aduerſo fœdere obſtricti acriter hominem pupugiſſent. fœderis duo capita in

hanc

hanc ſententiam conſcripta fuerant. Si Mahometes bellum Ferdinando faceret, Patres ſex longis nauibus, onerarijs viginti auxilio eſſent: ſi Venetis, Ferdinandus triremes XX. onerarias quattuor ſubmitteret. primo vero capite diſerte cautum fuit, ſi Galeatius Venetos armis adoriretur, vti Ferdinandus LXX. equitum turmas, peditum millia IIII. priuato ſtipendio præberet. quamquam autem Borſius animum ad ea intenderet, quæ in vniuerſum Italiæ ſtatum reſpicerent, non ideo tamen minus diligenter ſuæ ac popularium quieti conſulebat. etenim Bononienſibus propter vicinitatem neſcio quid in ipſius ſolo auſis milites duce Sigiſmundo fratre ad diruendum pagum Galeatium nomine eorũ, qui Ferrarienſem agrum incurſabant, receptaculum e veſtigio iuſſit contendere. poſt incendia cædeſque mutuas egregie alioqui aduerſariorum fracta audacia, vtrique arbitrum ſumpſere Inſubrem: eaque pactio publicis eſt tabulis conſignata inſequẽti anno, qui fuit eius ſeculi LXXI. prid. Kal.
1471 Iun. Ceterum etiam atq; etiam petente Pontifice, vt bellum Thracium decerneretur, idque ſimul capeſſerent tranſalpinæ gentes, in primis Ludouicus rex Francorum, & Carolus Dux Sequanorũ inter ſe diſſidentes; Borſius pro ſua fide Gallo maxime probatus, ac Sequani perneceſſarius auctore Pontifice vtrunque in gratiam reducere eſt adnixus: quippe Ludouicus nullo iam ab fratre metu quæ oppida pace Vicennia Carolo tradidiſſet, armis repetebat Burgundione contra tendente, iamq; Fanum Quintini atque Ambianos fraude receperat. Borſius per Nicolaum Strotium apud Francum oratorem cõmemoratis eius belli incõmodis perfecit, vti vtriuſque conſenſu annuæ induciæ fierent. Ea tempeſtate Eduardus Cantabrigienſis maritimis in locis, quæ Sequani ditionis erant, naues ac milites Duce non ignaro contrahebat, vt in Britanniam aduerſus Henricum regem tranſmitteret, isq; fortaſſe motus Francum Anglo cupientẽ ad arma exciuiſſet. propterea Strotius Ateſtini iuſſu, a quo Henricus id poſtulauerat, ſi forte ex bono & æquo res tranſigi poſſet, in inſulam traiecit. ſed quoniam huiuſce rei initium incompta diſcordiæ cauſa nullo modo ſit cognoſcere, nec eam ſatis aperte Paulus Iouius explicauit, neceſſe eſt eam nos enarremus. Defuncto ante duos & ſeptuaginta annos Ricardo IIII. Angliæ rege ſine liberis ſucceſſit Henricus IIII. eius frater patruelis Ioannis Leceſtriæ Ducis filius, vnde malorum ſemina propagata. poſt Henricum filius ac nepos eodem nomine ſuo vterque loco regnauere. at vero quod extra ſexus diſcrimen eius ſtirps, qui naturæ ordine primum naſcendo locum tenuiſſet, ceteris præferretur, regnum deberi videbatur

non

non Henrico IIII. ſed Philippæ Leonello Clarentiæ Duce genitæ, quæ ætatis prærogatiua Henrico anteſtabat. ita Ricardus Comes Cantabrigienſis ducta in matrimonium Anna ipſius Philippæ filia, neſcio quid aduerſus Henricum V. auſus eſt. eius filius iidem Ricardus Henricum VI. cuſtodiæ tradidit, qui tum & libertatem & regnum receperat. Eduardus Burgundionis ope claſſe in Britanniam tranſmittere parabat. contra Francus atq; Lotharingus eum tecturi nauigationem obſeruabant. Hæc cauſa extitit, cur Borſius Strotium ex continenti eo proficiſci imperaret; qui neutro ad quietem animum inclinante, quod Henricus æmulo nihil concederet, ille Burgundionis opibus fretus bellum non intermitteret, in Galliam rediit. Eduardus claſſe in Britanniam appulſus captum Henricum in arce Londiniana necauit, regnumque obtinuit. Italia ab exteris motibus tanto nimirum interuallo quieta Pontifex, qui Borſium maximo honore efferre ſtatuiſſet, quod Senatus placitum chriſtiani quoque Principes ſummopere probabant, vltro ad vrbem eum acceſſiuit captato tempore, quo aduentus in celeberrimum aliquem diem incideret, iſque fuit ſacroſanctum Paſcha. Ad III. Id Mart. re diuina prius facta, imploratáque almi Spiritus ope Flaminia via Romam perrexit. fuere in eius comitatu Nicolaus Corrigij, Marcus Pius Carpi, Galeottus Picus Mirandulæ, & Mathęus Maria Scandiani domini, cumque his honeſtiſſimo nati loco circiter quingenti auro argentoque diſtinctis amiculis ferme velati. ſuccedebat familiarium cohors: in his cubiculo aſſuetos, ac Principis curare corpus ſolitos aurea veſtis adornabat: argento intexta eos, qui epulas menſæ inferebant: muli quinque & viginti cubiculi inſtrumentum ac ſarcinas vehentes coccineis ſtragulis ex villoſo ſerico Ducis inſignibus auroque opportune inſertis inſtrati erant. auro quoq; buccinatores ac tibicines, plurimique a pedibus pueri nitebant. hoc agmen anteibant totidem muli panno purpureo cooperti ad mediũ circaque extremas oras acu picto. ſubſequebantur alteri centum & quinquaginta verſicolore ſtragula, nimirum alba, rubra, & viridi ſimul inſtrati, quo veſtitu Borſij pediſequi vtebantur: eodem cultu pedibus incedebant octoginta iuuenes ſinguli quaternos canes magna ex parte moloſſos loris trahentes, quæ fuit conſuetudo illorum temporum, ſicuti paulo poſt etiam Galeatius Mediolanenſium Princeps Florentiam profectus declarauit. Pontifex Laurentium Archiepiſcopum Spalatrenſem ærarij præfectum ac Piceni pręſidem in primis finibus ditionis Pontificiæ Borſio iuſſit occurrere: a quo pliberaliter acceptus, Romamque perductus eſt ipſius Pauli ſumptu.

inde

inde purpurati Patres, ac Principum legati affuere de aduentu gratulantes. poſt vrbem inijt tanta frequentia, vt ad ſpectaculum CCL. hominum millia confluxiſſe tradatur; idq; pop. Rom. vt tum litteris vulgatum fuit, teſtimonium Borſio phibuit, nullum nec regem nec Auguſtum pari pompa ac ſplendore eo vnq̃ veniſſe. a Pontifice aliquot dies honorificentiſſime habitus demum feſto Paſchatis die poſtr. Id. Apr. Ferrariæ, cui ciuitati Vicarij titulo præerat, Dux eſt appellatus. res quod nõ eorum tantũ, qui interfuerunt, monumentis comperimus, ſed ẽt ipſiuſmet Borſij ad Compagnum ſcribam litteris iuſſum cuncta fratribus ac conſiliarijs renunriare, hoc modo eſt geſta. Pontificis ad rem diuinam faciendam in auguſtiſſima veſte ad Petri ædem procedentis ſacri pallij laciniam manu ſublatam honoris cauſa geſtauit. poſt tertias quas vocant preces abſolutas ab archiepiſcopis Mediolanẽſi & Cretenſi ad Pontificẽ deductus ab eo eſt in ordinem equitũ D. Petri cooptatus porrecto nudo gladio, quo illum Eccleſiãq; tutaretur, & Chriſti hoſtes male pderet. baltheo eũ pcinxit Thomas Pelopõneſi Princeps, quem domo in vrbem profugiſſe ſupra memorauimus. calcaria indidere Neapolio Vrſinus põtificij exercitus præfectus, & Conſtantius Sfortiæ Piſaurenſiũ reguli filius. poſt ſacræ epiſtolæ prælectionẽ ab iiſdem ſacerdotibus coram Põtifice ſtatutus ſacramentũ fidelitatis ei dixit: tum litanias & pcini iuſſit, & cecinit ipſe Paulus, Deumq; Opt. Max. precatus eſt, vt ea dignitas Borſio bene ac feliciter verteret. mox priorũ loco duo illũ ſenatores, vnde ſurrexerat, pduxerunt: ac poſtremo peuntibus iiſdem Archiepiſcopis poſt oblata, quæ Deo cõſecranda erant, coram Pontifice ſtatuerunt; a quo ad pacis oſculũ admiſſus cõtinuo vnumquẽq; Patrum complexus atq; oſculatus Pontifici poſt ſacroſanctam cõmunionem aquam abluendis manibus pbuit: deinde Ducis inſignibus eſt exornatus. ea ãt fuerunt Damaſcena veſtis alpinis candidiſſimis muribus ſuffulta late humeros operiens, infula in galericuli modũ acuta binis pretioſis lapillis vtrinq; dependentibus, virga aurea in manu dextera, ac torquis collo inſertus. ita excultũ iidẽ Cardinales ſeſſum deduxerunt. poſt factã rem diuinã ſenatus vniuerſus ipſius Pontificis mandato domum q̃ maximo honore eſt pſequutus. poſtera die Ducis habitu Paulũ in Vaticanum euntẽ eſt comitatus, ibiq; inter Cardinales Sanctæ Mariæ in porticu & Luciæ appellatos medius conſedit. ſacro pacto Paulus ipſe magnis laudibus eum familiamq; Ateſtinam publica oratione extulit, atq; aliquot maiorum ipſius illuſtria merita in Pontificiã Sedem recenſuit, quamq; vt ſcripſit Borſius, complura nihilo minora ptermiſiſſet: dein ab duobus

itidem Cardinalibus Ferratēſi & Porticenſi ad pedes Pontificis pductus roſam aureā de illius manu accepit. iterum ab altero Patrū redditam Pontifici in ipſo templi limine populo ſpectante recepit, eſtq; ipſius iuſſu a toto ſenatu ad Marci ædes deductus, exceptusq; longe apparatiſſimo conuiuio. incedentium is fuit ordo, vt Borſius, quod Pontifici præcipui honoris cauſa exhiberi ſolet, purpuratis præeuntibus omnium poſtremus tegentibus latera Cardinalibus procancellario & Mantuano incederet, idq; Matthęus ēt Palmerius litteris pdidit. ac Paulus quidem quo maiore frequentia is dies celebraretur, Seruatoris ſudarium quinto ſanctę hebdomadis die populo oſtendi ſolitū eatenus proferre ſuperſederat. iamdudum āt qui gemmarum cupiditate flagraret, ita vt non deſint qui tradant id ei morte conſtitiſſe apoplexia correpto, cū profeſtis ēt diebus ijs ſe ſe oneraret, pretioſiſſimum balaniten a Borſio petierat, quem cū cetero ornatu eo die ſumpto dono illi dedit, nec non plures alias gēmas roſæ adhuc puræ atq; inornatæ illigatas. Verum vti ſciatur, qualis quantaq; ſit hæc dignitas in Ateſtinā familiam collata, ea vero longe maxima ac præſtantiſſima extitit, q̄ eſt deinde declaratū Ferraria Ducatus prærogatiua aucta ornataq;, & Hercule magno Duce appellato, quantacūq; magnitudo atq; amplitudo in principatus, ipſosq; Principes poſſit cadere. Alfonſus quoq; Maximiliani Auguſti tabulis eadē poteſtate Dux eſt dictus, quanta maxima reliqui magni Duces ac Principes ſacri imperij potiantur. quod Alfonſo II. qui nunc regnat, Maximilianus pariter II. itidem conceſſit additis cōpluribus alijs beneficijs, quo Ducatus magnitudo teſtatior eſſet. dignitas huiuſmodi, vtpote regno ac Principi affixa oī in eum trāſlata poteſtate, pmagni ponderis merito habetur: quæ cauſa eſt, cur tanti ſit apud Principes imperij, vt exiſtiment maiorē, quàm ipſi ſint, nullum creari Ducem poſſe: ſi alter alteri loco præſtat, id fieri vetuſtate ob nobilitatem a Deo collatam, quæ p ſe venerabilis, atq; immutabilis ſit. quamq; autem præpotentes Aſiatica in Sarmatia reguli Moſcus, Ruſſius, & Lithuanus magnos Duces ſe ſe appellent, id ſane alio ptinet, & diuerſam habet rationem. eiuſmodi titulū patria lingua illi vſurpant, nō vt exprimant maximam hanc dignitatem a Pontifice aut Cæſare deferri ſolitam, ſed quod Duces alij Ducibus imperent: ac ſi dicas Moſcum minorum ſibiq; parentium Ducum Ducem, qui nec regiam maieſtatē audeat aſſumere, nec Marchionibus annumerari velit longe aliter magni Ducis appellationem accipiens. quin ipſi Sarmatæ, quod non obſcure colligitur ex Sigiſmundo Herberſtaino, & Cromero, eos titulos beneficio Cæſaris non reciperent profeſſi nullius

ſe vnquam regis armis domitos, nec item Pontificis, quod nunq; abſolute romanos ritus amplexi fuerint. Pontifex deinde in Borſij gratiam pulcherrimam venationem exhibuit: mox romani proceres in duo agmina diſtributi inter ſe ludicro prælio concurrere; alteri præfuit Hercules, alteri Nicolaus Leonelli filius, qui Borſiũ officij cauſa ad vrbem ſequuti fuerant. qua in re illud præſagiũ mortis Nicolai fuit, quod cũ ipſe inſignis loco velo vteretur, Hercules vero adamante, victori Herculi adamas adamas ſubinde acclamatũ fuit: Borſius ex vrbe ꝓfectus religionis ergò ædem Lauretanã adijt: mox vt eſt auctor Corius eorum temporũ æqualis, cum domum redijſſet, hinc Inſuber atq; Hetruſci, inde Culeo & Veneti poſtularũt mutuas vt cõtrouerſias ſedaret. cauſam adijcit, qđ Culeo fretus reip. opibus ad exules nouis auxilijs prævalidos reſtituendos arma reſumpſiſſet: aduerſus quos Florentini & Galeatius copias in Flaminia coegiſſent: Inſubrẽ circiter Id. Maij Mediolano in caſtra cũ veniſſet, exercitum Metaurenſi cõmendaſſe, cumq; vxore expeditionis comite, ac longe ornatiſſimo ſuorum agmine Florentiam prexiſſe recẽti Borſij exemplo ꝓmotum, qui alioqui nouam ſumpturus dignitatẽ multo maiore, quàm tũ viri quoq; principes ſolerent, comitatu iter feciſſet. tradit idem Corius in Florentinorũ caſtris fuiſſe Metaurenſem ipſum, Alexandrum Sfortiã, Robertum Sanſeuerinũ, & Donatum Comitẽ: apud hoſtes Culeonem, Sfortiã Inſubris fratrem, Herculem & Aſtorgiũ Manfredos. dumq; Galeatius Florentiæ cõmoratur, ꝙ quidem aulicorum conſuetudine ciuitatis mores, vt hoc quoq; obiter admoneamus, ꝑ ſe ſe integros atq; incorruptos ad immoderatum luxũ traduxerat, ita vt deinde lata lege coerceri oportuerit, vtrunq; exercitũ in agro Bononienſi ad pagum Ricardinam conflixiſſe: prælium animis æque obſtinatis a veſpera in ſecundam noctis horam etiam illatis facibus tractum tãdem diremptum fuiſſe, cum primo exules, mox hoſtes receptui ceciniſſent, haud dubie multo minore damno affecti, cum CCCC. tantum loricatos equites deſideraſſent. nũtio excitum Inſubrem in caſtra reuertiſſe: Borſium totius controuerſiæ diſceptatorem ſumptum Ducis ipſius internuntio Gaſpare Vicomercato viro tum propria virtute, tum heri gratia illuſtri: quippe qui Mediolanenſes primo, deinde Genuenſes genti Sfortiæ adiunxiſſet; Culeonis vero Gerardo Martinengo præſtanti, maximeque ipſi probato homine, quem etiam generum legiſſet; ſtatuiſſe capta vtrinq; vt reſtituerentur, exules finibus ſuis ſe tenerent. quamq̃ autem Corius, vt eſt a nobis dictum, ea ætate vixerit, ac fieri poſſit, vt tum aliquod diſſidium ſit exortum, quod partis vtriuſq; cõſenſu,

quemadmodum pleruñq; ſolebat, arbitrio Borſij ſit compoſitum;
pugna tamen eadem eſt, quam nos ad pagũ Molinellam pugnatam
oſtendimus: nec aut ſcriptor vllus, aut annales, depromptũ ue ali-
quo ex archio monimentũ quidq̃ eiuſmodi indicant. ſed .n. Corio
fortaſſe erroris cauſam præbuit, qđ hoc eodẽ anno Galeatius & vxor
ad diſſoluendum votum Florentiam ſe ſe contulerunt. profectionis
teſtis eſt Nicolaus Macchiauellus ſine vlla prioris mentione, quã no-
tat annaliũ Bononienſium ſcriptor eorum temporum æqualis. Pau
cis poſt nouæ dignitatis acceſſionem diebus Borſius, cum longo
tractu crinita ſtella in cælo apparuiſſet, ex morbo XIII. Kal. Septẽbr.
vitæ finem fecit conditus in cœnobio Chartuſiẽſium, ꝙ ille magni-
ficentiſſime exædificatũ optimis fundis in ſodalium victum donaue
rat. elatus eſt ampliſs. funere, atq; ipſo audiente Hercule laudatus
primo ab Tito Nouello Adrianorum Pontifice, deinde poſt abſolu-
tas exequias a Ludouico Carbone ea tempeſtate poeta nõ incelebri.
Quod ſi nõnihil moleſta patri ac fratri mors accidit, quia alteri ma-
gnarum ſpem opum abrumperet, alterum ſuſpicio merito cõmoue-
ret, ne regnum patrum adhuc pacatum eſſet: Borſij certe ea felicitas
fuit, vt nec ſupbia intendere, nec metus remittere ipſius curã poſſet.
nec .n. credibile eſt potentiam, ac tot cõmoda a ſe parta inuitum di
miſiſſe, mortemq; exhorruiſſe pro aĩ magnitudine, & multo magis
pro ꝑpetuo religionis cultu, cuius ſub extremum diem certiſſima do
cumenta dederat. quapropter tum hac de cauſa, tum quod vergen-
te iam ętate Herculi fratri cariſſimo regnum noua dignitate auctum
reliquiſſet, quemadmodum quidem parens Nicolaus mandaſſet, fe-
licem plane mortem obijt. hilaritas vero, ac totius vitæ iucunditas,
ita vt oĩ prorſus cura vacuus, contraq; ea in negotio animi intentio,
vt voluptates penitus odiſſe videretur, nõ in poſtremæ felicitatis lo-
co eſt habita. hæc inuicem prope pugnantia comitate quadam ac
grauitate condiebat corporis iuſta magnitudo, honeſta iuxta ac vi-
rilis facies promiſſa nitentiq; cæſarie conſpicua. ille quidẽ non vr-
banos modo hoĩes circum ſe habebat, ſed ẽt facetos complures; in
quibus fuit Gonella Iouiano Pontano celebratus: vnde prouerbij lo
co etiãnum vſurpatur, prætерijſſe Borſij tempora. at gubernandæ
reipub. in primis intentus maximã diei partẽ abſumebat, ita vt inde
nihil vnq̃; deperiret, ac ſi vnum illud cordi haberet; vitã ſic inſtitue-
rat, vt otium de negotio nihil detraheret. cũ eius fines duo diuerſa
maria hinc Adriaticum, inde Thyrrenum attingerent complexi ali-
cubi partim alpes, montes, atque colles, partim latiſſimos campos,
alijs atque alijs locis pro anni tempore habitabat vel in ipſo receſſu,

maximeq; a popularium conſpectu remotus grauiſſimis imperij curis vacans. ad remiſſionem aī accedebat lenitas & vultus & orationis, ac ſingularis quædam in oēs liberalitas, ſed in eos potiſſimum, qui virtute præſtaret. quamobrem inter ceteros Theophilo Calcagnino poſt collata equeſtria ornaměta dono dedit fundos fructuoſiſſimos cum villis pulcherrimis Benuegnanto & Bellumbra, itemq; caſtra Cuuriacum, Maranellum ac Fuſignanum. beneficentiam in ſuos pariter atq; in externos, ſi quorū virtus emineret, æquabat ſplē dor in nobiliſſimis proceribus vel hoſpitio accipiendis, vel muneribus colendis: nec non ædificiorum, quæ ꝑpetuo manſura immani impēſa extruebat. ſed quod vnum in ipſius fortuna primū mireris, vt aliorū bellis ac moleſtijs abeſſet, amicos modo aliqua leui iniuria diſtringebat, modo beneficijs reconciliabat: quippe ſolebat dicere ex nimia confidentia & ſe & illos viliores futuros; hinc certamina, dum quiſq; aduerſariū vltum ire properaret, extitura. ꝑmagni eſſe operis amicitiā ſic temperare ac moderari, vt ne pręfidens, ac prope luxurians publice priuatimq; obeſſet. proinde modo hos, modo illos ſeparatim monebat q̄d facto opus cenſeret. quod ſi quem interdum videretur offendere, facile id excuſabat boni publici ꝓſcriptio. quaſi familiaris amicitia remiſſior, & ſimultatib⁹ magis obnoxia foret, quàm eà, quæ ciuitatum ac regnorū adminiſtrationem reſpiciēs maiore cum faſtu ac grauitate colitur. cum hac eos ſolettia, tū officijs ꝑ tempore vel in vtroſq; interdum collatis detinebat, ita vt neutri parti inimicus, in vtrāq; beneficus quocunq; victoria inclinaret, eius quodā modo eſſet particeps. illud vero in dādis beneficijs præcipue obſeruabat, vt oīa ſic præſtaret, vt officio alioqui ꝑ ſe leui pōdus adderet. ad hæc legatos accuratiſſime inſtruebat: nam vbi totius rei ſeriem cum conſiliarijs, quiq; ipſi erant ab epiſtolis cōmunicaſſent, accitos ipſe poſt capita diſcuſſa, quod quidem apparet ex priuatis indicibus ad hanc vſq; ætatem tranſmiſſis, in genere monebat, quo pacto ſe cū Principibus eorumq; miniſtris gererent, quid demereri, aut eorum aīos poſſet alienare: poſtremo de notorū ſibi procerum ingenijs atq; ſtudijs acutiſſime diſſerebat, ne vel in mandatis ꝑferendis, vel in negotijs tractādis alicubi offenderent, ſed eos ſibi conciliarent. amicitias vero nulla re æque tuebatur, quàm q̄d re vera nec aliena appetebat, nec ſe appetere oſtendebat, qui aperte profitebatur finibus ſuis cōtētō vnā Italiæ quietem atq; libertatem eſſe propoſitam. Permirum itaq; Pontifici ac Ferdinando, itemque Venetis videbatur, quonam pacto, cū exules Florentinorum & Bononienſium apud ſe haberet, nihilo minus carus Medicеæ ac Soderinæ

rinæ familiæ, alijsque eius reipub. potentiſſimis ciuibus eſſet, nec non Bentiuolę factioni, ac toti deniq; ciuitati, ſic vt pro certo exiſtimarent magno oppidi vtriuſq; cōmodo exules receptos fuiſſe: maxime comperto Ateſtinū aliàs ad id ſollicitatum neutrius dominationem vnq̄; affectaſſe. nec illud non mirabantur Inſubrem non iactura, ſed contumelia irritatum quieuiſſe, qui ob eius ſimultatē aureorū nummûm LX. millia a Florentinis ſibi debita amiſiſſet. quin etiam memoria tenebāt ſe, quod quidem vel multo leuius alio agente æquo aīo non tuliſſent, de eo parum interdū iucundo gratias Borſio egiſſe. Tot tantiſq; virtutibus pręſtantis viri prudentiæ vel exter nis chriſtiani orbis regionibus notæ plurimum tribuebant non modo Pontifex ac Cæſar, qui per legatos multis eū de rebus conſulebāt, ſed alij etiam Principes, in primis rex Britāniæ, ac Peloponneſi Dynaſtæ, ipſeq; Græcus Auguſtus, cuius noīe, quoad imperium illud manſit, Ferrariæ pͤpetuo fere legationis munere functus eſt Angelus Hexatrochus, eiuſq; cōſilium plerunq; exquiſiuit. nec ſolum nōſtris regibus tanti fuit Borſius, ſed ēt Tunetano Maimoni, qui humaniſſimis ſcriptis litteris egregios Numidicos equos per nobiles homines ad ipſum adducendos curauit. Ægyptius vero Caitbeius ſummæ inter barbaros orientales maieſtatis miſſa ornatiſſima legatione opobalſamo, alijſq; pretioſis odoribus eſt muneratus. hæ Ateſtini artes moreſque, hæc ad ſupremum vſq; vitæ diem ingens famæ celebritas extitit. Populus nōdum elato Borſio gnarus mandato patris imperium Herculi deberi, cū fauſtis acclamationibus ad eum accurrit, Principeq́; conſalutauit. is tum habitabat in arce, quam nouam vocitatā ante annum tertium & quadrageſimū Nicolaus decoris atq; ornamenti potius, quam munitionis cauſa ad portam Hagnes extruxerat, vnde ſecundū fluminis ripam ad Georgianā vſque Borſius regni initio mœnia protulerat, vicum Glaream noīe, atq; Antonianam regionem complexus: quæ eodem conſilio, quod ille poſt eſt executus, Opizo proauus, & Rainaldus III. foſſa atq; aggere circūdederant, vt ſuo loco narrauimus. Hercules maxima ciuium multitudine ſtipatus ad auguſtiſſimū vrbis templum prexit, ibiq; de manu Antonij Sandelli Tribuni plebis ſceptrū de more accepit eo maiore populi lætitia, quo diutius iuſta Nicolai III. ſoboles paterno regno caruerat: quamq̄ ſane Leonellus atq; Borſius mira popularium caritate imperaſſent. affuere paulo poſt frequētes ex tota Italia legationes gratulantes traditū imperium Herculi, in primis a Sixto IIII. Pont. Max. quem Sauonæ Ruuera familia natum, magiſtrumq; ſodalitij Minoritarum philoſophia & ſacrarum litterarū cognitione,

atque habendis ad populum ſacris concionibus celebrem ſenatores XVII. Romæ tum in comitium coacti ex vnius maxime Beſſarionis Nicæni Cardinalis hoīs doctiſſimi auctoritate v.Id.Aug.in Pauli II. locum ſuffecerant. eandem ob cauſam & alij oratores miſerunt; inter ceteros Ladiſlaus tum primum defuncto Podebraccio ad Boemicum regnum oīum conſenſu euectus. huius legati cum Romam de more proficiſcerentur teſtatum regis obſequiū aduerſus ſanctam Sedem Ferrariā ad ſalutandum nouum Principē diuerterūt. Non eſt autem alienum ab inſtituto noſtro propter ea, quæ poſt ſuis locis redduntur, cū pro re atq; tempore chriſtianorū Principum origines expoſuerimus, Ladiſlai quoq; genus explicare. Poloniæ, quæ regio eſt Sarmatiæ Europęæ, anno a partu virginis DCCCXXV. Ducis titulo pręfuit Plaſtus Coſſiſconi Cruſuicij filius. liberi virilis ſtirpis modo Duces regesque, modo Polonici regni heredes dicti idem imperium multis partibus in eo tractu propagatum tenuerunt ad annum vſq; partæ ſalutis MCCCLXX. Caſimiro huius nominis Secundo ſine filijs defuncto eo ipſo anno ſucceſſit Ludouicus Andegauēſis ex Caſimiri ſorore natus, & Caroli II. Neapolitanorum regis pronepos, idem iure proauiæ ex Stephano IIII. procreatæ rex Hungariæ. Ludouico filiæ ſuperſtites fuerunt Maria & Heduigis, illa Sigiſmundo Auguſto, ac propterea Boemiæ quoque regi nupſit, hæc Gulielmo Auſtriaco ante deſponſa, nec ab eo coniugio abhorrens nobilitatis precibus adducta nuptias contraxit cum Iagellone Lithuaniæ Duce falſorum deorum cultore; isq; in vxoris gratiam cum popularibus chriſtianę religionis myſterijs initiatus Lithuaniā cum Polonia cōiunxit. erat Iagello nepos Gedimini Viteni, qui cæſo rege eam regionem occupauerat. ex Heduige nullos quidem liberos Iagello ſuſtulit: nihilo tamen minus eius ſtirps p multas ætates in Polonia imperauit, atque adhuc magnis opibus imperat. Iagellonis filius inter ceteros extitit Caſimirus III. qui ex Eliſabeta ſorore Ladiſlai Boemiæ regis a Podebraccio veneno intercepti plures liberos genuit; natu maximus Ladiſlaus iuſtus Boemiæ rex, vt diximus, renuntiatus fuit vtpote nepos Alberti Cæſaris, qui Boemiā atq; Hungariā mortuo ſocero adeptus fuerat. Hungariam poſt Matthiæ obitum obtinuit idem Ladiſlaus poſtremi Ludouici & Annæ, quæ Ferdinando Auguſto poſt fuit collocata, pater. Nicolaus Leonelli filius ex Margarita Gonzaga, cuius ſupra mētionem fecimus, fretus materna cognatione cum Borſium regnantem tuliſſet, Herculem ſubuertere conatus eſt. atq; ille quidē principatum temere affectabat; attamen patre rerū potiente beneficijs obſtrictos ſollicitauit ingentibus promiſſis, ſi res ex ſententia

ſucce-

ſuccederet. verum deprehenſus patria exceſſit, nec quidquam deinde mouit, niſi quoad poſt aliquot ãnos, vt ſuo loco narrabitur, clam ac propemodum inermis reuerſus inconſultã audaciam capite luit. Vix regnum occœperat Hercules, cum, vt ciuitatem frequentaret, ac quædam minus laudabilia inſtituta corrigeret, rei frumentariæ, varijsq; artibus populo cõmunicandis aĩum intendit. præcipuum ac ꝑpetuum illi ſtudium fuit patriæ ædificijs atq; operibus excolendæ: ex his eſt quadrata illa area ante forum patefacta, quo aulici magiſtratus ad fungendũ munus ſuum, & nobilitas aĩ cauſa cõuenirent; & ſtatua ænea inaurata Borſio poſita iuxta Nicolai III. ſtatuã, atq; vtrique quidem optimo iure nimirum Ateſtinorum ꝓcerum Italicæ ſtirpis longe præſtantiſſimis. Nicolai ſtatua militarium expeditionum ipſius teſtis equeſtris fuit, Borſij pedeſtris, quod pace in primis iungenda tuendaq; gloriam quæſiſſet. merito ãt cenſuit monumentum filio non minus, quàm patri a ciuibus debitum fuiſſe. Poſtero anno, qui fuit LXXII. extremo Februarij die vt ſtudium in ampliſſimum ordinẽ ſuum teſtaretur, Venetias longe honeſtiſſimo comitatu ac põpa ſalutatum Patres ſe contulit, exceptusq; eſt apparatu tanta repub. non indigno, id eſt plane regio eo maiore lætitia, qđ paucis ante menſibus claſſis præfectus Mocenicus auctus aliquot Pontificijs, Neapolitanis, Rhodijsq; nauibus Turcis nequidq̃ prohibentibus Cariæ & Pamphiliç maritimam oram fuerat depopulatus. idẽ in Cilicia Sichinum, Corycum, & Seleuciam, quibus oppidis Mahometes Caſſambegum & Pirametum fratres exturbarat, ꝑ vim recepta veteribus dominis reſtituerat. Ad hæc Veneti in Cypro inſula firmare opes ſenſim cœperant: etenim Iacobo Luſiniano poſtremo rege fato functo aliàs nobilitati inuiſo, quæ quidem ipſi aduerſa ab Carlotta ſorore Aloiſij Allobrogis vxore ſtetiſſet, proindeq; rex aduenis multas magnasq; in eo regno dignitates mandauiſſet præſertim Hiſpanis: illi autem retinendæ potẽtiæ ergô regis filiam annorum ſex ex pellice ſuſceptam Ferdinandi item filio notho, quem ẽt Galilçæ Principem appellauiſſent, deſpõderant; Mocenicus iubente ſenatu, quo regnum poſthumo conſeruaretur, (quippe regina ventrem ferebat) Methone eo cum claſſe tranſmiſit. qua re ꝑculſi exteri ac ſoçij nouarum rerum cupidi vltro arcibus inſeſſis atq; inſula e veſtigio ceſſerunt. ita regnum incolume manſit Catharinæ Corneliæ, quæ filio paulo poſt extincto ſubſtituta illud deinde reipub. conceſſit. Hercule domũ reuerſo Ricarda mater iuriſiurãdi, quod diſcedens iuraſſet, memor ſe non niſi filio Principe Ferrariam viſuram, ex Salaſſis eo redijt: ſed çtate iam affecta poſt paucos annos in ſubur-

1472

ſuburbanis Belflorianis ædibus, quas peramplas Albertus ad ſeptentrionale oppidi latus condiderat, vitæ finem fecit. Interim Princeps egregia in neceſſarios ac familiares liberalitate vſus multa quoque in populum beneficia ac munera congeſſerat: quæ lętitia vt teſtatior eſſet, in illum ipſum diem, quo ſuperiore anno imperium nactus fuerat, nempe ad XIII. Kal. Septembr. equeſtres ludos edixit. extat in veteribus annalibus maxima frequentia, ac duplici apparatiſſimo theatro, ſpecieq́; & cultu ipſorum inter ſe concurrentiũ equitum viſendo ſumma cum ſpectantium oĩum voluptate medio in foro actos fuiſſe. Ea, quæ ſubſequuta eſt die, Pontifex ex vrbe datis ad Herculem codicillis ſanctæ Sedis beneficia omnia confirmauit, iusq́; eſſe voluit ijſdem inſignibus vtendi, quæ Borſius pontificijs clauibus ſupra eadẽ directis decora & ipſe geſtauerat. eæ claues quoniam, vt mox dicemus, alia plane ſpecie, q̃ quibus ad hanc ętatẽ noſtri Principes vtuntur, alium in locum ſunt reiectæ, quo cuncta clariora reddantur, non ab re fuerit oſtendere, quæ Ateſtini inſignia vſurparunt. ea fuere numero quinq; & viginti. Vetuſtiſſimum proditur niger ad dextram erectus leo pictus in clypeo rubris & albis lineis pari interuallo diſtincto. id colligitur ex Ioanne Villano & incerto auctore, qui peculiari commentario nobiliſſimorum Italiæ procerum vetera inſignia complexus eſt. hinc Riccobaldus, ac nonnulli alij Ateſtinos iſtiuſmodi decoris appellatione, eaq́ue contracta ſimpliciter expreſſerunt; vnde fortaſſe Calaoni oppiduli ditionis Ateſtinæ nomen fluxerit. nec abſimile veri ſit Henricum IX. quo gentilis ornamenti memoriam excitaret, Leonis cognomentum aſciuiſſe: vel certe hæc nota Ateſtinis communis fuerit cum Lilio Patauinorũ rege ipſorum propinquo, qui leonem bipedem in ſcuto depictum geſtauit. Foreſtus vero, Maroellus, atq; Alforiſius bellum aduerſus Atilam gerentes ſua quiſq; ſigna ſeparatim vexillis inſculpſerunt. Foreſtus monocerotem argenteũ in Veneto colore effinxit, quo deinde in puniceũ mutato Rainaldus proprium & ipſe inſigne ꝓdidit. Maroellus binas ſtellas aurea linea diſcretas in praſino: Alforiſius aquilam argenteã in cæruleo depinxit, vel vt Atilæ, cuius erat inſigne accipiter coronatus, fortitudinem ſuam oſtentaret, vel certe quod ab legione Iouia ad eum perueniſſet. eam autem aquilam, quæ, vt ſuo loco commemorauimus, nobiliſſimæ in Gallia familiæ nomẽ dedit, reliqui deinceps Ateſtini proceres, maxime Itali retinuerunt. Azo Monſilicis gratia ad monocerotem turrim purpurei coloris, Bonifacius, qđ Feltriæ dominaretur, aquilæ cygnũ addidit, ita vt dextram maxime partẽ reſpicerent. contra Fulco rubrã aquilã Friburgi monimentũ circulo aureo

 ſiniſtror-

ſiniſtrorſum vergentem incluſit. Vgo leone omiſſo clypeum alternis coloribus diſcriminatum reſtituit. Guelfo VI. cum aquila nigro in ſcuto aureum leonem Norici regni indicem, Chatintiæ tres atros leones ad dextram vergentes coniunxit. Henricus VIII. aureo leoni cæruleum clypeum rubris maculis aſperſum ſubſtrauit, idque vetus Bilingiorum Saxonum inſigne extitit. alter aſſumptus leo Norici imperium: terni coni pariter recepti Septemuiratus dignitatem in Cæſare legendo indicarunt. Henricus IX. cum Federici Ænobarbi iniuria domo pulſus in Angliam profugiſſet, tres aureos leones purpureo in clypeo ad dextrum latus depictos eorum regum inſigne eſt cõſequutus. vnum atq; alterum leonem Federicus II. cum Brunſuicenſem principatum, nec non Luneburgenſem Othoni II. concederet, retinuit: tertiũ luteum ad læuã obuerſum in cærulea rubris maculis cõſperſa ſcuti ſuperficie iuſſit eſſe: quæ ornamenta ab ſe vſurpata Albertus & Ioannes mox ad ceteros vtriuſque regni ſucceſſores tranſmiſerunt. Poſt Nonum X. Henticus aureum leonem ſiniſtra depictum Palatinæ Rheni dignitatis teſtem geſtauit; ternæ criſtæ ab eodem receptæ ius ſuffragij in renuntiando Cæſare declarauerunt. Horum inſignium diſcrimina atque numerum auxerunt Otho IIII. Auguſtus & Federicus Cæſar ſublecti. quippe tres illi primi, ac poſtremi duo leones in nigram bicipitem aquilam coaluerunt, quæ ſuperne diademate præcincta fuit, vtpote Auguſti imperij argumentum: quemadmodum & Principum Brunſuicenſium inſignibus corona eſt appingenda aucto nimirum IX. Othone regio faſtigio ob nuptias contractas cum Ioanna Neapolitanorum regina. Ioanni atque Othoni, cuius modo meminimus, interiectus Ioannes II. quibuſdam Ludolphus Brunſuicenſis dictus, magnus Pruſſiæ magiſter, quem regem appellat Conradus Thuricenſis, idem inſigne cepit, quod XIIII. ante eum illius ordinis magiſtri ſumpſerant: fuere autem terna Maurorum capita in alba parma, duo paulo ſuperiora aduerſis frontibus, tertium ad dextram aliquanto inferius depictum, huiuſmodi argumento haud dubie ſignificantes opam Syriacis bellis ab equitibus Teutonicis nauatã aduerſus Saracenos. ex qua cõſuetudine primum manauit, idq; etiam nunc obſeruant ijdem reguli, vt crucem albã atro paludamento aſſuerent. Hos eſt conſequutus Nicolaus III. qui terna lilia aurea Caroli VI. Francorum regis munus cæruleo in vmbone pingenda curauit, parmaq; in quattuor particulas tranſuerſis lineis diſtincta angulos partim aquilæ argenteæ, partim ipſis lilijs attribuit. idq; inſigne haud quidem regium toti deinceps ſtirpi commune manſit. nam qđ eſt immutatum auguſtalibus aquilis a Federico III. Borſio cõceſ-

ſis, vnde lilia in locum albarum aquilarum, auguſtales ex quo lilia mota fuerant, immigrarūt: argentea in meditullio exiguo orbe cir cumſcripta Mutinæ ac Regij principatum deſignabat: aquila bi- ceps coronata partim nigra aureo in colore, partim argentea in cæ- ruleo picta eiuſdem Federici in Borſium liberalitate Rhodiginæ Tettatchiæ dicata fuit. Paulus. II. Pontifex Max. ad Ferrarienſem Ducatum exprimendum Borſij inſigni dignitatem illam referenti ſuperne tranſuerſas binas claues adiecit: eæq; eodem loco fuerunt, quoad Hercules, vti nunc cernuntur, ab Alexandro illas accepit non tranſuerſas ſed rectas, atq; ad perpendiculum collocatas, ſacraque riata præcinctas: ita vt ornamenti ipſius partes in longitudinem diffinderent, paruuloque circulo argenteam aquilam complexo in medio coniungerent. Ex inſignium Ateſtinorum expoſitione ſatis conſtat Guelforum & Gibellinorum factiones ferro inrer ſe dimica- re ſolitas, pictis quoque imaginibus degladiari voluiſſe. etenim cum Guelfones leonem ad dextram, Guibellingi ad læuam curren- tem in parmis effingerent, vtriuſque partis ſtudioſi eius ipſius rei poſt rationem habuerunt. illud quoque palam eſt, inſignia vnum- quemque vel arbitratu ſuo, vel tradentibus ſummis regibus clien- tibus, aut certe alijs Principibus ſumere teſtimonia deuictarum gentium, quibus ea pro ornamentis fuiſſent. interdum quid fa- ctum aut certe faciendum notant. nec recens, vt quidam perpe- ram exiſtimant, ſed plane antiquiſſimum inuentum eſt, quemad- modum non ſolum ex hiſtorijs, ſed etiam ex veteribus tum græcis, tum latinis nūmis licet deprehendere. Hercules pontificijs tabulis regno confirmato, & occulto quaſi fœdere cum eo coniunctus Bo- nonienſes neſcio quid e finibus ipſius attrectantes eo minus ſuffeten dos cenſuit: cumq; pręſenſiſſet præſidio Inſubris fretos rantum au- dere, Ioanni Galeatio ſignificauit ſe quidem ipſius cauſa ciues non neglecturum, ceterum iniuriam, ſi quæ inferatur, minime diſſimu- laturum eſſe. Ateſtino ea de re vehementius agente metuens ille, ne pręter domeſticas Venetorum ēt opes auxilio aduocaret, quorū ami- citia vulgo iam erat notior, Ferdinandi opera cū eo in gratiā redijt. Vgolotto regis internūtio ſponſio IIII. Non. Octobr. interponitur, Inſubri non niſi laceſſenti ſe moleſtum futurum: mox eodē curante Eleonoræ regiæ natu maximæ puellæ nuptias paciſcitur. Beatricis, quam tum quoq; Matthiæ Pannoniæ regi collocare pater ſatagebat, in aliud tempus matrimoniū eſt dilatum. fama eſt nullo tamen ſatis certo ac fide digno auctore vulgata, Ferdinandum nihil aliud eiuſ- modi affinitate captaſſe, quàm vt Herculem Neapolim pellectū clam interficeret memor ab ſe ad Ioannē tranſiſſe: quo modo Iacobum ēt

Picininum, quem acerrimum hoſtem eo bello expertus fuiſſet, falla-
ci reconciliationis ſimulatione deceptum in carcere necaſſet. ſed vt
prudenter diſſerit Alexander Sacratus patritius Ferrarienſis vnus e ſo
dalitio Rhodiorum militum in cõmentario, quem de Herculis vita
conſcripſit, haudquaquam credibile ſit, id Ferdinando in mentem
vnq̃ veniſſe: quippe cui vltione plane infami pluris eſſe deberet vir
nobiliſſimus, quiq; magnis eum beneficijs quandoque poſſet affice-
re. Nec mouet Iacobi exemplum, cuius ad Ioannem trãſitio minus
excuſabilis longe grauior iniuria extitit. adde quod illius exitio au-
dax militum præfectus de medio tollebatur Tarraconenſium cauſæ
maxime infeſtus, multaque ab eo oppida in Apulia intercepta reci-
piebantur. Herculis interitu non propterea Aeſtini veteres opes a-
mittebant, in quibus dubijs ſuis rebus cum magnam ſpem colloca-
ret, præſertim ob vicinitatem atq; amicitiam Venetorum diligenter
ab eo cultam, nihil erat quod proceres clariſſimos tam inſigniter of-
fenderet. Marini quoq; Martiani caſus, quem nos aliàs in cuſtodiã
traditũ, Michael Riccius et interfectum memoriæ prodidit, nihil
ad rem facit; nimirum regis beneficiarius quemadmodum om-
nium primus, vt ſuperius narrauimus, ad Ioannem defecerat, ita
nouo Andegauenſium motu iterum ſe cum ijs coniunxiſſet. pro-
inde extinctus Ferdinandũ eiuſmodi ſuſpicione liberabat, & exem-
plo ceteros deſertores perterrefaciebat. Sixto pergrata fuit ea ani-
morum conſociatio non de nihilo ſperanti Herculis opera cum Fer-
dinando ſibi conuenturum, quo cũ extabat controuerſia de aliquot
Neapolitanæ ditionis cis Lirim oppidis iam ante ab Pio II. Eccleſiæ
partis. rex quo diſſidij cauſas prorſus tolleret, cũ iam Mariã filiam
ex pellice ſuſceptam Antonio Piccolomineo Pij nepoti vxorem de-
diſſet, Celanenſi Comitatu doti dicto, ea lege vti ſummum regi in
eum ius eſſet: tum in gratiam Aeſtini Antonio Ruuero, cui Catha-
rinam ex ipſo Martiano & Eleonora ſorore procreatã in matrimo-
nium collocaſſet, Soram atq; Arpinũ eſt largitus. verumenimuero
cũ iam Alfonſus Sfortiæ Inſubris fratri, quod nos ſupra attigimus,
neptem vxorem deſpondiſſet, quo iuſtæ forent nuptiæ, Pontifex
matrimonium hauddum concubitu firmatũ ſoluit multis de cauſis,
tum vero quod puella reuerentia paterna adducta cõſenſiſſet, litteris
quibus illud irritum eſſe iubebat, Roma allatis. Hercules inſequen-
ti anno VI. Kal. Maij fratrem Sigiſmundum magna cum nobilium 1473
virorũ manu ad traducendã virginem Neapolim ire iuſſit. Penteco
ſtes puigilio, qui fuit dies prid. Non. Iun. Eleonora regulo Andriẽ-
ſi deducente ad vrbem peruenit: in qua quidem excipienda Sixtus
ſuperiorum omnium Pontificum magnificentiam longe ſuperauit.

quippe

quippe qui a priſcorum ſacerdotum frugalitate ad huiuſmodi ſplendorem ac luxum cũ primis deflexiſſet auctore maxime nepote S. Sixti Cardinale hoĩe ventoſiſſimo, cuiq; ærarium romanũ in manu eſſet. ſummus ergo ac plane eximius honor ad hunc modũ Romæ eſt habitus. Aduenienti tertio ab vrbe lapide occurrerunt duo e purpurato cœtu cũ lectiſſimo Epiſcoporum atq; aliorum ſacerdotũ comitatu. a porta recta ad ædes Lateranenſes perrexit pulla in veſte vtpote viatoria, & gemmato galericulo tecta, ibique aliquandiu ex labore itineris requieuit. mox ipſo Pontificis nepote, atque altero item Cardinale, omnibus, quicunq; in vrbe erant legatis, proceribus, ac Romanorum, aliarumq; gentium nobiliſſimis proſequentibus, vijs qua paſſim incederet exornatis, ad S. Apoſtoli ædes peruenit, quo domicilio nepos Pontificius ante ſumptã purpuram vnus ex Minoritarum ſodalitio vtebatur. eſt ſane proditum memoriæ nõ minus LX. hoĩum millia ad ſpectaculũ confluxiſſe, qđ Sixtus clientes ferme oẽs ex tota ditione Pontificia, ac neceſſarios nominatim euocaſſet. Cardinalis pro templo vacua in area ad nouam nuptam excipiendam magnificentiſſimam domum Britãnico more ſtatuerat tribus atrijs patentibus vetera ædificia æmulantem. primo atrio quinque perampli thalami, poſtremo quattuordecim coniuncti erant, ſinguli vario aureorum periſtromatum, alioque exquiſitiſſimo, ſummique pretij ornatu exculti ſiue lectos, ſiue ſellas ſtragula veſte acu picta atque argento collucentes ſpectares; ne quid de gemmis paſſim inſertis dicam vel ipſo manus pretio omnem prope fidem excedente: in interioribus conclauibus multa veſtis ex alpinorum, põticorum, ac luporum ceruariorum pellibus conſtans proſtabat, qua virgo ipſa & comites, prout nocturnũ tempus poſtulaſſet, vterentur, ad pompam potius atq; oſtentationem exprompta, q̃ quod eius vllus foret vſus: matella ex puro puto auro fuit. primum atriũ ſplendidiſſimo conuiuio ac ludis deſtinatũ aulæa phrygio opere pulcherrime picta, auroq; diſtincta ornabãt, & terni occulti folles maximi perflabant: puer angeli habitu hauſtam ex fonte aquam hũc illuc multifariam ſpargebat. in prima alterius atrij fronte eminebat ſuggeſtus auro atque argento, gemmiſq; aptiſſime diſtributis maxime conſpicuus; e regione aurea atque argentea multorum artificum manu cælata vaſa XII. gradibus diſtincta atque diſpoſita non minus iucundo ſpectaculo viſebantur. in poſtremo pretioſiſſimis tapetibus inſtrato proceres ac nobiliſſimus quiſq; conueniebant. Poſtera ſacroſanctæ Pentecoſtes die Eleonora in palla aurea, gẽmiſq; & vnionibus fulgente ad Vaticanum proceſſit proſequentibus multis ſenatoribus ac proceribus, lectiſſimoq; nobiliſſimarum fœminarum cœtu. ibi

